This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

NEDL TRANSFER
HN 3721 A

CORNELII JANSENII LEERDAMENSIS,

S. T. D. ET PROF. LOVANIENSIS,

EPISCOPI IPRENSIS,

TETRATEUCHUS,

SIVE

COMMENTARIUS

IN SANCTA JESU CHRISTI

EVANGELIA.

EDITIO NOVA ACCURATIOR

Cui accessit in margine sacer Textus, cum indice amplissimo, & Evangeliorum totius anni serie.

Ex libris Joannis fi.ci Lallemand Sacerdotis

LUTETIÆ PARISIORUM;

Apud LUDOVICUM ROULLAND Filium, viâ Jacobeâ ad insigne Sancti Ludovici.

M. DC. LXXXVIII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

KG 13302

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
9 NOV 19-2
53*137

AD LECTOREM.

TETRATEUCHUM Evangelicum Reverendiſſimi Dom. CORNELII JANSENII, quem DEUS nuper ineffabili conſilio, ut terris eum tantùm oſtenderet, ad Epiſcopatum Ipremſem evexit, & ſubitò retraxit, tibi Lector, damus.

Opus, fateor, non in typos ab Auctore deſtinatum, ſed Scholaſticis tantùm dictatis concinnatum. Verùm diſcipulorum ardor, & incomparabilis Viri eruditio, tot aliis jam ſcriptis probata, & hîc ſibi par, expreſſit, ut typis evulgarem. Aliorum Commentarii mole fortaſſis ampliores, ſed fallor, ſi doctrinâ & veræ pietatis fructu: quem illi cum cortice ſuo, multiſque ad ornatum magis quàm ad guſtum foliis, totamque arborem præbent, noſter purum-putum nucleum, ſine putaminum ſupervacuis. Inſpice, ipſe etiam mecum dices, & aſtrictam brevitatem tam opulentam, & (quod rariſſimum) luculentam admiraberis.

APPROBATIO CENSORIS.

COmmentarius hic Reverendiſſimi & Eximii D. CORNELII JANSENII in ſancta JESU CHRISTI Evangelia genuinum Scripturæ Sacræ ſenſum exponit, & ſummam eruditionem, doctrinamque ſolidiſſimam, ex Sanctorum Patrum ſcriptis potiſſimùm depromptam complectitur. Quamobrem prælo dignißimum cenſeo. Dat. Lovanii anno 1639. die 10. Maii.

JACOBUS PONTANUS *Sacræ Theol. Doctor Apoſtolicus, ac Regius Librorum Cenſor.*

INDEX
EVANGELIORUM,
QUÆ TUM DOMINICIS, TUM FESTIS, tum aliis diebus ferialibus leguntur per annum tam in Ecclesia Romana quàm in Parisiensi.

Nota quod si littera R. ad marginem adscribatur, Evangelium illud in Romana tantùm Ecclesia legitur: Si verò littera P. legitur tantùm in Parisiensi: Si neutra erit, legitur in utraque Ecclesia.

PROPRIUM DE TEMPORE.

Dominica prima Adventus.

Erunt signa in Sole. Luc. 21.
Dom. 2. Advent.
Cùm audisset Joan. in vinculis. Matth. 11.
Dom. 3. Advent.
Miserunt Judæi ab Hierosolymis Joan. 1.
Feria 4. quat. temp. Advent.
Missus est Angelus Gabriel. Luc. 1.
Feria 6.
Exurgens Maria. Luc. 1.
Sabbato.
Anno quintodecimo Imperii Tiberii, Luc. 3.
Dom. 4. Advent.
Anno quintodecimo Imperii Tiberii Luc. 3.
In Vigil. Nat. Dom.
Cùm esset desponsata Matth. 1.
In Nat. Dom. in Missa 1.
Exiit edictum à Cæsare Augusto. Luc. 2.
In Missa 2.
Pastores loquebantur ad invicem. Luc. 2.
In Missa 3.
In principio erat Verbum. Joan. 1.
In festo S. Stephani.
Ecce mitto ad vos. Matth. 23.
In festo S. Joan. Evang.
Dixit Jesus Petro, sequere me. Joan. 21.
In festo SS. Innocent.
Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. Matth. 2.
Dom. infra Oct. Nativit.
Erant Joseph & Maria mater Jesu. Luc. 2.
In festo Circonc. Dom.
Postquam consummati sunt dies octo. Luc. 2.
In Vigil. Epiphan.
Defuncto Herode. Matth. 2.
In festo Epiphan.
Cùm natus esset Jesus. Matth. 2.
Dom. infra oct. Epiphan.
Cùm factus esset Jesus. Luc. 2.
Dom. 2. post Epiphan.
Nuptiæ factæ sunt. Joan. 2.
Dom. 3.
Cùm descendisset Jesus. Matth. 8.
Dom 4.
Ascendente Jesu in naviculam. Matth. 8.
Dom. 5.
Simile factum est regnum cœlorum. Matth. 13.
Dom. 6.
Simile est regnum cœlorum. Matth. 13.
Dom. in Septuag.
Simile est regnum cœlorum homini. Matth. 20.
Dom. in Sexag.
Cùm turba plurima. Luc 8.
Dom. in quinquag.
Assumpsit Jesus duodecim. Luc. 18.
Feria 4. Cinerum.
Cùm jejunatis. Matth. 6.
Feria 5.
Cùm introisset Jesus Matth. 8.
Feria 6.
Audistis quia dictum est. Matth. 5.
Sabbato.
Cùm serò esset factum. Marc. 6.
Dom. 1. Quadrag.
Ductus est Jesus in Desertum. Matth. 4.
Feria 2.
Cùm venerit filius hominis. Matth. 25.
Feria 3.
Cùm intrasset Jesus. Matth. 21.
Feria 4. quat. temp.
Magister volumus à te. Matth. 12.
Feria 5.
Egressus Jesus secessit. Matth. 15.

Erat dies festus Judæorum. Joan. 5.
Sabbato quatuor temp.
Assumpsit Jesus Petrum. Matth. 17.
Dom. 2. Quadrag.
Assumpsit Jesus Petrum. Matth. 17.
Feria 2.
Ego vado, & queretis me. Joan. 8.
Feria 3.
Super Cathedram Moysi. Matth. 23.
Feria 4.
Ascendens Jesus Hierosolymam. Matth. 20.
Feria 5.
Homo quidam erat dives. Luc. 16.
Feria 6.
Homo erat paterfamilias. Matth. 21.
Sabbato.
Homo quidam habuit duos filios. Luc. 15.
Eodem die Fest. quinque plagarum Christi.
P. Sciens Jesus quia omnia. Joan. 19.
Dom. 3.
Erat Jesus ejiciens dæmonium. Luc. 11.
Feria 2.
Utique dicetis mihi. Luc. 4.
Feria 3.
Si peccaverit in te frater tuus. Matth. 18.
Feria 4.
Quare discipuli tui. Matth. 15.
Feria 5.
Surgens Jesus de Synagoga. Luc. 4.
Feria 6.
Venit Jesus in civitatem Samariæ. Joan. 4.
Sabbato.
Perrexit Jesus in Montem Oliveti. Joan. 8.
Dom. 4.
Abiit Jesus trans mare Galilææ. Joan. 6.
Feria 2.
Prope erat Pascha Judæorum. Joan. 2.
Feria 3.
Jam die festo mediante. Joan. 7.
Feria 4.
Prætereiens Jesus vidit hominem. Joan. 9.
Feria 5.
Ibat Jesus in civitatem. Luc. 7.
Feria 6.
Erat quidam languens Lazarus. Joan. 11.
Sabbato.
Ego sum lux mundi. Joan. 8.
Dom. de Passione.
Quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8.
Feria 2.
Miserunt principes & Pharisæi. Joan. 7.
Feria 3.
Ambulabat Jesus in Galilæam. Joan. 7.
Feria 4.
Facta sunt encœnia. Joan. 10.
Feria 5.
Rogabat Jesum quidam Pharisæus. Luc. 7.

Collegerunt Pontifices & Pharisæi. Joan. 11.
Eodem die in fest. Compassionis Beatæ Mariæ Virginis.
P. Erant Joseph & Maria Mater Jesu. Luc. 2.
Sabbato.
Cogitaverunt Principes Sacerdotum. Joan. 12.
Dom. Palmarum.
Pro Bened. Palmarum.
Cum appropinquasset Jesus. Matth. 21.
Ad Missam.
Scitis quia post biduum Pascha fiet. Matth. 26.
Feria 2.
Ante sex dies Paschæ. Joan. 12.
Feria 3.
Erat Pascha & Azyma. Marc. 14.
Feria 4.
Appropinquabat dies festus Azymorum. Luc. 22.
Feria 5.
Ante diem festum Paschæ. Joan. 13.
Feria 6.
Egressus est Jesus cum discipulis suis. Joan. 18.
Sabbato Sancto.
Vespere autem sabbati. Matth. 28.
Dom. Resurrectionis.
Maria Magdalene & Maria Jacobi. Marc. 16.
Feria 2.
Duo ex discipulis Jesu. Luc. 24.
Feria 3.
Stetit Jesus in medio discipulorum. Luc. 24.
Feria 4.
Manifestavit se iterum. Joan. 21.
Feria 5.
Maria stabat ad monumentum. Joan. 20.
Feria 6.
Undecim discipuli. Matth. 28.
Sabbato.
Una Sabbati Maria. Joan. 20.
Dom. in Albis.
Cum esset sero die illa. Joan. 20.
Dom. 2. & post Pasch.
Ego sum Pastor bonus. Joan. 10.
Dom. 3.
Modicum & jam non videbitis me. Joan. 16.
Dom. 4.
Vado ad eum qui me misit, Joan. 16.
Dom. 5.
Amen, amen dico vobis. Joan. 16.
Fer. 2. & 3. in Rogat.
Quis vestrum habebit amicum. Luc. 11.
In Vigil. Ascens.
Sublevatis Jesus oculis. Joan. 17.
In Ascens. Dom.
Recumbentibus undecim discipulis. Marci 16.
Dom. infra Oct. Ascens.
Cum venerit paraclitus. Joan. 15. & 16.
In Vigil. Pentec.
Si diligitis me. Joan. 14.

In Dom. Pentec.

Si quis diligit me. Joan. 14.

Feria 2.

Sic Deus dilexit mundum. Joan. 3.

Feria 3.

Amen, amen dico vobis. Joan. 10.

Feria 4. Quat. temp.

Nemo potest venire ad me. Joan. 6.

Feria 5.

Convocatis autem duodecim. Luc. 9.

Feria 6. Quatr. temp.

Factum est in una dierum. Luc. 5.

Sabbato Quart. temp.

Surgens Jesus de Synagoga. Luc. 4.

Dom. Trinitatis.

Data est mihi omnis potestas. Matth. 28.

Eodem die.

Dom. 1. post Pentec.

Estote misericordes. Luc. 6.

In fest. Corp. Christi.

Caro mea verè est cibus. Joan. 6.

Dom. 2. post. Pentec.

Homo quidam fecit cænam magnam. Luc. 14.

In Octav. Corp. Christi.

Caro mea verè est cibus. Joan. 6.

Dom. 3. post Pentec.

Erant appropinquantes ad Jesum. Luc. 15.

Dom. 4.

Cùm turbæ irruerent in Jesum. Luc. 5.

Dom. 5.

Amen dico vobis, nisi abundaverit. Matth. 5.

Dom. 6.

Cùm turba multa esset. Marc. 8.

Dom. 7.

Attendite à falsis Prophetis. Matt. 7.

Dom. 8.

Homo quidam erat dives. Luc. 16.

Dom. 9.

Cùm appropinquaret Jesus. Luc. 19.

Dom. 10.

Dixit Jesus ad quosdam. Luc. 18.

Dom. 11.

Exiens Jesus de finibus Tyri Marc. 7.

Dom. 12.

Beati oculi, qui vident. Luc. 10.

Dom. 13.

Dum iret Jesus in Hierusalem. Luc. 17.

Dom. 14.

Nemo potest duobus dominis servire. Matth. 6.

Dom. 15.

Ibat Jesus in civitatem. Luc. 7.

Dom. 16.

Cùm intraret Jesus in domum. Luc. 14.

Dom. 17.

Accesserunt ad Jesum Pharisæi. Matth. 22.

Feria 4. quat. temp.

Respondens unus de turba. Marc. 9.

Feria 6. quat. temp.

Rogabat Jesum quidam Pharisæus. Luc. 7.

Sabbato quat. temp.

Dicebat Jesus turbis Luc. 13.

Dom. 18.

Ascendens Jesus in naviculam. Matth. 9.

Dom. 19.

Simile factum est regnum cœlorum. Matth. 22.

Dom. 20.

Erat quidam regulus. Joan. 4.

Dom. 21.

Simile est regnum cœlorum homini. Matth. 18.

Dom 22.

Abeuntes Pharisæi. Matth. 22.

Dom. 23.

Loquente Jesu ad turbas. Matth. 9.

Dom. 24.

R. Cùm videritis abominationem. Matth. 24.

P. Cùm descendisset Jesus de monte. Matth. 8.

Dom. 25.

R. Cùm descendisset Jesus de monte. Matth. 8.

P. Ascendente Jesu in naviculam. Matth. 8.

Dom. 26.

R. Ascendente Jesu in naviculam. Matth. 8.

P. Simile factum est regnum cælorum. Mat. 13.

Dom. 27.

R. Simile factum est regnum cœlorum. Mat. 13. vers. 24.

P. Simile est regnum cælorum. Mat. 13. v. 44.

Dom. 28. & ult.

P. Simile est regnum cœlorum. Matth. 13.

P. Cùm videritis abominationem. Matth. 24.

PROPRIUM SANCTORUM.

In Vigil. sancti Andreæ.

Stabat Joannes, & ex discipulis ejus. Joan. 1.

In festo sancti Andreæ.

Ambulans Jesus juxta mare. Matth. 4.

In suscept. SS. Reliquiarum.

P. Simile est regnum cœlorum. Matth. 13.

In festo S. Nicolai.

Homo quidam peregre proficiscens. Matth. 25.

In festo Concept. B. Mariæ.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1.

In festo S. Thomæ.

Thomas unus ex duodecim. Joan. 20.

In festo S. Genovefæ.

Simile est regnum cœlorum decem. Matth. 25.

In festo S. Antonii.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.

In festo Cathedræ S. Petri.

Venit Jesus in partes Cæsareæ. Matth. 16.

In Convers. S. Pauli.

Dixit Simon Petrus ad Jesum. Matth. 19.

In fest. Purif. B. Mariæ Virginis.

Postquam impleti sunt dies. Luc. 2.

In festo S. Matthiæ.

Respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater Matth. 11.

In festo S. Thomæ de Aquino.

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

In fest. S. Gregorii Papæ

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

In festo S. Joseph

Cùm esset desponsata mater Jesu Matth. 1.

In festo S. Joachim.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1.

In festo S. Benedicti.

Ecce nos reliquimus omnia Matth. 19.

In festo Annuntiat. B. Mariæ Virginis.

Missus est Angelus Gabriel. Luc. 1.

In festo S. Francisci de Paula.

Nolite timere pusillus grex. Luc. 12.

In festo S. Leonis Papæ.

Venit Jesus in partes Cæsareæ. Matth. 16.

In festo Invent. Corpor. S. Dionysii. & Sociorum.

P. Simile est regnum cœlorum. Matth. 13.

In festo S. Marci Evang.

Designavit Dominus Luc. 10.

In festo SS. Philippi & Jacobi.

Non turbetur cor vestrum. Joan. 14.

In festo Invent. S. Crucis.

Erat homo ex Pharisæis Nicodemus. Joan. 3.

In festo S. Joan. ante Portam Latinam.

Accessit ad Jesum Mater, Matth. 20.

In festo S. Barnabæ.

Ecce ego mitto vos sicut oves. Matth. 10.

In vigil. S. Joan. Baptistæ.

Fuit in diebus Herodis. Luc. 1.

In Nativit. S. Joannis Baptist.

Elizabeth impletum est tempus. Luc. 1.

In vigil. SS. Petri & Pauli.

Dixit Jesus Simoni Petro. Joan. 21.

In festo SS. Petri & Pauli.

Venit Jesus in partes Cæsareæ, Matth. 16.

In Comm. S. Pauli.

Ecce ego mittos vos sicut oves. Matth 10.

In festo Visitat. Beatæ Mariæ Virginis.

Exurgens Maria, abiit in montana. Luc. 1.

In festo S. Mariæ Magdalenæ

Rogabat Jesum quidam Pharisæus. Luc. 7.

In festo SS. Jacobi & Christophori.

Accessit ad Jesum Mater filiorum. Matth. 20.

In festo S. Annæ.

Simile est regnum cœlorum. Matth. 13.

In festo vinculorum S. Petri.

Venit Jesus in partes Cæsareæ. Matth. 16.

In festo Invent. Corp. S. Stephani.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas. Matth. 23.

In festo S. Dominici.

Sint lumbi vestri præcincti, Luc. 12.

In festo Suscept. S. Crucis.

P. Nunc judicium est mundi. Joan. 12.

In festo Transfigurationis Domini.

Assumpsit Jesus Petrum Matth 17.

In Translation. S. Benedicti

P. Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

In festo S. Ignatii.

P. Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.

In vigil. S. Laurentii.

Si quis vult venire post me. Matth. 16.

In festo S. Laurentii.

Amen, amen dico vobis, nisi granum. Joan. 12.

In festo Suscept. S. Corona.

P. Apprehendit Pilatus Jesum. Joan. 19.

In vigil. Assumpt. B. Mariæ Virginis.

Loquente Jesu ad turbas. Luc. 11.

In festo Assumpt. B. Mariæ Virginis.

Intravit Jesus in quoddam castellum. Luc. 10.

In festo S. Rochi.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.

In festo S. Bartholomæi.

Exiit Jesus in montem orare. Luc. 6.

In festo S. Ludovici.

Homo quidam nobilis abiit. Luc. 19.

In festo S. Bernardi.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

In festo S. Augustini.

Vos estis sal terræ Matth 5.

In Decol. S. Joan. Bapt.

Misit Herodes, ac tenuit Joannem. Marc. 6.

In Nativit. B. M. Virginis.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1.

In festo Exalt S. Crucis.

Nunc judicium est mundi. Joan. 12.

In vigil. S. Matthæi.

Vidit Jesus publicanum. Luc. 5.

In Festo S. Matthæi.

Vidit Jesus Hominem sedentem. Matth. 9.

In festo Dedicat. S. Michaëlis Arch.

Accesserunt Discipuli ad Jesum Matth. 18.

In festo S. Hyeronimi.

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

In festo S. Francisci.

Respondens Jesus dixit, Confiteor tib. Matth. 11.

In festo S. Brunonis.

Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.

In festo SS. Dionisii & Sociorum.

P. Descendens Jesus de monte. Luc. 6.

R. Attendite à fermento Pharisæorum. Luc. 12.

In festo S. Lucæ Evang.

Designavit Dominus & alios. Luc. 10.

In vigil. SS. Simonis & Judæ.

Ego sum vitis vera. Joan. 15.

In fest. SS. Simonis & Judæ.

Hæc mando vobis, ut diligatis. Joan. 15.

In vigil. omnium Sanctorum.

Descendens Jesus de monte. Luc. 6.

In festo omnium Sanctorum.

Videns Jesus turbas. Matth 5.

In die Comm. Omnium Fid. defunct.

Amen, amen dico vobis, quia venit. Joan. 5.

In festo S. Marcelli.

P. Sint lumbi vestri præcincti. Luc. 12.

In festo S. Martini.

Nemo accendit lucernam. Luc. 11.

In festo Præsent. B. Mariæ Virginis.

Loquente Jesu ad turbas. Luc, 11.

In feſto S. Catharinæ.

Simile eſt regnum cælorum decem virginibus. Matth. 25.

COMMUNE SANCTORUM.

Commune Apoſtolorum.

In Vigil. & feſto Apoſtolorum.

Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis. Joan. 15.
Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

Commune Evangeliſtarum.

Deſignavit Dominus & alios. Luc. 10.

Commune unius Martyris.

Si quis venit ad me, & non odit. Luc. 14.
Si quis vult venire poſt me. Matth. 16.
Nolite arbitrari, quia venerim pacem. Matth. 10.
Nihil opertum, quod non revelabitur. Matt. 10.
Amen, amen dico vobis, niſi granum. Joan. 12.
Ego ſum vitis vera Joan. 15. *pro tempore Paſchali.*

Commune plurimorum Martyrum.

Ego ſum vitis, vos palmites. Joan. 15.
Amen, amen dico vobis, quia plorabitis. Joan. 16.
Cùm audieritis prælia. Luc. 21.
Deſcendens Jeſus de monte. Luc. 6.
Sedente Jeſu ſuper montem Oliveti. Matth. 24.
Videns Jeſus turbas aſcendit. Matth. 5.
Reſpondens Jeſus dixit, confiteor tibi. Matth. 11.
Væ vobis qui edificatis. Luc. 11.
Qui vos audit, me audit. Luc. 10.
Attendite à fermento Phariſæorum. Luc. 12.

Commune Confeſſoris Pontificis.

Homo quidam peregrè proficiſcens. Matth. 25.
Vigilate quia neſcitis qua hora. Matth. 24.
Nemo accendit lucernam. Luc. 11.
Videte, vigilate, orate. Marc. 13.

Commune Doctorum.

Vos eſtis ſal terræ. Matth. 5.

Commune Confeſſoris non Pontificis.

Sint lumbi veſtri præcincti. Luc. 12.
Nolite timere puſillus grex. Luc. 12.
Homo quidam nobilis abiit. Luc. 19.

Commune Abbatum.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19.

Commune Virginum & Martyrum.

Simile eſt regnum cœlorum decem. Matth. 25.
Simile eſt regnum cœlorum theſauro. Matth. 13.

Commune Virginum non Martyrum.

Simile eſt regnum cœlorum decem. Matth. 25.
Simile eſt regnum cœlorum theſauro Matth. 13.
Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi, tentantes. Matthæ 19.

Commune Sanctarum nec Virginum nec Martyrum.

Simile eſt regnum cœlorum theſauro. Matth. 13.

In Dedicatione Eccleſiæ.

Ingreſus Jeſus perambulabat Jerico. Luc. 19.

Dom. Infra Octavam Dedicationis.

Facta ſunt Encænia in Hieroſolymis. Joan. 10.

IN MISSIS VOTIVIS.

Pro eligendo ſummo Pontifice.

Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: ſi diligitis me. Joa. 14

Ad tollendum Schiſma.

Sublevatis Jeſus oculis. Joan. 17.

Pro quacumque neceſſitate.

Habete fidem Dei. Marc 11.

Pro Remiſſione Peccatorum.

petite & dabitur vobis. Luc. 11.

Contra paganos.

Quis veſtrum habebit amicum. Luc. 11.

Tempore belli.

Acceſſerunt ad Jeſum diſcipuli ſecreto. Matt. 24.

Pro pace.

Cùm ſerò eſſet die illa Joan. 20.

Pro vitanda mortalitate, vel tempore peſtilentiæ.

Surgens Jeſus de Synagoga. Luc. 4.

Pro infirmis.

Cùm introiſſet Capharnaum. Matth. 8.

Pro peregrinantibus.

Euntes prædicate, dicentes. Matth. 10.

Pro ſponſalibus.

Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi tentantes. Mat. 19.
P. Exurgens venit in fines Judeæ. Marc. 10.

Pro Defunctis.

Dixit Martha ad Jeſum. Joan. 11.
Omne quod dat mihi Pater. Joan. 6.
Ego ſum panis vivus. Joan. 6.
Amen, amen dico vobis, quia venit hora. Joan. 5.

Pro mulieribus in partu laborantibus.

Mulier cùm parit. Joan. 16.

Pro infirmo in agonia.

Amen, amen dico vobis, quia plorabitis. Joan. 16.

CORNELII JANSENII
IN SANCTA
JESU CHRISTI
EVANGELIA,
COMMENTARIUS.

PRÆFATIO.

EVANGELIUM Græca vox eſt, lætum fauſtúmque nuntium ſignificans. Apud Homerum, & alios, etiam pro præmio, quod lætum adferenti nuntium dari ſolet, uſurpatur: apud Xenophontem pro ſacrificio ob lætum nuntium oblato. Verùm ſignificationis iſtius primæ generalitas uſu Eccleſiaſtico ita contracta eſt, ut per excellentiam tantùm uſurpetur pro illo nuntio, quo nullum lætius, optabilius, ac jucundius humano generi adferri potuit, de incarnato Dei Filio & nato Salvatore mundi, qui damnatam humanam naturam ab æterna morte liberando, ſalutem æternam ei ſuâ morte procuravit. Sæpe tamen non pro ipſa re, ſed pro doctrina ſeu hiſtoria, tale nuntium complectente, ſumitur: quæ uſurpatio huic loco propria eſt. Ut meritò Euſebius, l. 1. Præparat. Evangel. cap. 1. dixerit, *Evangelium* vocari, quod fauſtam cœleſtium, maximorúmque bonorum, amicitiæ ſcilicet divinæ omniúmque cæterorum inde dependentium præſentiam per Chriſtum allatam humani generis univerſitati annuntiat. Unde ſuaviſſimis epithetis paſſim dicitur *Evangelium regni*, Matth. 4. v. 23. *Evangelium gratiæ*, Act. 20. v. 24. *Evangelium pacis*, ad Rom. 10. v. 15. *Evangelium gloriæ beati Dei*, 1. ad Timoth. 1. v. 11.

EVANGELISTA verò quamvis dicatur ab *Evangelio*, uſus tamen Eccleſiaſticus obtinuit, ut qui in Scripturis *Evangeliſtæ* dicuntur, ii vulgò numquam; & contrà, qui in Scripturis numquam, ii vulgò ſemper *Evangeliſtæ* nominentur. Scriptura quippe *Evangeliſtas* vocat eos, qui Evange-

lium istud supradictum prædicando nuntiârunt: undè Act. 21. v. 8. Philippus Evangelista dicitur; & Paulus hortatur Timotheum 2. Tim. 4. v. 5. *opus fac Evangelistæ.* Vulgò verò eos Evangelistas tantùm vocamus, qui Evangelicam historiam, Spiritu sancto calamum dirigente, scripserunt.

Multi quidem, ut Lucas initio Evangelii sui testis est, olim conati sunt res à Christo Domino gestas, & Evangelium istud scripto hominibus patefacere: hinc est enim Evangelium secundùm Apostolos apud August. lib. 1. contra Adimantum c. 17. Manichæis familiare, & aliud Nazaræorum, secundùm Petrum, apud Theodoret. l. 2. Hæretic. fabularum; itémque secundùm Andream, secundùm Jacobum, secundùm Thomam, secundùm Matthiam, de quibus Innocentius Epist. 3. & Ambros. Præf. in Lucam: nec non secundùm Ægyptios, quo Clemens Alexandrinus usus est, ut ipsemet testatur lib. 3. Stromat. c. 6. item secundùm Hebræos, apud Theodoretum suprà: secundùm Judam Iscariotem, apud eumdem lib. 1. Hæreticar. fabul. denique secundùm Philippum, secundùm Bartholomæum, &c. Scripsit & Basilides Evangelium, apud Ambros. suprà. Sed ex tanto Evangeliorum numero Ecclesia non nisi quatuor probavit, quia non nisi quatuor divino spiritu scripta reperit: nam, ut August. ait lib. 1. De consensu Evangelist. cap. 1. Scriptores illi suis temporibus non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret. Quædam etiam scriptis suis falliciter indiderunt, quæ Catholica atque Apostolica regula fidei & sana doctrina condemnat. Ut idcirco meritò dixerunt Ambr. *Ecclesia, cùm quatuor Evangelii libros habeat, per universum mundum Evangelio redundat: hæreses, cùm multa habeant, unum non habent.*

Atque hujus quidem quaternarii numeri ratio tametsi à divina voluntate præcipuè pendeat, quia tamen naturas ipsas rerum in mysteriorum dispensatione solet attendere, hinc est, quòd appositè numerum istum observatum fuisse notet Irenæus lib. 3. c. 11. & post ipsum Aug. c. 2. lib. citat. Cùm enim quatuor sint partes orbis terræ, per hujus universitatem Evangelii gloriam & Christi Ecclesiam dilatandam esse ipso sui numeri sacramento quodammodò declararunt. Hinc est, quòd illustris ille currus gloriæ Dei, quo divina Majestas apud Ezechielem vehebatur, à quatuor animalibus tractus fuit, & ab iisdem illis quatuor animalibus Dei gloria Apoc. c. 4. celebratur. Quæ ad hoc ipsum à Deo ostensa & adhibita fuisse, ut quatuor istos Evangelistas, tanquam quadrigam Dei, Verbi incarnati gloriam per universum orbem vecturos esse significarent, à plerisque antiquis Patribus unanimi consensu animadversum est, ut videre licet apud Irenæum, loco cit. Aug. lib. 1. De consensu Evangel. c. 6. Hieron. Prolog. in Matth. Gregorium Homil. 3. in Ezech. & alios.

Et quamvis ferè Græci per aquilam velint significatum esse Marcum; & per leonem, Joannem, quia hæreticis timorem incutit: verisimilior tamen

Gregorii & aliorum ſenſus eſt, qui hominem tribuunt Matthæo, quia ab humana Chriſti generatione cœpit; leonem Marco, quia per clamorem Joannis in deſerto rugientis exortus eſt; Lucæ vitulum, quia à ſacrificio Zachariæ; aquilam Joanni, quia à divinitate Verbi. Meritò tamen Aug. lib. 1. De conſenſu Evang. c. 6. notat, in hac animalium & Evangeliſtarum comparatione non tam initia librorum, ſicut hîc factum cernimus, quàm totam ſcribentium intentionem ac ſcopum fuiſſe ponderandum. Itaque longè rectiùs ſentit, per leonem, tanquam regiæ dignitatis indicem, Matthæum ſignificatum eſſe, quia regiam Chriſti perſonam maximè commendavit; nam & leonis de tribu Juda ſtatim generationem texit, & Magi eum tanquam Regem quæſiêrunt, & Herodes tanquam Regem occidere voluit: per vitulum, Lucam; nam à ſacerdote Zacharia incipit, & cognationem Mariæ atque Eliſabeth commemorat, & ſacerdotii primi ſacramenta, circa infantem impleta deſcribit: per hominem, Marcum, quia cùm neque ſtirpem regiam, neque ſacerdotalem operationem, cognationem, aut conſecrationem enarraverit, tamen in humanis Chriſti operibus recenſendis occupatus fuit: per aquilam, Joannem, quia totus pænè in inculcanda Chriſti divinitate verſatur, & ſuper nubila, inquit, humanæ infirmitatis volans, lucem incommutabilis veritatis acutiſſimis ac firmiſſimis oculis intuetur.

Ex his duo tantùm fuerunt Apoſtoli, primus & ultimus, qui ſcripſerunt ea, quæ viderunt; duo Apoſtolorum diſcipuli, & ideo tanquam filii amplectendi, ut velut in medio conſtituti utroque ab iis latere munirentur, ut Aug. ibid. c. 2. qui eis propterea ſcribendi Evangelii auctoritatem divinâ providentiâ tributam eſſe notat, cùm non niſi audita ſcripſerint; ut intelligeremus, ad percipiendum, annuntiandúmque Evangelium nihil intereſſe, utrùm Dominum in carne apparentem diſcipulatu famulante ſecuti ſint, an ex aliis comperta crediderint.

Cauſas autem ſcribendi alias alii habuerunt. Generales fuerunt omnibus. Una, ut auditoribus eſſet quaſi commonitorium eorum, quæ vivâ voce perceperant, ne vel à bonis oblivioni traderentur, vel à malis corrumperentur, aut ſecùs quàm dicta fuerant exponerentur. Hanc adfert Lucas c. 1. verſ. 4. *Ut cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Nam ſicut neceſſe fuit ad confirmationem fidei, Evangelium prædicari, ita contra hæreticos ſcribi, inquit D. Thomas, in Præf. Catenæ. Altera fuit, ut non tantùm præſentibus vivi, ſed & abſentibus mortui, maximéque poſteris, ſcripto prædicarent. Singulorum proprias cauſas in ſingulis daturi ſumus, ſicut & annos quibus ſcripſerunt. Hîc noſſe ſatis eſt, eo ſcripſiſſe eos ordine temporis, quo collocati ſunt, primùm Matthæum, mox Marcum, inde Lucam, ultimò Joannem.

IN EVANGELIUM JESU CHRISTI SECUNDUM MATTHÆUM,

PRÆFATIO.

MATTHÆUS, ex Publicano Apoſtolus, Evangelium ſcripſit ſermone Hebraïco; ſic enim tradidit Papias, Apoſtolicis temporibus viciniſſimus, apud Euſeb. lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſ. cap. ult. & mox Irenæus l. 3. cap. 1. & poſt illos plerique alii, Athanaſ. in Synopſi, Cyrillus Catecheſi 14. Auguſt. lib. 1. De conſ. Evang. cap. 2. Hier. multis in locis: nam libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, poſt Euſeb. lib. 5. cap. 10. teſtatur Pantænum, Stoïcæ ſectæ Philoſophum, in Indiam prædicandi causâ profectum, reperiſſe Evangelium ſecundùm Matthæum, Hebraïcis litteris ſcriptum, & Alexandriam ſecum detuliſſe: & ibidem, in Matthæo, aſſerit ipſum Hebraïcum haberi uſque ad ſuam ætatem in Cæſarienſi bibliotheca, quam Pamphilus martyr ſtudioſiſſimè confecerat, & ſibi ipſi à Nazareis, qui in Beræa urbe Syriæ hoc volumine utuntur, deſcribendi facultatem fuiſſe conceſſam. De quibus Nazaræis & Epiphanius in fine Hæreſis 29. Eſt, *inquit*, penes Nazaræos Evangelium ſecundùm Matthæum Hebraïcè ſcriptum, & quidem abſolutiſſimum: hoc enim certiſſimè prout Hebraïcis litteris initio ſcriptum eſt, in hodiernum tempus uſque conſervanti *Hæc Epiphanius. Ex qua conſtanti veterum ſententia conſtat, quàm immeritò hoc nonnulli recentiores in dubium revocent, eo potiſſimùm augumento nixi, quòd ipſa nomina Hebraïca hic exponantur, ut* Emanuel, *id eſt*, nobiſcum Deus: Eli, Eli, lama ſabachtani, *id eſt*, Deus meus, &c. *Idem enim videmus factum in veteri Teſtamento, ut Geneſis 35 v. 18. & Exodi 16. v. 15. nec tamen propterea negandum eſt illa eſſe ſcripta Hebraïcè: nam non auctoris ſcribentis, ſed interpretis, hujuſmodi interpretationes eſſe ſolent: nec ullum abſurdum eſt, unum verbum obſcurum aliis clarioribus eiiam in eadem lingua explicari. Prodiit præcedenti ſæculo idem Evangelium Hebraïcè à Sebaſtiano Munſtero, tanquam à Judæis acceptum, itémque aliud à Joan. Tilio, Epiſc. Briocenſi, ſed apud peritos meritò ſuſpecta ſunt. Tertium edidit Elias Hutterus in ſuo novo teſtamento dodecaglotto, ſed ab ipſomet ex Græco verſum fuit, ſicut & Evangelium ſecundùm Marcum. Quis autem Evangelium Matthæi in Græcam linguam verterit, non conſtat. Athanaſius in Synopſi putat Apoſtolum Jacobum verſionis illius auctorem. Theophylactus Præfat. in Matth. auctorem facit Joannem; ſed Auguſt. lib. 1. De conſenſu c. 2. rectiùs iſtud incertum eſſe tradit.*

Scripſit illud Matthæus ante omnes alios Evangeliſtas, ut apud omnes in confeſſo eſt, ſuis potiſſimùm popularibus, Judæis videlicet, non ſolùm expoſcentibus, ut Chryſoſtom. in Matthæum tradit, ſed etiam injungentibus eidem id ipſum Apoſtolis, ut Epiphan. Hæreſi 51. cùm ſcilicet jam brevi profecturus eſſet ad gentes Evangelio imbuendas: quod anno 8. poſt Chriſti Aſcenſionem contigiſſe volunt.

CAPUT

CORNELII IANSENII
IN SANCTA
JESU CHRISTI
EVANGELIA
COMMENTARIVS.

CAPUT PRIMUM.

EVANGELIUM JESU CHRISTI SECUNDUM MATTHÆUM. Id est Historia Evangelica, seu de Evangelio per Christum annuntiato, prout à Matthæo scripta est. Non enim per hujusmodi verba significatur, aliud esse Evangelium quod à Matthæo; aliud, quod à Marco scriptum est: sed alium scriptionis seu contextus historici auctorem ejusdem Evangelii. Deus enim à pluribus rem tanti momenti scribi voluit, ut hoc ipsum, quòd plures diversis temporibus atque locis, non congregati neque mutuò colloquentes, uno quasi ore cuncta pronuntiant; fit maxima veritatis demonstratio, ut ait Chrysost. Homil. 1. in Matth. Neque eam impedit nonnulla in parvis quasi dissonantia, sed maximè juvat. Nam si ex toto & in omnibus consonarent, & cum nimia diligentia atque cura, usque ad tempus & locum, & singula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset unquam, quin communi ad decipiendum consilio congregati, Evangelium quasi ex humana quadam conspiratione condidissent. Porrò titulos istos non ab auctoribus, sed ab Ecclesia appositos esse, indicat tum similitudo titulorum in omnibus quatuor, tum dissimilitudo in lingua Græca ac Latina, tum quòd sacri Scriptores non soleant extra textum titulos apponere, sed textui subinde per modum præfationis aliquid simile affigere, ut videmus factum in Isaïa, Marco, & Apocalypsi: præter quæ tamen alii tituli adjecti sunt. Nec verò hoc auctoritatem Evangeliis detrahit: nam neque scribentibus se hoc divinitùs scripsisse crederemus, nisi nos Ecclesiæ attestantis moveret auctoritas, de quo videte Augustum adversus Manichæos lib. contra Epistolam Fundamenti cap. 3. & 4. & de utilitate credendi. c. 14.

1. Liber generationis JESU CHRISTI filii David filii Abraham.

v. 1. LIBER GENERATIONIS, id est catalogus, seu enarratio genealogiæ aut seriei majorum Christi. *Liber* enim Hebræis generaliter significat scripturam, quâ quid enarratur. Unde tribuitur epistolis, 3. Reg. 21. v. 8. libello repudii, Deuter. 24. v. 1. & instrumento emptionis, Jerem. 10. quorum nullus est liber. Est itaque hæc brevis epigraphe seu inscriptio non totius Evangelii, quasi ab initio historiæ totum librum ita nominasset, sed ejus tantùm, quod proximè dicturus est; præfatiuncula, cui similis est Gen. 5. v. 1.

JESU: est proprium nomen Verbi incarnati: CHRISTI, cognomen est, non dignitatis, Græcè idem planè significans quod Hebraicè משיח, *Messias*, & Latinè *Unctus*: quo cognomine vocatus est, tum ut distingueretur ab aliis eodem nomine *Jesu* olim vocatis; tum ut significaretur esse ille antonomasticè *Christus* dictus, seu *Unctus*, quem Reges, & Sacerdotes, & nonnulli Prophetæ sua unctione, veluti quadam dedicatione, ad sua officia, tamquam summum Regem, Sacerdotem atque Prophetam præfigurarunt. Unde factum est, ut illud cognomen *Christi* nostro *Jesu*, qui oleo justitiæ & Spiritu sancto præ omnibus participibus suis singulariter unctus est, ita soli competat, ut nemo nisi ille intelligatur, quando nudè exprimitur.

FILII DAVID, FILII ABRAHAM, id est nepotis, Hebraismo usitatissimo. Maluit tamen *filium* quam *nepotem* dicere, quia propter David & Abraham Christus ex aliis natus est, non contrà. Unde etiam illorum duorum dumtaxat meminit, quòd his potissimum duobus promissio esset facta de Christo ex ipsis nascituro. Davidem præposuit, quod recentior, & honorificentior, celebrior, Judæisque gratior esset Davidicæ promissionis memoria, ut Chrysost. & ejus discipuli. Regni enim perpetuitas Christo, tamquam successori Davidis, erat addicta. Unde passim, & cœcorum & vulgi & puerorum acclamantium more, filius David vocabatur, ut patet Matthæi 21. & 12. & alibi. Illud autem *filii* secundo loco referri potest, vel ad Christum, ut significetur utriusque esse filius; vel ad Davidem ut significetur David, & consequenter etiam Christus esse filius Abrahæ. Quod posterius Hebræorum consuetudini congruit, qui in texendis genealogiis solent nomen *filii* ad proximum referre. Vide 1. Reg. 1. v. 1. & passim.

2. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam & fratres ejus.

2. ABRAHAM GENUIT ISAAC. Ab Abraham incepit, prætermissis anterioribus, quia Abrahæ primò promissiones de posteritate gentis Israëliticæ, & de Christo datæ sunt. Unde prætermittit Ismaël, cæterosque filios Abrahæ, sicut & Esau, filium Isaac: & tamen dicit Jacob genuisse JUDAM ET FRATRES EJUS, quia fratres erant simul parentes totius populi Israëlitici, & capita populi Dei, & columna regni Christi.

3. Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram.

3. JUDAS GENUIT PHARES ET ZARAM. Meminit utriusque, eo quòd illustriorem duorum populorum figuram gererent, Judaïci & gentilis, ex quibus regnum Christi coalesceret, de quo vide dicta ad cap. 36. Genes. Quod in Esaü locum non habuit: nam ille venditis primogenitis se ultrò à populo Dei segregavit, & potius carnalium ac reproborum figuram gessit.

4. DE THAMAR. Excepta Mariâ Virgine, quæ prætermitti non poterat, quatuor tantùm fœminas intexuit huic genealogiæ, quæ vel meretrices, vel adulteræ, vel incestæ vel alienigenæ erant: idque tum ne populus gentilis & peccatores, cuiquam contemnendi & à Christi populo alieni viderentur, ex quibus ipse nasci voluisset; tum quia illas tantùm tangendas judicavit, quæ novo accidente, ideoque figurâ ad assumptionem populi gentilis & peccatoris pertinente, viris suis fuissent conjunctæ, omissis matrimoniis ordinariis: quas figuras breviter explicatas vide apud Theophylactum.

4. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon.

5. SALMON AUTEM GENUIT BOOZ DE RHAAB. Illa ipsa scilicet quæ ante meretrix fuerat, etsi tum desiisset. Nam quòd quidam Rabbini, quos etiam aliqui novatores studio contradictionis imitati sunt, pro meretrice vertunt hospitam seu cauponariam, contra proprietatem linguæ Hebraïcæ faciunt, ubi זונה *Zonach* semper meretricem significat, & ita verterunt LXX. & Apostolus ad Hebr. 11. v. 31.

5. Salomon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David Regem.

OBED GENUIT JESSE: aliàs ISAI, ut alibi vocatur; est enim idem nomen. Ita abjectæ conditionis fuit, ut David filius ejus ex contemptu vocaretur à Saüle filius Isaï, Reg 28.

JESSE GENUIT DAVID REGEM. Emphaticè bis consequenter Regem vocat, & quidem inter omnes solum, quia scopus ejus erat ostendere Christum, juxta promissa Prophetarum & Gabriëlis Archangeli, esse hæredem Regni illius perpetui, quod primò omnium Davidi promissum fuerat. Porrò inter Salmonem & David non intercedunt nisi tres personæ, Booz, Obed, Jesse: sic enim numerantur quoque libro Ruth. c. ult. & 1. Paralip. 2. ac denique Lucæ 3. Ut meritò reprehendendus videatur Liranus, qui hîc interserit tres Booz ejusdem nominis, eo motus argumento, quòd à captâ Jericho usque ad nativitatem Davidis fluxerint anni 366. ut liquet ex 3. Reg. 3. v. 1. ubi dicuntur fluxisse quadringenti octoginta anni ab egressu ex Ægypto usque ad quartum annum Salomonis. Detrahe enim ab initio quadraginta annos vagationis in deserto, & quatuor annos Regni Salomonis, & septuaginta vitæ David restabunt 366. anni, quos putat Liranus nimis multos esse, quàm ut à quatuor illis viris conficerentur. Sed in ista longævitate quoniam Moyses, Aaron, Maria vivebant usque 120. annos, Caleb. anno octogesimo vitæ ita vegetus erat, ut in juventute; nihil mirum eos serò generare potuisse.

6. DAVID AUTEM REX GENUIT SALOMONEM, EX EA, QUÆ FUIT URIÆ. Fuerat antè Uriæ uxor, tunc autem sua. Quod quidem ita duabus de causis expressit: unâ, ne Salomon ex adulterio natus crederetur: altera ne propter adulterium Davidis, & homicidium Uriæ suspicaretur quis rescissam esse promissionem Davidi factam.

6. David autem rex genuit Salomonem ex ea quę fuit Uriæ.

7. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abiam autem genuit Asa.

JORAM GENUIT OZIAM: Qui *Ozias* & *Azarias* dictus est. Verum istud quidem est, sed eo sensu, quo Christus dicitur filius David, multis scilicet interjectis. Nam iste Joram genuit immediatè Ochoziam, Ochozias Joam, Joas Amaziam, Amazias denique genuit hunc Oziam, seu Azariam, ut ex diversis locis lib. 4. Regum patet,

8. Asa autem

genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram autem genuit Oziam.

& breviter 1. Paralipp. 3. v. 11. & seq. Tres itaque prætermissi sunt, non quòd cæteros hîc expressos impietate superaverint: pejores enim fuerunt Salomon & Manasse, imò Joas & Amazias inter bonos numerantur: sed partim quòd Evangelistæ certi mysterii causa propositum fuerit tres generationum tesseradecades texere, ut Hieron. & Auctor operis imperfecti apud Chrys. tetigerunt; partim quòd Joram uxorem duxisset, filiam Achab, cui Deus per Eliam prædixerat omnem ejus posteritatem esse delendam. Undè filii ejus, ex semine Achab nati, usque ad quartam generationem, non quidem morte naturali, sed civili condemnati, ex serie parentum Christi ejiciuntur. Purgatâ verò labe familiæ gentilis & maledictæ ad interitum, inquit Hilarius, in quarta generatione consequenter origo numeratur.

9. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem genuit Achaz. Achaz autē genuit Ezechiam.

10. Ezechias autē genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autē genuit Josiā.

11. Josias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis.

11. JOSIAS GENUIT JECHONIAM. Confusio aliqua est in nominibus hujus *Jechoniæ* & fratrum ejus. Sciendum igitur, *Jechoniam* istum vocatum fuisse vero nomine à parentibus *Eliacim*; sed cum Pharao Nechao Josiam patrem ejus in Mageddo occidisset, & reperisset Joachaz fratrem juniorem hujus Eliacim, esse à populo constitutum Regem loco Josiæ, deposuit eum, & loco illius constituit Regem hunc Eliacim, tanquam seniorem, & vocavit nomen ejus *Joachim* (per ף K & ם M) ut hæc patent 4. Reg. 23. in fine, & 2. Paralip. 36. in principio. Habuit itaque varia nomina, *Eliacim, Joakim, & Jechonias*, quod tamen non potest inveniri, nisi hoc loco. Hic igitur Eliacim, Joakim, & Jechonias (rectiùs Jekonias) habuit filium nomine Joachin (per כ CH. & נ N) qui patri undecim annos successit in regnum. Quod cùm ipse tenuisset per tres menses ac decem dies, abductus est à Nabuchodonosor in Babylonem. Hic vocatur etiam JEKONIAS, 1. Paralip. 3. v. 16. & aliquoties in Jeremia.

ET FRATRES EJUS. Fratres istius primi Jechoniæ seu Eliacim fuerunt *Joachaz*, qui alio nomine dictus est *Sellum*, ut Hieron. in Trad. Hebraïcis super Paralip. ac ductus est à Pharaone captivus in Egyptum: regnavitque, ut diximus, pro Josia, patre suo. Alter fuit *Mathanias*, qui 4. Regum 24. v. 17. vocatus est *Sedecias*, ac regnavit post Eliacim seu Joakim, & filium ejus Joachin. Tertius denique omnium primò genitus *Johanam*, qui videtur esse mortuus ante Josiam, patrem omnium, & non regnasse, de quo 1. Paralip. 3. v. 15.

IN TRANSMIGRATIONE, id est sub, seu circiter transmigrationem BABYLONIS. Nam omnes ante transmigrationem nati sunt & adulti, sive primam intelligas post occisum Joakim; sive secundam sub filio ejus Joachin, tribus mensibus post; sive tertiam, sub Sedecia post undecim annos, quæ tres transmigrationes indicantur 2. Paralip. 36. v. 6. 10. & 18.

12. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel.

12. ET POST TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS, id est postquam transmigrassent, JECHONIAS GENUIT SALATHIEL. Salathiel enim in ipsa captivitate, non post illam solutam, genitus est. Porrò Jechonias, qui hîc secundo loco nominatur, non est idem ille, qui primo loco, sed filius prioris, ut sentit Ambros. in Lucam & Hieron. Vocatusque fuit, ut diximus, Joachin, ac per tres menses tantùm ante trans-

migrationem regnavit: ſed abductus in Babylonem poſt annos triginta ſeptem ex carcere eductus & honorificè habitus eſt, teſte Jeremia c. ult. v. 31. quo tempore Salathielem gignere potuit. Ex his conſtat ſuppreſſam hîc eſſe unam generationem: debuiſſet enim interſeri, Jechonias, vel rectius Jexonias (id eſt Eliacim ſeu Joaxim) genuit Jechoniam (id eſt Joachin) quod Epiphanius Hæreſi 3. quæ eſt Epicureorum, num. 8. putat eſſe factum ſcriptorum vitio, Aug. verò lib. 2. De conſenſu Evang. c. 4. certi myſterii cauſa.

SALATHIEL AUTEM GENUIT ZOROBABEL. Idem aſſeritur Eſdræ 3. v. 2. & 8. itemque Aggæi 1. v. 1. & 12. Unde quod 1. Paralip. 3. v. 19. Zorobabel dicitur eſſe natus ex Phadaia fratre Salathielis, de alio Zorobabel intelligi debet, qui ibidem habet alios & patrem, & filios, quàm ille, de quo hîc agitur. Quod ſanè verius eſt quàm id, quod Hieronymus in Tradit. ſuper Paral. dicit Phadaia & Salathiel ibi eſſe idem nomen: nam Phadaia expreſſè numeratur, tanquam perſona diſtincta à Salathiele. Unde non eſt mirum, quòd uterque habuerit filium nomine Zorobabel.

16 JACOB GENUIT JOSEPH, VIRUM MARIÆ: id eſt maritum, non concubitu, ſed nexu matrimonii, ſeu affectu, ut Auguſtin. 23. contra Fauſtum c. 8. DE QUA, ſeu ex qua NATUS EST JESUS, QUI VOCATUR ſeu cognominatur, CHRISTUS, ſeu Meſſias: nempè non quilibet, ſed qui antonomaſticè & ſimpliciter Meſſias ſeu Chriſtus dicitur, tanquam proprio cognomine.

Sed hinc emergit gravis difficultas, quomodo rectè executus ſit Evangeliſta id, quod ſibi propoſuerat, librum ſeu catalogum generationis Chriſti, cùm genealogia Joſeph ad ipſum non pertineat, ſed MARIÆ. Reſpondet Hieron. hîc & Ambroſ. initio libri 3. in Lucam, & ferè omnes veteres, eo ipſo, quo Joſephi genealogia texitur, etiam B. MARIÆ Virginis ſtirpem, & conſequenter Chriſti, ſufficienter indicari: cogebatur enim ex lege viro de eadem tribu nubere. Quod intelligendum eſt non de lege generali conjugii in populo Judaïco; manifeſtum eſt enim viros etiam juſtos ſæpiùs duxiſſe uxores alterius Tribus, quomodo David duxit Michol, filiam Saül, de tribu Benjamin, & Joiada Pontifex duxit Joſabeth, filiam Regis Joram de tribu Juda, 2. Paral. 22. & omnes tribus Iſraël, juraruntne, Judic. 21. ſe non daturos filias ſuas Benjamitis, quaſi antè fuiſſet hoc uſitatum. ſed intelligendum eſt de ſpeciali lege, quæ ſtatuit, Num. ult. ut fœminæ hæredes, hoc eſt quæ carent fratribus, de eadem tribu maritos accipiant, ut ſic hæreditates tribuum non permiſcerentur. Jam verò B. Virginem caruiſſe fratribus, & hæredem patris fuiſſe, etſi ex nulla canonica Scripturæ conſtet, tunc tamen notum vulgatumque eſſe potuit. Cui quidem reſponſioni multi acquieſcunt, ſed revera non plenè ſolvit nodum. Eſto enim non potuerit extra ſuam tribum virgo nubere, hinc non concluditur, eam, vel prolem ejus Chriſtum, eſſe filium David, quod ſibi Matthæus initio propoſuerat: nam potuit nubere in eadem quidem tribu, ſed in alia familia, quàm David. Itaque dicendum eſt, B. Virginem vi legis, Num. ult. nubere coactam fuiſſe viro non tantùm ejuſdem tribus, ſed & fami-

13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor.

14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud.

15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Jacob.

16. Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jesus, qui vocatur Chriſtus.

liæ, hoc est cognato ejusdem tribus : sic enim lex ista expressa est in textu Hebraïco, Num. ult. v. 7. *Omnis filia hæreditans hæreditatem* id est hæres patris, propter defectum fratrum, *uni de familia tribus patris sui erit in uxorem.* Ratio quoque legis adjuncta v. 8. *ut hæreditas permaneat in familiis*, idem apertè conficit. Nam in prima terræ promissæ distributione, quam Josue fecit, hæreditates non solùm secundùm tribus, sed etiam secundùm familias distributæ fuerunt. Hinc enim toties repetitur in libro Josue, quòd hæc sit possessio cujusque tribus per cognationes & familias suas, ut videre licet c. 15. v. 1. & 2. & seqq. capit. passim. Unde & filiæ Salphaad nupserunt filiis patrui sui, id est propinquissimis cognatis, *& mansit*, inquit scriptura, *possessio, quæ erat illis attributa, in tribu & familia patris earum.* Cùm ergo Matthæus profitetur se catalogum generationis Jesu texere, & perducit eam usque ad Joseph, eumque nominat virum Mariæ, de qua natus sit Jesus, & non tamen ex Joseph, satis insinuat Josephum jure propinquitatis fuisse maritum Virginis, adeoque cognatum ex eadem tribu atque familia David, prout apertè asserit Theophilus; imò se non amplius recedere à majoribus Jesu, quàm necesse sit, ad hoc, ut ex justis causis loco Mariæ recenseat. Joseph, hoc est solum patrem Joseph, scilicet Jacob, esse diversum. Neque enim poterant Joseph & Maria esse frater & soror, lege vetante tale matrimonium : avum autem Mathan eundem esse utriusque, hoc est esse cognatos proximos seu patrueles, nepotem & neptem.

Cur ergò, inquies, non recensuit apertè majores matris ejus, cùm propter ipsam solam Christus dicendus sit ex semine David? Causæ justæ fuerunt : una, quia, ut Hier. ait, non est consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur: Unde, ut August. 23. contra Faustum c. 8. propter virilem sexum erat mariti honoranda persona. Sed quia extant exempla, etsi rara in contrarium, ut patet 2. Paralip. 2. v. 15. & 16. de genealogia Joab & fratrum ejus, hinc alia ratio fuit, ne justa daretur causa rejiciendi Christum, dum putarent eum, quem publicâ opinione patrē ejus credebant non esse de familia David, ex quâ Christus erat nasciturus. Denique ut constaret Jesum non solùm Dei promissione aut donatione, sed jure successionis esse legitimum Regni Davidici hæredem. Christus enim erat proles Joseph, non quidem ex eo cognita, vel adoptata vel solâ vulgi opinione, sed revera, ut pote ex propria uxore, tamquam carne suâ & proprio fundo, virtute Spiritus sancti nata.

17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim; & à David usque ad transmigrationem Babylonis, generationes qua-

17. Omnes itaque generationes, id est, omnes personæ generantes ac genitæ, ab Abraham usque ad David inclusivè, quatuordecim. Nam generationes seu actus generandi non sunt nisi tredecim, ut ex repetitione verbi *genuit* patet. et a David, exclusivè (jam enim semel numeratus fuerat) Usque ad transmigrationem Babylonis, id est Jechoniam patrem, seu Joakim, inclusivè, generationes seu personæ quatuordecim: et a transmigratione Babylonis, id est à Jechonia filio, seu Joachin, patre Salathielis (nam pater ejus jam numeratus fuerat in 2. tessera-

tide) USQUE AD CHRISTUM inclusivè, GENERATIONES seu personæ QUATUORDECIM. Subduxit tam accuratè summam generationum, ut significet se non oblivione, sed destinato consilio aliquos exclusisse ex ista serie; neque quidquam à quoquam esse addendum vel detrahendum, simulque juxta Chrysost. Homil. 4. initio, & Theophylactum, ut triplicem populi Judaici statum indicaret, sub Judicibus, sub Regibus, & sub Ducibus, seu Sacerdotibus: sub quibus omnibus cùm nihil profecerit in virtute, opportunè post omnes filium Dei venisse, ad alium populi statum inchoandum; idque congruenter ad ipsas naturas rerum decimaquarta generatione, quia decimus quartus dies est Medicis maximè criticus, ad magnas mutationes indicandas.

quatuordecim: & à transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

18. CHRISTI AUTEM GENERATIO, seu conceptio, SIC ERAT. Non est epilogus præcedentium, ut quidam, sed præfatio sequentium, ne quis ratione Joseph putaret Christum esse filium David.

18. Christi autem generatio sic erat. Cùm esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

CUM ESSET DESPONSATA MATER EJUS; id est promissa tamquam sponsa, inquiunt quidam; quibus favet proprietas verbi Græci μνηστευθείσης, & acceptio conjugis, de quâ v. 20. Sed rectiùs *desponsata* dicitur tanquam sponsa tradita & recenter nupta: nam & Lucæ 2. v. 5. dicitur Joseph iviſſe *cum Maria desponsata sibi uxore* in Bethleem, & hîc v. 20. vocatur *conjux*, prout hoc urget Augustin. lib. 1. De nuptiis c. 11. Et sanè nisi eo tempore, quo jam gravida noſci poterat, fuisset vera conjux, atque ita tradita viro, ut sine infamiæ nota cognosci potuisset, non satis fuisset consultum honori & famæ Virginis, ne stupri in domo patris perpetrati rea putaretur, & juxta legem Deuter. 22. v. 12. lapidaretur; nec auctoritati Christi, ne tamquam spurius à Judæis rejiceretur; nec Joseph idoneus fuisset custos, ac testis integritatis Virginis, cui tanquàm marito, adeoque zelotypo in causis istis, pro uxore maximè creditur. Nam præter *adjutorium* in educanda prole, istæ præcipuæ erant illius conjugii causæ, ab Hier. & Ambros. initio lib. 2. in Lucam, & aliis passim, notatæ. Unde pulchrè Ambros. Maluit Christus, inquit, aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore, dubitare; sciebat enim teneram esse Virginis & lubricam famam, nec putavit ortus sui fidem matris injuriis adstruendam. Satius quippe erat Josephi filium, quàm inhonestæ mulieris, videri. Alia ab iisdem causa & pene ab omnibus tangitur: Orig. Hom. in diversos, Basil. Hom. de humana Christi generat. ut mysterium conceptus & partus diabolum lateret: quæ desumpta est ex Ignatio Epist. ad Ephes. quomodo autem vera sit, non satis liquet.

ANTEQUAM CONVENIRENT: non in domum, propter causas jam dictas, sed conventione maritali, quæ sic honestè & verecundè denotata est. Datur enim ratio, cur dimittere voluerit. Ergo, inquit, Helvidius apud Hieron. | postea convenerunt, & hinc illi, qui dicuntur fratres Christi; sed imperitè. Nihil enim aliud significat Evangelista, quàm gravidam fuisse ante conventionem seu concubitum, qui more naturali præcedere solet: ut sic indicaret novitatem mysterii, intactum interim relinquens, quid postea confectum sit. Ita

rectè dicitur virga Aaronis ante plantationem floruisse, cùm tamen posteà plantata non fuerit. Nam, ut Ambros. lib. De institut. virginis c. 5. Consuetudo Scripturæ est, ut causam, quæ susceptа est, adstruat, incidentem differat.

INVENTA EST, id est, inopinatè reperta est à Josepho, qui maritali curâ omnia observabat.

IN UTERO HABENS, id est esse gravida, Græcâ phrasi; quòd cùm observari non possit, nisi aliquot mensibus post conceptum, omninò manifestum est post reditum ex domo Elisabeth hoc contigisse.

DE SPIRITU SANCTO, id est non viri, sed Spiritus sancti operâ. Quod referendum est ad solum verbum, *habens*, non ad, *inventa est*: nondum enim Joseph hoc invenerat. Tribuitur autem Spiritui sancto ille conceptus, non Patri aut Filio, etsi non minùs cooperati fuerint, quia fuit ingens bonitatis, beneficentiæ, & fœcunditatis, seu vivificationis opus, cujusmodi Spiritui sancto appropriari solent.

19. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

19. JOSEPH AUTEM VIR EJUS CUM ESSET JUSTUS: id est quia erat justus, non illâ justitiâ vulgari, quæ quarta virtus est cardinalis, nam illâ salvâ traducere potuisset: sed illâ justitiâ, quæ virtutes omnes maximéque charitatem, benignitatem, & mansuetudinem comprehendit.

ET NOLLET EAM TRADUCERE, non è parentum domo in suam, ut quidam; hoc enim suprà rejecimus, sed *traducere*, Græcè παραδειγματίσαι, ide est in exemplum statuere, publicæ scilicet infamiæ per accusationem, vel criminis divulgationem.

VOLUIT OCCULTE DIMITTERE EAM, id est à suo consortio ac domo ablegare. Causam reddunt Orig. Homil. 1. in diversos, Basil. & alii nonnulli post illos, quòd se ejus consortio censeret indignum, quam de Spiritu sancto concepisse invenerat. Rectiùs dicerent, dimittere voluisse, quòd hinc propter sanctissimos Virginis mores, inde propter indubitata prægnantis indicia hæsitaret de re, cujus mysterium nesciebat, ut insinuat Hieron. & apertè docet Auctor operis imperfecti. Sed longè verius est dimittere voluisse, quòd nihil aliud quàm adulteram crederet, vel certè oppressam, cui se noverat non esse commixtum, ut loquitur Aug. Epist. 45. & repetit Serm. 10. de verbis Domini: quod idem apertè sentit Chrys. Dimittere ergò talem voluit, ne fortè adulteram fovendo, vel criminis particeps, vel certè nimis stultè patiens videretur: occultè tamen, ut ejus famæ consuleret: quamvis enim accusare licuisset, non tamen tenebatur. Nam, ut Ambros. Serm. 7. in Psalm. 118. etiam ab accusationis severitate justi persona aliena est: & ideo commendatur ejus justitia, quòd nihil penitùs ex furiosâ illâ passione zelotypiæ tentaverit, ut pulchrè expendit Chrysostomus.

20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Joseph fili Da-

20 HÆC AUTEM EO COGITANTE, id est, cùm hæc animo solùm volveret curarum pleno: quo ipso indicatur magnitudo virtutis ejus, quod ne quidem cuiquam mœroris causam indicaverit, nec adversus uxorem in verba querelasque vel facta proruperit. Nec verò virgo ipsa suspicionem dissipat, quia quis maritus de tali innocentia uxoris, nisi Deo monente, credidisset? Itaque ecce rem, scil. novam,

quod

quod ferè illa voce in Scripturis indicari solet. Ecce Angelus Domini apparuit: significari videtur per species imaginationi impressas, quasi modo corporeo colloquentem, apparuisse. In somnis: tunc enim mens ab externarum rerum tumultu ac distractione libera magis idonea est ad cælestes revelationes accipiendas. Hoc autem Deus ita facit, ut simul homo intelligat, esse non sàtagentis animi cogitationem, sed divinam illuminationem, quod sopore quodam, qui verbis explicari non potest, discerni testatur S. Monica lib. 6. Confess. cap. 13.

Dicens, colloquendo scilicet cum eo more hominum, inquit August. in Enchiridio c. 59. hoc est non vocibus in aure, sed vocum similitudinibus in imaginatione formatis.

Joseph fili David. Blandientis est & consolantis, quia suspicio justa fuerat: & simul Davidis meminit, ut attentior fieret ad id, quod de Messia ex familia David nascituro diceretur. Noli timere. Timuerat enim, ne adulteram retinendo, Deum vel sapientum judicia offenderet.

Accipere Mariam conjugem. Græcè παραλαβεῖν, assumere, scilicet constanter, ac retinere in vitæ societate: jam enim ut Chrysost. ait, eam mente repudiaverat.

Quod enim in ea natum est, id est quod conceptum atque formatum est. Per id tamen, quod *natum* dicit, Basilius insinuatum putat, quòd Christi caro non, ut cæterorum, paulatim fingendo formata, sed statim absoluta fuerat.

De Spiritu sancto est. Græcè, *ex Spiritu sancto est*, id est non de substantia Spiritus sancti, sed ex operatione potestatis ejus: qui proindè non ejus pater, sed creator est, ut latiùs August. in Enchiridio c. 38. & 39. Et propterea cùm *natum in ea* dicit, virginem id egisse in ordine naturæ significat, quod matris est: cùm *de*, vel, *ex Spiritu sancto*, miraculo suppletum esset, quod patris est, atque adeò non timendum sibi esse, sed gratulandum. Et hæc de præteritis: mox autem prædicit futura, ut ex eorum eventu præterita vera esse credat.

21. Pariet autem Filium. Vera mater non ut canalis, per quem transeat, sicuti aliqui hæretici nostri, & olim Valentinus apud Tertull. lib. De carne Christi, c. 20. ex eo colligebant, quòd diceretur in eâ natus. Sed nasci in aliquâ significat veram conceptionem; ex aliquâ verum partum.

Et vocabis nomen ejus Jesum, cælitùs impositum, ut etiam cælitùs conceptum & mirabilem futurum intelligas, inquit Chrysost. Nam quibus à Deo nomen ante nativitatem impositum fuit, semper admirabiles inventi sunt, ut Isaac, Salomon, Cyrus, Baptista.

Ipse enim salvum faciet populum suum: nempè omnes prædestinatos in vitam æternam, seu omnes filios promissionis, qui ipsum fide & charitate tamquam Regem ac Dominum complexuri sunt. Salvabit autem non ab imperio gentium, & ab hostibus visibilibus, sed a peccatis eorum, tam quæ fecerant, quàm quæ facturi essent, ne faciant, & consequenter ab omnibus causis pec-

21. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

catorum, diabolo & concupiscentiâ eis dominante, & effectis eorum: morte, mortalitate, omnique miseriâ. Per hæc ergò verba significat filium istum non tantùm hominem, sed & Deum futurum, qui solus talem salutem à peccatis adferre potest. Ex quâ nominis istius Jesus etymologia, quam ipse Angelus tradit, manifestum est, nomen illud significare *salutem* vel *salvationem*, ac proinde falsum esse commentum Osiandri, qui voluit nomen Jesus esse idem cum nomine Dei tetragrammato, insertâ litterâ ש Schin, & scribendum esse יהשוה *Jeheschou*: nomen enim istud fictitium est, neque prorsus quidquam significat. Nomen ergo Jesus idem est cum nomine יהושע *Jehoschuag*, quod Græci LXX. Philo, Josephus per *Jesus* tradiderunt, Latini *Josue*, & Salvatorem significat. Sed post Babylonicam captivitatem, quando lingua Hebraica in usu vulgari esse desiit, & Syriaca inolevit, pronuntiatio ejus mutata fuit, & loco יהושע Hebraicè, dici vulgò cæpit ישוע. Quod ex eo apertissimum est, quòd Jesus ille, filius Josedech, typus veri nostri Jesu, cùm ab Aggæo c. 1. v. 1. & Zacharia semper vocetur יהושע, tamen in libro Esdræ & Nehemiæ, qui in eodem vixerunt sæculo, semper vocatur ישוע, ut patet Esdræ 2. v. 2. & c. 3. v. 2. 8. & 9. item Nehemiæ 7. v. 1. & in eodem libro sæpiùs. Imò & Josue, filius Nun, alter clarissimus typus Salvatoris, qui sexcenties vocatur in Scriptura יהושע, tamen Nehemiæ 8. v. 17. dicitur ישוע. Nimirum hi libri post captivitatem Babylonicam scripti sunt. Ex quo usu Syriaco factum est, ut Salvator noster etiam vulgò non יהושע, sed ישוע vocaretur: sic enim etiam in titulo Crucis, qui Romæ adservatur, etiamnum scriptum est, ut oculatus testis Pagninus tradit. Quod ergò Judæi Salvatorem nostrum nominant ישו sine ע in fine, duabus ex causis fit partim ex contemptu, ne Salvatorem ipso nomine fateantur, ut declarat Elias in Thisbi partim ex usu linguæ Thalmudicæ, in qua, ע, pronuntiatu difficillima sæpè facilitatis causâ absorbetur: partim denique fit à recentioribus Judæis ad blasphemandum Salvatorem. Nam isti tres characteres ישו per abbreviationem apud ipsos significant ימח שמו וזכרו *iimmach schemo vezichro: Deleatur nomen ejus & memoria ejus.*

22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem:

22. HOC AUTEM TOTUM FACTUM EST. Verba sunt non Angeli, ut vult schola Græcorum, sed Evangelistæ. UT ADIMPLERETUR, QUOD &c. non quasi res istæ contigerint propter prophetias, cùm prophetiæ potiùs præmissæ fuerint, quia Deus res istas facere constituerat; sed quia, postquam Deus easdem res per Prophetas prædixerat, simul fidem suam ipso rerum eventu volebat liberare.

23. Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod est interpretatum, Nobiscum Deus.

23. ECCE VIRGO IN UTERO HABEBIT, id est uterum geret seu concipiet. Virgo autem hîc in Hebræo vocatur emphatice duplici titulo, tum quòd עלמה significet non solam virginitatem, sed simul ætatem, quæ scilicet & virgo sit & viris abscondita, & non modò corpore, sed & aspectu casta sit, ut latiùs ostendit Hieron. in Tradit. Hebr. super Genes. & in c. 7. Isaiæ, tùm quòd ה demonstrativum præfixum gerat, quo significetur illa singularis virgo, quam universæ generationes respiciunt. Conantur quidem hunc locum elu-

dere Judæi, quòd scilicet virgo ex viri congressu conceptura dicatur, quòd loquatur de filio Achaz nascituro, Ezechia scilicet; sed absurdè. Cùm enim Propheta signum liberationis Achaz se daturum promittat, adeoque novum & inauditum, hinc tamquam ridiculum hoc exploserunt antiqui Patres Hieron. & Chrysost. tum hîc, tum in Isaiam. Ezechias autem filius Achaz jam tum natus erat, cùm Isaias hoc prædiceret, ut ex ætate, quâ regnare cœpit, & annis, quibus regnavit pater, facilè colligitur, 4. Reg. 16. v. 2. & ibid. c. 18. v. 2. Prædicit ergò promittitque Isaïas non tam soli Achaz, quàm domui David, quæ hoc expectura erat suo tempore, & tunc tamquam à Deo veracissimo & immutabili promissum, certum tenere & credere debebat, non minùs ac si signum fuisset oculis præsens, virginem scilicet manendo virginem, esse concepturam filium.

Et vocabunt. Hebraicè ותקרא, *& vocabis*, tu scilicet virgo, vel domus David, quæ quia universam Christi Ecclesiam comprehendit, meritò mutavit Matthæus numerum: nam, ut ibidem Hieron. non tam verborum ordinem, quàm sensum Scriptores sacri in citando sequi solent.

Nomen ejus Emanuel, id est nobiscum Deus: quo significatur, filium istum non solùm benevolum nobis, & propitium futurum peccatis nostris, neque etiam in umbris tantùm arcæ ac tabernaculi aut templi adfuturum, ut olim; sed per incarnationis mysterium Deum in humana carne appariturum, & cum hominibus conversaturum, ut notat Chrysost. *Vocari* ergò usitatâ Scripturæ phrasi usurpatur pro, esse: quomodo Isaiæ 9. v. 6. dicitur: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus*, &c. ut significet, quòd re verâ erit talis. Et de Ecclesia dicitur Isaiæ 62. v. 4. *Non vocaberis derelicta, sed vocaberis voluntas mea in ea.*

24. Exurgens autem Joseph &c. id est mox paruit Angelo. Significatur ergò directè prompta Josephi obedientia, ad solam monitionem in somnis factam; indirectè magnitudo virtutis Virginis, de quâ tam tàm citò crederet rem tàm incredibilem, quòd concepisset ex Deo.

24. Exurgens autem Joseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit conjugem suam.

25. Et non cognoscebat eam. Hebraïca est & honesta phrasis, carnalem commixtionem ab eis removens, cujusmodi est Genes. 4. v. 1. 17. 25. & alibi passim. Ut alienior sit expositio Epiphanii Hæres. 78. rejecta à D. Hieron. qui putavit, quòd non cognoscebat sanctitatem Virginis.

25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen ejus Jesum.

Donec peperit filium suum. Ergò, inquit Helvidius, cognovit eam, postquàm peperit: sed benè & ex professo ostendit Hieron. lib. adversus eum condito, & Chrysost. hîc, hujusmodi adverbia, *donec, usque*, & similia, id, quod dubium est, exprimere; id, quod certum, relinquere, quia ad propositum non pertinent. Dubium enim esse poterat, utrùm cognovisset statim à desponsatione, quando conjugum fervet amor. Hoc negat, per illud insinuans, multò minùs posteà virum justum attigisse templum Dei, Spiritus sancti sedem, Domini sui matrem. Sic Isaiæ 46. v. 4. *Usque*

que ad canos ego portabo : &c. 22. v. 14. *Si*, hoc est non; *dimitteur inquitas hæc vobis, donec moriamini.* Vide ad Corinth. 15. & 2. Reg. 6. v. ult. PRIMOGENITUM, id est qui primò ei natus fuit, seu antequem nullus alius, etsi simul sit unigenitus, id est etsi nulli alii subnascantur: nam ex primò genito non sequitur, alios esse secundò vel tertiò genitos, ut volebat idem Helvidius, & manifestum est ex lege de primogenitis Deo offerendis : nec enim usque ad secundò genitos expectatur: de quo latiùs ibidem Hieron. Primogenitum autem dicere maluit, quàm unigenitum, ut ex hoc ipso consecratus esse Deo intelligeretur.

CAPUT II.

1. Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam.

1. CUM ERGO NATUS ESSET JESUS IN BETHLEEM JUDA. Græcè τῆς Ἰουδαίας Judææ. Utrumque accipiendum propriè & strictè, sicut v. 22. est enim & alia Bethleem in tribu Zabulon, Josue 19. v. 15.

IN DIEBUS HERODIS: illius, qui dictus est Herodes primus, magnus Ascalonita, Antipatri scilicet filius, natione Idumæus, religione proselytus.

REGIS: fuit enim & alius Herodes, non Rex, sed Tetrarcha Galilææ, hujus filius, Antipas dictus, occisor Baptistæ, & irrisor Christi in Passione, de quo & infrà c. 13. v. 1. & Lucæ 3. v. 1. Vocat autem absolutè Regem, scilicet non solùm Judææ, sed & omnium regionum ei adjacentium; quia fuit & tertius Herodes, Agrippa dictus, nepos hujus, Rex tantùm Traconitidis, Galilææ & Ituræ, qui Jacobum Apostolum occidit, Act. 13. Accuratè igitur loci nativitatis Christi ac temporis meminit, ut indicet impletas esse Prophetias Micheæ de loco, de quo v. 6. & Patriarchæ Jacob de tempore, cùm scilicet ablatum esset sceptrum de Juda, & translatum ad Herodem alienigenam, de quo diximus Genes. 49.

ECCE MAGI VENERUNT: quâ connexione & voce, ECCE, indicat statim ab ortu Salvatoris Magos advenisse: unde etiam adhuc in Bethleem eum invenerunt. Ut mirum sit, Epiphanium Hæresi 30. num. 29. statuere adventum eorum post biennium à natali. Porrò *Magus* ex propria vocabuli significatione distinguitur à *Maleficо*. *Magi* enim sunt, ut Hieron. in c. 2. Danielis, qui de singulis philosophantur. *Malefici*, qui sanguine utuntur, & victimis, & sæpè contingunt corpora mortuorum. Qui igitur naturalis Philosophiæ apicem assecuti erant, *Magi* dicebantur. Sed paulatim glisscente curiositate, & ad vanitates superstitionesque delabente, nomen *Magi* in malam partem accipi cœpit: sicut etiam contigit in nomine Sophistæ, Astrologi, Tyranni. Fuit autem sapientibus Persis peculiare, ut *Magi* dicerentur; sicut apud Græcos dicebantur *Philosophi*; apud Indos *Brachmanes*; aut *Gymnosophistæ*; apud Babylonios *Chaldæi*; apud Ægyptios *Hierophantæ*; apud Gallos *Druidæ*. Hinc, teste Cicerone lib. 1. De divinat. apud Persas Rex esse nemo poterat, nisi qui Magorum disciplinam, scientiam que antè percepisset,

Quia igitur ſtellâ duce uſi ſunt, & honoris causâ videntur Magi vocâri, hinc veriùs eſt, non fuiſſe ex infami illo maleficorum genere, ut videntur voluiſſe quidam: ſed, ut Hieron. ſup. ſuæ gentis philoſophiæ maximéque aſtrologiæ dediti.

Unde autem venerint magna diſceptatio eſt. Evangelium dicit veniſſe *ex Oriente*. Hinc tota Græcorum ſchola, Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. Baſilius Hom. De humana Chriſti generat. Chryſoſt. & Theophylactus hîc, Cyrillus lib. 4. in Iſaiam, & alii, ſentiunt ex Perſide veniſſe; quibus favet nomen Magi, quod Perſis proprium, & modus adorandi cum muneribus: valdè autem repugnat regionis diſtantia ad trecenta circiter milliaria, & temporis brevitas. Hinc alii veriſimilius tradunt ex Arabia veniſſe, Juſtin. contra Triphonem, Tertull. contra Judæos. c. 9. & Epiph. in doctrina compendiaria: quidquid rideat hîc Calvinus, qui dicit eos ex occidente & meridie teciſſe orientem. Nam Tacitus & Choropraphi paſſim ſtatuerunt Judæam ab Oriente reſpicere Arabiam: & Scriptura teſtis eſt Geneſ. 25. Abraham ſeparaſſe filios concubinarum ad plagam orientalem, qui tamen in Arabia habitarunt. Nec multùm abierunt ab hac ſententia, qui ex Chaldæa veniſſe volunt. Moti ſunt partim loci propinquitate, & muneribus illis thure, myrrha & auro, quibus abundat Arabia, partim loco Pſalmi: *Reges Arabum & Saba dona adducent*. Ubi Reges Arabum videntur indicare orientem, Inſulæ occidentem, Æthiopes meridiem, Tharſis ſeptentrionem. Ex quo eodem loco videtur manaſſe communis multorum Patrum ſententia, quòd Reges, hoc eſt Reguli ſeu principes, & Primores gentis ſuæ fuerint. Ita enim ſentiunt Theophil. Baſil. locis cit. & alii poſteriores multi. Quò faciunt theſauri & adoratio novi Regis, quaſi legatio ad ipſum; hæc enim Principum tantùm eſſe ſolent.

2. UBI EST QUI NATUS EST REX JUDÆORUM? id eſt qui non factitius ex hominum electione, ſed nativitate ipsâ Rex eſt. Ita multi. Simpliciùs videtur: ubi eſt ille celeberrimus & ex vaticiniis exſpectatus Meſſias Rex (ut patet ex v. 4.) qui jam natus eſt? Non enim ut dubii, ſed de re certa loquuntur: neque ignarum hoc nuntium fore ſuſpicabantur.

2. Dicentes: Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.

Cauſam autem ſuæ ſcientiæ indicant: VIDIMUS ENIM STELLAM EJUS, hoc eſt certum indicem nativitatis ejus. Cùm ergò ex ea jam natum eſſe colligant, certè non apparuit, niſi ipſo natali ejus die. Cumque non dicant, *Vidimus ſtellam quamdam novam*, &c. ſed, *Vidimus ſtellam ejus*, colligitur eos loqui de aſtro aliquo noto, quod ex antiqua traditione Judaici Regis naſciturі vel nati eſſet inſigne. Unde Græcè ſignificantiſſimè eſt ἀυτῦ τὸν ἀςέρα, *iſtud aſtrum ejus*: quod videtur ſupponere, non eſſe Judæis ignotum, quod ſibi innotuerat. Itaque meritò plerique veteres ſenſerunt, eos fuiſſe inſtructos ex prophetia Balaam, quæ non ſolùm in Judæa, ſed in oriente, unde ipſe oriundus erat, traditione percrebuerat, imò, ut Orig. etiam ſcripto ab ipſo tradita perſeverat. Prædixerat enim Num. 24. v. 17. *Orietur ſtella ex Jacob*, &c. Ita docet Orig.

Hom. 13. & 15. in Num. Ambr. lib. 2. in Luc. Euseb. lib. 9. De demonstrat. Evangel. c. 1. Basil. sup. & alii non pauci. Cùm ergò astrorum contemplationi, tamquam Philosophi essent, dediti, stellaque, ut ait Leo Sermone 1. de Epiphania, illustrior cæteris, pulchriorque sideribus, intuentium in se oculos animosque converteret, & quemadmodum suprà Bethleem, ita tunc juxta Eusebium, perpendiculariter Judææ immineret, Deo intellectum juvante intellexerunt hanc esse stellam illam celebrem, quam prædicari audiverant.

IN ORIENTE: non quòd stella fuisset fixa in oriente, sed nos in Oriente constituti vidimus eam, & propterea de nativitate certissimi, VENIMUS ADORARE EUM, id est ut honoremus eum cum gratulatione, submissione, muneribus, sicut erga tantum Regem decet, qui juxta prophetiam de istâ stella, salvabit omnes filios Seth, id est universum orbem.

5. Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo.

3. AUDIENS AUTEM HERODES, talem adventus causam, TURBATUS EST, suspicatus regnum à se invasum periclitari. Fuit enim zelotissimus pro regno suæ familiæ servando; Ut quem Josephus testatur, omnes de stirpe regia, id est Machabæorum sustulisse. ET OMNIS HIEROSOLYMA, maxima scilicet pars, CUM ILLO. Quo indicari videtur, eam non lætitia, ut par erat, aut rei tantùm novitate turbatam, sed simili turbatione atque Herodes, ut scilicet carnali adulatione ei complacerent, quia recenter eum in legitimum Regem acceptaverant.

4. Et congregans omnes principes sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

4. ET CONGREGANS OMNES PRINCIPES SACERDOTUM. Ita vocantur etiam 2. Paralip. 36. v. 14. qui tamen 1. Paralip. 24. vocantur *Principes sanctuarij & Principes familiarum sacerdotalium*, scilicet viginti quatuor, secundùm numerum familiarum: & Num. 3. v. 32. Eleazar simplex Sacerdos vocatur *Princeps Principum Levitarum*. Quod signum est, non ideò hîc vocari Principes Sacerdotum, quòd tempore Herodis penè annui essent Pontifices, & ita essent plures functi summo Pontificatu.

5. At illi dixerunt ei: In Bethleem Judæ: Sic enim scriptum est per Prophetam.

5. ET SCRIBAS. Istos subinde vocare solent legis peritos: nam quem Marcus c. 12. v. 28. *Scribam* nominat, Matthæus c. 22. v. 35. vocat *Legis doctorem*, seu legis peritum, Græcè νομικὸν. Et Esdras, qui sæpissimè dicitur Scriba, idem lib. 1. c. 7. v. 6. vocatur *Scriba velox* id est exercitatus & promptus in lege Dei: & v. 11. *Scriba eruditus in sermonibus & præceptis Domini, & cæremoniis ejus in Israël*; adeóque *Scriba legis Dei cæli doctissimus*. Ex quo patet, *Scribas* istos dictos esse non à scribendo, quòd essent Scriptores, seu Notarii publici, sed potiùs à Scripturis sacris, quòd eorum esset professio Scripturas, aliaque scripta Ecclesiastica asservare, scrutari, populo lectitare, exponere, dubia solvere. Undè Esdræ Scribæ officium ibidem explicatur v. 10. quòd parasset cor suum ut faceret & doceret in Israël præceptum & judicium: & Matth. 17. v. 20. ac Marci 12. v. 35. attribuitur Scribis, quòd docerent Eliam venturum, & Christum esse filium David; Christusque ipse ad eorum officium alludens, vocat Matth. 13. v. 52. *Scribam doctum in regno cælorum*. Ex quo liquet, cur dicat hîc *Scribas populi*; quia populum docebant

legem Dei. Unde eâdem de causâ Herodes SCISCITABATUR AB EIS UBI CHRISTUS NASCERETUR, id est nasci deberet juxta Scripturarum oracula : & ipsi respondent, IN BETHLEEM JUDÆ, eo quòd Michæas Propheta diceret :

6. ET TU BETHLEEM, &c. Magna est dissensio Prophetæ & Evangelistæ in hoc testimonio recitando. Quam enim Propheta vocat *Bethleem Ephrata & parvulam*, Matthæus nominat *terram Judæ & nequaquam minimam* inter duces, quos ille nominat. Hieron. in Michæam accusat ignorantiam & negligentiam Scribarum, & Evangelistam vult posuisse, ut illi recitant. Alii volunt memoriâ lapsos esse subinde Evangelistas in testimoniis allegandis. Sed Evangelistæ accusatio impia est, Scribarum supervacanea. Itaque rectiùs dixerimus, quòd Evangelista Scribarum verba recitet, qui Regi imperito non verba Prophetæ obscuriuscula protulerint, sed sensum. Propheta enim dixit, *Et tu Bethleem Ephrata*, quia alio nomine *Ephrata* vocabatur, ut clarè dicitur Genes. 48. v. 7. Scribæ verò explicationis causâ, ET TU BETHLEEM TERRA JUDA, quia erat & alia Bethleem in tribu Zabulon, ut suprà. Propheta dixit, *Parvula seu minima es*, quod Scribæ intelligentes vel per interrogationem esse dictum, vel per ironiam, clarissimo sensu expressérunt, NEQUAQUAM MINIMA ES. Pro, *in millibus*, hoc est chiliadibus, in quas divisa erat quæque tribus jam à temporibus Moysis, juxta consilium Jethro, Exod. 18. Scribæ posuerunt, IN PRINCIPIBUS, quia vox Hebraica utrumque significat, inquit Jansenius & Maldonatus. Sed uterque fallitur: numquam enim אלף *Eleph*, id est *Mille*, significat Principem, sed אלוף *Alluph*. Alii Principes civitatis intelligunt, sed genus masculinum in Græco repugnat. Itaque Scribæ reddiderunt Principes seu Chiliarchas pro chiliadibus, seu millibus, quibus præsunt, claritatis scilicet causâ, per metonymiam, ut ita tangerent radicem, cur non sit minima, nempe natalibus Principum seu Chiliarcharum, qui jam ex ipsa prodierant multi, Abesan, Booz, Isaï, David, sed maximè ipse Messias. Unde hoc explicantes Propheta & Scribæ, addunt, EX TE ENIM EXIET DUX, ille videlicet exspectatus, quem Messiam expressit Chaldæus, QUI REGAT, Græcè ποιμανεῖ, nempe uti Pastor gregem, non modò cum benignitate, sed & potestate : quod Propheta dixerat משל, *Moschel*, dominator, seu qui dominetur POPULUM MEUM ISRAEL. Scilicet universum, non tantùm carnalem Israël, sed maximè spiritualem, seu omnes electos.

6. Et tu Bethleem terra Juda, ne quaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.

7. TUNC HERODES CLAM VOCATIS MAGIS : clàm, ne quisquam conscius esset, quid ex eis quæreret, & sic insidiæ patescerent, ac puer absconderetur.

DILIGENTER DIDICIT AB EIS TEMPUS STELLÆ, QUÆ APPARUIT, id est perquisivit, quo tempore apparere cœpisset, ut Syrus explicat, ut scilicet ita ex notitia tam loci, quàm temporis puerum deprehenderet, si fortè à Magis falleretur.

7. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.

8. ET MITTENS IPSOS IN BETHLEEM. Comites è suis nullos addidit, tum quòd perfectè Magorum sinceritati simplicitatique fideret,

8. Et mittens illos in Bethleem, dixit : Ite & interrogate dili-

gate diligenter de puero: & cùm inveneritis, renunciate mihi, ut ego veniens adorem eum.

tum ne qua fraudis ſuſpicio oriretur parentibus pueri (paſſim enim tamquam tyrannus timebatur) & fidentiùs eum peregrinis proderent.

9. Qui cùm audiſſent regem, abierunt: & ecce ſtella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſquedum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer.

9. ET ECCE STELLA, QUAM VIDERANT IN ORIENTE, id eſt quam ipſi in oriente conſtituti viderant. Ex quo colligitur, in reliquo itinere non apparuiſſe multò minùs itineris fuiſſe ducem; hoc enim in primis fuiſſet vel ſuprà Herodi vel hîc lectori inſinuatum. Chryſoſt. tamen & Baſilius, locis ſuprà citatis, & plures veteres, ſtellam toto itinere præceſſiſſe volunt, & Hieroſolymis diſparuiſſe, ut Judæos conſulere cogerentur, & conſulendo res publicè innoteſceret.

ANTECEDEBAT EOS: tamquam viæ dux, à Septentrione in Auſtrum progrediendo.

USQUE DUM VENIENS STARET SUPRA UBI ERAT PUER: loco nativitatis imminens, & immobili ſuo ſtatu eum indicans, ne in ipſo loco operosè inquirere, & rem omnibus propalare cogerentur. Ex quibus apertè ſequitur, non fuiſſe aſtrum iſtud unum ex cæteris aſtris, in cœlo conſtitutis, contra Nyſſen. Hom. 1. De Chriſti incarnat. non fuiſſe cometam communem: fuiſſe terræ valdè vicinum, habuiſſe motum valdè irregularem. Unde Theophylactus ſtellam vocat virtutem divinam: alii Angelum fuiſſe putant. Credibile eſt habuiſſe formam ſtellæ, & ab Angelo motum & ſtatum ei inditum.

10. Videntes autē ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valde.

10. ITAQUE GAVISI SUNT GAUDIO MAGNO VALDE, id eſt maximo, quòd re penè deſperatâ itineris labor non eſſet irritus.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.

11. ET INTRANTES DOMUM: nempè ſpeluncam ſeu ſtabulum. Nam in eodem illo terræ foramine, ut Hier. Epiſt. 17. cælorum conditor natus eſt, viſus à paſtoribus, demonſtratus à ſtella, adoratus à Magis: & hæc communior eſt antiquorum doctrina, etſi Theoph. diſſentiat.

INVENERUNT PUERUM CUM MARIA MATRE EJUS. Quo indicari videtur nullos præterea adfuiſſe, neque Joſeph quidem, ne fortè eum Chriſti patrem putarent, Chriſtum omni ſatellitio fuiſſe deſtitutum Virginémque, tamquam quæ ſine infirmitate pepererat, nutricis aut alterius ope domi non indeguiſſe. Itaque non obſtante tantâ omnium rerum abjectione & ſolitudine, PROCIDENTES, id eſt, humi proſtrati, ut mos eſt Orientalibus, ADORAVERUNT EUM. Neque hoc honore contenti, APERTIS THESAURIS SUIS, ſeu theſaurorum thecis, quos de induſtriâ hanc ob cauſam ſecum tulerant, OBTULERUNT EI MUNERA, quia orientales ſine muneribus accedere aut adorare Reges non ſolent, ſicut etiamnum apud nonnullas gentes in uſu eſt: AURUM THUS ET MYRRHAM. Singuli omnia, & quidem dona, quibus patria eorum affluebat: nam ut Poëta Georgic. c. 2. *Solis eſt thurea virga Sabæis.*

Idem teſtatur Plinius, libro 12. Natur. hiſtor. qui tantam in Arabia aromatum ubertatem tradit, ut vix alia ibi ligni genera in uſu ſint, quàm odorata, quibus & ignem vulgò foveant. De auri argentíque copiâ res notiſſima eſt: quæ confirmatur ab Ezechiele cap. 27. verſu 22. Non ſine myſterio tamen iſta munera fuiſſe oblata, quidquid

quidquid rideat solitâ impudentiâ hoc loco Calvinus, unanimi consensu à veteribus omnibus animadversum est, sive Magi hoc divinitùs illustrati intellexerint, ut verisimile est, sive non. Breviter id expressit Juvencus à S. Hieron. commendatus.

Thus, aurum, myrrham Regique, hominique, Deoque
Dona ferunt.

Aurum enim, quod Regibus tributum penditur, Regiæ dignitati convenit: *thus* apud omnes gentes (exceptis hæreticis nostris) adoletur Deo: *myrrhâ* condiuntur corpora mortuorum, ne putrescant: unde humanitatem mortis participem, corruptionis expertem indicabat. Tropologicè, *Aurum* offerimus, opes omnes pro Christo calcando; *Myrrham*, membra passionésque mortificando; *Thus*, ea quæ sursum sunt, sapiendo, ut Bernardus Sermone 3. de Epiphania. Gregorius verò Hom. 10. in Evang. *auro* sapientiam, *thure* orationem, *myrrhâ* mortificationem significari tradit.

12. Et responso accepto in somnis ne rediirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

12. ET RESPONSO ACCEPTO; nempè divino oraculo, ut ex Græco patet. Neque enim ex responso sequi putes, quod Magi antè dubitantes simile quid petierint. Unde pulchro ordine paulatim ad altiora provecti sunt. Nam dum spectandis sideribus vacabant, sidere ad cognitionem Christi manu ducti sunt: mox Prophetarum instructi vaticiniis per homines; denique, post oblata munera, eruditi sunt ab ipso Deo. NE REDIRENT AD HERODEM; ut & se ipsos & puerum periculo eximerent. PER ALIAM VIAM REVERSI SUNT IN REGIONEM SUAM. Non enim propter itineris commoditatem, sed ex promisso rediissent Jerosolymam. Ubi plerique veteres significatum notant, per aliam disciplinam, quàm quâ venimus, redeundum esse ad patriam cælestem: de quo Gregor. hom. citatâ. Latè verò & appositè ad mores differit de tota hac historia Adamus Sasboldus in quadam Homilia, seu Concione de hac re.

13. Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

13. QUI CUM RECESSISSENT, ECCE ANGELUS DOMINI, &c. Non statim à discessu apparuit, sed interjectâ tota historia purificationis, imò reversionis in Nazareth, ut videtur indicare Lucas c. 2. v. 39. Unde rectè notat D. Aug. l. 2. De cons. Evang. c. 5. sic unumquemque Evangelistam contexere narrationem suam, ut tamquam nihil prætermittentis series digesta videatur. Tacitis enim iis, quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis, quæ dicebat adjungit, ut continuò sequi videantur. Non tamen negat alia intercessisse.

SURGE ET FUGE IN ÆGYPTUM: ut ibi esset extra Herodis imperium, & ut per Christi præsentiam Ægyptus, diis falsis deditissima, & in ea tota gentilitas, jam tum ad veram pietatem præpararetur. Et sic intelligendum videtur, quod ait Cyrillus Catechesi 10. & Athanas. Serm. contra omnes hæreses, Christum in Ægypto idola manu-facta dissolvisse, & demolitum idololatriam: non autem, quòd idola casu corruerint, ut multi fabulantur: de quo Hieron. initio cap. 19. in Isaiam. Significatur autem hac fuga, regnum Dei à Judæis ad gentes transferendum, & in fine mundi à gentibus ad Judæos reversurum. FUTURUM EST ENIM &c. Fuga igitur periculum declinari vult, non omnipotentia dissipare, ut sic ostenderetur as-

sumptæ naturæ veritas, ut servaretur decretæ dispensationis ordo quo venerat cedere, non resistere malo: ut exemplum & auctoritatem fugæ præberet justis. Fugit itaque, inquit Fulgentius Serm. 5, non fortitudine humana, sed dispensatione divina; non necessitate, sed potestate, ut cedat tempori, non Herodi.

14. Qui consurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum:

14. QUI SURGENS ACCEPIT PUERUM NOCTE: eadem scilicet, qua oraculum acceperat. Ut ex eo doceretur, quanta promptitudo & obedientia ac simplicitas divinis mandatis, cum de illis constat præstanda sit: & quanta paupertas eorum fuerit, quibus nec sarcinæ multæ componendæ, nec repetenda debita, nec opes aut res familiaris committenda, utpote qui omnibus istis oneribus erant liberi.

15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum.

15. ET ERAT IBI: habitans, ut traditur intra Heliopolim, & Babylonem Ægyptiam, hoc est Cairum: ubi locus etiamnum apud Saracenos celebris est. De cujus fonte & arbusculis balsami, & cæteris, vide Brocardum in fine Descrip. Terræ sanctæ & Adrichomium fol. 47. in descriptione Engaddi.

USQUE AD OBITUM HERODIS. Quot annos valdè incertum, aliis quinque, aliis sex, aliis novem, aut penè decem tribuentibus: sed hæc pendent ab anno nativitatis ejus, de quo alibi.

UT ADIMPLERETUR. Ut, eventum, non causam significat: nec enim in Ægyptum fugit, ut prophetia impleretur, sed ex fuga evenit, ut impleretur prophetia Oseæ 11.

EX ÆGYPTO VOCAVI FILIUM MEUM. Tribus modis Prophetia impleri dicitur: Primò, cum fit id, quod ad litteram significatur, qui modus non habet hîc locum: certum est enim Prophetam litteraliter loqui de populo Israël, quem Deus eduxit ex Ægypto. Secundò, quando fit id, quod sensu mystico per litteram seu historiam figuratur: sicut ea quæ litteraliter dicuntur de Salomone 2. Reg. 7. v. 14. & de agno Exodi 12. *Os non comminuetis*, &c. implentur verè in Christo allegoricè per illa significato. Tertiò, quando fit aliquid planè simile de quo non minùs aptè Prophetia dicitur, quàm de quo revera dicta fuit: sicut diceremus in patre filium diligente, impleri illud Maronis;

Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.

Hunc ultimum modum putant aliqui hîc maximè locum habere, sed revera secundus non minùs propriè locum habet, ut Hieron. latè in illum locum Oseæ. Fuit enim populus Israël, tamquam filius primogenitus dilectus à Deo, verus typus filii naturalis Christi Domini, non solùm filiatione, patrisque dilectione; sed & nativitate in terra Chanaan, fuga in Ægyptum, peregrinatione & educatione in Ægypto, reditu in Judæam: ut immeritò Julianus Augustus fraudis arguerit Evangelistam, quasi Christo tribuentem, quod de Israël dictum fuerat.

16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occi-

16. TUNC HERODES, post purificationem & fugam in Ægyptum, VIDENS, QUONIAM ILLUSUS ESSET A MAGIS: per novos scilicet rumores de nato Messia, & iis, quæ in die purificationis Hierosolymis contigerant, forsan excitatus, Antè enim non advertit sibi impositum, sive quòd aliis implicaretur negotiis, sive

quòd huc usque credidisset, ipsos spe frustratos, præ pudore non fuisse ausos regredi. Itaque fraude deprehensa, simulata pietas in apertam erupit crudelitatem. OCCIDITQUE OMNES PUEROS, nempe masculos: neque omnes omninò, sed A BIMATU, id est, à pueris duorum annorum, ut Syrus transfert, incipiendo, ET INFRA, qui scilicet minoris essent ætatis, quàm duorum annorum; eosque non omnes iterùm, sed SECUNDUM TEMPUS QUOD EXQUISIERAT A MAGIS; hoc est natos usque ad diem apparitionis stellæ, quàm Magi expresserant. Quo indicat, non esse occisos illos, qui recenter à triginta vel quadraginta diebus essent nati. Stella enim indicium erat Messiæ jam nati, ut etiam Magi dixerant, non nascituri. Itaque per hanc expositionem evanescit difficultas quæ multos torsit. Putaverunt enim illud, (*secundùm tempus*) referendum esse ad bimatum, & indè compulsi sunt dicere, stellam antè biennium circiter apparuisse Magis, vel Magos post biennium à Christo nato veniisse, quod videtur placuisse Epiphanio. Sed utrumque est inconveniens: referendum est enim ad verba, *& infra.*

dit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infrà, secundùm tempus quod exquisierat a Magis.

Cur ergò, inquies, occidit bimulos, si stella à quinque aut sex septimanis tantùm apparuerat? Respons. majoris cautionis & severitatis causâ tempus extendi, ne fortè antè exortum stellæ esset natus Messias, vel grandior esset cæteris. Nam eadem de causa etiam locum extendit, occidendo omnes, qui erant IN OMNIBUS FINIBUS BETHLEEM.

17. TUNC ADIMPLETUM EST, QUOD DICTUM EST, &c. Multi hoc impletum volunt juxta tertium modum suprà positum, scilicet quia tunc hoc aptè dici potuit de istis pueris, quod ad litteram dictum erat de decem tribubus, vel certe de duabus Judæ & Benjamin, in captivitatem abducendis. Sed rectiùs dixerimus secundum adimpletionis modum hîc indicari, quia calamitas illa figura fuerit illius calamitatis, quæ pueris istis, imò quæ omnibus Christi Martyribus evenit, quos Rachel, id est, Ecclesia mater, deplorat. Itaque

17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem:

18. VOX, scilicet ploratus & ululatus magni, AUDITA EST IN RAMA. Interpres Græcus & Latinus juxta Septuaginta accepit, ut nomen proprium: est enim civitas in tribu Benjamin, juxta Gabaa, in confinio tribus Judæ & Benjamin, Judic. 19. versu 13. ut significetur luctum utrique tribui, quæ postea confusæ fuerunt, fuisse communem, & eo usque auditum ululatum. Hieron. accepit ut appellativum, significans, *in excelso*, id est, vox alta audita est, sicut clamor ire in cælum dicitur.

18. Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

RACHEL PLORANS FILIOS SUOS. Rachel mater fuit Benjamin, & in Bethleem sepulta. Termini autem tribus Judæ & Benjamin circa Bethleem concurrunt, & utraque illa tribus post captivitatem mixtim habitavit, ut patet 2. Esdræ cap. 11. Itaque metotonymicè per Rachel, prolium suarum amantissimam, significatur tota Regio Bethleem, seu matres Bethleemiticæ & Benjamiticæ. Quod autem mortua mater plorans inducitur, prosopopœia est,

Prophetis & Poëtis familiaris, & ad affectus movendos efficaciſſima, qui in Tragœdiis ſuis mortuorum, aut diverſarum urbium manes lamentantes inducunt.

ET NOLUIT CONSOLARI, id eſt conſolationem accipere ſuper filiis ſuis, propter doloris magnitudinem: QUIA NON SUNT, id eſt quia non inveniuntur, hinc ſcilicet ſive captivitate in exteras Regiones, ſive morte tranſlati, in ſinum Abrahæ. Nam Veteres omnes, qui de iſtis infantibus tractant, ſummo conſenſu eos Martyres Chriſti faciunt, Iren. lib. 3. cap. 18. Greg. Homil. 4. in Pſal. 36. circa med. & Homil. 3. in diverſos, Hilar. Theoph. & alii, in Commentariis: & ita ſentit Eccleſia, quæ eos *flores Martyrum* nuncupat. Fuiſſe numero quatuordecim millia legunt Æthiopes in Miſſa, quam ſibi relictam à Matthæo dicunt & Græci notant in Calendario.

19. Defuncto autem Herode ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph in Ægypto.

19. DEFUNCTO AUTEM HERODE, interna febri, voracitate, inteſtinorum exulceratione, prurigine corporis intolerabili, colica, podagra, ventriculi inflammatione, verendorum putredine, vermibus, fœdiſſima tentigine, nervorum contractione, aſthmate, fœtore denique intolerando, ut teſtis eſt Joſephus libro 1. de bello Jud. cap. 21. & maximè 17. Antiquit. cap. 18. APPARUIT ANGELUS: aliquot menſibus tamen à morte Herodis. Nam Archelaus, qui hîc dicitur regnaſſe in Judæa, non obtinuit Judæ præfecturam, niſi poſtquam Cæſar de teſtamento Herodis conſtituiſſet, & ipſe Româ eſſet reverſus.

20. Dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem ejus, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri.

20. DEFUNCTI SUNT ENIM. Pluralis pro ſingulari; nam de ſolo Herode loquitur, ut patet ex v. 19. QUI QUÆREBANT ANIMAM PUERI, id eſt, vitam ejus auferre. Itaque Joſeph, accepto puero & matre ejus,

21. Qui conſurgens accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Iſraël.

21. VENIT IN TERRAM ISRAEL: in ejus ſcilicet limites, ſeu in fines tribus Simeonis ac Dan, qui Ægypto proximi ſunt.

22. Audiens autem quod Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo, timuit illò ire: & admonitus in ſomnis, ſeceſſit in partes Galilææ.

22. AUDIENS AUTEM QUOD ARCHELAUS REGNARET IN JUDÆA, id eſt, in ſorte tribus Judæ & Benjamin, in qua eſt Bethleem: diſtinguitur enim à Galilæa & à terra Iſraël. Regnaſſe porrò dicitur, id eſt, præfuiſſe regia poteſtate, non tamen regio nomine, & quia ſtatim à morte Herodis à militibus ſaltem Rex ſalutatus fuit. Nam Herodes teſtamento quidem reliquerat Archelao regnum, ſed Cæſar Auguſtus, cujus beneplacito teſtamentum ſubjecerat, conſtituit eum Ethnarcham, (id eſt gentis Principem) dimidiæ partis Regni Herodis, hoc eſt Judææ, Idumææ, & Samariæ, Regnum etiam pollicitus, quàm primùm tali honore ſe dignum redderet. Alterum dimidium regni in reliquos duos filios Herodis partitus eſt, Antipam ſcilicet, qui & poſtea Herodes cognominatus eſt, creans Tetrarcham Galilææ & Perææ; Philippum verò Batameæ, Traconitidis, & Auranitidis, cum parte domus Zenodori, ut vocabatur, quemadmodum horum teſtis eſt Joſephus 17. Antiquit. cap. 3. Itaque Ioſeph

TIMUIT EO IRE, in Judæam ſcilicet ac Bethleem, territus, ut videtur regio nomine, quod Archelaus affectabat, & crudeli-

tate ejus, propter quam Viennam Galliæ à Cæsare relegatus fuit, ut Joseph. ibid. c. ultimo: denique ne ex habitatione Bethleem refricaretur Archelao facti memoria. Itaque SECESSIT IN PARTES GALILÆÆ, inferioris, in qua est Nazareth, quia Antipas, cui illa cesserat, mitioris erat ingenij.

23 ET VENIENS HABITAVIT. Pleonasmi sunt, Hebræis familiares, ut cùm dicunt, *surgens abiit*, *respondit dicens*, & similia. IN NAZARETH. Oppidum in monte situm, Lucæ 4. v. 29. in tribu Zabulon, prope montem Thabor, ad occidentem, ubi Christus conceptus, & educatus est. UT ADIMPLERETUR, id est, ex quo factum est, ut adimpleretur. QUOD DICTUM EST PER PROPHETAS. Pluraliter loquitur, ut Hieron. observat, quia apud nullum Prophetam reperitur hoc testimonium, QUONIAM NAZARÆUS VOCABITUR; sed tantùm res illo testimonio significata, hoc est sicut idem Hieron. hoc nomen exponit, quia sanctus Dominus futurus, & ab omni pollutione separatus, prædictus est, quod significatur nomine *Nazarei* seu *Nazir*, ut exposuimus Num. 6. Sed difficultatem adfert, quòd Christus *Nazareus* vulgò dictus est, pro ut in medio scribitur, per ץ *Tzade*, non per ז *Zain*, hoc est נזרי *Notzeri*, ut testatum facit titulus Crucis, teste Pagnino; & ita nomen *Nazareth* debere scribi ex veterum Hebræorum Commentariis probat: unde & Græcè scribitur Ναζωραῖος, non Ναζαρηνός Itaque rectiùs dixerimus *Nazareum* vocandum Christum, quia prædictus est ab Isaïa futurus flos seu germen, c. 11. v. 1. Hebraicè נצר *Nétzer*, unde civitas vocatur נצרת *Netzáreth*, Syriacè נצרת *Natzeráth*. Ex quo loco Isaiæ, teste Hieron. ibidem, eruditi Hebræorum testimonium illud desumptum putant: vel etiam quia Christus passim humani generis custos, & servator prædictus est, à נצר *Natzar*, *custodire*. Unde & illud נצר, *Nétzer*, de quo suprà, id est, flos seu germen aut planta tenera ita vocatur, quòd accuratè ab injuriis custodiatur. Itaque Evangelista voluit odium istius nominis, propter quod Christus, Joan. 1. v. 46. & Joan. 7. v. 41. & Christiani postea contempti sunt, in honorem convertere, nec impedire debere, quò minùs Messias crederetur, etiamsi à Galilæa & Nazareth, tamquam habitationis loco venerit, eò quòd hoc ipsum sit Prophetiis maximè consonum.

23. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

CAPUT III.

1. IN DIEBUS AUTEM ILLIS, quibus habitabat adhuc Christus in Nazareth. Contigit autem hoc facilè viginti, & ampliùs annis post historiam proximè narratam, reditum scilicet ex Egypto. VENIT JOANNES BAPTISTA: ita dictus ab officio divinitùs delegato baptizandi pœnitentes, & præparandi ad Christum Dominum, ut esset ejus præcursor, ne, si subitò Christus & inexspectatus populo imparato se objecisset, facilè repudiare-

1. In diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ.

tur. PRÆDICANS, pœnitentiam scilicet & baptismum: IN DESERTO JUDÆÆ, id est in regione saltuosa, in qua habitabat Zacharias, inquit Beza in hunc locum, ut ita odio Eremitarum desertum Ioannis in locum habitatum convertat. Sed errat: tum quia desertum hoc erat circa Jordanem, ut Evangelistæ indicant: habitatio autem Zachariæ erat in montanis, in civitate Judæ, Lucæ 1. quæ montana à Jordane remotissima sunt. Unde Jerem. 33. vers. 13. opponuntur montana Judææ campestribus, scilicet circa Jordanem, ut occidens orienti: tum quia tota antiquitas tradidit, Joannem in vera eremo solitariam duxisse vitam, & prædicasse, ideoque Eremitarum esse Principem, de quo Chrysost. Hom. de Joanne Baptista, & Hom. 1. in Marcum, & Hieron. Epist. ad Eustoch. & ex solo victu ac vestitu ejus satis manifestum est.

2. Et dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.

2. ET DICENS, id est, componens prædicationem suam in hanc summam totius Evangelij secuturi: unde & Christus idem prædicavit. PŒNITENTIAM AGITE. Græcè μετανοεῖτε, quod Beza vertit *resipiscite*, ut significet dolorem tantum, quo corrigatur, quod perperam factum est, & excludatur omnis pœnalis actio pro delendis omnibus peccatis. Sed contrarium indicat passim Scriptura, ut infrà cap. 11. vers. 21. in cinere & cilicio *pœnitentiam egisset*. Vide 1. ad Corinth. 9. v. 10. & 11. Jonæ. Unde & hîc præter dolorem & vitæ mutationem, etiam confitentur peccata & baptizantur.

APPROPINQUAVIT ENIM REGNUM CÆLORUM, id est, in proximo jam est non regnum terrenum, quod hactenus affectatis & exspectatis, sed fœliciſſimum regnum cælorum, seu cæleste, cujus nemo sine pœnitentia particeps fit. Hoc regnum est idem, quod regnum Dei, seu Christi vel Messiæ in homines: nec est aliud, quàm quo Deus, seu Messias per doctrinam Evangelij, & Spiritum sanctum cordibus infusum, hoc est per cognitionem & amorem destructo diaboli dominio, perfectè regnat in animis omnium electorum. Itaque unum & idem est hujus vitæ & futuræ, sed ibi per felicitatem æternam completur, quòd hîc inchoatum est. Nova igitur atque hactenus inaudita fuit hæc prædicatio, & prædicationi veteris Testamenti prorsus opposita. Ibi enim vestimentorum mutatione & lotione jubentur se præparare, Exodi 19. hîc animi mutatione, & pœnitentiâ: ibi omnia terrorem, mortisque comminationem spirant, hîc amorem & rei felicissimæ promissionem: ibi bona carnalia, regnumque terrenum, hîc spiritualia & regnum cæleste. Nam quamvis & vetus Scriptura præceptis morum sanctissimis plena sit, finis tamen, quò referantur, occultus est inquit Aug. 19. contra Faustum c. ult. hoc est, ut ibidem explicat, quamvis, & ibi non solùm sanctitatis, sed & præmij ejus resurrectionis scilicet mortuorum, & æternæ vitæ fiat mentio, hoc tamen non solùm non fuit præmium veteris Testamenti, sed potius novi. Quod etiam non fuit apertè revelatum, & prædicatum, nisi in novo: nam ori illius, & præcursoris ejus,

nominandum ſervabatur, quem Regem ad regendos, & Sacerdotem ad ſanctificandos fideles ſuos univerſus ille apparatus veteris Teſtamenti parturiebat eſſe venturum, ut ibidem Auguſt. Idem apertè docet Hieron. Epiſt. 129. ad Dardanum, & Chryſoſt. hîc.

3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus.

3. HIC EST ENIM, cui non ſuopte impetu, & præſumptione ad prædicationem illam proſiliit, ſed QUI DICTUS EST, ſeu prædictus, PER ISAIAM DICENTEM: VOX CLAMANTIS, ſcilicet, Dei, auditur IN DESERTO: ita ſcilicet, ut Joannes ſit ipſa vox clamantis Dei. Nam ipſe Joan. 1. v. 23. dicit: *Ego vox clamantis, &c.* Et ita communiter obſervant antiqui, Joannem eſſe vocem Dei, verbi ſcilicet prænuntiam, ſicut ipſe Chriſtus eſt Verbum Dei, ut Epiphan. Hæreſi 69. & Ambroſ. in Lucam. Poſſet tamen intelligi *Vox clamantis*, ſcilicet præconis, auditur, vel etiam juxta Hebræa, *Vox clamans*, palàm ſcilicet & liberrimè auditur. Adfert hoc Iſaias, velut probationem, ad ſignum, quòd tempus conſolationis Jeruſalem jam adveniſſet, quia ſcilicet jam auditur vox præconis, quia Regem conſolatorem præcedit. PARATE VIAM DOMINI, id eſt expeditam reddite, omnia tollendo impedimenta, ne quid adventum ejus impediat. RECTAS FACITE SEMITAS EIUS, viarum ſcilicet obliquitates, & aſperitates ad rectitudinem, æqualitatemque redigendo, ut Regibus adventantibus fieri ſolet. Eſt enim continua metaphora, ab humano more ſumpta, quo ſicut paratur Regibus via, auferendo ſaltus, & impedimenta, & ſordes, & ornando tapedibus, ita Chriſto paranda dicitur, tollendo veteris vitæ peccata, ac vitia, & novæ vitæ virtutibus abſque hypocriſi animum imbuendo. Eò enim tendit tota prædicatio Joannis: Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiâ, tamquam quibus paretur via Chriſto venienti. Quòd & non ſolùm voce, ſed & factis, totaque vitæ compoſitione prædicaret, ut verum Chriſti præconem decet.

4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem ejus erat locustæ & mel silvestre.

4. HABEBAT VESTIMENTUM, non pellem cameli, ſed DE PILIS CAMELORUM contextam, adeoque vilem, aſperam & rudem, pœnitentiæ congruam: quam Anſelmus hîc vocat *cilicium camelinum*. A quo, ſicut ab omnis auſterioris vitæ inſtituto, cum hæretici, tamquam à colubro abhorreant, nolunt hîc aliquid particulare Joanni adſcribi: ſed Magdeburgenſes volunt fuiſſe uſitatum veſtimenti genus hominis montani; David Chrytræus fuiſſe undulatam veſtem, ſimilem ei, quam dicimus à camelis *Camelot*. Sed eos refutat Chriſtus ipſe, minimè delicatum & mollem veſtitum ejus commendans, Matt. 11. verſ. 89. ET ZONAM PELLICEAM, id eſt, non pretioſam, ſed coriaceam, ut ſpiritu ita & habitu Eliam referens. CIRCA LUMBOS SUOS. Quo ſignificatur partim libidinis refrænatio: partim accinctio, ſeu præparatio ad opus, juxta illud, *Sint lumbi veſtri præcincti*. Unde & apud Ethnicos diſcinctum eſſe, mollis, ignavi ſolutique hominis indicium erat.

ESCA AUTEM EIUS LOCUSTÆ. Græcè ἀκρίδες quas aliqui

olim apud Theophylactum nuces, aut poma silvestria esse voluerunt: probabilius alij esse summitates herbarum, Græcis etiam ἀκρίδες dictas, quod acriter tuetur Isidorus Pelusiota libro 1. Epist. 132. Sed longè est verius id, quod veteres tradunt, fuisse veras locustas, scilicet insecta illa nota, quæ nisi fuissent in cibos usurpata, non ponerentur inter animalia munda, Levit. cap. 11. Unde Hieron. Lib. 2. contra Jovinianum, *Orientales*, inquit, *& Libyæ populus, quia per desertum & calidam eremi vastitatem locustarum nubes reperiuntur, locustis vescitur moris est.* Et Plinius lib. 6. cap. 30. addit Æthiopes quosdam locustis tantùm vivere, fumo & sale duratis in annua alimenta. Ut absurda meritò videri debeat quorumdam hæreticorum audacia, qui ex locustis cancros marinos fabricant, quibus, licet contra legem, Evangelicâ libertate uteretur.

ET MEL SILVESTRE, id est, quod in silvis, in arborum truncis, & rupibus ab apibus agrestibus fieri solet, & satis magnæ fuisse Samsonis & Jonathæ exempla, Judic. 14. vers. 8. & 1. Reg. 14. vers. 26. probant. Amarissimum fuisse tradit Isidorus loco cit. sed qui probaverunt, verisimiliùs hoc negant: est enim insipidius quidem, dulce tamen ut mel. Vestitus ergò asperrimus, & victus erat vilissimus, pœnitentiæ, cælestisque regni prædicatori congruus.

5. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem;

5. TUNC EXIBAT AD EUM JEROSOLYMA; mirâ istâ vitæ sanctitate, pœnitentiæ exemplo, promissionis novitate, & miraculis nativitate ejus in memoriam revocatis, excitata: plus enim, ut Chrysost. resonabat ejus conversatio, quàm vox. ET OMNIS, id est tota, JUDÆA, magna scilicet ejus pars. ET BAPTIZABANTUR AB EO, tamquam profitentes hoc signo se similiter intus à peccatis ablui velle per pœnitentiam, quam prædicabat. Unde disponebantur hoc signo quodam præcursorio ad baptismum Christi facilè recipiendum. CONFITENTES PECCATA SUA, id est, non tantùm confitentes se esse peccatores, ut ferè hæretici volunt, sed exponentes sigillatim peccata sua: hoc est enim confiteri peccata, sicut & Act. 19. vers. 18. fecisse leguntur, nempè in signum veræ pœnitentiæ, quæ sigillatim damnat crimen, & damnando quasi expuit, & animum relevat. Unde ritus ille particularis hujusmodi confessionis fuit etiam in veteri Lege usitatus, ut clarè colligitur ex Numer. 5. vers. 7. & Levit. 5. v. 5. & 18. ut illis locis notavimus.

6. Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.

7. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum, venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?

7. VIDENS AUTEM MULTOS PHARISÆORUM ET SADDUCÆORUM. Tres erant præcipuæ sectæ apud Judæos, ut Josephus libr. 2. de Bello Judaico c. 7. *Esseni*, omnium probissimi, *Pharisæi* & *Sadducæi*, *Pharisæos* dictos quidam volunt quasi פרושים, *Peresçim*, id est Interpretes legis. Sed illi potiùs dicuntur Scribæ, qui non omnes erant Pharisæi. Dicuntur ergò *Pharisæi*, quasi divisi à cæteris, propter vitæ sanctimoniam alcititiam & superstitionem, sive hoc deducas פרץ, *Parátz*, ut Hieronymus in Quæst. Hebraicis in cap. 38. Genes. sive potiùs à פרש *Parasch*, ut Epiphan. initio Panari, dicuntur enim Hebraicè פרושים. *Perusçim*, Hieronym. in cap. 8. ver. 11. Isaiæ auctorem *Pharisæorum* facit Hillel,

Hillel, sicut Scribarum Sammai, qui, inquit non multò priùs quàm Christus Dominus nascceretur, orti sunt in Judæa. Sed de Scribis res certa est, longè fuisse antiquiores, imò jam ab Esdræ temporibus viguisse, ut suprà dictum est. *Pharisæos* autem & *Sadducæos* constat jam inde à tempore Machabæorum fuisse sectas formatas, ex Josepho 13. Antiquit. cap. 9. & 18. Dicti sunt autem, sive à Tsadoc, sectæ principe, sive quasi צדיקים, *Tzaddikim*, id est, *justi*, quòd de justitiæ perfectione gloriarentur. Inter eos hæc erat differentia, teste Josepho, locis cit. & 18. Antiq. cap. 2. quòd *Pharisæi* certiorem legalium rituum notitiam profiterentur, traditionibus viverent, fatum admitterent, ita tamen, ut libertatem in pleriſque non destruerent: animam sentirent esse immortalem: bonas in alia migrare corpora, malas perpetuis plecti pœnis. *Sadducæi* contrà nihil fato tribuebant, omnia hominis libertati: animarum præmia & pœnas, corporum resurrectionem, ac spiritus omnes, itemque traditiones negabant. Sadducæi pauci erant, sed ferè ditiores. Unde & divites Sadducæis adhærebant, populus Pharisæis, apud quem tanta erat eorum authoritas, ut quamvis obloquerentur Pontifici, aut Regi, fidem tamen iis haberet. Nam quidquid ad solemnes precationes & cultum divinum pertinebat, juxta eorum præscriptum fieri solebat: usque adeò, ut cùm Sadducæi magistratum, licet inviti susciperent, mox Pharisæorum decretis assentirentur; nisi facerent, non ferendi à populo. Istæ igitur sectæ confluebant ad baptismum Joannis; magis fortasse, ut populo suum sanctitatis studium probarent, quàm Deo. Ita enim solent hypocritæ se sanctis adjungere: quibus proinde Joannes dicebat:

PROGENIES VIPERARUM. Vipera serpentum nocentissima est, ut ex Act. 28. liquet; de cujus natura multi multa philosophantur. Plinius lib. 10. ca. 62. Arist. lib. 5. c. ult. Hist. animal. miscent & fabulosa quædam: Ambros. lib. 5. in Hexaem. cap. 7. ex Basil. Hom. 17. in Hexaem. Unde alij respici putant ad invidiam, & calliditatem, ut Augustin. & Gregor. alij ad animum homicidam, eò quòd viperæ fœtus matres suas, uterum perrumpendo, occidant, ut faciunt mali Doctores, maximè hæretici. Generaliter itaque *progeniem viperarum* vocat Hieron. in cap. 30. Isaiæ pessimorum parentum pessimos filios, homicidarum scilicet homicidas, invidorum invidos. Non enim est hæc laus à pœnitendi prudentiâ petita, ut putavit Ambros. lib. 2. in Lucam, sed gravissima est increpatio. QUIS DEMONSTRAVIT VOBIS, &c. id est, quomodo fieri potest, cùm viperæ potiùs quàm homines sitis, justorumque persecutores, & justitiæ simulatores, ut aliquis vobis monstraverit, seu persuaserit, ad remedium à pœnis æternis, quas vel non creditis, vel justitiæ præsumptione non timetis, huc esse vobis recurrendum? Admirantis enim verba sunt rei novitatem, ac difficultatem. Sed si tamen vero pœnitentiæ dolore tacti sitis,

8. FACITE FRUCTUM DIGNUM PŒNITENTIÆ, seu PŒNITENTIA, hoc est qui decet veram pœnitentiam, seu animi resipiscentiam. Fructus illi sunt peccatorum detestatio, lachrymæ ex corde expres- 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

sæ, affectuum malorum, morumque correctio, & in primis virtutum studia peccatis contraria; ut Greg. Hom. 20. in Evang.

9. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

9. ET NE VELITIS DICERE INTRA VOS, id est, Nolite cogitare & stultâ istâ cogitatione, ac fiduciâ vos seducere: PATREM HABEMUS ABRAHAM, id est, ut Joan. 8. dicunt, vers. 32. *Semen Abrahæ sumus*: & vers. 39. *Pater noster Abraham est*; cui scilicet à Deo promissio facta est, & hereditas salutis filiis danda: hoc enim adfertur velut causa securitatis contrà venturam iram, cùm Deus non frangat fidem suam. Errabant, eò quòd de carnalibus filiis hoc intelligerent, cùm filii Abrahæ fiant imitatione fidei, contra cujusmodi cogitationes etiam agit Apost. ad Rom. 9. vers. 6. & sequentibus.

DICO ENIM VOBIS, QUONIAM DEUS EST POTENS DE LAPIDIBUS ISTIS, QUOS CORAM CERNITIS, SUSCITARE FILIOS: sicut olim Adamum ex terra, Evam ex ejus latere, Isaac ex emortuis corporibus Abrahæ & Sarræ, qui ratione sterilitatis, Isaiæ 51. vers. 1. comparantur petræ, unde Judæi excisi sunt: ABRAHÆ. Dativus est, id est, quos Abrahæ promisit, ut iis conferendo promissam benedictionem, liberet fidem suam vobis pereuntibus. Verisimile tamen est alludi simul ad vocationem gentium, quæ duræ erant instar lapidum, & colendo lapides lapidibus factæ erant similes: sic enim intellexerunt magno consensu veteres, Hieron. Ambr. Theoph. in hunc locum, post Iren. lib. 4. cap. 16. Clem Alexand. serm. ad Gentes, Orig. Homil. 6. in Exod. & 4. in Jerem.

10. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum; excidetur, & in ignem mittetur.

10. JAM ENIM SECURIS. Securim intelligit Hieron. Prædicationem Evangelicam, Gregor. Christum, qui constet ex humanitate, velut manubrio; divinitate, ut ferro. Sed cùm tota oratio sit tropica, totus potiùs contextus intuendus est, quàm singulæ partes. Itaque excludit alterum emendationis impedimentum, spem scilicet differendi supplicii. Iam enim securis posita est, non ad ramos, ut superflua decidendo levius castigentur, sed AD ipsam RADICEM arborum, ut funditùs excidantur & pereant. Significat enim iam imminere cervicibus extremum & irreparabile excidium, non solùm Judæis inferendum per Titum & Vespasianum, vel per translationem Evangelii ad Gentes ut quidam intelligunt, sed etiam singulis hominibus infligendum per æternam damnationem. Hoc enim est, quòd sequitur:

OMNIS ERGO ARBOR, seu homo, etiamsi nepos, aut filius carnalis fuerit Abrahæ, si sterilis bonorum operum, EXCIDETUR, iam iam (Græcè est ἐκκόπτεται, *exciditur*) ex hac vita scilicet per mortem. ET IN IGNEM MITTETUR inextinguibilem, v. 12. seu supplicii æterni. Dicitur hoc iam post adventum Christi fieri magis, quàm ante, quia nunc palàm cœpit in toto mundo prædicari. Scripturæ autem phrasi res tunc fieri dicitur, cùm palàm innotescit. Hinc antea ignorantia & infirmitas magis veniam, supplicii que diminutionem, ac dilationem merebantur.

11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui au-

11. EGO QUIDEM BAPTIZO, &c. Non cohærent hæc immediatè præcedentibus, sed dicta sunt à Joanne, ut responderet populo cogitanti eum esse Christum, ut patet Lucæ 3. vers. 15. & 16. negat.

enim hîc se esse Christum, asserendo se tantùm esse præcursorem ejus, qui ei paret viam.

tem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.

Ego enim baptizo vos in aqua: id est, nudo elemento tango corpus, nec ad animum penetro, ut remissionem peccatorum conferam: non tamen profanâ lotione, sed, in pœnitentiam, id est, in professionem pœnitentiæ, quòd scilicet pœnitemini de peccatis vestris & ablutionem eorum desideratis.

Qui autem post me venturus est. Græcè ἐρχόμενος, *veniet*, tempore præsenti, ut etiam est Latinè apud Marcum: id est, Ille, cui ut Lucifer orienti soli viam paro, & qui jam jam post me in proximo adest, fortior me est; id est, virtute & efficaciâ me longè præstantior, utpotè qui ipsa corda penetrabit, & auferendo peccata salutem dabit. Distantiæ verò magnitudinem indicans, addit: cujus non sum dignus, si scilicet naturæ conditionem spectes, calceamenta portare. Sanctiorem enim locum ingressuri solebant Judæi calceamenta deponere. Exodi 3. vers. 5. & Josuæ 3. vers. 15. sicut & hodie Turcæ; Græcè est ὑποδήματα, quod multi *sandalia*, seu *soleas* interpretantur plantis subligari solitas. Alii Evang. dixerunt *corrigiam calceamentorum solvere*. Sed idem exprimunt diversa comparatione; nempè indignum esse, cui vel extremum & vilissimum ministerium ejus commitatur. Nam, ut sæpissimè inculcat August. in libris de Consensu Evangelist. apicibus verborum non est ligandа veritas, quasi iisdem omninò verbis, quo res dicta fuerit, narrari debeat; cùm in omnibus signis verborum non sit nisi ipse animus inquirendus. Nam ex hac ipsa Evangelistarum diversitate salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum, quàm quid velit ille, qui loquitur, ut ait libr. 2. cap. 12.

Ipse vos baptizabit: id est, tinget largiter, non solùm corpus, sed animam; nec solâ aquâ, sed ipso spiritu sancto, cordibus infuso. Cùm autem sit bonorum omnium fons Spiritus sanctus, hoc nomine, ut Chrysost. hîc notat, insinuantur omnes illi magnifici effectus ejus, peccatorum remissio, regeneratio, renovatio, justificatio, adoptio, jus cælestis hereditatis: ut ita intelligamus, quanta est differentia inter corpus & animam, aquam & Spiritum sanctum, apparatum rei & rem ipsam, tantum esse discrimen inter baptismum Joannis & Christi.

Et igni. Illud (&) videtur esse exegeticum, seu explicativum, non copulativum, q. d. hoc est igni, sive Spiritu sancto, qui igni similis est vi & efficaciâ, consumens peccata, illuminans tenebras, accendens amore charitatis, & sursum rapiens. Unde Christus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Simul tamen alludit ad visibilem ejus apparitionem, in Pentecoste futuram, ut Cyril. Catech. 17. Hieronym. hîc, & alii communiter: imò ut satis indicat ipse Christus, Actor. 1. vers. 5. Proinde qui per *ignem* intelligunt ignem judicii, seu examinis divini, ut Hilarius, vel gehennæ futuræ, ut Theoph. Antioch. lib. 1. & Basil. libr. 5. contra Eunom. vel purgatorium, ut Hieronym.

hîc & Gregor. vel tribulationem, minùs videntur textui congruere.

11. Cujus ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

11. CUJUS VENTILABRUM IN MANU SUA. Promiserat Christum fore Salvatorem, nunc prædicit & Judicem. *Ventilabrum* est vannus. Augustin. in Psalm. 92. vocat *Palam*, instrumentum scilicet, quo, vi agitationis & venti, paleæ à frumentis secernuntur. Hinc Iren. libr. 3. cap. 28. & Tertull. libr. de fuga in persecut. cap. 1. volunt significari persecutionem, quæ AREAM Dominicam, id est, Ecclesiam, seu confusum acervum fidelium eventilat & purgat, non faciens, sed indicans PALEAS, id est eos, qui instar palearum leves sunt, & ex Ecclesia vi hujusmodi tempestatis evolant. Sed rectiùs per *ventilabrum* intelligas discretionem illam extremi judicii, ut August. in Psal. citat. & alibi sæpiùs, quâ separabuntur etiam corporali loco boni & mali. ET CONGREGAVIT TRITICUM, id est eos, qui fuerint humilitate depressi, sinceritate candidi, virtutibus fœcundi, pietate & constantiâ contra ventos tentationum & persecutionum graves, IN HORREUM, sive regnum cœlorum. PALEAS AUTEM, id est, malos Ecclesiæ, ex eodem scilicet semine verbi & baptismo natos, eâdem pluviâ doctrinæ alitos, iisdem Sacramentis colligatos, sed virtutis inanes, operibus bonis steriles, quique, ut aptè Basil. in Regulis brevioribus resp. 257. instar palearum non sibi, sed frumento Domini utiles sunt, COMBURET IGNI INEXTINGUIBILI, hoc est æterno: quo indicat simul & pœnarum, & punitorum æternitatem.

13. Tunc venit Iesus à Galilæa in Jordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.

13. TUNC, cùm scilicet ita Joannes homines suâ prædicatione & baptismo ad pœnitentiam & ad ipsum Christum, jam jam propinquum, præparasset, VENIT JESUS A GALILÆA, nimirùm Nazareth, natali loco, ubi hactenus privatus vixerat, IN JORDANEM, id est, eam regionem Jordanis ac Judææ, ubi baptizabat Joannes: UT BAPTIZARETUR ab eo, & hac occasione ipse Christus manifestaretur in Israël, in tanta hominum affluentia (quam causam dat ipse Joannes sui baptismi, Joan. 1. v. 31.) & ut magisterium ejus erga genus humanum coram tanta turba cælesti voce declararetur.

14. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?

14. JOANNES AUTEM PROHIBEBAT EUM: id est arcebat, vel baptizare renuebat, idque tum propter personæ excellentiam, tum ne putaretur indigere pœnitentiâ, sicut cæteri. DICENS, EGO A TE DEBEO BAPTIZARI: non debito præcepti, sed indigentiæ. Græcè est enim χρείαν ἔχω, id est indigeo, opus est mihi baptizari, non baptismo aquæ, quem nec-dum temporis ratio postulabat, sed Spiritus sancti & ignis, quem suprà prædicaverat, idque quia illo baptismo ab originali labe ablui indiguerat, & à quotidianis abluí indigebat. ET TU VENIS AD ME. Emphaticè legendum, TU AD ME? nempè Dominus ad præcursorem? Agnus sine macula ad peccatorem?

15. Respondens autem Iesus dixit ei: Sine modo; sic enim

15. JESUS AUTEM DIXIT, &c. SINE MODO: id est, permitte me baptizari: quo verbo, *sine*, non tam improbat, quàm approbat recusationem Joannis: sed addens, *modò*, significat hoc fieri debere temporaria quadam dispensatione, ut observat Nazianzen. Orat. 39.

Cauſam autem ſubjecit: SIC ENIM, cedendo ſcilicet delatis honoribus, inferioribus nos ſubmittendo, & in ſimilitudine ſignorum ſimilitudinem carnis peccati magis magiſque adimplendo, DECET NOS, Græcè πρέπον ἐστὶν, *decorum eſt*, ſeu convenit nobis juſtitiæ ſcilicet magiſtris, (ſe enim & Joannem videtur comprehendere, niſi malis de ſe ſolo pluraliter loqui) ADIMPLERE, non ſolùm docendo, ſed in primis faciendo OMNEM IUSTITIAM, id eſt, quidquid juſtum, virtuti conſentaneum, Deóque gratum, etiamſi non debeat, id eſt, non neceſſe ſit fieri. Fuit autem hoc juſtum, ſeu juſtitiæ virtutique conſentaneum, multis ex capitibus. Primò, ut ſic exemplo ſuo humilitatem quàm efficaciſſimè commendaret, quod paſſim à Patribus notatum eſt: ut aquas purificatione ſua purificaret, inquit Nazianzen. Oration. 34. & eis vim regenerandi daret, ad baptiſmum ſcilicet eas deſtinando: ut medicus ægris ſimilis factus, ægrotis eo eſſet gratior, quo familiarior: ut homines ad ſuum baptiſmum invitaret: ut Joannis baptiſma tamquam à Deo inſtitutum comprobaret: ut teſtimonium de cœlo in baptiſmo ei redderetur: denique ut per deſcenſum columbæ Spiritus ſancti adventum in baptiſmo fidelium ſignificaret, inquit Hieronymus.

decet nos implere omnem juſtitiam. Tunc dimiſit eum.

16. BAPTIZATUS AUTEM JESUS CONFESTIM ASCENDIT DE AQUA. Illud, *confeſtim*, referendum eſt magis ad illud, *& ecce aperti*, &c. quàm ad, *aſcendit*: ut ſit ſenſus, ſtatim, cùm à baptiſmo aſcendit vidit cælos apertos. Indicat id Marcus, cùm dicit, *Statim aſcendens de aqua vidit.*

16. Baptizatus autem Iesus, confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.

ET ECCE, rem ſcilicet admiratione dignam, APERTI SUNT EI CÆLI. Ei, ſcilicet Chriſto, tum quia propter ipſum, tum quia ipſe Chriſtus eſt, qui vidit cælos apertos, ut aperte dicit Marcus. Ipſe quoque eſt, qui vidit Spiritum deſcendentem, ut hîc Matth. juxta Interpretem noſtrum, qui vertit, SUPER SE: nimirùm ut ipſe Chriſtus redderetur certus ſigno externo de ſua ad munus Evangelicum vocatione. Cæli ergò ei aperti ſunt, id eſt, ſciſſi, κεχωμένοι, ut eſt Græce apud Marcum, non revera, quia fuiſſet ſuperfluum, nec ſola intellectuali viſione, ut late Origen. lib. contra Celſum, nec ſola imaginaria, ſicut, juxta Hieron. hîc, Ezechiel cœlos apertos vidit, ſed ſenſibili viſione, ſicut columba, & vox fuerunt ſenſibiles, quia ſcilicet in ſupremo aëre, vel æthere ſimilitudo profundi hiatus viſa eſt, idque ut è cœlo omnia proficiſci viderentur.

ET VIDIT, Chriſtus ſcilicet, ut ex Marco diximus. Non tamen negatur etiam vidiſſe alios. Nam & Joannes vidit, quia hoc ei ſignum datum fuerat, Joan. 1. verſu 33. & cæteri etiam adſtantes, ut illo ſigno auctoritas Chriſti & magiſterii ejus propalaretur. SPIRITUM DEI DESCENDENTEM SICUT COLUMBAM: id eſt, corporali ſpecie columbæ, ut ait Lucas: Quo potius videtur ſignificari corporalis ſimilitudo columbæ, quantum ad figuram ac deſcenſum, ut communiter auctores ſentiunt, quàm veram columbam, ut videtur putaſſe Auguſt. libr. De agone Chriſti cap. 22. tametſi aliis locis docere videatur fuiſſe columbæ ſpeciem. Nam adhibita tantummodò fuit ad ſignificandum, (ad quod ſufficit columbæ ſpecies) ſicut &

linguæ igneæ in Pentecoste. Unde simili phrasi dicuntur apparuisse non veræ linguæ igneæ, sed linguæ tamquam ignis. Descendit ergò Spiritus, sicut columba, non quòd loco motus fuerit, qui est ubique, vel Christum tunc tantùm inhabitare cœperit, qui eo semper plenus fuit: sed ut eo symbolo præsentia Spiritus sancti in Christo & in baptismo fidelium significaretur. Per columbam autem ad exprimendas columbinas proprietates ipsius Spiritus sancti, quas in Christo & baptisatis operatur. Exprimit eas Cyrillus Iarè Catech. 17. breviter Tertull. lib. deBaptismo cap. 8. quia animal est simplicitatis & innocentiæ, quod etiam corporali, inquit, felle caret. Latiùs hæc deducit Cyprian. lib. De unitate Ecclesiæ. Adde quia mundum, benignum, mansuetum, fœcundum, summo affectu pullos prosequens. Denique sicut in figura olim in aquis diluvii per columbam reconciliatio humano generi annunciata est, ita & nunc in aquis baptismi eamdem ob causam apparuit, ut observavit ibidem Tertullian. & Ambr. hîc

17. Et ecce vox de cœlis dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

17. ET ECCE VOX DE CÆLIS. Unde & columba: ut utrumque symbolum alterius significationem juvaret: vox quidem indicando quid sibi vellet columba; columba verò, ad quem spectaret vox: unum oculis, alterum auribus, ut filius Dei auditu conspectuque monstraretur (inquit Hilarius can. 2.) quia fide dignissimus, qui audivit & vidit. Adde ut sic Trinitatis mysterium inciperet in baptismo aperiri: Pater in voce, tamquam Verbi genitor, Filius in carne, Spiritus sanctus in columba, ut annotarunt Ambros. & alii, qui contra Arianos scripserunt.

DICENS, HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS: Græcè per articulos emphaticos, ille filius meus, ille dilectus. Nam primò significat se loqui de filio, non quovis, sed naturali, unico, æterno, coæquali, ut expendit S. Leo Serm. de transfigurat. Secundò verò esse dilectum, tamquam unigenitum, hoc est charissimum, ut vertitur Marci 9. vers. 6. IN QUO MIHI COMPLACUI. Græcè ὁ ἐν ᾧ ἐυδόκησα, *in quo complacui.* Phrasis est Scripturæ propria & frequens, ex Hebræo רצה, *ratzáh*, orta. Nec aliud significat quàm affectum benignum ac propensum erga alium: quasi dicat clariùs, qui mihi singulariter placet & acceptus est, in quo nihil displicet; ita scilicet, ut amor meus ab ipso, & propter ipsum, etiam in alios diffundatur, utpotè per quem mihi alii placere poterunt, & ego aliis placari.

CAPUT IV.

1. Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu ut tentaretur à diabolo.

TUNC JESUS DUCTUS EST. Marcus *expulsum*, Lucas *actum* dicit, quo indicatur impetus & efficacia Spiritus agentis filios Dei. A SPIRITU, sancto scilicet, ut addit Syrus, quia ille præcesserat, & quia cum articulo & absolutè Spiritus dicitur. IN DESERTUM, tamquam locum tentationi commodissimum ac destitutum humano subsidio, quo machinæ tentationum dissipentur. Fuit autem desertum Judææ, quod postea hinc *Quarentana* dictum est à Christianis.

UT TENTARETUR A DIABOLO. *Tentare* propriè est expieriendi causâ explorare, ut sciat vel ipse, qui tentat, vel qui tentatur, vel alii. Ita tentare solet Deus, ut aliquoties ex Aug. diximus. Diabolus ulteriùs habet scopum inducendi ad peccatum: unde ipsius tentatio est sollicitatio ad peccandum. Utroque modo Christus tentari voluit, qui sciebat se superari non posse. Causæ non ipsum, sed nos spectabant. Primò, ut nobis diabolum vinceret, & discipulis conculcandum traderet, inquit Hieronym. Epist. 8. ad Demetriadem. Unde August. in Psalm. 90. p. 2. Ideo tentatus est Christus, ne vincatur à tentatore Christianus: & Christus ipse hac de causa dicit, *Confidite, ego vici mundum.* Secundò, ut modum vincendi traderet jejunio, oratione, Scripturarum meditatione. Tertiò, ut ostenderet, inquit Ambros. 4. in Lucam, diabolum ad meliora tendentibus invidere; & tunc magis est cavendum, ne mysterii gratiam deserat mentis infirmitas. Quartò, ut doceret, eos, qui alios debent instituere, sibi à tumultu conversationis carnalis esse recedendum, & precibus vitæque puritati insistendum.

2. ET CUM IEIUNASSET QUADRAGINTA DIEBUS ET XL. NOCTIBUS: hoc est quadraginta dies integros & naturales. *Noctium* fit mentio, ut à Judæorum jejunio distingueret, qui illud noctu solvebant: *quadraginta* autem, ne novi Testamenti legislator Moyse, & reipublicæ collapsæ renovator Elia esset inferior, quorum uterque quadraginta dies jejunaverat. Non excessit quadragenarium numerum, eo quòd numerus ille serviat pœnitentiæ & afflictioni præsentis vitæ, ut declarat August. libr. 2. de consensu Evang. cap. 4. & mysticum aliquid continere tradit Ambros. libr. 4. in Luc. Unde & quadraginta dies pluit sub Noë, quadraginta annos Israëlitæ pœnas luerunt in deserto, quadraginta dies exploratur terra promissionis. Numer. 13. quadraginta dies à resurrectione Christus in terra manet. Plura vide apud Ambrosium. Hinc est, quòd ex Apostolica traditione Ecclesia etiam hunc numerum jejunio consecravit, non quidem, ut totos quadraginta dies omni cibo abstineamus, sed iuxta Nazianz. Or. in sanctum lavacrum, ad virtutum nostrarum modulum ieiunium attemperando.

2. Et cùm jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

ET POSTEA ESURIIT. Non igitur antea, divinitate naturæ humanæ infirmitatem sustentante. Postea verò esuriit, non necessitate, sed voluntate eadem, qua & passus est: idque ut hominem verum & infirmum intelligamus, inquit Iren. lib. 5. cap. 21. Deinde, inquit, esuriit, ut haberet diabolus, ubi congrederetur oblecta infirmitate naturæ. Sic enim & nos non solum per concupiscentias, sed & per naturales necessitates tentare solet. Fames itaque Domini pia fraus fuit, ut in quo diabolus maiora metuens iam cavebat, famis specie lactatus tentaret ut hominem, inquit Ambros. libro 4. in Lucam.

3. ET ACCEDENS TENTATOR. Ille scilicet, cuius officium est tentare. Accessisse autem corporeâ formâ, eâque humanâ, suadent tum verbum *accedendi*; tum illa cum Christo colloquia. Indicatur consequenter, foris non intus illas fuisse Christi tentationes, sicut & primi hominis.

3. Et accedens tentator dixit ei Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.

DIXIT, SI FILIUS DEI ES. Notant communiter antiqui, dubitasse diabolum, utrùm iste esset Christus filius Dei. Chrysostomus cum suis putat alludisse ad vocem, quam audisset supra in baptismo, *Hic est filius meus, &c.* Alij aliunde suspicatum hoc esse, ut ex vitæ sanctitate, ex prodigioso jejunio, Joannis testimonio, vocibus Prophetarum: sed quia superbissimus erat, quidquid de eius divinitate opinatus fuerat ipso fastu superbiæ, in dubium venit ex tanta naturæ infirmitate. Itaque quasi consulens eius necessitati, & simul adulando pungens, SI FILIUS DEI ES, cur sic tamen affligeris, cùm sit remedium ad manum? Dic, id est, iube solo imperio tuo omnipotenti, non precibus, VT LAPIDES ISTI PANES FIANT; convertendo eos scilicet non in cibum delicatum, sed in panes, ut necessitati succurras. Quod si fecisset, certum putabat indicium, eum esse Deum: si in tanta necessitate non fecisset, sive nolendo, sive quia non posset, non esse Deum. Ubi pulchrè Ambros. Artificem diaboli disce astutiam: sic tentat, ut exploret; sic explorat, ut tentet. E contrà Dominus sic fallit, ut vincat; sic vincit, ut fallat. Nam si convertisset creaturam, proderet creatorem, & simul in varia peccata laberetur. Nam propter famem diffidere divinæ providentiæ, & ita morem gerere diabolo, ut potentiam suam intempestivè ostentet, nullâ Dei gloriâ vel proximi utilitate id postulante, gulæ simul & vanitatis vitium est. Nihil enim, inquit Ambros. pro diaboli arbitrio nec contemplatione panis faciendum est. Quod Christus significare volens respondit:

4. Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

4. SCRIPTUM EST: nempè in Scriptura illa divinitùs inspiratâ, quæ per excellentiam intelligitur in similibus locutionibus. NON IN SOLO PANE VIVIT HOMO: id est, non solo pane vitam sustinere potest homo quilibet, multóque magis filius Dei. SED IN OMNI VERBO, QUOD PROCEDIT DE ORE DEI; id est, sed quacumque tandem re Deus voluerit ac jusserit sustentari, utpotè cujus voluntate & jussu etiam ipse panis alit. Alii enim sine pane, ut Moyses & Elias; alii novo cibo, ut mannâ, alii aliter à Deo sustentati sunt. Itaque his verbis Christus eludit dæmonem, neque asserens neque negans se filium Dei, vincitque eum non potentiâ sed prudentiâ; non ut filius Dei, sibi succurrendo, sed ut homo infirmus, fiduciam in Deo collocando; tentationi non cedens, sed ei velut clypeum Scripturas objiciens: Simulque docet ita domitam esse oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum sit, inquit Augustin. lib. De vera religione, cap. 38.

5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, & statuit eum super pinnaculum templi.

5. TUNC ASSUMPSIT EUM DIABOLUS IN SANCTAM CIVITATEM: id est Jerusalem, ut Lucas, quæ propter templum, & olim arcam, & verum Dei cultum ibi vigentem *sancta* dicitur.

ET STATUIT EUM SUPER PINNACULUM TEMPLI: id est, super fastigium, quod erat peribolus quidam, seu lorica circumdans tectum superiùs planum, ne quis decideret, quemadmodum de omnibus tectis præscribitur Deuteron. 22. v. 8. Græcè dicitur πτερυγιον, id est, pinna seu ala, quia ab ædificiis extabat instar alæ.

6. Et dixit ei:

6. ET DIXIT EI, SI FILIUS DEI ES, MITTE TE DEORSUM, ut scilicet,

licet non ſolùm ſic pateat te eſſe Filium Dei, ſed etiam in populoſa civitate homines te videntes ſine caſu volare, credant eſſe Filium Dei ſibi promiſſum. Ubi obſervant Hieronym. & Ambroſ. ſemper diaboli voces eò tandem tendere, ut ſicut ipſe ſuperbiâ cecidit, etiam homo deorſum præcipitetur. SCRIPTUM ENIM EST. Quia Scripturis & fiduciâ in Deum ſe Chriſtus defenderat, ex utroque capite laqueum ei ſtruit: qu. d. Quia ita pendes à Dei providentiâ ex Scripturis conceptâ, ut ne fame quidem urgente te adjuvandum dubites ſine pane, ecce præcipita te hinc, ut oſtendas tè Dei providentiæ & verbis fidere. Ipſe enim dixit: QUIA ANGELIS SUIS MANDAVIT DE TE, id eſt, præcepit cuſtodiam tui. ET IN MANIBUS TOLLENT TE: quaſi geſtando manibus, quemadmodum res caras ſolemus, ne fortè impingas in aliquem lapidem & cadas. Abutitur Scriptura: promittit enim Spiritus ſanctus ſecuritatem & cuſtodiam à malo juſtis, hoc eſt in juſtitia ambulantibus, non autem tentantibus Deum, & ipſa mala ſibi accerſentibus. Itaque rurſum Chriſtus, diſſimulans ſe eſſe Filium Dei, perverſamque Scripturæ interpretationem (quam, ut Ambroſ. lib. 4. in Lucam, Auguſt. & alii Patres paſſim notant, Hæretici à diabolo didicerunt) vera redarguens, ait:

Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: Quia angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

7. NON TENTABIS DOMINUM DEUM TUUM: Experimentum volendo capere potentiæ, bonitatis, fidelitatis, ſapientiæ, aut alterius attributi divini, non ut in neceſſitate, proſis alicui, ſed inde ut ſcias. Contingit hoc, cùm quis ſine neceſſitate, præſumendo de Dei auxilio, ſe periculo exponit, vel ex periculo per miraculum educi cupit, quando aliter poteſt. Oritur hoc peccatum ex radice curioſitatis: tentare enim eſt velle experiri ſeu cognoſcere; quamvis ſimul poſſit adeſſe affectus vanæ gloriæ vel alius malus finis. Undè hæc ſecunda tentatio Chriſti non fuit propriæ vanitatis, aut oſtentationis, aut ambitionis, tametſi multi recentiores hoc velint, ſed curioſitatis, ut Auguſt. libr. De vera Relig. c. 38. Non enim inquit, ut ſe de faſtigio templi præcipitaret, urgebat, niſi cauſa tantùm aliquid experiendi, ſcilicet an Deus eſſet habiturus curam ejus.

7. Ait illi Jeſus: Rurſum ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.

8. ITERUM ASSUMPSIT EUM DIABOLUS IN MONTEM EXCELSUM VALDE. Montem Quarentanæ, non multùm à Jeroſolymis diſſitum, nonnulli fuiſſe aſſerunt, qui indè *Mons diaboli* dictus ſit. Porrò Auctor Sermon. de tentationibus Chriſti & jejunio apud Cypr. putat hanc aſſumptionem, ſicut & ſecundam, contigiſſe in ſpiritu, ſicut Ezechiel fuit in Jeruſalem: ſed veriùs alii communiter volunt corporaliter contigiſſe, non quaſi pedibus Chriſtus iverit, ut nonnulli ſentiunt, ſed quod verè corporaliter tranſlatus fuerit, ad eum modum, quo Habacuc in Chaldæam, Philippus in Azotum. Qui enim ſe crucifigi voluit à membris diaboli, non eſt mirum, ſi ſe ab ipſo diabolo permiſit transferri, ut Greg. Hom. 16. in Evang. Et hoc poſtulat verbum *aſſumendi* & *ſtatuendi*.

8. Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde: & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum,

ET OSTENDIT EI OMNIA REGNA MUNDI: non in imaginaria viſione, indignum enim videtur, quod diabolus ſenſus internos Chriſti commoverit: ſed viſione corporali, ad hoc enim delectus fuit mons excelſus valdè, ut latiſſimè pateret proſpectus. Oſtendit

ergò digito demonstrando pleraque regna & singulas mundi plagas, ut Auctor operis imperfecti. Et quia Lucas addit, *In momento temporis*, videtur indicari simul fuisse modum ostendendi diabolo proprium, ut scilicet arte quadam species distantissimarum rerum apparere fecerit, quod & homines instrumentis quibusdam faciunt, vel præstigio oculis repræsentaverit. Nam simul etiam ostendit GLORIAM EORUM: id est, quâ re unumquodque regnum excelleret, objiciendo scilicet, quasi in theatro opes & magnificentiam uniuscujusque, vires, populorum frequentiam, Regum pompas & fastum, adorantium obsequia, & similia.

9. Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

9. ET DIXIT EI: HÆC OMNIA TIBI DABO. Addit Lucas, *quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa.* Qui enim extorquere non poterat, an esset Filius Dei, seipsum fingit Filium Dei, ideoque tamquam hominem jam utcumque deprehensum impudentiùs tentat. Undè nec addit apertè, *si Filius Dei es*, tametsi occultè eodem tendat, nempè ut, si fortè Filius Dei sit rei absurditate percussus se prodat; sin autem non sit, gravissimâ omnium tentatione superbiæ ad peccatum gravissimum idololatriæ perducatur. SI CADENS, in faciem scilicet, adorantis ritu, ADORAVERIS ME, veluti tantorum regnorum & gloriæ largitorem.

10. Tunc dicit ei Jesus, Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.

10. TUNC, cùm apertè divinitatem cum Dei Patris injuria affectaret, DICIT EI: VADE SATANA; id est apage hinc adversarie omnis justitiæ: simul enim imperat & increpat, declarando apertè, quis sit. Est autem Hebraicè שטן, *Satan*, Syriacè ܣܛܢ, *Satan*, Græcè Σατανᾶ, idem quod adversarius: quo nomine antonomasticè vocatur spiritus malignus, quando palàm oppugnat; quando autem fraude ac dolis, ferè vocatur *diabolus.*

SCRIPTUM EST ENIM: DOMINUM DEUM TUUM ADORABIS: nempè curvatione, vel casu corporis, sicuti petis. Hoc enim sibi propriè vult hæc adoratio verbo Hebraico: sed quando Deo tribuitur, involvit simul interiorem adorationem Deo dignam. In Deuter. c. 6. vers. 3. est תירא, *tira*, *timebis*: undè sensum, non verba citat, quia postulabat Satanæ petitio. Adde, quòd timoris & reverentiæ pars magna sit adoratio: & in Scripturis sub timore Dei omnis ejus cultus comprehenditur. ET ILLI SOLI SERVIES: Græcè λατρεύσεις, servitute scilicet, quâ Deus solus colitur, & quam tu flagitas: hoc enim significat Græca vox, si non significatione saltem usu Scripturæ, ut notavit August. 15. contra Faustum c. 9. & lib. 10. de Civitate c. 1.

11. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei.

11. TUNC RELIQUIT EUM DIABOLUS: repulsus illo imperio; & detectis insidiis cognitus tamquam Satan. Reliquit autem, magis ambiguus ex illa responsionum moderatione, quàm antè.

ET ECCE ANGELI ACCESSERUNT, visibili specie, ET MINISTRABANT EI: cibum suppeditando, aliaque exhibendo ministeria, quæ à servis domino, in magna rerum necessitate, & locis inviis constituto adferri poterant. *Angeli* autem dicit, non *Angelus*, qui ministerio suffecisset, ad excellentiam Christi indicandam, cui Angeli serviunt.

Porrò in hiſce Chriſti tentationibus notanda ſunt. Primò, illas eo ordine contigiſſe, quo Matthæus recenſet, non quo Lucas, qui tentationem præcipitii ponit tertiam. Nam Matth. utitur particulis ordinem indicantibus, *Iterum*, &, *Tunc reliquit eum*: & ipſe ordo tentationum diaboli talis eſſe ſolet, ut levioribus graviores ſuccedant; iiſque verbis, *Vade Satana*, veriſimile eſt diabolum diſceſſiſſe, quæ tamen non niſi in monte dicta ſunt. Secundò, tribus iſtis tentationibus omnium criminum fontes, hoc eſt, omne tentationum genus comprehendi. Undè Lucas ait, conſummatam fuiſſe omnem tentationem, ut notavit Ambroſius: finis enim tentationum ſunt fines cupiditatum, quia cauſæ tentationum, inquit, cauſæ cupiditatum ſunt. Sed non omnes eodem modo hoc explicant. Ambroſ. libr. 4. in Lucam putat his tribus tentationibus indicari concupiſcentiam carnis, jactantiam & ambitionem, alii communiùs concupiſcentiam carnis, ambitionem, & avaritiam. Sed rectiùs Auguſt. lib. de vera Relig. cap. 38. & alibi ſæpiùs, vult indicari tres vitiorum omnium fontes, concupiſcentiam carnis, id eſt, quæ in carne, ſeu quinque ſenſibus carnis perficitur, curioſitatem, quæ in intelligentia, & ſuperbiam, quæ in voluntate: quibus iiſdem & primi parentes tentati & dejecti ſunt; & indicantur breviter ab Apoſtolo Joanne, dum illam generalitatem exprimens dicit: *Omne quod eſt in mundo, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum* (qui principatum habent in cognoſcendo) *aut ſuperbia vitæ*. Tertiò, datur hîc in capite typus tentationum & modi reſiſtendi membris: nam, juxta Apoſtolum, Jacobi 4. ſi reſiſtunt diabolo, fugiet ab eis, ut mox aſperis læta ſuccedant. Ne autem torpeſcant ſecuritate, rectè addit Lucas, RECESSIT USQUE AD TEMPUS, quia diabolus ſemel victus, inſtaurata pugna redire ſolet.

12. CUM AUTEM AUDISSET JESUS, QUOD JOANNES TRADITUS ESSET: non ab Herode in carcerem, ſed ipſi Herodi à Phariſæis. Signum hujus eſt, quòd Chriſtus hâc causâ SECESSIT, ſcilicet ex Judæa, ubi Phariſæi magnâ præſtabant auctoritate IN GALILÆAM; quæ erat ditionis Herodis, tam ſuperior ſcilicet Galilæa, quàm inferior, ut ex Joſepho conſtat. Non ergò fugit Herodem, cùm potiùs ad ipſum magis acceſſerit, ſed Phariſæos. Illi enim invidia ſtimulati gloriæ ejus, videntur ſuggeſſiſſe Herodi, jam contra Joannem exacerbato, ut eum extra ditionem ſuam ejiceret, prætextu perturbationis Reipublicæ, ut Joſephus 18. Antiquit. cap. 7. Nam Phariſæos cooperatos eſſe neci Joannis indicat clarè Chriſtus infrà c. 17. v. 12.

12. Cùm autem audiſſet Jesus quòd Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam:

13. ET HABITAVIT IN CAPHARNAUM: ſæpiùs ibi converſando. Fuit autem *Capharnaum* emporium celeberrimum, ab Oriente cinctum Jordane à Meridie mari, ſeu lacu Geneſareth, undè vocatur MARITIMA: hominibus affluentiſſimum, luxu diffluens; IN FINIBUS ZABULON ET NEPHTHALIM. Non quòd pertineret ad utramque Tribum, ſed quia apud Mare illud Galilææ concurrebat terminus meridionalis tribus Nephtalim, in qua ſita erat Capharnaum, & orientalis tribus Zabulon.

13. Et relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Nephtalim;

14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam.

14. UT ADIMPLERETUR, per prædicationem ejus, PROPHETIA ISAIÆ.

15. Terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium,

15. TERRA ZABULON, ET TERRA NEPHTALIM VIA MARIS: id est, quæ est via, seu in qua est via, juxta Mare Galilææ, & versus Mare Mediterraneum. Refertur enim hoc ad tribum Zabulon, quæ tota terminabatur, ab Oriente Mari Galilææ, & ab Occidente Mediterraneo. TRANS JORDANEM: respectu scilicet Orientalium Populorum Arabum & Chaldæorum, adeoque respectu tribus Ruben & Gad; nam respectu Palæstinæ potiùs erat cis Jordanem GALILÆA GENTIUM. Refertur hod ad tribum Nephtalim, quæ Galilæa Superior, itemque Gentium dicta fuit, quia in ea Hiram Regi Tyri Salomon viginti Civitates dederat: sive, ut indicat Josephus lib. 3. De bello Judaïco cap. 2. quòd multis alienigenis gentibus esset cincta, tamquam extrema terræ promissæ.

16. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

16. POPULUS, scilicet ille jam dictus utriusque Galilææ, superioris & inferioris; omnia enim ista per appositionem tamquam unus nomitativus sunt: QUI SEDEBAT IN TENEBRIS, ignorantiæ rerum divinarum & peccatorum: VIDIT LUCEM MAGNAM, ipsum Deum in carne versantem, & prædicationem Evangelii, indè radios incipientem spargere per totam Judæam, ut Judæi conquerantur, Luc. 23. v. 5. Idem autem Hebraïco more repetit sequenti hemistichio, in quo UMBRA MORTIS Hebraïcè uno verbo צלמות, *ghalmaveth*, significat tristissimam rerum, & quasi impendentis mortis imaginem.

17. Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.

17. EXINDE, à tempore scilicet Joannis traditi, cum præcursor jam suo esset functus officio, cœPIT JESUS PRÆDICARE, palàm scilicet, assiduè, ubique: nam & antè per intervalla nonnihil prædicaverat. PŒNITENTIAM AGITE, &c. de quo suprà. Utitur autem eadem formula, ut confirmaret prædicationem Joannis, utpotè qui tanquam legatus non suo, sed alieno nomine prædicaverat.

18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores)

18. AMBULANS AUTEM JESUS, &c. VIDIT DUOS FRATRES. Ter vocatos esse Petrum & Andream nonnulli volunt: primò quidem Joan. 1. vers. 39. & 42. Ubi non ad inhærendum Christo, sed tantùm ad videndum ubi habitaret, vocati sunt, ut August. Tract. 7. in Joannem. Deindè vocati sunt, Lucæ 5. vers. 10. & 11. ubi tamen nolunt aliqui esse vocatos propriè, sed tantùm eos *relictis omnibus*, id est non abdicatis, sed desertis, quemadmodum mulier Samaritana reliquit hydriam, posteà reditura, secutos fuisse Christum reverentiæ causâ ad certum spatium. Sed hoc durius videtur: undè rectiùs dixerimus, hanc tertiam vocationem Matthæi esse eamdem cum ea, quam describit Lucas: sic tamen, ut Matthæus, itemque Marcus omittant miraculum captorum piscium, Petrumque & Andream attonitos vocaverit Christus post discessum filiorum Zebedæi. Itaque Jesus VIDIT EOS MITTENTES RETE IN MARE. Non vidit inter ambulandum, sed postquam in navi Petri docuisset, ut narrat Lucas. Pro *Reti* autem Græcè est ἀμφίβληστρον

quod est rete jaculum, seu jaculatorium, quod scilicet se in jactu circumquaque in rotundum spargit.

19. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum.

19. ET AIT ILLIS, attonitis de captura piscium: VENITE POST ME, id est, sequimini me; ita scilicet, ut relicto piscationis officio, ad quod subinde reverti soletis, ad sustentationem vitæ, indivulsè disciplinatui meo inhæreatis. Jam enim antè crediderant, Joan. 1. sed in Apostolos formandi erant.

ET FACIAM VOS FIERI PISCATORES HOMINUM: id est, formabo vos quantumvis rudes & impolitos, ut idonei sitis piscandis hominibus, ut scilicet è mundo procelloso veluti mari, qui per affectus immersi sunt, doctrina velut reti, in Ecclesiam velut navem, & indè in Cælum custodiendi transferantur, ut latiùs explicat hanc allegoriam Christus Matth. 13. vers. 43. Solet enim Salvator, occasione captatâ à corporalibus rebus ad spirituales à terrenis ad cælestia sermonem, & mentes hominum attollere, ut in Samaritana quoque contigit.

20. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.

20. AT ILLI CONTINUO: ad auditam vocantis vocem. Nam antè miracula quidem viderant, docentem audiverant, sed non vocantem, RELICTIS RETIBUS, sub quibus comprehenduntur omnia, quæ officii sunt piscatorii, utpotè ad quæ & quorum usum reliqua omnia instrumenta referuntur, SECUTI SUNT EUM, indivulsè ei adhærendo, ut ex ejus præscripto viverent.

21. Et procedens inde, vidit alios duos Fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo Patre eorum, reficientes retia sua: & vocavit eos.

21. ET PROCEDENS INDE: pusillùm scilicet ut Marcus: nam paululùm Jacobus & Joannes discesserant à Petro & Andreâ, à quibus vocati fuerant ad adjuvandum, ut narrat Lucas: VIDIT ALIOS DUOS FRATRES REFICIENTES RETIA SUA, vel usu trita, vel ex illa quoque captura piscium rupta: quamquam illa potiùs videantur fuisse retia Petri. Quia autem allegorica fuit ista piscatio, sic & hæc refectio retium: significatur enim, primùm quidem fuisse missum rete Evangelicum in Mare à Petro, ut totus Orbis fide Christi caperetur: sed quia ex piscium copia hæreses & scissuræ erant secuturæ, alios fuisse necessarios, qui retia reficerent, & contra hæreses Ecclesiam defenderent. Undè & Joannes ad farciendam Ecclesiæ integritatem Evangelium suum scripsit.

22. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, &

22. ET CIRCUIBAT JESUS TOTAM GALILÆAM: quia hominibus frequentissima erat, ut Josephus lib. 3. de bello Jud. c. 2. dicat: Civitates in Galilæa crebræ sunt, & ubique multitudo vicorum propter opulentiam populosa, ut, qui sit minimus, supra quindecim millia colonorum habeat. DOCENS IN SYNAGOGIS EORUM, id est, locis ad circumcisionem, legis explanationem, concionem, precesque destinatis. Undè distinguuntur à *Templo*, quod Sacrificiis dedicatum, & unicum tantùm erat Jerosolymis; *Synagoga* verò in singulis Civitatibus, ut est Act. 15. v. 21. Imò in una erant plures, ita ut quidam dicant Jerosolymis, propter populi affluentiam, fuisse quadringentas octoginta. Hinc Judæi, destructo Templo, & consequenter ablatis Sacrificiis, nunc non habent nisi Synagogas, sicut & Hæretici.

23. Prædicans Evangelium

23. PRÆDICANS EVANGELIUM REGNI, tanquam faustum appropinquantis Regni nuntium, ut dictum est c. 3. v. 2. ET SANANS

Regni: & sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

OMNEM LANGUOREM, ET OMNEM INFIRMITATEM: Græcè est πασαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν, hoc est, *omnem morbum & languorem*, μαλακία enim, quam noster vertit *infirmitatem*, significat ægritudinem, quâ aliquis subinfirmus est, languendo potiùs quàm decumbendo. Sanavit igitur omnia Christus, ut ita simul corporibus & animis mederetur, & maximè ut, quemadmodum Chrysost. ait, Evangelium & Legem novam adferens, auctoritatem sibi legationique suæ conciliaret claritate signorum. Hinc igitur

24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos:

24. ABIIT OPINIO EIUS. Græcè ἡ ἀκοὴ, auditio seu fama ejus, vulgata est IN TOTAM SYRIAM, quæ comprehendit multas vastas Regiones, Idumæam, Palæstinam, Cælesyriam, Phœniciam, Syriam Damasci, Syriam Antiochiæ, Mesopotamiam, & alias, ut latiùs Plinius. Nam termini ejus sunt ab Oriente Babylonia, ab Occidente Mare Mediterraneum, ab Aquilone Cilicia, à Meridie Ægyptus. Undè OBTULERUNT EI, undique scilicet ex tota Syria, exciti famâ, TORMENTIS COMPREHENSOS, id est, torminibus seu maximis cruciatibus obnoxios: undè indicant sævissimos illos morbos, qui maximis affligunt doloribus: ET LUNATICOS, id est, qui certis Lunæ mutationibus malè habent, quales ferè epileptici, cui morbo subindè se dæmones miscent: ET PARALYTICOS, id est, qui membrorum paralysi, seu dissolutione laborant. Tangit Evangelium non omnes morbos sigillatim, sed aliquos eorum, qui ferè incurabiles sunt. Itaque

25. Et secuti sunt eum Turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Jerosolymis, & de Judæa, & de trans Jordanem.

25. SEQUEBANTUR EUM TURBÆ DE GALILÆA, ET DECAPOLI. Regio est decem comprehendens Civitates, quarum maximam vocat Joseph. lib. 3. de bello Judaïco c. 10. Scythopolim, seu Bethsan. Partim autem ultrà, & maximè cis Jordanem sita erat, quia præcipuæ ejus Urbes erant in Galilæa. ET DE JUDÆA, strictè acceptâ, prout comprehendit terram tribus Judæ & Benjamin: ET DE TRANS JORDANEM, Regionibus scilicet tribus Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manassis trans Jordanem sitis. Itaque enumeratione designat universam terram, quæ Filiis Israël à Josue tradita fuit.

CAPUT V.

1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus,

1. VIDENS AUTEM JESUS TURBAS, ASCENDIT IN MONTEM. Multi putant diversum esse sermonem istum ab eo, quem cap. 6. describit Lucas, propter apparentem multarum circunstantiarum differentiam: sed rectiùs Ambr. in Lucam, Chrysost. Theophylactus, & alii, eumdem fuisse putant, à quo non abhorret August. lib. 2. De consensu Evangelist. cap. 19. in fine. Itaque hîc videtur ordo fuisse rei gestæ, ut scilicet juxtà Matthæum Christus videns Turbas, ut eas declinaret, in montem ascenderit, & ibi noctem orando transegerit; mane verò facto multos discipulos ad se vocaverit, & ex eis duodecim Apostolos constituerit, prout narrat hæc Lucas d. c. 6. vers. 12. & sequentibus. Deindè descendens

cum illis è vertice montis, ſtetit in loco ejuſdem montis ſ*campeſtri*, ut Lucas, hoc eſt aliquanto inferiori & magis æquabili, turbarum capaci, ubi poſt edita rurſus ſigna curationum quidem ſedit, ut Matth. & partim ad diſcipulos, ut hîc initiō dicitur, partim ad turbas concionem iſtam habuit, ut ex cap. 7. v. 28. patet. Itaque ASCENDIT IN MONTEM, turbas vitandi, orandi, Apoſtolos creandi causâ, ac deniquè ut altiſſimam perfectionem vitæ Chriſtianæ traderet. ET CÙM SEDISSET, pro dignitate magiſtri, ACCESSERUNT AD EUM DISCIPULI, id eſt, propiùs cinxerunt, quàm cæteri.

2. ET APERIENS OS SUUM, quaſi recluſis ſapientiæ cæleſtis fontibus, tamquam magna & ſeria, & divina myſteria, quæ hactenùs tacuerat, prolixè traditurus. DOCEBAT EOS, quidquid ſcilicet ad perfectum Chriſtianæ vitæ modum pertinet, ut Auguſt. lib. 1. De ſermone Domini in monte. Eſt enim hic ſermo ſumma perfectionis Evangelicæ ſeu novæ Legis.

2. & aperiens os ſuum docebat eos, dicens:

3. BEATI. Aptiſſimum exordium Doctori ſapientiæ, tradere, in quo ſita ſit beatitudo. Hanc enim velut finem omnium omnes omninò appetunt, ſed in quo ſit ſita, & quibus mediis obtineatur, miſerrimè hallucinantur. Porrò beati hîc infrà pronuntiantur, non qui re ipsâ, ſed ſpe beati ſunt, quia rectiſſimâ viâ ad beatitudinem tendunt. Qua de cauſa ratio ſingulis ſubjecta futuram vitam ſpectat: quamvis verum ſit, quòd præmia ſingularum beatitudinum etiam in hac vita inchoentur.

3. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum.

PAUPERES SPIRITU. Duæ interpretationes hîc celebres ſunt. Una per *Pauperes ſpiritu* intelligit humiles, qui non habent inflatum ſpiritum, quaſi vacui & inopes præſumptione atque inflatione: ſuperbi enim dicuntur inflati, quaſi vento ſeu ſpiritu diſtenti. Ita Auguſt. libro 1. De ſermone Domini in monte cap. 2. & alibi ſæpiùs, & antè ipſum Tertullian. lib. De patientia, cap. 11. Hilar. can. 2. Chryſ. Theophil. in Matth. & alii non pauci. Secunda exponit *Pauperes*, ut ſonant, inopes ſcilicet divitiarum, non tamen quoſlibet; non enim pauperes ſola neceſſitate, vel etiam quâlibet voluntate, qua & Crates Philoſophus abjecit divitias: ſed *ſpiritu*, id eſt, voluntate à ſancto Spiritu afflatâ, ſeu voluntate ſpirituali, non carnali. Ita S. Bernardus Serm. De Feſto omnium Sanctorum. Undè Baſil. in Reg. breviorib. reſp. 205. *Pauperes ſpiritu* dicit eſſe, qui pauperes facti ſunt propter doctrinam Domini, dicentes: *Vade, vende omnia*, &c. vel qui paupertatem quomodocumque oblatam ex voluntate Dei moderantur. Quibus addi poteſt & tertium genus pauperum, qui, etſi affluant divitiæ, cor iis non apponunt: ſed affectu pauperes divitias non amant, ſed adminiſtrant, parati omnibus exui propter Dominum. Hæc interpretatio magis textui congruit, tum quia vox Græca πτωχοὶ propriè *Mendicos* ſignificat; tum quia Lucas eis opponit *divites habentes conſolationem ſuam*. Utraque tamen ſibi valdè vicina eſt: nam ut Auguſt. proprius vermis divitiarum eſt ſuperbia, quæ ex iis ferè oriri ſolet. Ex quo fit, ut meritò tales pauperes ſpiritu, etiam ſimul

humiles esse intelligantur. Et hinc est, quod Hieronym. & Hilar. utramque expositionem conjunxerunt. Qui enim ex animo & profundè imbibit se pauperem esse, hoc est, ut Hilarius, nihil penitus, non solùm externas divitias, sed nec corpus, nec animum esse suum, sed Dei, ille profectò simul spiritu pauper seu humilis est. QUONIAM IPSORUM EST: scilicet etiam nunc in præsenti, eò quòd certâ spe jure quodammodo ac debito mox persolvendo possident. REGNUM CŒLORUM: quod præter divitias quandam eminentiam glorioſam omnium & abundantiam complectitur: & ideò rectè opponitur depressioni & paupertati. Nam quamvis Regnum Cœlorum comprehendat præmia omnium beatitudinum, diversis tamen nominibus exprimitur pro exigentia cujusque beatitudinis.

4. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.

4. BEATI MITES: id est mansueti, seu alieni à vindicta, rixis, & contentionibus, quæ ex jactura bonorum hujus mundi concitari solent. Beati ergò pronuntiantur mites, ita scilicet, ut in judiciis divinis sustinendis non obmurmurent Deo, & placitâ morum suavitate hominum improbitatibus cedant, ut Augustinus. QUONIAM IPSI POSSIDEBUNT TERRAM. Chrysostom. terram hujus vitæ intelligit, quæ contentionibus amitti solet: sed quia futuram vitam spectant hæc omnia, rectiùs intelligas cum August. stabilitatem hæreditatis perpetuæ, seu terram novam futuræ vitæ: quæ quidem eadem est cum regno Cœlorum, sed hîc *terra* vocatur varietatis causâ, & quia congruit mitibus, qui hâc terrâ excludi solent. Terra verò cœlestis non est bellatorum spolium, sed longanimiter & mansuetè omnia tolerantium sperata hereditas, ut Basil. in Psal. 33.

5. Beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

5. BEATI QUI LUGENT: Posset & hîc addi *spiritu*, id est luctu sancto, non carnali deflendo sua & aliena peccata, contemptum Dei, fratrum periculum, ut Basil. in Regulis brevioribus resp. 194. vel etiam & maximè QUI LUGENT, id est qui non in prosperis, vel voluptatibus, sed in calamitatibus hujus mundi patienter vivunt, egentes, angustiati, afflicti, quemadmodum Paulus se vixisse dicit *in labore & ærumna, in vigiliis multis, in frigore, & nuditate*, &c. QUONIAM IPSI CONSOLABUNTUR: nempe in futuro, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & fugiet dolor, ac gemitus. Luctuosus enim ille rerum præstantium status non tam est beatitudo, quàm via ad beatitudinem, quia prosperis plures quàm adversis franguntur.

6. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam: quoniam ipsi saturabuntur.

6. BEATI QUI ESURIUNT ET SITIUNT IUSTITIAM. Lucas dicit simpliciter: *Beati qui nunc esuritis*; & mox; *Væ vobis, qui saturati estis*. Quæ omninò intelligenda videntur de esurie & satietate corporali. Et tamen Matth. addendo IUSTITIAM, intelligit esuriem metaphoricam, id est, ardens desiderium omnis iustitiæ & virtutis. Et ita intelligunt Matthæum omnes veteres interpretes hujus loci, Hilar. Ambr. Hieron. August. Unde vero sensu videtur utrumque posse conjungi, ut Lucas esuriem, Matth. causam ejus expresserit; quasi Christus dixisset: Beati, qui propter justitiam veram famem & sitim tolerant, sive voluntariis se jejuniis macerando, sive ab

aliis

aliis illatam amore justitiæ tolerando. Unde Paulus 2. ad Cor. 11. v. 12. de fame & siti, & jejunis, multis se commendat, sicut & 1. ad Cor. cap. 4. vers. 11. QUONIAM IPSI, in futuro, SATURABUNTUR; expletâ fame ac siti corporali, quam passi sunt, & expletâ illa esurie, ac siti justitiæ, propter quam passi sunt, quia in cœlo plena ex omni parte justitia donabuntur. Hanc saturitatem pulchrè describit Isaias c. 65. v. 17.

7. BEATI MISERICORDES: id est, qui ex animo miseriis alienis, sive corporalibus, sive spiritalibus, condolent & subveniunt: quasi diceret: Contra mundi opinionem; beatius est magis dare, quàm accipere. QUONIAM IPSI MISERICORDIAM CONSEQUENTUR: gratuita scilicet Dei bonitate, ab omnibus viciſſim miseriis, ac malis in cœlo liberati. 7. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.

8. BEATI MUNDO CORDE: Græci Chrysost. ac Theophil. & alij ferè intelligunt commendari puritatem à venereis, quæ cor maximè hebetant & inquinant: Hilarius & August. aptiùs omnem ab omnibus vitiis puritatem, atque simplicitatem, utpote quibus purgatur oculus cordis, seu mentis, ut purissimum illud lumen æternæ veritatis contemplari possit. Hoc enim tamquam præmium promittitur: QUIA IPSI DEUM VIDEBUNT. Unde August. tam in hanc quàm sequentem beatitudinem putat esse effectum virtutum præcedentium, quia & mundant cor ad videndum Deum, & tumultus concupiscentiarum sedando reddunt pacificum. 8. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.

9. BEATI PACIFICI: Græcè εἰρηνοποιοὶ id est, *pacem facientes*, non solùm in se ipsis, qui scilicet omnes animi motus rationi subjectos habent, & edomitas carnales concupiscentias, ut exponit Aug. sed etiam, & in primis aliis, hoc est, qui eos, qui à se vel inter se, vel à Deo dissident, sibi aliis, Deo conciliare studeant q. d. qui paci conciliandæ operam dant. QUONIAM FILII DEI VOCABUNTUR. Non est enim Deus dissensionis sed pacis, utpotè qui per Christum pacificavit sibi omnia. Unde peculiariter Deus dicitur ab Apostolo *Deus pacis*, Christus ab Isaia *Princeps pacis*. Duplex autem Hebraismus est, *filii*, pro *similes*, ut patet infrà v. 5. & *vocabuntur*, pro, *erunt*: non tamen simpliciter erunt, sed ita manifestè, ut hoc etiam ab omnibus cognoscatur, & prædicetur, quod propriè est futuri sæculi. Sumus enim nunc quidem filii Dei, sed nondum apparuit quid erimus, Joan. 3. v. 2. Quia verò iis, qui moribus ita dissimilis est aliis, hoc est, mundo, ferè in eorum offensionem incidit, hinc ultimò addit Christus: 9. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.

10. BEATI QUI PERSECUTIONEM PATIUNTUR, non quomodolibet: nam & latrones, & hæretici gravissimam patiuntur: sed PROPTER IUSTITIAM. Cum enim faciat Martyrem non pœna, sed causa, mors sceleratorum non est fidei gloria, sed pœna perfidiæ, ut August. Præcedentes itaque beatitudines in actione, hæc in passione consistit, ideoque perfectissima est. Facilius est quippe iusta agere, quàm propter justitiam etiam persecutionem pati. Hoc enim præter malorum tolerantiam etiam constantissimam justitiæ persecutionem denotat. QUONIAM IPSORUM EST REGNUM CÆLORUM. Nihil enim aptius, quàm ut iis, instar peripsematis conculcati sunt, detur regni, & 10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum Cælorum.

quidem cæleſtis exaltatio. Idem autem regnum promittitur primis & ultimis : ſed primis, hoc eſt, pauperibus, propter divitias regni : ultimis, propter exaltationem & gloriam. Aug. autem idcirco in octava beatitudine ad caput rediri putat, per iteratam promiſſionem regni cæleſtis, quia perſecutio conſummatum perfectumque oſtendit & probat. Breviter itaque & clarè omnes iſtæ beatitudines ita in ſummam contrahi poſſent : Beati, qui ſpretis mundi divitiis, honoribus, voluptatibus, atque commoditatibus mundi, iuſtitiam miſericordiam, cordis munditiam, ac pacem cum Deo & hominibus ſectantur & faciunt, tanto animi ardore, ut omnes perſecutiones hac de cauſa toleratas æquanimiter ferant : conſequentes enim, ac jure hereditatis ſtabiliter poſſidebunt regnum cœlorum, perfuſi gaudio, pleni ac ſaturi omnibus bonis, liberi ab omnibus malis, facie ad faciem videntes Deum, tamquam filii eius cum Patre ſuo regnantes. Ex his patet, ſicut paulatim creſcunt virtutes beatitudinibus deſignatæ, ita & creſcere præmia : omnes eſſe concatenatas, omnes quoque ad ſalutem neceſſarias ; atque ita eſſe omnes in certo gradu præcepti, & non tantùm conſilii : idem denique præmium pro diverſis gradibus variè nominari. Quo modo autem reſpondeant donis Spiritus ſancti, vide latè Auguſtin. lib. 1. De ſermone in monte c. 3. & 4.

11. Beati eſtis cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ adverſum vos mentientes propter me.

11. BEATI ESTIS. Non eſt nova hîc beatitudo, ſed applicatio ſuperiorum ad præſentes diſcipulos. CUM MALEDIXERINT : Græcè ὀνειδίσωσιν, id eſt probris, convitiis, & contumelia præſentes affecerint. ET PERSECUTI VOS FUERINT : non verbis, ſed factis inferendo vim. ET DIXERINT OMNE MALUM ADVERSUM VOS : abſentium famæ & honori detrahendo. Ita hæc tria membra diſtinguit Auguſtin. lib. 1. cap. 5. MENTIENTES : ſi enim vera dicantur ; non ſunt beati, ſed dupliciter miſeri. PROPTER ME. Referendum eſt non ad, *mentientes*, ſed ad tria perſecutionum genera jam dicta. Utrumque autem &, *mentientes*, & *propter me*, addi propter hereticos, notat ibid. Auguſtin. utpote qui volunt de perſecutionibus & famæ turpitudine gloriari, cùm & vera dicantur, quando de illorum errore dicuntur, nec propter Chriſtum iſta patiantur : non enim, inquit, ſequitur Chriſtum, qui non ſecundùm veram fidem & catholicam diſciplinam Chriſtianus vocatur.

12. Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis, ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

12. GAUDETE ET EXULTATE, &c. id eſt non ſolùm animo non frangamini, ſed etiam ita gaudete, ut etiam exteriùs per exultationem erumpat. QUONIAM MERCES VESTRA COPIOSA EST : quia ſicut fides omnem rationem ſuperat, ita merces pro perſecutionibus fidei reddenda omnem captum rationis excedit. Sic enim, tribus ſcilicet modis ſuprà dictis, PERSECUTI SUNT PROPHETAS, QUI FUERINT ANTE VOS. Hoc addit, ut ne novum quid ſibi accidere putent ; ut ſe talibus viris præmio, ſicut & perſecutione, æquandos intelligant : ac denique, ut in eorum locum ſe ſucceſſeros in prædicanda veritate ſciant : quorum officium, ut proinde explicet, adjungit :

13. Vos eſtis ſal terræ. Quod

13. VOS ESTIS, ſeu eſſe debetis, quemadmodum Prophetæ, SAL TERRÆ, id eſt, vice ſalis toti orbi. Salis autem eſt rebus inſipidis

ſaporem dare, & à corruptione ſervare, abſumendo humores noxios. Unde eſt ſimbolum ſapientiæ, quæ partim in intelligentia, partim in affectu, ſeu moribus ſita eſt. Itaque ſignificat eos totius orbis inſulſam, corruptiſſimamque vitam condire debere doctrinæ, ſapientiæ, & maximè morum exemplo. QUOD SI SAL, cujus eſt condire omnia, EVANUERIT, id eſt fatuum factum fuerit, amiſſa illa acrimonia, IN QUO SALIETUR? id eſt, quo alio ſale ſal condietur? non enim datur ſal ſalis; q. d. Si vos totius humani generis magiſtri erroribus mundi & cupiditatibus rerum ſæcularium infatuati fueritis, amiſſa illa ignea ſapientiæ & charitatis vi, qua inſtar ſalis urere debetis, per quos tandem alios poterit vobis doctrinæ veritas & morum integritas reparari? AD NIHILUM VALET ULTRA: hoc eſt, ut clariùs Lucas, nec in terram, nec in ſterquilinium utile eſt; quia ſal corrumpit ſterquilinium, & terram reddit ſterilem, cùm aliæ res corruptæ ad ultimum valere ſoleant. NISI UT MITTATUR FORAS, ſcilicet in plateas: ET CONCULCETUR AB HOMINIBUS, quibuſvis prætereuntibus. Optimi enim corruptio peſſima, prout optimè & ſimili ſenſu declaratur Ezechiel. 15. de ligno vitis. Unde Auguſtin. doctores hæreticos, qui maximè omnium ſunt ſal infatuatum, cimicibus comparat, quia vivi pungunt, mortui fœtent.

ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

14. VOS ESTIS LUX MUNDI. Eodem tendit comparatio *Lucis* & *Salis*. More enim Syrorum, ut à S. Hieronym. in cap. 18. Matth. manifeſtius eſt, multas ejuſdem rei ſimilitudines congerit. Utraque verò reſpicit doctrinam & mores: *Sal* tamen præcipuè mores, *Lux* doctrinam. Vos ergò ESTIS LUX MUNDI: ad diſpellendas, ut Hilar. ignorantiæ tenebras, & ad ſcientiæ divinæque cognitionis lumen invehendum. *Lux* autem eſtis, non natura ſua lucens, quomodo Chriſtus ſe *Lucem mundi* vocat, Joan. 8. verſ. 13. & Joannes negatur eſſe lux Joan. 1. v. 8. ſed lux ab alio accenſa, inſtar lucernæ, ut hîc ſtatim ſequitur.

NON POTEST CIVITAS ABSCONDI SUPRA MONTEM POSITA. Tertia ſimilitudo, Scripturis frequens, qua Eccleſia, cujus præcipua & lucidiſſima pars Apoſtoli ſunt & præpoſiti ejus, comparatur civitati conſtructæ in monte: de qua vide Iſaiæ 60. verſ. 14. & maximè Ezech. 40. verſ. 2. & ſequentibus. Itaque deeſt hîc prima pars ſimilitudinis, videlicet, Vos eſtis, ſeu eſſe deberis ſimiles civitati ſupra montem poſitæ. QUÆ ABSCONDI NON POTEST: hoc eſt quæ occultari non debet: imò etiamſi velit, non poteſt. Non enim tam laudat diſcipulos hiſce comparationibus, quàm eos ſui officii admonet, ut declarat Hilar. in Pſalm. 118. Significat itaque eos non debere, ſive deſidia, ſive perſecutionum metu, ſuo deeſſe officio, veritatis prædicationem ſubſtrahendo tenebris hujus mundi, ſed doctrina, prædicatione, & morum exemplo hominibus ita debere prælucere, ut ab eis doctrinæ veritatem & morum integritatem hauriant: propterea quòd eo fine in tam alto ſtatu collocati ſint, ut omnium oculi in eos conjiciantur. Explicant & applicant iſtas ſimilitudines accuratiùs duo verſus ſequentes.

14. Vos eſtis lux mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.

15. NEQUE ACCENDUNT LUCERNAM. Declarat hîc, cujuſmodi

15. Neque ac-

cendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

lux sint. Sancti enim maximèque prædicatores *Lucernæ* dicuntur, quia non ex seipsis lucent, uti Deus, sed aliunde, à Deo scilicet, accenduntur, & extingui possunt, inquit Aug. Epist. 120. c. 3. Non accendunt autem lucernam, ET PONUNT EAM, id est ut ponatur, SUB MODIO, seu vase occultanda, & nemini luceat, SED potiùs SUPER CANDELABRUM, in edito scilicet loco, ut omnibus lucem præbeat. Proinde cùm vos hujusmodi lux mundi & lucerna sitis, & hujusmodi civitas in monte conspicua:

16. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.

16. SIC LUCEAT LUX VESTRA, doctrinâ scilicet Evangelii à vobis divulgandâ, ut non tantummodo voces sonantes audiant, sed UT VIDEANT OPERA VESTRA BONA: doctrinæ consona, id est, ut cernant vos sibi prælucere non tantùm verbo & linguâ, sed opere & veritate. Proindè illud, *ut*, eventum vel consequentiam, non finem intentionis significat; vel si finem, certè non ultimum (hoc enim vetatur cap. 6. v. 11.) sed per quem transeatur ulteriùs. Nam ne videretur finem constituisse in laudibus hominum, ut gloriam ab eis captent, addit ulteriùs, ET GLORIFICENT PATREM VESTRUM, &c. ut hoc ipsum, inquit August. quòd homo per bona opera placeat hominibus, non ibi finem constituat, ut hominibus placeat, sed referat hoc ad laudem Dei: ut propterea placeat hominibus, ut in illo glorificetur Deus, qui auctor est bonorum operum. Itaque hisce duobus versibus condemnantur tria hominum genera: primò otiosi, qui abscondunt talentum suum: secundò qui verbis, non factis prædicant: denique, qui suam ex prædicatione gloriam quærunt. Ut autem eos doceat, qui debeant docere, & quomodo moribus prælucere, superando scilicet Scribas & Pharisæos tam legis observatione, ut v. 20. & passim toto capite, quàm interpretatione, ut v. 21. & 27. 31. & alibi, hinc utitur aptâ præoccupatione exempli sui.

17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas, non veni solvere, sed adimplere.

17. NOLITE PUTARE, QUONIAM VENI SOLVERE LEGEM AUT PROPHETAS: id est, ut eas solvam; sive transgrediendo mandata, sive prorsus abolendo doctrinam legis. Sumitur autem Lex pro quinque libris Moysis, maximèque pro lege morali, quam toto hoc capite explicat. NON VENI SOLVERE, SED ADIMPLERE. Adimplevit autem eam quadrupliciter. Primò, non solùm eam docendo, ut Pharisæi, sed etiam faciendo. Tangitur hîc modus v. 19. Secundò, legem interpretando, & quod minus habet addendo: unde toties dicit. *Ego autem dico vobis, &c.* Utrumque modum adimplendi tradit hîc August. & Basil. in Moral. reg. 43. Tertiò, adimplevit legem, gratiam adimplendi legem hominibus dando: plenitudo enim legis est dilectio, sine qua impleri nullo modo potest. Dilectionem autem seu charitatem Christus diffudit per Spiritum sanctum in cordibus nostris. Tradit hunc modum sæpiùs August. maximè lib. 17. contra Faustum cap. ultimo. Quartò, adimplevit legem & Prophetas, exhibendo per adventum suum ea, quæ per utrosque figurata & prophetata fuerant. Lex enim ceremonialis tota erat figura futurorum: unde futura exhibendo, præsentia non tam abolevit, quàm implevit. Ita hîc Hilarius & Au-

guſt. libr. 19. contra Fauſtum cap. 7. & 8. Uterque hic adimplendi modus breviter indicatur à Chriſto, 1. Joan. *Gratia & veritas per Chriſtum facta eſt.* Gratia enim pertinet ad charitatem, veritas ad prophetarum impletionem.

18. AMEN QUIPPE DICO VOBIS: id eſt verè ſeu in veritate dico. *Amen* enim eſt vox Hebræa, ſignificans *Verè*, hoc eſt non juratione, ſed affirmationem ſimplicem, ſeu aſſeverationem eorum, quæ dicenda ſunt, quando præponitur orationi, ſicut hîc & alibi frequentiſſimè; vel confirmationem eorum, quæ dicta ſunt, quando poſtponitur, idq. ſive ſimpliciter, ſive per modum optantis, ut c. 6. verſ. 13. Unde LXX. pro eo dicunt ſubinde γένοιτο, id eſt, *fiat.* Evangeliſtæ Græcè ſcribentes, & omnes Interpretes, Syriacus, Latinus, Arabs eam vocem retinuerunt. Ob ſanctiorem enim autoritatem ſervata eſt antiquitas, inquit Auguſt. 2. De doctrina Chriſtiana cap. 11. Vide plura in cap. 27. Deuteron. verſ. 15. ex Hieron. Epiſt. 137. DONEC TRANSEAT, id eſt, pereant ſeu diſſolvantur inconſummatione ſæculi firmiſſimæ orbis partes. CŒLUM ET TERRA. IOTA UNUM, quæ minima eſt alphabeti littera, AUT UNUS APIX. id eſt, unum punctum ſeu etiam ſummum litteræ alicujus faſtigium. NON PRÆTERIBIT A LEGE; id eſt neglectum & infectum non peribit ex lege, DONEC; id eſt, quin, OMNIA FIANT; & impleantur, quæ ſcilicet ante mundi conſummationem adimpleri debent. Quo tropico loquendi modo oſtendit, inquit Auguſt. ad effectum etiam minima quæque perduci, ſive promiſſa, ſive prædicta; ſive figurata, ſive præcepta. Et quod de Lege idem de Prophetis intelligi debet.

18. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, jotá unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.

19. QUI ERGO SOLVERIT, id eſt, tranſgreſſus fuerit perfectâ tranſgreſſione mandati, UNUM DE MANDATIS ISTIS MINIMIS, id eſt, etiamſi minimum fuerit. Auguſt. refert ad ſuperiora mandata, ſcilicet legis: Chryſoſtom. & alii commodiùs ad inferiora, quæ ſcilicet mox ex lege traditurus & perfecturus eſt: hoc enim probat ratio verſu 20. ſubjecta: ſub illis tamen & alia ſimilia intelligi debent. ET DOCUERIT SIC HOMINES, ſicut ipſe ſolvit, inquit hîc Auguſtin. hoc eſt, qui ſolvendum docuerit, exemplo ſcilicet & verbo alios tranſgreſſionem docens, quemadmodum Phariſæi docebant; MINIMUS VOCABITUR in regno CŒLORUM: id eſt, nullius pretii erit in Eccleſia, ſive potiùs in cœlo; quia ab eo excludendus eſt. QUI AUTEM FECERIT, non addit *unum de iſtis minimis*, ſed *fecerit* mandata ſcilicet omnia, quæ traditurus ſum, ET ſimul ea DOCUERIT: hic non ſolùm in regno erit, ſed in eo MAGNUS VOCABITUR, ſeu erit, quia major eo, qui docet, & non facit, vel qui facit & non docet, vel qui nec facit, nec docet.

19. Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum: qui autem fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur in regno cælorum.

20. DICO ENIM VOBIS, QUIA NISI ABUNDAVERIT IUSTITIA VESTRA: id eſt, niſi veſtra mandatorum obſervatio accuratior fuerit ea, quam ſive docent, ſive præſtant Scribæ & Phariſæi, etſi habeantur illi doctores peritiſſimi legiſque obſervantiſſimi, non poteritis eſſe ſalvi. Exceſſus autem iſte juſtitiæ ad tria ferè capita revocari poteſt: primò, ut non tantùm opus externum, ſed & affectus internus con-

20. Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum

formetur legi. Nam, ut Iren. lib. 4. cap. 27 Lex per corporalia erudiebat animam, consequenter scilicet docens etiam interna reformanda: Christus autem contrà, per interna etiam corpus emendari docuit: secundò, ut etiam ea, quæ lex necessitate permisit, v. g. repudium, caveamus: tertiò, ut lex non tantùm secundùm verborum corticem, sed secundùm legislatoris intentionem observetur: quæ tria ex subjecta Christi interpretatione colliguntur.

21. Audistis quia dictum est Antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio.

21. AUDISTIS QUIA DICTUM EST, id est, quòd præceptum fuerit, ANTIQUIS Patribus legem accipientibus à Deo: NON OCCIDES, quo nihil amplius vetari intelligebant Pharisæi, quàm verum externúmque homicidium; & hæc erat Scribarum & Pharisæorum justitia.

QUI AUTEM OCCIDERIT, REUS ERIT IUDICIO. Ut totus hic locus plenè intelligatur, sciendum est, tria genera judiciorum seu tribunalium fuisse apud Hebræos: unum trium-virûm seu trium Judicum, alterum viginti-trium, tertium septuaginta virorum, quod hîc dicitur Græcè *Synedrion*, & voce in Syriacam deflexa, *Sanedrin*. Primum de causis minoribus judicabat, ut de furtis, rapinis, &c. secundum de capitalibus: tertium de rebus gravissimis, ut de Republ. de falsa doctrina, de summo Pontifice. Ita distinguunt Judæi in libro Sanedrin cap. 1. atque ejus rei vestigia extant apud Joseph. 14. Antiquit. c. 17. & alibi. Ad hæc duo postrema membra judiciorum Christum alludere manifestum est. Itaque REUS ERIT IUDICIO, id est reus erit, ut in judicio causa ejus discutiatur, inquiunt multi, utrum scilicet sciens, an casu perpetraverit. Illi enim volunt hanc esse differentiam *Judicii*, & *Consilii*, & *Gehennæ*, quòd in Judicio daretur locus defensioni, ideoque incerta esset tam damnatio, quàm damnati pœna: in Concilio, quia majoribus causis reservatur, certam volunt significari damnationem; etsi incertum adhuc supplicium: in Gehenna verò damnationem & supplicium esse certa. Ita ferè August. & multi post ipsum. Sed certum est hæc tribunalia non fuisse distincta certitudine reatus, aut pœnarum, sed utriusque gravitate. In omnibus siquidem tribunalibus discussio criminis necessaria est, eoque accuratior, quo causa est major: non enim accusatio damnando reo sufficit. Rectiùs ergò, *reus erit judicio*, id est reus erit, ut judicetur, seu condemnetur. Pœna quippè Mortis certissima multis legibus homicidæ, Exodi 21. & Levit. 24. constituata est, quæ à judicibus mutari non poterat.

22. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.

22. EGO AUTEM DICO VOBIS. Non minori auctoritate quàm Moyses, dico vobis, tamquam legislator novæ legis, & verus interpres veteris. Non enim se opponit hîc, vel Moysi, vel Deo, sed Scribis & Pharisæis, legem interpretantibus, quorum interpretationem hîc rejicit non tamquam falsam, sed tamquam imperfectam. Nam, ut Augustin. 19. contra Faustum c. 23. quia non intelligebant homicidium nisi peremptione corporis humani, per quam vitâ privaretur, aperuit Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere putari, quod clarè patet ex versu 27. & vers. 28. ubi simili planè modo declarat etiam concupiscen-

tiam mulieris esse mœchiam. Itaque ego dico vobis: Quia omnis, sivè læsus, sive non læsus, Qui irascitur fratri suo, irâ scilicet illa vulgari, quæ mòdè tendit in vindictam, ex malevolentia expetendam, reus erit iudicio, id est, capitis erit reus judicio non humano, sed divino. Vult enim significare, etiam iram, seu solam voluntatem nocendi, seu occidendi esse tantum crimen, tantaque dignum pœna, quantâ Pharisæi putabant homicidium. Itaque nihil opus est addere id, quod Græcus & multi Interpretes addunt ad, *irascitur*, scilicet εἰκῆ, id est, *sine causa*. Nam quantacumque fuerit irascendi causa, seu injuria, numquam licet irasci fratri, seu homini, hoc est ei malè velle; sicut nec licet umquam velle mœchari. Non enim agitur hîc vel de primis motibus iræ, sed de deliberata, vel de irâ, quâ quis irascitur vitio fratris: hæc enim dilectionis est non acerbitatis, ad corrigendum, non ad nocendum ab omnibus Sanctis, Apostolis, ipsoque Christo adhibita.

Qui autem dixerit, supple iratus irâ jam dictâ. Explicat enim Christus gradus iræ, seu motuum tendentium ad homicidium. Raca: nonnulli apud Augustin. putant deduci à Græco ῥάκος, id est, *pannus*, ut significet pannosum. Ipse Augustin. verisimilius putat esse interjectionem, quâ indignantis animi motus exprimatur. Sed *Raca* vox est Syriaca, quæ in Thalmud scribitur per Jod & pronuntiatur, ריקא, *Rica*, vel *Reca*, deducta ab Hebraico ריק, *Rick*, id est, *vacuus*, inanis scilicet fortunarum, vel cerebri. Unde est genus convitii levioris, quo exprobratur alicui, vel inanitas, seu levitas morum, ut vult Basil. in Regulis brevioribus 51. vel potiùs fortunarum. Et ideo Judic. 11. vers. 3. ריקים, *Recim*, vocantur inopes, & 2. Reg. 6. vers. 20. scurræ. Ita sentit Angelus Caninius & Hieron. hîc. Hanc. vocem Evangelistæ noluerunt vertere, non tam quod esset interjectio, quàm quod, vel esset usitatissima, vel gratiam vertendo amitteret. Reus erit concilio. Græcè τῷ συνεδρίῳ, id est, Concilio Sanedrin, septuaginta scilicet Senatorum, seu maximo. Loquitur accommodatè ad consuetudinem juris Iudaici & Scribarum, significans tantum esse crimen divino judicio, ut à tribunali gravissimo & pœna in eo usitatâ castigari mereatur.

Qui autem dixerit, iratus, fatue, fatuitate illâ naturali, sed maximè morali: quo modo in Scripturis omnes peccatores vocantur *fatui*, & sal suprà dicitur *infatuari*. Et hoc magis propriè est esse fatuum, & Græcè μωρὸν, ut patet 1. ad Corinth. 1. v. 20. Significatur ergò convitium gravissimum in moribus. Reus erit divino judicio, gehennæ ignis, id est, supplicii æterni, cui pœnæ nullam æquàlem infligit ullum Concilium humanum. Porrò *Gehenna* dicitur Hebraicè גיהנום, *Ge Hinnóm*, vel plenè, ut est Josue 15. vers. 8. & ibid cap. 18. vers. 16. גי בן הנם, *Ge ben Hinnóm*, id est, *Vallis filii Ennon*, à possessore scilicet, contractè verò Gehenna. Vallis enim erat, ut scribit Hieron. in vers. 28. cap 10. Matt. propè Jerusalem, ad radices montis Moria, aquis Siloë irrigua, & nemorosa, in qua erat idolum Baal, seu Moloch, cui filios suos comburendo immolabant. Ne autem vagitus exaudiretur, pulsabant

tympanum, quod Hebraicè dicitur תופת, *Thoph*, unde locus est etiam dictus *Tophet*, Isaiæ 30. v. ult. Hinc propter dirum illud puerorum supplicium, & quia locus erat abominabilis, & jam à temporibus Josiæ contaminatus, ut est 4. Reg. 23. v. 10. pro pœnis æternis usurpari cœpit, vel primùm à Christo Domino, ut videtur velle Hier. vel potiùs etiam antè: jam enim tempore Christi videtur appellatio ista fuisse usitata. Ex hac ergò peccatorum pœnarumque gradatione manifestum relinquit Christus, quantum delictum sit, quantaque pœnâ dignum homicidium re ipsâ perpetratum, verbera & minæ: & quantopere Christianorum justitia plusquam justitia Scribarum & Pharisæorum abundare debeat. Hoc ut pleniùs exequatur, non solùm non irascendum fratri, sed nec ullam animi ægritudinem adversùs fratrem, id est proximum, servandam tradit, idque ex vi ejusdem præcepti, *Non occides*. Addit itaque.

23. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te:

23. SI ERGO OFFERS MUNUS TUUM: q. d. Cùm tanta sit habenda cura fraternæ dilectionis, ut neque verbulo, neque ullo interno motu violanda sit, si contingat te esse offerendo sacrificio accinctum (neque enim sacrificium jam inchoatum abrumpi jubet:) ET IBI, etiam stans coràm Deo, & proximus alteri, RECORDATUS FUERIS, QUIA FRATER TUUS HABET ALIQUID ADVERSUM TE, causam scilicet justam conquerendi & expostulandi tecum, hoc est quòd fratrem in aliquo offenderis, dicendo ei, vel *Raca*, vel *fatue*, vel simile quid: nam si ipse te offendit, jam non frater habet aliquid adversum te, sed tu aliquid habes adversus fratrem, ubi non est opus ab eo veniam postulare, sed tantùm dimittere. Ita Augustinus.

24. Relinque ibi munus tuum ante altare & vade priùs reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuũ.

24. RELINQUE IBI MUNUS TUUM ANTE ALTARE: id est, abrumpe omnem moram, etiam ante oblationem sacrificii, multò magis antę omnia alia negotia. VADE PRIUS RECONCILIARI, &c. id est cura ut priùs in gratiam cum fratre redeas, & eo facto offer sacrificium tuum Deo, quia jam ei gratum erit. Intelligo hæc quidem præstanda re ipsa, sed juxta naturam præcepti affirmativi, cùm scilicet prudentiæ ratio tempus & locus ita permittunt. Alioquin cùm ita fieri, vel non expedit, vel non potest, tunc animi præparatione scilicet non motu corporis, sed dilectionis affectu idipsum præstandum est, ut latiùs Augustinus.

25. Esto consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adversarius judici & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.

25. ESTO CONSENTIENS ADVERSARIO TUO. *Adversarius* iste multis modis exponitur. Plerique antiqui, ut Clemens Alexandrin. 4. Stromat. Tertull. libr. De anima cap. 25. & alii intelligunt diabolum: idem Tertull. ibidem ethnicum, Basil. in Regg. brevioribus resp. 222. eum, qui nobis conatur aliquid tollere: alii conscientiam, alii carnem, alii Deum, alii legem Dei, quod Augustini est & multorum aliorum. Spectando scopum præsentis loci, verisimillimè videtur dici cum S. Hilario & Hieronymo, quòd Christus pergat in inculcando concordiæ studio, adhibendo parabolam hominum coram judice litigantium. Ubi expeditissimum est, maximèque consultum, ut qui offendit alterum, cum eo statim

etiam

etiam in via ad judicem pergendo transigat, antequam ad eum veniat: nam ille ex officio nullâ est usurus misericordiâ, sed tantùm justitiâ. Itaque ESTO CONSENTIENS, seu compone, transige, CUM ADVERSARIO, Græcè ἀντιδίκῳ, id est cum collitigatore tuo, quem offendisti, & qui habet aliquid adversùm te, DUM ES IN VIA CUM EO, id est, dum res adhuc in hac vita pendet: NE FORTE, vitæ scilicet cursu finito, TRADAT TE ADVERSARIVS IUDICI, Deo scilicet, hoc est ne propter ipsum in manus Dei viventis incidas; ET IUDEX TRADAT TE MINISTRO, executori sententiæ diabolo, & Angelis ejus, ET IN CARCEREM MITTARIS, locum supplicii; sive infernum sive purgatorium, pro qualitate delicti.

26. NON EXIES INDE, DONEC SOLVAS NOVISSIMUM QUADRANTEM. Quadrans dicitur quarta pars assis: Lucas autem cap. 12. vers. ult. vocat *novissimum minutum*, cùm tamen minutum sit dimidia pars quadrantis, quia quadrans continet duo minuta, ut est Marci 12. v. 42. Sensus tamen eódem redit: Parabolicè enim significat, quòd ibi summo juris rigore sit agendum, & ut Augustinus quod nihil relinquetur impunitum, sive culpa illa pœnas æternas postulet, de quibus explicat hoc Augustinus sive tantùm temporales, de quibus Cyprian. Epistola 52. Neque enim asserit Christus ultimum illum quadrantem umquam persolvi posse, nec etiam negat.

26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

27. AUDISTIS, &c. NON MŒCHABERIS. Quo præcepto mœchiam, hoc est illegitimum concubitum tantùm opere perpetratum vetari, non desiderium ejus putabant Scribæ & Pharisæi. Apertè enim dicit Josephus 12. Antiquit. cap. 13. loquens de Antiocho Epiphane: Voluisse tantùm, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio. Hæc ergò erat justitia Pharisæorum minor: perfecit eam Christus, declarando etiam internos motus eo præcepto prohiberi.

27. Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis.

28. QUIA OMNIS, QUI VIDERIT MULIEREM, quamcumque non suam, sive uxorem alterius, sive non. Sub visu autem, tamquam frequentiore peccati illius porta (quia, ut Græcè οὐ τὸ ὁρᾶν πᾶν ἁμαρτάνειν) omnis sensus intelligitur. Nam, ut Clemens Alexand. lib. 3 Pædag cap. 11. ante totum corpus corrumpuntur oculi. Lascivis enim aspectibus & versatilibus ac tanquam conniventibus oculis intueri nihil est aliud, quàm oculis mœchari, cùm per eos cupiditas prima ineat pugnæ præludia. Nec tamen simpliciter vidisse culpa est, sed AD CONCUPISCENDAM EAM, id est, inquit Augustinus hoc fine, hoc animo, ut eam concupiscat: quod jam non est vel videre, vel titillari delectatione carnis, sive in anima, sive etiam in corpore, sed plenè consentire libidini: talis enim concupiscentia deliberata, affectata, & procurata est. Unde IAM MŒCHATUS EST EAM IN CORDE SUO; id est, jam animo commisit adulterium seu flagitium (species enim pro genere ponitur) & coram Deo, ubi voluisse est fecisse, stupri reus est. Et quasi auditor quæreret, quid ergò de oculis faciendum, quorum aspectu tam facilis ad concupiscendum lapsus est? Respondet Christus:

28. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

29. Quod si oculus tuus dexter scãdalisat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unum mẽbrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

30. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi ut pereat unũ membrorum tuorum, quàm totũ corpus tuum eat in gehennam.

31. Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.

29. QUOD SI OCULUS TUUS DEXTER, eóque charior, magisque necessarius, SCANDALISAT TE, id est, offendiculo tibi fuerit, seu occasio, ut impingas & cadas in peccatum; scandalum enim est propriè impedimentum in via, quo impingitur: ERUE EUM, id est etiam erue, si necesse fuerit, potiùs, quàm te in peccatum pertrahat. Est enim elegans exaggeratio à Chirurgis desumpta, qui unum membrum malunt præscindere, quàm totum corpus perire. Sed scandalum aliter semper vitari potest, membra scilicet non eruendo vel abscindendo, sed à suis operibus continendo. Hâc igitur parabolicâ exaggeratione docet, nihil homini ita delectabile, charum ac necessarium esse debere, quin, si occasio ruinæ fuerit, abjici & contemni debeat, sive fuerint ipsi usus oculorum ac manus dexteræ, ut quidam recentiores significari volunt, sive consiliarius monstrans iter in rebus divinis, tanquam oculus, & adjuvans tanquam manus, ut August. sive quicumque nos arctissimâ familiaritate contingunt, quamvis utilissimi & maximè necessarii, amici, parentes, liberi, uxor, &c. ut Hieron. in Comment. Hilar. Can. 4. in Matth. Athanas. & alii communiter: cujus abscissionis doctrina pulchrè traditur Deuter. 13. v. 9. & sequentibus.

31. DICTUM EST AUTEM; Non addit, ANTIQUIS, quia in eodem præcepto mœchiæ explicando pergit, quatenus respicit etiam uxorem propriam. QUICUMQUE DIMISERIT UXOREM. Quo loquendi modo indicat, legem nemini præcepisse, sed potiùs permisisse dimissionem. Præcipit autem, ut in illo casu DET ILLI LIBELLUM REPUDII, id est, scedulam, seu instrumentum, quo testetur se eam repudiasse, seu dimisisse, ut consequenter alteri posset nubere. Formula apud Romanos erat; *Res tuas tibi habeto, Res tuas tibi agito, Conditione tuâ non utar.* Apud Judæos ferè talis, *Ego N. ex animi mei consensu, & sine ulla coactione repudiavi, ut fiat libera, & domina sui ipsius, ad abeundum & nubendum omni viro, cui voluerit,* &c. Causa permittendi hanc dimissionem erat, ne alioquin uxores occiderent: libelli verò, ut in diffidium animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret. Hæc enim mora temperabat furorem viri, dum cogitaret, eam jam liberè posse alteri nubere, nec ad se posse reverti. Deinde ut hac occasione illi, qui libellum scriberent, concordiam suaderet: quas causas dat Aug. 19. contra Faustum cap. 26. & lib. 1. de serm. Domini in monte. Alia causa fuit, ut petulantia mulierum frænaretur, & libertas virorum, ne vel illæ fugientes se dimissas dicerent, vel hi passim dimitterent, & mox reciperent.

32. Ego autem dico vobis: Quia omnis, qui dimiserit uxorem suã excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimis-

32. EGO AUTEM DICO: QUIA OMNIS, QUI DIMISERIT UXOREM, id est, à toro & habitatione in perpetuum separaverit, sive aliam duxerit, sive non, FACIT EAM MŒCHARI. Non ait *mœchatur*, quia nuda talis dimissio non est mœchia, sed est uxori causa, quantum in se est, ut mœchetur, eo quòd dimissæ sit facilis in mœchiam lapsus, quia manet uxor dimittentis. EXCEPTA FORNICATIONIS CAUSA. Nam fornicariam dimittens, non facit eam mœchari,

ſed ipſa ſe fecit mœcham, & privavit jure conjugii. Et quamvis aliæ nonnullæ repudii cauſæ ſint, rectè tamen Chriſtus ſolam excepit fornicationis cauſam, quia illa eſt propria cauſa divortii reſpectu matrimonii: reliquæ ſunt generales, & Chriſtianum à quavis ſocietate liberant. Illa ſemel perpetrata cauſa perpetua eſt etiam poſt pœnitentiam: (fit enim repudium in pœnam, & non tantùm in correctionem uxoris:) hæ ſunt tantùm temporales, quamdiu durant.

ſam duxerit, adulterat.

ET QUI DIMISSAM DUXERIT. Reſpondendum hîc putant id, quod præceſſit, *exceptâ fornicationis cauſâ*: quaſi illa, quæ juſtè propter fornicationem dimiſſa fuerit, poſſit ab altero viro duci. Sed abſurdum hoc eſt: ſic enim ejus conditio eſſet melior, quàm quæ injuſte eſſet dimiſſa. Itaque hoc nullo modo repetendum eſt, ſed generaliter ſenſus eſt: Qui quacumque ex cauſa, ſive juſta, ſive injuſta, duxerit dimiſſam, ADULTERAT, quia permanet uxor illius, qui dimiſit. Hâc ergò lege perfecit Chriſtus veterem: primò, quod omni tempore repudium, quo ſive poteſtas, ſive permiſſio nubendi alteri traditur, prorſus tollat: ſecundò, quòd uxorem adulteram non occidi jubeat, ut lex vetus, ſed dimitti ſinat: tertiò, quòd dimiſſio permittatur non qualibet vulgari ex cauſa, ſi quoquo modo diſpliceret viro, ut olim, ſed ſola cauſa fornicationis.

33. ITERUM AUDISTIS, &c. NON PERIURABIS.: ſive falſum jurando, ſive non complendo quod juraveris. Aliud præceptum perficit, quod illis verbis in Decalogo non habetur, ſed videtur reſpicere ad verſum 11. cap. 19. Levitici. Ad ſenſum verò etiam in Decalogo comprehenſum eſt, ubi generaliter vetatur, ne aſſumant nomen Domini Dei ſui in vanum: quo præcepto videntur Scribæ cenſuiſſe, quod nihil niſi perjurium vetaretur. REDDES AUTEM DOMINO IURAMENTA TUA: id eſt, id quod juramento promiſeris, ſive homini, ſive Deo, REDDES DOMINO, id eſt, in honorem Domini, tanquam Domino debitum, cui fidem tuam obſtrinxiſti. Putant aliqui eſſe deuteroſin Scribarum & Phariſæorum, ſed ſatis apertè habetur ſenſus hujus mandati Num. 3. v. 3.

33. Iterum audiſtis, quia dictũ eſt antiquis: non perjurabis: reddes autẽ Domino juramenta tua.

34. EGO AUTEM DICO VOBIS, NON IURARE OMNINO, nempè neque falſum, neque verum; ſupple, quantùm in te fuerit, ſeu ſine neceſſitate, aſſumendo ſcilicet nomen Dei per juramentum in vanum. Videtur enim explicare ſenſum iſtius ſecundi præcepti Decalogi, declarando per illud non ſolum perjurium, ſed & ſuperfluum juramentum prohiberi. Et ita præcepti eſt ipſa explicatio: non enim eſt juramentum aliquod ex ſe bonum, quaſi ad honorandum Deum, ſed aſſumendo dumtaxat, ut neceſſarium, ut Auguſtinus hoc loco. Unde idem libr. de mendacio, cap. 5. Intelligendum eſt, inquit, illud, quod poſitum eſt, *omninò*, ad hoc poſitum, ut quantum in te eſt, non affectes, non ames, ut quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum, ſcilicet nullis aliis circumſtantiis id veſtiendo. Sic enim nudè per ſe jurare velle, etiam verum, malum eſt. Rationem idem reddit hoc loco, & alibi ſæpiùs, ne aſſuefias jurare jurandi ad perjurium per conſuetudinem delabaris. Ita & Ambroſ. Serm. 14. in Pſalm. 118. Voluit te non jurare, ne per-

4. Ego autem dico vobis: non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt.

jures ; & Basilius in Psalm. 14. Sed hæc ratio cautelæ convincit potiùs esse consilii quàm præcepti. Quomodo autem etiam præceptum sit, & tamen non incidatur in errorem Anabaptistarum, & Pelagii apud August. Epistola 88. & 89. qui juramentum omninò illicitum putabant, jam suprà indicavimus.

NEQUE PER CÆLUM : supple, *juraveris*, ut sequitur. Hæc est explicatio illius *omninò*, scilicet nullo genere juramenti, non tantùm per Deum, sed neque per creaturas. Unde Hilarius can. 4. Hieron. Theophil. & alii hoc loco, putant etiam præcedentibus verbis juramenta per creaturas, tamquam superstitiosa, ac Deo injuriosa, prohiberi : sed oppositio vers. 37. aliud postulat. Itaque verius est, aliam Pharisæorum corruptelam hîc referri, contemnentium juramenta per creaturas, ut patet infrà cap. 23. vers. 16. 18. & 22. & ex rationibus, quæ tum hîc, tum illo capite afferuntur à Christo : omnes enim eò tendunt, ut ostendant non superstitionem talium juramentorum, sed potiùs religionem eorum, quòd scilicet jurando per creaturas, etiam per Deum juretur. Itaque NEQUE PER CÆLUM, QUIA THRONUS DEI EST, id est, veluti thronus gloriæ ejus, ET TERRA SCABELLUM, id est, veluti scabellum ejus. Atque ita refertur ad Deum juramentum, & per Deum illi insidentem fit, quod declarat Christus infrà cit. cap. 23. Locus autem, quem hîc citat Christus, est Isaiæ *66.* v. 1. quo significatur non sessio Dei corporalis, sed metaphoricâ ista locutione significatur immensa ejus, & incomprehensibilis magnitudo ac præsentia, implens cœlum & terram, & regens omnia.

35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymã, quia civitas est magni Regis :

35. NEQUE PER IEROSOLYMAM, QUIA CIVITAS EST MAGNI REGIS, qui illam sibi peculiariter in locum adorationis, & cultus sui delegit.

36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum.

36. NEQUE PER CAPUT TUUM IURAVERIS : quasi hoc magis esset tuum, quàm cælum & terra, aut Ierosolyma. Hoc juramenti genus forsan à Latinis & Græcis, inter quos versabantur Judæi, didicerant : nam apud nos usitatissima jurandi formula est, per caput Νὴτὸν κεφαλὴν,

Per caput hoc juro. ut est apud Virgil. Æneid. 9. Quibus formulis caput in pignus fidei deponitur, in quod Deus vindictam exerceat, si fallat, tanquam in rem, quæ maximè sit ipsius jurantis. Hanc falsam opinionem tollit, dicendo : QUIA NON POTES UNUM CAPILLUM FACERE ALBUM AUT NIGRUM ; producendo scilicet capillum album aut nigrum, vel rectiùs, ut Hilar. & Chrysost. mutando album in nigrum, aut contrà. Hoc enim quamvis artificio, & applicando activa passivis ab homine fieri possit, non tamen nuda hominis potestate aut arbitrio, sed subsidio creaturarum, & maximè ipsius Dei : quasi diceret, quia caput nullo modo tuum est, sed Dei, ut pote qui summam in eo habet potestatem creandi, vivificandi, mutandi colores capillorum per ætates : unde rem alienam in pignus deponere, & devovere non potes.

37. Sit autem sermo vester, est

37. SIT AUTEM SERMO VESTER ; EST, EST ; NON NON. Multis

rimodis hæc verba exponuntur. Alii enim volunt hîc commendari, ut semper vera loquamur, ut Augusl. in Enchiridio cap. 17. & 22. nimirum, ut sic non jurantibus credatur: q. d. de Sermo vester EST, id est affirmativus, sit EST, seu verus; & negativus sit, NON, seu talis, qualis negatur. Alii intelligunt de promissionibus: q. d. Cùm aliquid affirmaveritis, non fiat: & sic dedocebitur, vel mendacium, vel inconstantia. Sed certum est, improbari hîc juramenta. Itaque verisimiliùs est præscribi, ut, cùm aliquid asserendum est, simpliciter dicatur, *Est, est*, id est etiam, etiam, & cùm negandum, *Non, non*, sine adjectione ullius juramenti; & duplicatio serviat solùm pro majori assertionis, vel negationis fide. Vel certè juxta Apostolum Jacobum c. 5. v. 12. hæc verba intelligenda sunt. Ille enim hanc Christi doctrinam iisdem penè verbis inculcat, sed hoc modo, juxta textum Græcum: *Sit vestrum Etiam etiam, & vestrum, Non, non*; hoc est, vester sermo affirmativus sit, seu exprimatur simpliciter, sine juramento per *Etiam*, & vester negativus per, *Non*, ut sic, quemadmodum ait Aug. hîc, se non jurationibus crebris, sed morum probitate commendet, & sermo noster omni juramento credibilior habeatur.

est; non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.

QUOD AUTEM HIS ABUNDANTIUS EST: id est, juramentum, quod simplici affirmationi, & negationi adjicitur. Non enim agit hîc de verbis ferè æquivalentibus, *Verè, Certè, Inveritate, Amen, &c.* A MALO EST. Non dicit *malum est*; quia ut Augusl. notat, juramenti bonus usus esse potest: sed *à malo*, scilicet infirmitate ejus, cui cogimur jurare; vel generaliùs, *à malo*, id est, à vitiis hominum originem habet, qui mendaces experti, vel sine juratione non credunt, vel jurandi consuetudine se volunt fide dignos reddere. Si enim defuissent mendacia & fallaciæ, nullo opus esset juramento in hominibus. Per hoc ergò, quòd à malo est juramentum, insinuatum voluit, ne quisquam, inquit Aug. sicut bonum (seu per se) appetat juramentum, sed refrænet se, quantum potest, ut non eo utatur, nisi necessitate. Itaque legem hîc Christus non solvit, sed adimplet, quia admonitio non jurandi, conservatio est à peccato perjurii, inquit idem 19. contra Faustum cap. 25.

38. AUDISTIS, QUIA DICTUM EST, OCULUM PRO OCULO, supple, *erues*, &c. Lex talionis hæc est, omnium gentium judicio æqua, quia per eam statuitur justa vindicta. Fuit enim, ut Augusl. ibid. lex ista non fomes, sed limes furoris, ne quis scilicet ampliorem vindictam expeteret, quàm jure deberetur: ita ut sensus quodammodò legis esset: Non injustè vindicabis. Itaque Pharisæorum justitia minor erat, & pacis quædam inchoatio, non excedere vindictæ modum, ut plerumque fieri solet. Sive autem Pharisæi hoc ita intellexerint, ut quidam volunt, quasi liceret cuique privato homini hujusmodi vindictam lege moderatam animo ulciscendi se expetere (cùm tamen prohibitum esset, Levit. 19. v. 18.) sive quòd nihil de pacifica injuriarum perpessione docerent; perficit hanc legem Christus ipsas radices omnis omninò vindictæ, & dissolvendæ concordiæ exscindendo.

38. Audistis quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente.

39. Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram :

39. EGO AUTEM DICO VOBIS, NON RESISTERE MALO : id est animo tam esse alieno à vindicta etiam justa expetenda, ut ne quidem resistatis malo, scilicet homini inferenti injuriam, vel, ut Augustinus, malo, quod infertur, quo minùs aliud irrogetur. Hoc est enim, quod sequitur, ut idem notat : SED SI QUIS TE PERCUSSERIT, Græcè ῥαπίσει, id est, palmâ seu apertâ manu percusserit. IN DEXTERAM MAXILLAM, id est, *in alteram*, ut habet Lucas : nulla est enim vis in dextera, nisi quòd sequatur consuetudinem loquendi, non cædendi, cùm sinistra sit magis ictui exposita. Nisi fortè per dexteram, quæ ictu aversо, ideóque magis contemptibili percuti solet, majorem injuriæ gravitatem indicet, PRÆBE ILLI ET ALTERAM ; id est animo paratus sis etiam alteram potiùs obvertere, quàm alapam reddere aut vindicare. Ita legem patientiæ legi talionis opponit, ut hæc injuriam pro injuria illata reddat, illa accipiat.

40. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.

40. ET EI, QUI VULT TECUM IUDICIO CONTENDERE, ET TUNICAM TOLLERE : id est qui tibi litem intendit, ut vestem interiorem tollat. DIMITTE EI PALLIUM, id est, exteriorem, Lucas commodiori ordine dicit : *Qui aufert tibi vestimentum* (Græcè pallium (*etiam tunicam noli prohibere*. Quo indicatur, sensum hîc & ibi esse, qui unam vestem tibi vult tollere, dimitte ei & alteram. Sub quo membro intelliguntur omnia, de quibus judicio contendi potest, ut à nostro jure in jus illius transeant, qui contendit. Docet enim, ut quidlibet temporale, etiam necessarium, ut sunt vestes, potiùs auferri nobis sinamus, quàm pro eo lite contendamus. Quod idem tradidit apertissimè Paulus 1. ad Corinth. 6. v. 7. *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis patimini?* Ratio est, quia jactura temporis, tranquillitatis animi, pacis, & charitatis, quæ litibus amarissimis amitti solet, omni detrimento temporali gravior est.

41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo.

41. ET QUICUMQUE TE ANGARIAVERIT MILLE PASSUS : id est, qui coëgerit te ire secum unum milliare. *Angariare* enim à Persis manasse dicitur, apud quos Postæ seu Cursores *Angari* dicebantur, quibus jus erat, sicut & nunc Turcis, quoslibet sive equos sive homines ad cursum rapere, persolutâ mercede. Unde *Angariare* est cogere ad currendum, vel ferendum. VADE CUM ILLO ET ALIA DUO, scilicet millia passuum, seu millia duplum nimirum pro simplo reddendo. Nam ut observat Augustin. Christus in his exemplis gradatim videtur progredi. Minus est enim in sinistra quàm dextra percuti : æquale, unam vestem tollenti alteram dimittere : gravius, cum cogente ad unum milliare, duplum ire. Quo indicatur, sive aliquanto minùs quàm jam fuit, sive tantumdem, sive amplius quisque improbus in te esse voluerit, æquo esse animo tolerandum.

Porrò sub his tribus injuriæ generibus omnes omninò comprehenduntur. Sub primo omnia, quæ corpori ignominiosè inferuntur, adeoque etiam omnes contumeliæ, & honorum jacturæ : sub secundo omnia opum dispendia : sub tertio omne genus tyrannicæ coactionis & servitutis. Ex his quædam restitui possunt, quæ Christus negligenda præscripsit ; alia non possunt,

ſed in his vindictæ ſolatium quæri ſolet. Alapam enim reddendo nihil homini reſtituitur, ſed, ut hîc Auguſt. tumidus animus talia fomenta deſiderat; ſanum autem firmúmque iſta non juvant. Itaque hâc doctrinâ ſuâ vult Chriſtus animum hominis eſſe infractum, & omnibus incommodis temporalibus ſuperiorem: idque eo fine, ut in dilectione fraterna immobilis manens nullis injuriis vel jacturis ab ea divellatur. Ex hac ergò regula metienda ſunt exempla hîc prolata, ut videlicet hæc præcepta patientiæ ſemper in præparatione cordis ſerventur, non ſemper in facto. Sic enim animo præparati & compoſiti eſſe debemus, ut non ſolùm nullam vindictam expetamus, ſed hæc omnia, imò longè graviora æquanimiter patiamur, ſi proximi tanquam infirmi ſalus ita poſtulet: exteriùs autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus, ad operandam in eis correctionem atque concordiam, ut loquitur, & latiùs docet Auguſt. Epiſtol. 5. ad Marcellinum. Hinc nec Chriſtus, nec Paulus in maxilla percuſſi præbuerunt alteram, ſed potiùs prohibuerunt. Servarunt enim iſta præcepta in corde, in opere; eorum ſcopum, non litteram: ſicut & ſervat pater caſtigans filium, & Reſpublica occidens malos. Multi enim mali benignâ aſperitate plectendi ſunt, ut fiant boni, & velut ægroti etiam inviti dolore ſanandi ſunt. Unde hîc locum habere poſſet generaliter illud Auguſtini. Dilige, & fac quod vis. Et hactenus quidem præcepta innocentiæ: nunc ſequuntur beneficentiæ. Nam, ut Auguſt. lib. De moribus Eccleſ. cap. 6. juſtitia erga proximum duobus perficitur, ſi nemini noceas, & quibuſcumque potueris, conſulas. Itaque

42. Qui petit à te, da ei: & volenti mutuari à te, ne avertaris.

42. QUI PETIT A TE, DA EI: hoc eſt, quiſquis ille fuerit, qui petit, ut patet ex Luca, qui dicit: *Omni petenti te tribue*, id eſt, omni verè indigenti, ſive amicus fuerit, ſive inimicus; ſive cognatus, ſive alienus, ſive ſtudio ſcrutandi, ut eſt apud Clementem Romanum in Conſtit. Apoſtolicis lib. 3. c. 4. Vetat itaque perſonarum non vetat paupertatis & charitatis haberi rationem: nam & charitas non eſt inordinata. Unde & hoc præceptum eſt ex ſcopo charitatis, cujus promptitudo petitur, mentiendum eſt, ut ſcilicet detur, cùm vel neceſſarium proximo vel expediens fuerit, & juſtum id, quod petitur. Unde Auguſt. Omni petenti te dabis, quamvis non ſemper id, quod petit, dabis, ſed aliquando aliquid melius dabis, cùm petentem injuſtè correxeris. ET VOLENTI MUTUARI A TE, id eſt, à volente mutuum petere, etſi fortè præ verecundia nondum audeat petere. NE AVERTARIS, id eſt, ne te avertas, voluntate aut vultu tetricum aut difficilem te exhibendo: benignitatem enim ſaltem & facilitatem poſtulat, ſi fortè re ipſa mutuum dare non poſſis.

43. Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.

43. AUDISTIS QUIA DICTUM EST, DILIGES PROXIMUM TUUM. Præceptum hoc habetur Levit. 19. ubi Hebraicè רֵעַ, *Reagh*, transfertur *amicus*. Unde Judæi videntur ſub eo ſolum intellexiſſe Judæum, tamquam ſanguine proximum, & cum quo ei erat ejuſdem Reipublicæ legum & religionis communicatio, & eſſe debet amicitia. Hinc à contrario inferebant, ET ODIO HABEBIS INIMICUM TUUM. Sub quo vel quemlibet inimicum intelligebant, vel, ut aliqui ma-

lunt, alienigenam, eò quòd inimicos Judæos satis expressè juberentur diligere, Exodi 23 versu 4. Undè hîc versu 47. indicatur eos fratribus, id est, Judæis, signa dilectionis exhibuisse. Utrovis modo Pharisæi hoc intelligerent, hoc nusquam lex dicit, inimicos generaliter, vel etiam alienigenas esse habendos odio, tametsi erga illos, nominatim signa amicitiæ non postularet. Corrigit itaque hunc intellectum Christus, præscribens etiam inimicos quoscumque diligendos: & Lucæ 10. v. 29. & 37. declarat etiam alienigenas sub proximis comprehendi, de quo vide dicta Levit. 19. v. 18. Augustinus tamen passim vult etiam posteriorem partem, de habendis odio inimicis, verè in lege contineri. Et juxta hunc sensum dicendum erit hanc esse vocem non jubentis justo, sed permittentis infirmo, ut respondet libro 1. De serm. Domini in monte capite 21. Et ita Christus adimplesset legem, addendo præceptum de diligendis inimicis: vel potiùs dicitur tunc, sicut & nunc, præceptum fuisse, ut imitando Deum, qui quidam odibiles sunt, odio habeamus inimicos, nempe quatenus tales, hoc est odio habemus id, quod in eis malum est & inimicum, seu iniquitatem ejus. Hoc cùm Pharisæi malè intelligerent, ferebantur in odium hominis, non vitii. Unde Christus intulit id, quod omninò non noverant.

44. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.

44. EGO AUTEM DICO VOBIS, DILIGITE INIMICOS VESTROS: ut scilicet sic eos cogeret intelligere, quomodo possent unum eundemque hominem & odisse, propter culpam; & diligere, propter naturam: ut scilicet illud, quod in eo rectè odimus, arguamus, id est, vitium, quo possit illud, quod in eo rectè diligimus, id est, humana natura, emendato vitio liberari, ut latiùs Augustin. 19. contra Faustum cap. 24. Et hoc est, quod Psal. 138. versu 22. dicit, *Perfecto odio oderam illos*: quod odium est, inquit ibid. August. ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Tali ergò dilectione DILIGITE INIMICOS VESTROS, nempe quia & illi proximi sunt, ejusdem scilicet naturæ rationalis societate, & beatitudine seu societatis æternæ capacitate. Nec satis est animo diligere, sed BENEFACITE HIS, QUI ODERUNT VOS: opere ea beneficia præstando, quæ in vestra sunt potestate. Neque hoc satis adhuc, sed ORATE PRO PERSEQUENTIBUS ET CALUMNIANTIBUS VOS: linguâ scilicet & precibus conferendo ea beneficia, quæ in aliena sunt potestate. Ita perfectè implebitur illud 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo neque linguâ*, tantùm scilicet, *sed opere & veritate*.

45. Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super justos & injustos.

45. UT SITIS FILII PATRIS VESTRI: id est, ut hîc operibus declaretis, vos esse filios, non degeneres: nemo enim inimicos diligit, nisi jam adoptione sit filius; vel certè Hebraïsmus est, UT SITIS FILII, id est, ut sitis similes operibus, sicut statim declaratur. Et hæc est filiatio imitationis, qua & nos dicimur filii Abrahæ. QUI SOLEM SUUM ORIRI FACIT SUPER BONOS ET MALOS, ET PLUIT SUPER IUSTOS ET INIUSTOS: id est, amicos & inimicos suos maximis illis afficit beneficiis, quæ omnium temporalium beneficiorum fontes sunt. Ut hinc admoneamur, inquit hîc August. quanta liberalitate inimicis ex

præcepto

præcepto ejus ea præstare debeamus, quæ nos non creavimus, sicut ipse, sed de muneribus ejus accepimus.

46. SI ENIM DILIGITIS EOS, QUI VOS DILIGUNT: id est, amicos tantùm, quæ particula exprimitur versu sequenti; QUAM MERCEDEM HABEBITIS? id est, quid præclari facitis, ut mercedem habeatis? scilicet apud Deum; ille enim utrosque diligendos præcipit. Unde qui inimicos excipit, declarat se non genuino charitatis amore diligere etiam amicos, sed sicut publicani se diligunt, ex naturali scilicet in diligentes propensione, vel propter seipsos quia se sentiunt ab iis diligi. Unde addit: NONNE ET PUBLICANI HOC FACIUNT? Genus hominum lucri propriique commodi ita studiosum, ut omnem exuisse videatur humanitatem, adeóque à promerenda, scilicet à Deo, mercede omnium judicio alienissimum. Erant autem *Publicani* conductores publicorum vectigalium: apud Romanos similes equitum Romanorum, & ornamentum Reipublicæ, ut loquitur Cicero, Oration. pro Plantio; apud Judæos verò infames, avari, populo inviſi, & pro publicis perditisque peccatoribus passim habiti, eo quòd nulla religionis habita ratione suam operam locarent alienigenis Romanis, non tam conducendo ab eis vectigalia, quàm colligendo ea, quæ Romani conduxerant: atque ita tyrannicè illius oppressionis erant adjutores, cùm Judæi se liberos prorsus putarent. Unde Christo proposuerunt odiosissimam illam quæstionem, Utrùm liceret Cæsari tributum solvere.

46. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?

47. ET SI SALUTAVERITIS; verbo, complexu, osculo, ut erat moris: quæ omnia verbo Græco ἀσπάσασθαι significantur, & sub illis synecdochicè omnia officiosæ humanitatis signa comprehenduntur. FRATRES VESTROS TANTUM, id est, consanguineos: nam *Fratrum* nomine omnes Hebræos vocabant, ut patet Rom. 9. vers. 3. QUID AMPLIUS FACITIS? Quàm scilicet cæteri, quibus præstare debetis, vel quid amplius, id est, quid eximium præstatis? NONNE ET ETHNICI, Gentes à Dei cultu & legibus alienæ, HOC FACIUNT? Non charitatis quidem, sed ex naturæ bonæ nondum extinctæ penitus reliquiis: per quæ indicat, legem Dei à filiis Dei aliquid amplius postulare.

47. Et si salutaveritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt?

48. ESTOTE ERGO VOS, à Gentibus scilicet à Deo selecti, ut sitis gens sancta, & qui Publicanis virtute & mercede præstare debetis, PERFECTI, istâ dilectionis & beneficentiæ amplitudine, quæ amicos & inimicos, gratos & ingratos, fratres & alienos, complectitur. Non enim agit de consiliis Evangelicis, sed de illa perfectione charitatis jam dicta, quæ magna ex parte præcepti est. SICUT ET PATER VESTER CŒLESTIS PERFECTUS EST. *Sicut*, similitudinem significat, non æqualitatem. Neque enim Dei perfectio præscribitur homini, sed tanta, quantam meditatione & exercitatione bonorum operum assequi possunt homines, inquit Basil. lib. 1. contra Eunomium.

48. Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est.

CAPUT VI.

HActenùs de ipsis operibus justitiæ: nunc de fine operum, ut in utroque abundet justitia discipulorum Christi, plusquam justitia Pharisæorum, qui peste humanæ laudis corrupti, omnium bonorum operum fructum & mercedem amittebant. Itaque

1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est.

1. ATTENDITE, id est, meritò attendite, quia homini jam bene viventi difficile est, inquit hîc Augustin. non surrepere sordes aliquas de his rebus, quæ ipsas nostras bonas actiones comitari solent, velut est laus humana. NE IUSTITIAM VESTRAM FACIATIS, id est, opera justitiæ: Græcè *eleemosynam*. Sed rectiùs cum Augustin. lib. De perfect. justitiæ cap. 17. acceperis generaliter, ut deinde tres justitiæ illius generalis partes, Jejunium, Eleemosynam & Orationem exequatur. CORAM HOMINIBUS, ET VIDEAMINI AB EIS; id est, hoc animo, hoc fine, ut ab eis videamini, sed ut hominibus placeatis, ibi scilicet finem propositi vestri collocando. Nam benè vivere, ut homines videant opera nostra bona, & inde glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est, ipsemet Christus præcepit cap. præcedenti vers. 16. Quo sensu & Paulus, qui dixerat; *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*: idem 1. ad Corinth. 16. dicit: *Ego per omnia omnibus placeo, sed ut salvi fiant*, hoc est, inquit Augustin. loco citato in hac opera, quâ hominibus placeo non hominibus, sed Deo placeo: quia hoc non appeto, ut hominibus placeam, sed ad id refero, ut me imitentur, quos salvos fieri volo. Nam ipse Deo placere non posset, qui non se iis, quos salvos fieri vellet, præberet imitandum. Imitari autem illum, qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Itaque verat hîc, ne humanam laudem, velut finem, seu velut pro operum nostrorum mercede quæramus. Hinc enim addit, ALIOQUIN MERCEDEM NON HABEBITIS APUD PATREM: tum quia Patri non placet nisi vera justitia. Justitia autem tali inanitate vitiata non est justitia, sed vanitas. Tum quia propter illum non laborastis: æquum est autem, ut cui quisque laborat, ab eo mercedem accipiat. Itaque hujusmodi opera non dicit esse damnatione plectenda, seu fructu caritura, quia, ut Aug. alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant; superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.

2. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen di-

2. CUM ERGO FACIS ELEEMOSYNAM. Sub qua comprehendit omnem benevolentiam vel dandi vel cognoscendi; sicut sub jejunio universam corporis castigationem, & sub Oratione omnes regulas sancti desiderii, ut Augustin. lib. De perfect. justitiæ, capite 8. NOLI TUBA CANERE ANTE TE: id est, noli sic velle innotescere. Sive quòd ille tunc esset mos Pharisaïcus, tuba pauperes convocare; quòd cùm rectè fieri posset, ipsi ostentationis causa faciebant: sive quòd alludat generaliter ad morem congregandi tubis

populum, cùm aliquid publicè faciendum est, aut ad comœdias, cùm in theatrum prodeundum. Unde addit, SICUT HYPOCRITÆ FACIUNT. *Hypocritæ* enim dicuntur propriè, qui in theatro alienam personam simulando, exprimunt quod non sunt. Undè in vita humana, quisquis se vult videre id, quod non est, hypocrita est, inquit August. Simulat enim justitiam, & non exhibet, histrioni similis. IN VICIS, seu plateis publicis, ET SYNAGOGIS. Intellige vel conventicula generaliter, vel synagogas propriè dictas: sic tamen, ut non intelligatur tuba in ipsis synagogis cani, sed in areis, quibus cingi solent. Notat enim tantùm loca populi concursu frequentata. AMEN DICO VOBIS, RECEPERUNT MERCEDEM SUAM, nempè quam spectaverunt laudem humanam. Illa enim non appeti à rectè faciente, sed subsequi debet rectè facientem: ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt, quod laudant, non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant, inquit August. hîc lib. 2. cap. 2. Quo pacto igitur facienda eleemosyna, si non sic?

co vobis receperunt mercedē suam.

3. UT NESCIAT SINISTRA TUA, QUID FACIAT DEXTERA TUA. Propium esse manifestum est, sed diversissimè explicatur. Alii enim apud August. per *sinistram* intellexerunt infideles: alii inimicum, alii uxorem, quæ tenacior esse solet in dandis eleemosynis. August. ipse intelligit appetitionem laudis humanæ, quæ non debeat se miscere *dextera*, id est, conatui implendi præceptum Dei. Satis enim indicat Christus, in operibus hypocritarum, qui laudem venabantur, sinistram fuisse conscium operis dexteræ. Chrysostomi tamen expositio Hom. 19. & Theophylacti videtur valde opportuna, ut non tam metaphorica, quàm hyperbolica sit locutio: q. d. Usque adeò eleemosynarum vestrarum testes effugite, ut, si sinistra manus haberet oculos, videre tamen non posset, quid dextera faceret. Cum qua convenit interpretatio Ambros. lib. 1. Offic. c. 30. qui vetari tradit, ne etiam propinquissimi conscii sint, ne, dum hîc mercedem quæris jactantiæ, illic remunerationis fructum amittas.

3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

4. UT SIT ELEEMOSYNA TUA IN ABSCONDITO, id est prorsus occulta, Deo soli & conscientiæ tuæ cognita. Quo sensu cautela ista humanæ est infirmitatis, ut videlicet, quantum in se est, homo secretum quærat, non publicum, ne titillatio humanæ laudis obrepat. Intellige tamen, nisi Dei gloria, fratrum ædificatio, aut necessitas aliud postulet. Præceptum est autem, ut numquam eleemosynam, etiam quando fieri debet, aut ullum omninò opus beneficentiæ appetitu humanæ laudis operemur. Non enim est culpa, benefacientem videri, sed velle videri. ET PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI: supple ex præcedentibus, *mercedem tuam*: ubi addunt Græca, ἐν τῷ φανερῷ *in propatulo*, seu *palàm*, quod Lucas dicit, *in resurrectione mortuorum*, id est, in ultimo judicio. Ut hac oppositione indicet eos, qui humanam fugiunt gloriam, non solùm cumulatissimam illam mercedem & gloriam a Deo, sed & humanam ab hominibus, quam hypocritæ venantur, longè auctiorem, spectante totâ coronâ humani generis, consecu-

4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito: & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

tutos. Et hæc de primo justitiæ genere.

5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

5. ET CUM ORATIS. Hoc est secundum justitiæ genus, quod spectat Deum. A quo similiter excludit appetitum laudis humanæ, quam affectant hypocritæ, qui AMANT IN SYNAGOGIS, quò populus maximè confluit, ET IN ANGULIS PLATEARUM, ubi propter platearum concursum à multis & à diversis partibus spectari possunt, STANTES ORARE; quia iste situs magis spectabilis est: vel, *Stantes*, quasi immobiles & mente rapti in Deum. UT VIDEANTUR AB HOMINIBUS. Nec enim videri nefas est, inquit August. sed ideò hoc agere, ut videaris, & consequenter laudaris. Nam & Apostolus 1. ad Timoth. 1. versu 3. vult nos orare in omni loco, multò magis in loco ad hoc dedicato; & Publicanus orabat stans, & Salomon coram universo populo: sed amare ista, id est, affectato studio frequentiam quærere, idque ut per hoc hominibus placeas, hoc vetatur, quia tales RECEPERUNT MERCEDEM SUAM. Unde non est, quòd de justitia Dei conquerantur, si non detur eis alia à Deo: hoc enim eis datum est, quod quæsierunt. Quo pacto ergo orandum?

6. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.

6. TU AUTEM CUM ORAVERIS, INTRA IN CUBICULUM TUUM: id est, locum secretiorem. Nam de corporali loco hîc agi, patet ex oppositione cum *Synagogis & angulis platearum*. Qui tamen ipse locus ne hominum oculis pateat, CLAUSO OSTIO ORA PATREM IN ABSCONDITO, id est, fuge omninò conspectum hominum inter orandum, idque animo & intentione magis quàm corpore. Non enim hîc damnari putes preces publicas, quas universa commendat Ecclesia & Scriptura; sed ex intentione Christi præceptum istud, sicut & præcedentia moderanda sunt. Quid enim juvat secretum quærere, si ideò quæras, ut hominibus secretò orare videaris? Itaque scopus orationis corrigitur, ne fiat inanis gloriæ ab hominibus assequendæ cupiditate, & ut ab illis videaris, sed ut soli placeas Deo. Et hinc est, quod August. Augustin. hîc & Ambros. De institut. ad Virgines cap. 1. per cubiculum meraphoricè intelligunt secretum conscientiæ, quo homo jubetur coram Deo esse contentus, nihil ab hominibus ulteriùs affectando, etiam tunc, quando in publico orat. ET PATER TUUS, QUI VIDET IN ABSCONDITO, REDDET TIBI, id scilicet, quod postulasti, inquit Ambros. in Psalm. 40. in fine: sed rectiùs intelligas cum Chrysost. mercedem, quæ orationi rependitur in vita futura. Hoc enim postulat conformitas hujus locutionis cùm vers. 1. & maximè 4. Unde idem ipse notat, non dici, *donabit*, sed *reddet*. Debitorem se tibi quippe, inquit, constituit: merces enim ex justitia debetur merito, cujus correlativum est. Ex quo patet, quàm perperam Calvinus hoc loco, ex mercede precibus promissa colligat, quidquid mercedis passim Scriptura promittit, id non tamquam debitum solvi, sed gratuitum esse.

7. Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici, putant

7. ORANTES AUTEM NOLITE MULTUM LOQUI. Græcè βατταλογῆσαι, quod est non simpliciter multùm loqui, sed nugaciter & futiliter verba profundere, idem, quasi necdum dictum esset, sine causa

repetendo, more Batti illius Poëtæ: quamquam hîc pro inani multiloquio usurpetur. SICUT ETHNICI FACIUNT, tamquam utile scilicet ad exaudition em. Putabant enim, quod affectatâ illa verborum copiâ & cultu partim Deus velut ignarus instrueretur: ut indicat vers. 8. partim ut tanquam judex homo verbis adduceretur in sententiam, ut inquit hîc Augustin. Cùm enim Ethnici linguæ potiùs, quàm animo mundando studerent, nugatorii hoc studii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conabantur. Non ergò improbat preces quantumvis longas, cùm ipsemet in oratione pernoctaverit, & semper orare jusserit: nec quantumvis repetitas, cùm ipse ter eundem sermonem dixerit: sed fiduciam in ista inani Ethnicorum garrulitate; hoc est enim quod sequitur, PUTANT ENIM QUOD IN MULTILOQUIO suo, id est, per istam futilem affectatamque multiloquentiam, EXAUDIANTUR: cùm opus sit pietate, non verbositate, inquit Augustin. Serm. 48. De diversis, nec docendus Deus, sed fervido desiderantis, ac diligentis affectu invadendus est: qui quo sæpiùs & prolixiùs in Deum, sive gemitus, sive verba, etiam eadem, & sæpissimè repetita, eructaverit, tantò oratio fructuosior est.

enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.

8. NOLITE ERGO, &c. SCIT ENIM PATER VESTER, QUID OPUS SIT VOBIS, ANTEQUAM PETATIS EUM, id est antequam explicetis: quibus verbis utrumque vitium Ethnicorum excludit. Nam & bonitate Pater noster est, ne putetur, ut judex multiloquio esse flectendus, ut velit; & scit omnia, antequam ipsi dicamus, imò sciamus, ne putetur docendus, ut sciat.

8. Nolite ergo assimilari eis, scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

Cur igitur oramus, inquies, si Deus necessitatem nostram sciat? Ut te rogatorem esse memineris, inquit Hieronym. non narratorem. Aliud est enim instruere ignorantem, aliud rogare scientem, sive solo gemitu cordis, sive etiam additis verbis.

Sed cur etiam rogatur, si tanquam Pater etiam dare velit? Respondet optimè Augustin. quia oratio reddit hominem capacem ad accipiendum. Oratio enim est conversio mentis in Deum, quâ conversione serenatur & purgatur ab inclinatione & cupiditate rerum temporalium: & ita fit capacior spiritualium. Excitatur enim orando, & exercetur, & augetur animi desiderium. Tantò autem cælestia dona sumimus capaciùs, quantò ea & fideliùs credimus, & speramus firmiùs, & desideramus ardentiùs, inquit, idem Epist. 121. cap. 8. Atque hæc est causa, cur Deus nolit multa nisi rogatus & rogantibus dare. Postulando enim, indigentia nostra suadet humilitatem; accipiendo Dei beneficentia gratitudinem.

9. SIC ERGO VOS ORABITIS. Non ait, *his verbis*; nam nec Christus umquam his verbis orasse legitur, sed aliis, Matth. 26. Joan. 17. &c. & Apostoli Actorum 1. vers. 24. Actor. 4. vers. 24. & sequentib. sed, SIC, id est, hac formula; primò scilicet, quantum ad res petendas, quia omnia omninò petenda complectitur, ut Cypr. libr. De orat. Dominica. Ut idcircò Tertull. lib. de Orat. cap. 1. vocaverit *totius Evangelii Breviarium*.

9. Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum.

Hinc Augustinus Epistol. citato cap. 12. Liberum est aliis, atque aliis verbis, eadem tamen orando, dicere, sed non debet esse liberum alia dicere. Secundò, quantum ad ordinem petendi: ordine enim pulcherrimo id, quod supremum in affectu hominum esse debet, hoc præcedit, inferiora sequuntur. Tertio, quia nulla in eo battologia, sed brevitas incomparabilis, ut scilicet non agmine verborum, ut ibid. Tertull. Deum adeundum putemus, sicut Ethnici faciebant.

PATER NOSTER QUI ES IN CŒLIS. Proœmium est, non petitio, in quo latet divina quædam Rhetorica ad conciliandam Dei benevolentiam: est enim appellatio extremæ bonitatis, pietatis, & potestatis, ut Tertullian. suprà. Nam *Pater* vocatur, tamquam fons omnium beneficiorum, creationis, regenerationis, & maximè adoptionis per baptismum, quæ comprehendunt omnia reliqua. Est enim hæc oratio renatorum propria, non Judæorum, aut infidelium, ut notavit Tertullian. & Cyprian lib. De orat Dominica, & Augustin. Serm. 48. de diversis. Et quamvis Christus ferè soleat Patrem vocare primam personam, nihil tamen incommodi est, si etiam tota Trinitas, utpote æqualiter omnium beneficiorum fons, intelligatur à nobis. Unde virtute est summæ laudis, atque dignationis Dei, summæ gratiarum actionis & summæ fiduciæ compellatio. Qua de causa Cyprian. Hoc nomine, inquit, nemo nostrûm auderet attingere nisi dignationis ejus, & bonitatis ubertas id permisisset. Est enim hæc vox, *Pater*, novi Testamenti & amoris Dei propria, sicut, *Dominus*, Testamenti veteris & timoris. Unde simul his verbis & charitas erga Deum excitatur; quid enim charius filiis quàm Pater? & supplex affectus, & impetrandi præsumptio, & cura, ne tanto Patre indigni simus, quæ notavit Augustinus hîc. NOSTER dicitur, ut moneamur mutuæ fraternæque charitatis, in qua, ut Ambr. libr. 1. De Caïn & Abel cap. 9. & humilitas major & fructus uberior, dum dives & pauper se sub eodem patre fratres esse cognoscunt: & qui singuli orant pro omnibus, etiam omnes orant pro singulis. IN CŒLIS. Non quòd non ubique sit, sed quòd ibi majestas ejus eluceat & gloria. Unde omnium gentium opinio quasi à natura insita est, quòd Deus in cœlo habitet, inquit Aristot. 1. De cœlo. Itaque cœlis præsidens omnia etiam subjecta significatur suo imperio regere & providentia continere. Atque ita verbis istis summam Patris potestatem refricat, ad præstandum postulata, reverentiam ingerit, mentemque à terrenis elevatam cœlis affigit, inquit Chrysostom. Per *cælos* August. intelligit corda Justorum, sed sensu, ut videtur, mystico.

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM. Prima petitio & filiorum cura est gloria Patris. Nam nomen Dei est Deus ipse qui nominatur, majestas & auctoritas ejus. Petimus, ut illud sanctificetur, non quasi in se ipso non sit semper sanctum, sed, inquit, hîc Augustin. ut sanctum habeatur ab hominibus, hoc est, ut illis innotescat Deus; ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Fit hoc autem non solùm Deum cognoscendo, & voce celebrando,

sed & vitæ integritate velut sanctum habendo. Sic enim è contrario nomen Dei blasphemari & pollui dicitur, cùm sine reverentia tractatur, & velut sordidum contemnitur, sive vitâ, sive voce. Sùspensivâ autem enuntiatione non dicentes, sanctificetur in nobis, in omnibus dicimus, inquit Tertull. hoc est petimus illud, non à nobis, vel Christianis tantùm, sed in omnibus gentibus sanctificari, seu gloriam ejus in universo mundo claresci & celebrari.

10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.

10. ADVENIAT REGNUM TUUM: non illud, quo dominatur Deus universæ creaturæ; hoc enim habuit à constitutione mundi: nec aliud regnum spirituale, quo in cordibus credentium & Sanctorum regnat in mundo, de quo Lucæ 17. dicitur, *Regnum Dei intra vos est*; nam hoc petitur petitione primâ, & ex parte etiam tertiâ: sed regnum intelligitur illud perfectissimum, de quo dicit: *Venite benedicti, percipite regnum, &c.* quo scilicet post resurrectionem destructo peccato, morte, diabolo, omnibusque adversariis, Deus tranquillissimè in corpore & animo glorioſissimè regnaturus est. Itaque hîc quasi apprecantur filii patri suo regnum pacificum, & victoriam adversus omnes inimicos. Et quamvis hoc animò adventurum sit, voluit tamen Christus, ut istud peteremus: partim ut quamquam filii affectum nostrum ostenderemus, ut, quod semel venturum est, citò veniat, velut optantes maturiùs regnare, & quasi festinantes ad spei nostræ complexum, inquit Tertullian. libr. De Orat. cap. 2. partim, ut desideria nostra ad illud excitando, nobis adveniat, atque in eo nos quoque regnare mereamur, ut Augustin. Epist. 121. Itaque sicut olim Sancti postulabant adventum Christi in carnem, ita nunc in regnum suum, & consequenter in judicium. Unde Tertull. ibid. Votum Christianorum confusio nationum, exultatio Angelorum. Tacitè itaque monemur tam sanctæ esse conversationis, ut digni simus stare ante conspectum Judicis Dei, venientis in regnum suum. Ut itaque non temerè hoc petiisse videremur, statim subjungitur modus parandi se adventui & regno ejus.

FIAT VOLUNTAS TUA, non ea, quâ omnia, quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra; hæc enim efficax voluntas Dei semper impletur: sed ea voluntas intelligitur, quæ in præceptis Dei, ac consiliis declaratur. Fiat ergò illa voluntas tua, scilicet in & à nobis, ut nos obediamus præceptis tuis, faciendo non voluntatem nostram, aut carnis, aut mundi, aut diaboli, sed tuam. Ita hîc Augustin. & sæpè alibi. Petitur itaque hîc lux & gratia noscendi, & adimplendi omnia præcepta Dei, sine quâ fieri nullo modo possunt; & consequenter petitur id, quod Tertullian. significatum putat, ut etiam voluntatem nostram divinæ voluntati conformare possimus in adversitatibus perferendis, quæ nobis à divina voluntate accidunt: hoc est enim unum ex præceptis Dei. SICUT IN CŒLO ET IN TERRA: id est, quemadmodum ab Angelis in cœlo, ita etiam ab hominibus hîc in terra. Ita Chrysostom. & Augustinus hoc loco, qui tamen plures alios sensus adfert, ut scilicet pe-

tatur impleri illam voluntatem Dei, ita in carne nostra, quæ adhuc legi peccati servit, sicut jam fit in spiritu: vel ita à peccatoribus, sicut à Sanctis; vel ita ab Ecclesia, sicut à Christo: quorum aliquos etiam tetigerunt Cyprian. & Tertullian. sed videntur magis esse mystici, quàm litterales. Et hactenùs petivimus ea, quæ spectant gloriam Dei, & consequenter nostram: nunc quæ directè spectant nos, tametsi consequenter gloriam Dei, tamquam finis ultimus, qui à nullis votis nostri excludi debeat.

11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

11. PANEM NOSTRUM SUPERSUBSTANTIALEM DA NOBIS HODIE. Per *Panem*, nonnulli veteres intellexerunt solum Christi corpus, quia supersubstantialis vocatur, ut Hieron. & ex professo Ambros. lib. 5. de Sacramentis cap. ult. Sed non excludi cibum corporis, suadet, tum genuina vocis significatio; tum quòd corpus Christi nondum esset in Sacramento institutum, quando hæc oratio tradebatur. Unde alii volunt panem corporalem tantùm peti: sed quia oratio ista perfectissima est, non est verisimile ea esse prætermissa, quæ animæ sustentandæ necessaria sunt. Itaque verisimilius videtur, nomine *Panis* Hebraicâ synecdoche primariò omnem cibum corpori necessarium significari, à parte, quæ excellit, inquit August. totum significando. Sed sicut sub cibo corporis intelliguntur omnia corpori sustentando necessaria, ut plerique notant, ita valdè congruum videtur, ut sub eodem intelligatur omnis cibus, qui ad animam in hac peregrinatione sustentandam requiritur, maximèque corpus Christi, quia eodem *Panis* nomine usitatissimè vocatur, & & speciebus ejus tegitur: ut ita sit, quasi duplex sensus, unus litteralis, & alter quasi mysticus, sed æquè principaliter intentus. Et hinc est, quòd vix ullus veterum corpus Christi excluserit, ut potè qui verè sit panis filiorum: sicut & hæc oratio filiis propria est. Plerique autem utramque expositionem conjunxerunt, ut Tertull. lib. de orat. Cyprian. de oratone Dominica, Theophyl. hîc, Augustin. sæpissimè: ut Sermone 9. de diversis, ubi dicit: Sanè duobus modis, intelligenda est ista petitio, sive pro necessitate carnalis victûs, sive etiam pro necessitate spiritualis alimoniæ: item Serm. 48. de diversis, Epist. 121. c. 11. Libro verò 2. de sermone in monte cap. 7. expresè dicit: Si quis etiam de victu corporis necessario, vel Sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet, ut conjunctè accipiantur omnia tria, ut scilicet quotidianum panem simul petamus, & necessarium corpori, & Sacramentum visibile, & invisibile verbum Dei. Dicitur autem *noster*, id est, nobis necessarius, non solùm pauperibus, sed & divitibus; illis, ut habeant; his, ut non amittant. Quod enim eis non deest, misericordiæ Dei est, non potentiæ ipsorum, inquit Augustinus Serm. 48. SUPER-SUBSTANTIALEM: Græcè ἐπιούσιον, de quo verbo magna contentio est. Videtur autem derivari ab ἐπὶ, id est *substantia*, sicut περιούσιος, ἐπούσιος, & similes derivationes: ut sit panis ἐπιούσιος, id est, substantiæ nostræ conservandæ idoneus, vel sufficiens, vel necessarius, prout interpretati sunt

plerique

plerique Græci: Suidas, Theophyl. hîc, & Basil. quæst. 252. inter breviores. Unde Syrus transtulit *panem sufficientiæ nostræ*, vel, ut alii vertunt, *indigentiæ*, seu *necessitatis nostræ*, id est, panem non voluptatis aut luxus, sed necessitatis. Nam, ut Augustinus cit. Sermone 48. impudentia est, ut ab eo petas divitias: non est impudentia, ut petas panem quotidianum. Aliud est, unde superbias, aliud unde vivas. Et hinc est, quòd ille panis vocatur Lucæ 11. *quotidianus*, id est, quo substantia nostra indiget quotidiè; nam ejus explicatio est DA NOBIS HODIE. Hoc autem August. solet exponere pro toto præsentis vitæ tempore: sed nihil obest, quin pro præsenti etiam die accipiatur, ut ita Christus doceat, inquit Cyprian. diurnum cibum petere, nec in longum desideria petitionis extendere, juxta id, quod expressè infrà c. ult. prohibet, sollicitum esse de crastino.

12. ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA. *Peccata* dixit Lucas. Unde & infrà cap. 18. v. 14. & seq. per debita illa pecuniaria significata sunt peccata, seu offensæ, quia hominem apud Deum reum, & pœnæ debitorem constituunt. Hæc ergò dimitti nobis petimus, hoc est, eorum culpas deleri, ita ut Deus nobis propter ea non ampliùs offensus maneat: sicut hoc patet ex conditione sequenti, quæ non de castigationis, sed offensarum remissione loquitur. Et ita exponit August. tum hîc, tum alibi passim: nam pro pœnæ remissione potiùs ultima petitione deprecamur.

12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Itaque hæc oratio est quotidiana quædam mundatio baptizatorum à peccatis levioribus: ut ita semper memores vivant & infirmitatis suæ, quâ peccatis obnoxii sunt, ne in superbiam efferantur, & paternæ misericordiæ, ne desperent.

SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS: id est, illis, qui in nos peccando nos offenderunt: non enim agitur, vel de pecuniæ, vel pœnæ remissione, sed injuriarum. Nam qui dimissâ peccati offensâ, quâ læsus est, tamen emendat verberibus eum, in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, eleemosynam præstat: non solùm injuriam dimittendo, sed etiam eamdem pœna complectendo, ut August. in Enchiridio cap. 72. Non enim ordo vel charitatis, vel justitiæ hac ratione tollitur, sed odium & vindictæ cupiditas; ut scilicet suavitas animi erga fratrem in quotcumque, & quantiscumque dilectis semper salva maneat, sine vindictæ amaritudine, etiam adversus inimicos. Illud autem, *sicut*, non habet hîc vim accuratæ similitudinis, nec est regula dimissionis (non enim Deus nos, sed nos Deum in dimittendo imitari debemus, cùm nobis ille incomparabiliter plura dimittat, juxta parabolam Matth. 18.) sed est conditio quædam præparatoria, & æquissima, ut patet hîc ex v. 14. Unde Lucas dixit: *si quidem & nos dimittimus*, id est quandoquidem & nos dimittimus, æquum est, ut & tu dimittas nobis. Unde Cyprian. Certa nos conditione ut & sponsione constrinxit, ut sciremus impetrari non posse quod pro peccatis petimus, nisi & ipsi paria faciamus. Similia habet Augustin. Serm. 48. de diverſ. c. 9. Itaque statuit hanc legem Christus, ut, quia nos quotidiana peccatorum remissione indigemus, esset quasi fortiſſi-

mum quoddam vinculum, imò necessitas conservandæ fraternæ dilectionis, quandoquidem pro humana infirmitate prorsus sine offensis aliquibus intercurrentibus esse non posset. Unde qui non dimittunt, & mentiuntur Deo, & suam de se sententiam dicunt.

13. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Amen.

13. ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM: id est, ne nos inducí sinas, efficiendo scilicet ne tentationi succumbamus. Non ergò petitur, ne tentemur, sed ne tentationi consentiamus. Tentari enim plerumque utile est, ut probemur, ut exerceamur, ut nos ipsos cognoscamus, ut in humilitate contineamur: *qui enim non est tentatus, quid scit?* Eccles. 34. v. 9. Efficit hoc Deus duobus modis: partim tentationes juxta vires hominis moderando, ut possit sustinere; partim sua nova gratia animum roborando, ut resistat. Inducit autem Deus in tentationem, id est, induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit. Itaque hoc petimus, inquit August. Epist. 121. cap. 11. ne deserti Dei adjutorio alicui tentationi, vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti, nempè aut luce carendo, qua peccatum tentationisve fallaciam cognoscamus, aut dilectione justitiæ, qua peccati blanditiis, aut cruciatibus resistamus: de quo August. 2. de peccatorum meritis cap. 19.

SED LIBERA NOS A MALO: eadem illa tentatione, inquit August. cit. Serm. 48. c. 13. ut sic adversativa particula repetat idem affirmativè, quod præcesserat negativè: quo modo intellexit & Tertull. Et hoc sensu non erunt nisi sex petitiones. Sed Cyprianus, & idem August. tum libr. 2. de sermone Domini in monte, tum alibi sæpiùs, statuit septem petitiones. Nec enim ullo modo necesse est, ut adversativa semper idem repetat, quod præcessit.

Porrò malum restrictè alii intelligunt diabolum, velut præsidem & artificem tentationum, ut eum Tertull. vocat: incertum est enim, an *malum* sit neutrum, an masculinum. August. lib. 2. de peccatorum meritis c. 4. intelligit ipsam concupiscentiam, internum omnium tentationum fontem: ubi pulchrè tres ultimas petitiones distinguit: quasi diceremus, Dimitte nobis ea, in quibus sumus abstracti à concupiscentia: adjuva, ne abstrahamur à concupiscentia: auser à nobis concupiscentiam. Rectiùs cum eodem August. *malum* generaliter intellexerimus, sive diabolum, ne infestet; sive concupiscentiam, ne titillet; sive mortalitatem universam, ne nos affligat. Nam ut idem Epist. illa 121. illud ultimum *libera nos, &c.* tam latè tamque evidenter patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus in hoc gemitus edat, in hoc lachrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem. Comprehendimus enim, ut loquitur Cyprianus, adversa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus: quod ubi diximus, nihil remanet, quod ultrà adhuc debeat postulari. Undè non complebitur plenè hæc petitio, nisi in resurrectione mortuorum.

Ex his patet, cùm oratio sit interpres desiderii, hac oratione omnia omninò desideranda postulari, idque prorsus eo ordine quo desideranda, non quo exequenda sunt. In desiderando autem primum est finis, deinde media. Finis omnium est Deus: in quem fertur affectus noster dupliciter, vel ipsius gloriam in seipsa

dilig endo, vel nos in ipso Deo. Primò itaque petitur sanctificatio nominis ejus, ut scilicet gloria ejus in universo mundo clarescat: deinde ut regnum ejus adveniat, id est, gloria ejus completa, & ad gloriam istam perveniendo, nos in ipso, & cum ipso regnemus. Ad istum verò finem aptamur, per se quidem bonis velut mediis, ad consecutionem eius utilibus; per accidens verò carendo malis, velut à beatitudine nos prohibentibus. Itaque inter media primum & proximum est gratia Dei, & meritum hominis, quæ petuntur eo ipso, quo petitur, ut fiat voluntas Dei: subserviunt illis omnia, quæ ad sustentationem, sive corporis, sive animæ pertinent: & in pane quotidiano postulantur. Mala verò, quæ nos à consecutione finis prohibent, tria sunt; primum & maximè omnium peccatum; deinde peccati tentatio; denique universa vitæ præsentis pœnalitas, velut omnium tentationum & peccatorum seminarium. Hæc tria prohibentia eodem planè ordine removeri petimus tribus ultimis petitionibus. Nam in illis tribus deprecamur mala, sicut in quatuor primis precamur bona: ita tamen, ut ea tria, quæ in æternum permansura sunt præmittantur, ultimum verò sit panis quotidianus, qui soli temporali vitæ competit. Vide de illis August. lib. 2. de serm. in monte cap. 10. & D. Thom 2. 2. quæst. 83. art. 9.

14. SI ENIM DIMISERITIS HOMINIBUS, id est, æqualibus, conservis, longè minora in vos peccantibus, DIMITTET ET VOBIS PATER, nempè si adsint & cætera necessaria: sic enim affirmativæ promissiones & propositiones intelligi debent. Redditur autem istis verbis ratio istius modi orandi, *Sicut & nos dimittimus, &c.* ut indicaret nullum esse promptiorem dimissionis consequendæ modum, quàm dimittendo, & contrà, nulla re arctiùs peccata retineri, quàm iræ atque odii reservatione. Imò, ut August. hîc, si in ista pactione mentimur, totius orationis nullus est fructus. Unde adjicit:

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra.

15. SI AUTEM NON DIMISERITIS, &c. NEC PATER DIMITTET VOBIS PECCATA VESTRA.

15. Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

CUM AUTEM IEIUNATIS. Præmisit orationi eleemosynam, nunc ei velut alteram alam, quâ in cœlum volet, adjungit Jejunium, sub quo omnem corporis afflictionem comprehende. Excludit ab eo similiter omnem jactantiam, quæ in sordibus luctuosis eo periculosior est, quòd sub nomine servitutis Dei decipit. Itaque NOLITE FIERI TRISTES, id est tetrici vultu, severitatis sanctitatisque simulatione scilicet SICUT HYPOCRITÆ: qui videntur exteriùs agere, quæ temperantiæ sunt, cùm tamen inani gloriæ studeant. EXTERMINANT ENIM FACIES SUAS. Græcè ἀφανίζουσι, quod Chrysost. exponit *corrumpunt*, meliùs Syrus *deturpant*, Hilar. *conficiunt*, id est, nativum & vegetum colorem obscurant, ac perdunt affectato pallore tristique vultus severitate. UT APPAREANT HOMINIBUS IEIUNANTES: id est, ut omnibus conspicuum sit, & constet eos jejunare. Non enim tum arguit hîc simulationem jejunii, quàm ostentationem. Hanc ergò ut caveas, cum jejunas,

16. Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes; exterminant enim facies suas ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

17. UNGE CAPUT TUUM, ET FACIEM LAVA: id est, studiosè dis-

17. Tu autem

cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.

simula te jejunare, hilaritatem potiùs præferendo, quemadmodum qui se ungunt & lavant. Est enim locutio metaphorica ab usu Orientalium & Palæstinæ sumpta: ubi, sicut hîc notat Hieron. diebus festis ungebant caput; in luctu verò unguentis & lotione abstinebant, cujus usus exempla videre licet in Ruth cap. 3. vers. 3. & clarissimè in Judith cap. 10. vers. 3. Unde David 2. Reg. 12. vers. 20. post luctum lotus unctusque dicitur. Itaque qui per *unctionem* intelligunt Chrisma, per *lotionem* baptismum, ut Basil. Serm. 1. de jejunio, vel unctionem Christi, qui caput est, & ablutionem à peccatis, ut Ambr. libr. de Elia & jejunio cap. 10. mysticos sensus adferunt.

18. Ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur.

19. NOLITE THESAURIZARE VOBIS THESAUROS, id est, opes terrenas congerere, IN TERRA, seu super terram, scilicet in hoc mundo peritura: UBI ÆRUGO (Græcè, *comestura*, quæ latiùs patet ærugine) ET TINEA DEMOLITUR; quia illa erodit metalla, hæc absumit vestes, in quibus magna pars divitiarum posita est. Quòd si quid forsan istas corruptiones evadat, tamen FURES EFFODIUNT, seu perfodiunt, terram & parietes, quibus occultantur, ET FURANTUR.

20. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.

20. THESAURIZATE AUTEM VOBIS THESAUROS, non perituros, vel periculis obnoxios, IN CŒLO & apud Deum, scilicet per bonorum operum frequentationem, maximéque eleemosynarum elargitionem. Dat enim hîc rationem tutò collocandi & adservandi thesauros etiam terrenos, si quos habuerint, ne eos largiendo perdere viderentur.

21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

21. UBI ENIM EST THESAURUS TUUS, id scilicet, quod maximè instar thesauri tibi charum est, IBI EST, ET COR TUUM: hoc est eò totus cordis affectus confluit, seu in eo tota cordis cogitatio, omnis amor, timor, spes, metus, ira, tristitia occupabitur. Nam, ut August. 13. Confess. cap. 9. Pondus meum, amor meus, eò feror, quocumque feror. Quâ proverbiali locutione significatum Christus voluit, indignum esse, ut cælestis animus, qui Patrem invocat Deum, ac cœli heres est, curis terrenis in terram deprimatur, & cum auro ibi defosso etiam cor defodiatur, ut Basil. Hom. in divites avaros.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuũ lucidum erit.

LUCERNA CORPORIS TUI EST OCULUS: id est, oculus corporalis toti corpori est instar lucernæ, quâ illustratum corpus, omniaque membra ritè fungantur officio suo. SI OCULUS FUERIT SIMPLEX, id est, purus & sanus, nullis humoribus perturbatus, TOTUM CORPUS TUUM LUCIDUM ERIT; quia singula membra sua fruentur luce, ut munia sua ritè peragant.

23. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuũ tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est,

23. SI AUTEM FUERIT NEQUAM. (Græcè πονηρὸς, id est, malus seu vitiosus, cœcitate scilicet, lippitudine, aliisvè sordibus obscuratus:) TOTUM CORPUS TUUM TENEBROSUM ERIT, quia singula membra, velut in tenebris palpantia, erunt erroribus obnoxia.

SI ERGO LUMEN QUOD IN TE EST, scilicet ipse oculus, qui corpori est instar luminis, TENEBRÆ sunt, seu in tenebras versus fue-

rit, IPSÆ TENEBRÆ QUANTÆ ERUNT? id est, quanta erit caligo reliqui totius corporis, omni omnino alio lumine destituti? Hic est cortex sermonis istius parabolici, in quo *Oculus* significat, juxta Ambr. Serm. 14. in Psalm. 118. conscientia: vel quod ferè idem est, juxta Chrysost. mentem hominis, quam paulò antè cor vocaverat, ex intellectu scilicet & voluntate constantem. Quæ si munda fuerit, à terrenorum cupiditatibus libera, in cœlum tantùm erecta, totum corpus reliquorum affectuum, & actionum erit justitiæ luce fulgens: sin fuerit avaritia, aliisve terrenis cupiditatibus excœcata, omnia tenebris peccatorum involventur. August. per *Oculum* intelligit intentionem, quæ si simplex & recta fuerit, soli Deo, non temporalibus thesauris aut bonis intenta, quidquid ex ea, & secundùm eam operamur, bonum esse necesse est, & malum, si mala est. Intellige, si aliunde non sit defectus.

tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?

24. NEMO POTEST DUOBUS DOMINIS SERVIRE. Proverbium est vulgò tritum, & experientiâ plerumque verum: quo indicatur, fieri non posse, ut quis pari affectu duobus dominis serviat, quia ferè moribus & indole discrepant, & contraria imperare solent. Et hinc fit, quòd amor servi non possit in eos dividi: sed UNUM EX HIS ODIO HABEBIT, ET ALTERUM DILIGET: & consequenter illi morosè, huic promptè obsequetur; aut, si neutrum istorum diligat, quemadmodum ferè servi, seu mancipia solent, UNUM eorum SUSTINEBIT, id est, imperium ejus patienter feret, ei tamquam domino adhærens, ut legunt Græca, ET ALTERUM CONTEMNET. Hac ergò proverbiali locutione occurrit tacitæ & communi avarorum cogitationi, qui putant se cœlum & terram simul posse lucrari, cordis partem in cœlestia & terrena dividendo. Itaque applicans ad propositum Christus, NON POTESTIS DEO SERVIRE ET MAMMONÆ. Vox est Syriaca significans omnia, quæ ad rem pecuniariam pertinet, & nomine divitiarum continentur, ut Hieronym. hîc & Epist. 22. ad Eustochium. Vox autem sine interpretatione relicta est, ut magis conveniret prosopopœiæ, quasi dominus esset aliquis, cui avari tamquam Deo suo serviunt, cujusmodi Poëtæ Plutum fingunt. Unde & Apostolus ad Ephes. 5. vers. 5. avaritiam *idolorum servitutem* vocat. Non dicit autem; Non potestis habere Deum, ac Mammonam, seu divitias, sed non potestis utrisque servire. Habere enim divitias, si eis imperes, ac domineris, utendo eis, ut Deus jubet, sine vitio est: sed servire eis, hoc est eis cor apponere & toto affectu animi ita subjectum esse, ut, quidquid ad eas accumulandas & conservandas cupiditas jubeat, hoc fiat, istud verè vitiosum est, & impossibile, ut cum Dei servitute consistat, quia hæc prorsus opposita jubet, ut scilicet erogentur & contemnantur.

24. Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ.

25. IDEO, quia scilicet cor non est in thesauris figendum, Mammonæque serviendum, sed soli Deo. DICO VOBIS, NE SOLLICITI SITIS ANIMÆ VESTRÆ, QUID MANDUCETIS: non quasi anima manducet, sed quòd manducando in corpore conservetur: vel certè *Anima* more Hebraico pro vita temporali sumitur, ut Job 2. vers. 6. quæ scilicet manducando producitur, & fame extinguitur. Itaque Chri-

25. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne

anima plus est quam esca : & corpus plus quâ vestim entum?

stus cùm servitutem divitiarum excluſiſſet, ſimul excludit ſollicitudinem pro rebus neceſſariis, quâ avaritiâ plerumque velari ſolet, & cor terrenis curis implicari, atque à Dei ſervitute divelli, & ad avaritiam diſponi. Non vetat autem laborem pro neceſſariis, vel etiam diligentiam, quæ laudabilia ſunt, ſed ſollicitudinem, Græcè μεριμνᾶν, id eſt, anxiam illam ſollicitudinem, quâ animus in diverſa diſtractus ſe vexat, & cum quodam metu non aſſequendi totus in eo poſitus eſt, ut ſibi de neceſſariis proſpiciat, nihil pendens à divina providentia. Talis ſollicitudo plerumque plura congerit, quàm neceſsè ſit, & præpoſtera eſt, tempus præoccupans, ut indicatur verſ. ult. & ſoli ſibi, ſeu diligentiæ, atque induſtriæ ſuæ fidit, nihil Deo, ut verſ. 31. & 33. Et quia hæc pro neceſſariis ſollicitudo corruptis hominum moribus maximè uſitata eſt, hinc in toto Evangelio nullus animi affectus tanto ſtudio, ac tot argumentorum machinis à Chriſto oppugnatur & evellitur.

NONNE ANIMA PLUS EST QUAM ESCA? Hæc prima ratio eſt à majori: q. d. Nonne vita eſt præſtantior, quàm id, quo alitur vita? & corpus quàm id, quo tegitur corpus? Supplendum eſt autem: Deus verò dedit illa majora, ergò dabit & minora, quibus ipſemet vitam ſuſtentari & corpus tegi voluit.

26. Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?

26. RESPICITE VOLATILIA; quæ longè minorem, quàm terreſtria videntur victui quærendo diligentiam adhibere. Addit autem cœli, ut diſtinguat à domeſticis, quæ ab hominibus aluntur, QUONIAM NON SERUNT, &c. id eſt, non adhibent ne quidem illum laborem ac diligentiam, quàm vos ex Dei inſtituto adhibetis: & tamen PATER VESTER, cùm volatilium non ſit niſi creator ac dominus, CÆLESTIS; qui ſcilicet omnia terrena, ſicut & ipſum cœlum ac terram, habet in poteſtate, PASCIT ILLA, providentiam ſuam ad illa etiam minuta protendens. NONNE VOS MAGIS PLURIS ESTIS ILLIS, id eſt, Nonne vos, qui ad imaginem illius creati eſtis, in filios adoptati, & propter quos creavit reliqua, præcellitis volatilibus, & conſequenter fidere debetis vos ab eo eſſe paſcendos? Cùm ex inſtituto ejus ſeratis & metatis: Eſt enim hæc ſecunda ratio efficaciſſima à minori.

27. Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

27. QUIS AUTEM VESTRUM COGITANS, id eſt, anxia illa ſollicitudine ſe excrucians: eſt enim idem verbum Græcè quod ſuprà verterat *ſollicitum* eſſe: POTES ADIICERE AD STATURAM SUAM CUBITUM UNUM? Cum potiùs ſollicitudo ſtaturam rodendo minuat. Perficit argumentationem hanc Lucas, *Si ergò neque quod minimum eſt, poteſtis, quid de cæteris ſolliciti eſtis?* Ex quo patet, tertiam hanc rationem peti à minori ad majus: & conſequenter non poſſe referri ad id, quod ſequitur de veſtimento, ſicut Auguſt. retulit, quia veſtimenta multò minora ſunt. Sed potiùs referri debet ad id, quod preceſſit verſ. 25. de totius vitæ conſervatione in corpore per victum: q. d. cùm id, quod minimum eſt, uno ſcilicet cubito majores fieri veſtra anxietate non poſſitis, mulò minùs vitam ve-

stram sustentabitis tali vestra sollicitudine. Sic ergò à victu generatim tractato descendit jam ad vestimenta.

28. Et de vestimento quid solliciti estis ? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent.

28. ET DE VESTIMENTO QUID SOLLICITI ESTIS ? Cùm longè minoris necessitatis sit quàm victus. Porrò quemadmodum suprà à volucribus, ita nunc à floribus exemplum divinæ sollicitudinis petit, ut ita quarta ratione velut à minori ad majus efficaciùs eorum excutiat sollicitudinem. Itaque CONSIDERATE LILIA, in quibus singularis est pulchritudo ac decor, & in primis foliorum ordinatissimè assurgentium, quasi amictus, quo vestiuntur. Addit autem AGRI, quia illa totum debent divinæ providentiæ, hortensia verò aliquid humanæ curæ. QUOMODO CRESCUNT : id est, qua pulchritudine floris, qua foliorum gratia, velut vestium assurgunt ? Non enim de incremento magnitudinis loquitur, quod potius victui responderet. NON LABORANT, ad assequendum indumentum, ut solent viri : NEQUE NENT, ut solent mulieres : hoc est, sollicitudine prorsus vacua sunt. Non enim, ut Chrysost. Homilia 25. opus prohibuit, sed sollicitudinem, sicut & suprà de satione.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.

29. DICO AUTEM VOBIS, QUONIAM NEC SALOMON, pulchritudinis ac decoris studiosissimus, potentiâ, sapientiâ, opibus præcellens omnibus, quibus excogitantur ea, quæ ad vestitum pertinent, IN OMNI GLORIA SUA, id est, etiam tum cùm in fastigio gloriæ suæ fuit, COOPERTUS EST, seu amictus, SICUT UNUM EX ISTIS, tanta scilicet vestium pulchritudine & gratia. Quod enim sericum, inquit Hieron. quæ Regum purpura, quæ pictura textricum potest floribus comparari ? Quanta veritatis & falsitatis, tanta vestimentorum & florum differentia est, inquit Chrysost. Hom cit. quia scilicet naturam divinæ providentiæ artificum hominum cura & industria imitatur, & non assequitur.

30. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit : quanto magis vos, modicæ fidei ?

30. SI AUTEM FŒNUM AGRI, id est, herbam agrestem, rem scilicet abjectissimam QUOD HODIE EST, in rerum natura, CRAS, seu tantillo post, IN CLIBANUM MITTITUR, ad succendendum furnum, DEUS SIC VESTIT, tanto scilicet pulchritudinis excessu : QUANTO MAGIS VOS, propter quos & flores, & mundum universum condidit, & quos in æternum secum vivere voluit, MODICÆ FIDEI ? Qua increpatione radicem anxiæ illius sollicitudinis succidit : differentia enim ista ex parva fide oriri solet. Nam ut magna fiducia in Deum ex magna fide de providentia ipsius nascitur, ita diffidentia ex ejus defectu.

31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ?

31. NOLITE ERGO talium scilicet exemplorum cogitatione de divina providentia muniti, ac stabiles, SOLLICITI ESSE, æstibus cogitationum discruciari & jactari, ita ut penuriæ timor in hujusmodi anxias cogitationes vos conjiciat, DICENTES : QUID MANDUCABIMUS ? &c.

32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his

32. HÆC ENIM OMNIA GENTES, quæ vel Deum rebus humanis præesse non credunt, ideoque, inquit Chrysost. meritò timent & desperant, quasi neminem habeant gubernantem, vel sublimiora ejus bona nesciunt, *Inquirunt* : id est, hoc unum agunt, ut tam-

omnibus indigetis.

quam propriâ industriâ, toto animi studio & sollicitudine res istî vitæ necessarias parent. Hæc est ratio ab iis petita, à quorum moribus Dei filios convenit esse dissimillimos. SCIT ENIM, tamquam omniscius, PATER VESTER, ideoque benignissimus, & affectu in filios suos tenerrimo: CÆLESTIS, ideoque ad præstandum potentissimus. Tangit enim breviter tres causas, ex quarum defectu oriri solet diffidentia de aliquo, scientiam, voluntatem, & potestatem: QUIA HIS OMNIBUS, cibo, vestitu, potu, habitatione, & similibus INDIGETIS, ut ita, juxta Chrysostom. quam ob causam plerique maximè anxii esse solent, vos è contrario magis sollicitudinem abjiciatis, quia nempè necessaria sunt, seu quia his indigetis.

33. Quærite ergo primùm regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

33. QUÆRITE ERGO, Græcè est ζητεῖτε δὲ, *quærite autem*, quia est oppositio respectu illius, *Hæc enim omnia gentes inquirunt*: q. d. Sed vos è contrario QUÆRITE PRIMUM, id est ante omnia; ita scilicet ut illa prima cura sit, idque finis constituatur, propter quem omnia faciamus, quæcumque facimus. Non enim vetat omninò quæri temporalia necessaria, cum ipsemet dici jusserit, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: sed potius dicendo, *primùm*, significavit, quòd hæc posteriùs quærenda sint, non tempore, inquit August. sed dignitate, hoc est propter aliud, nempè scilicet REGNUM DEI: illud scilicet, quod in Oratione Dominica petimus, ut adveniat: q. d. Illud unicum studete, ut participes possitis esse illius beatissimi regni Dei. ET IUSTITIAM EIUS, non regni, seu βασιλείας quia est fœmininum Græcè, sed αὐτῦ, id est Dei: hoc est quærite justitiam, quâ non coram hominibus, sed coram Deo justi sitis per fidem & observationem mandatorum ejus: quam justitiam idcirco cum regno quærendam docet: quia non aliâ ratione regnum Dei quæri debet, aut obtineri potest. ET HÆC OMNIA, temporaliter necessaria, ADIICIENTUR VOBIS, sine vestra sollicitudine, non velut merces, sed instar auctarii, quod rebus pretiosis, dum emuntur, adjici solet; sicut luculentè in Salomone patuit, 3. Reg. 3. v. 13. Idcirco ergò non dixit, Quærite secundò illa, tametsi propter aliud quæri possint, sed dixit, *adjicientur*, ne, inquit August. cùm ista quærimus, illinc avertamur: vel ne duos fines constituamus, ut & regnum & ista necessaria propter seipsa quæramus. Hoc enim propriè quæritur, quod propter se quæritur. Qui autem necessaria propter regnum quærit, non illa, sed regnum quærit. Jubet itaque, ut ista non quæras, isto sensu, non ut non accipias, sed potiùs, ut abundantiùs accipias, quemadmodùm observavit Chrysost.

34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.

34. NOLITE ERGO SOLLICITI ESSE. Conclusio est ex omnibus præcedentibus: q. d. Propter hæc omnia, quæ dicta sunt, de cura Dei circa ista necessaria, nolite solliciti esse, IN CRASTINUM, seu de crastino. Per quod intelligit Chrysost. superflua: sed *crastinum*, ut notat Hieronym. sumitur Hebraicâ phrasi pro futuro tempore. Non quasi vetaretur omnis provisio in futurum, sicut humano more fieri solet,

ſolet, ut hîc Auguſt. latiùs diſputat; nam & Chriſtus loculos, videlicet ad ſervandum in futurum, habuit, & Joſeph frumenta in ſeptennium providit: ſed vetatur, ne præſenti tempore earum rerum curâ & ſollicitudine torqueamur, quæ juxta rectam rationem in futurum differenda eſt. CRASTINUS ENIM DIES SOLLICITUS ERIT SIBIIPSI, ſeu de ſe ipſo. Eſt proſopopœia, quâ diei tribuitur, quod hominibus convenit, ut obſervat Chryſoſtom. Homil. 23. Significat autem futurum tempus opportunum fore, ut ea, quæ pro illo curari debent, procurentur: vetat enim ne inutiliter miſeri ſimus ante diem, & ideò bis miſeri. Illa quippè præpoſtera cura ex eo naſci ſolet, quòd homo non cogitet eſſe Deum, qui ſingula ſuis temporibus curet, ideóque vult ſuâ ſollicitudine antevertere, totumque quaſi ex induſtria ſua ſuſpendere, ut in iis clarè patuit, qui ex ſimili diffidentia, manna ſervare volebant in aliquot ſequentes dies, Exodi 16. verſ. 20. SUFFICIT DIEI unicuique MALITIA SUA: id eſt afflictio, quàm ultrò ſecum fert, & quæ ei in procurandis rebus neceſſariis debetur: ideóque non eſt opus eam anticipatis futuri temporis moleſtiis augere.

Ex quibus patet, nolle Chriſtum hominibus excutere omnem diligentiam, vel proviſionem rerum futurarum, quaſi vellet nos alitum more vivere. Nam Prov. 6. verſ. mittit nos ad formicas, ut de futuro diſcamus eſſe ſolliciti, & alioquin nec ſerere, nec plantare liceret: ſed tantùm tollit ſollicitudinem illam timidam diffidentem Deo, ac diſcrutiantem animos, adeoque anticipatam ac præpoſteram, qualis eſt gentium & hominum, qui non credunt, aut fidunt quicquam paternæ Dei providentiæ.

CAPUT VII.

POſt interpoſitam toto præcedenti Capite doctrinam de vitanda laudis humanæ cupiditate, rerumque terrenarum anxiâ ſollicitudine, redit hîc ad doctrinam de dilectione proximi, & ad reſecandum aliud vitium Phariſaicum, quo ſolent homines ſiniſtrè interpretari dubia, calumniari recta, exaggerare levia, ſibi peccantibus parcere, alios ſeverè condemnare, excolantes verè culicem & camelum glutientes. Itaque

1. NOLITE IUDICARE. Non prohibet quodlibet judicium, quo peccata aperta vel condemnantur, vel caſtigantur, vel corripiuntur, vel vituperantur. Hoc enim judicium & exercuit Petrus adversùs Ananiam, & Paulus in fornicarium, & Chriſtus erga Phariſæos, dum toties eos objurgat, & væ minatur, unde & Joan. 7. verſ. 14. dicit, JUSTUM IUDICIUM IUDICATE: ſed vetat judicium malignum, ac temerarium. Unde Hieronym. hîc non prohibuit judicare, ſed docuit. Itaque vetamur malignum, hoc eſt condemnationis judicium proferre de dubiis. *Judicium* enim pro ſententia, & *Judicare* pro condemnare ſumitur. Dubia autem illa Auguſtin. revocat ad

1. Nolite judicare, ut non judicemini.

duo capita. Primum, cùm incertum est, quo animo quidque factum est: sunt enim quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, cum bono & malo fieri possint: de quibus temerarium est judicare, maximè condemnando. Alterum, cùm incertum est, qualis futurus sit, qui nunc malus apparet, & ita reprehendimus, quasi sanitatem ejus desperemus. Unde & Paulus simile judicium de rebus dubiis vetans ait: *Nolite judicare ante tempus*: quia scilicet dubia suo tempore, quando erunt certa & manifestata, judicabuntur. UT NON IUDICEMINI, ab hominibus, inquiunt aliqui, id est, ut non contingat vobis idem ab aliis. Sic enim plerumque fieri solet, ut severi aliorum censores severè ab aliis censeantur: IN QUO ENIM IUDICIO IUDICAVERITIS, &c. Generalior tamen & etiam verior erit sententia, si de judicio Dei intelligatur, ut ferè intelligunt veteres, Augustin. Chrysost. & alii. Itaque, UT NON IUDICEMINI, id est, ut non incidatis in severissimum judicium Dei:

2. Inquo enim judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.

2. IN QUO ENIM IUDICIO IUDICAVERITIS, IUDICABIMINI. An ergò temerè & iniquè judicabimur à Deo, si temerè & iniquè judicaverimus? Respondet Augustin. tum hîc, tum Epist. 49. quæst. 4. nos eodem judicio judicari, quia temeritas, quâ punimus alium, eadem ipsa nos punit, quia scilicet illa ipsa est causa punitionis. Sed quia Christus non tam identitatem causæ judicii nostri quàm comparationem utriusque judicii instituit, vulgari loquendi modo ad vulgum usurpato magis congruere videtur, ut eodem judicio judicari dicamur, quo judicavimus, nempè vel excusationis vel condemnationis: ut scilicet si candidè benignéque alios censuerimus, Deus vicissim benignè de nobis judicet; sin severè condemnaverimus, Deus nos condemnet, & severè tractet. Unde similiter intellige, quod sequitur: ET IN QUA MENSURA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS. Hinc Augustin. libro 21. De Civit. cap. 11. objicientibus, pro peccato temporali pœnam non debere esse æternam, respondet: *eamdem* dictam esse *mensuram*, non propter æquale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali, hoc est, ut qui mala fecerit, mala patiatur. Significat enim quòd talem se Deus exhibebit, qualem se aliis exhibuerint, aut benignum, aut severum.

3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides.

3. QUID AUTEM VIDES FESTUCAM, &c. *Festuca* minima ligni particula est, *Trabs* magna: unde *Festuca* minora vitia significat, *Trabs* ingentia. Tota enim locutio, sicut & præcedens, adagialis est, tempore Christi usitata; sicuti ex eo patet, quòd utraque crebrò in antiquorum Judæorum libris occurrat. Itaque reprehendit hîc aliquod vitiosissimum judicii & judicum genus, qui oculatissimi sunt, ut in aliis delicta levia videant, gravissima in seipsis non videant: Neque tantùm ea vident, sed etiam corrigere & corripere volunt, quibus ait:

4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo: & ecce trabs est in oculo tuo?

4. AUT QUOMODO, id est, quâ fronte dicis: SINE EJICIAM FESTUCAM, &c. id est, permitte à me sanari vitium tuum. Qui enim corripit alterum, similis est ejicienti festucam ex oculo: hic enim corpus, ille animum corrigere studet. ET ECCE TRABS, id est, cùm tamen tu gravioribus labores. Quod genus hominum recte vocat

Hypocritæ, id est, simulatores sive quia prætextu emendationis condemnationem tantùm & confusionem alterius quærunt (si enim ex dilectione correctionem quærerent, priùs graviora in se corrigerent:) sive, ut August. quia accusare vitia, officium est bonorum virorum & benevolorum; quod cùm mali faciunt, alienas partes agunt, sicut hypocritæ: sive denique quia ex aliena reprehensione sanctitatis opinionem venari student, cùm minimè sancti sint.

5. Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.

5. EJICE PRIMUM TRABEM DE OCULO TUO, id est corrige priùs in te ipso graviora. ET TUNC VIDEBIS seu videre poteris, EJICERE FESTUCAM, &c. id est, tunc purgatus omninò idoneus eris, qui aliorum peccata corripias & corrigas: quia, ut August. videbis ea oculis columbæ, id est, cum animi simplicitate ac dilectione. Multa enim dissimulabis, bene interpretaberis, excusabis, tolerabis: denique ex propriæ infirmitatis consideratione cum humilitate & fructu argues. Sed ne quis putaret hoc dilectionis beneficium quibuslibet vitiosis esse præstandum, prudentiam simplicitati miscendam esse docet. Itaque

6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.

6. NOLITE DARE SANCTUM CANIBUS, &c. Multi operosè distinguere conantur *Sanctum* & *Margaritas*, *Canes* & *Porcos*: atque inde sententia ista in diversos sensus trahitur. Verior & simplicior videtur sensus August. lib. 2. De serm. Domini in monte, ut una eadémque res & *Sanctum* & *Margarita* dicatur, doctrina scilicet Evangelica & cœlestium mysteriorum thesaurus: *sanctum* quidem, quia divina sunt, quæ non debent corrumpi; *margarita* verò, quia pretiosa, quæ non debent contemni. Similiter iidem dicuntur *Canes & Porci*, immundi scilicet homines, non tamen quilibet, sed qui vel latrando, ut canes, oppugnant & lacerant veritatem, vel conculcando, ut porci, eam contemnunt. Canis enim præterquam quòd sit immundissimus, ut pote etiam voracissimus putidissimorum cadaverum, turpissimè salax, resorbens vomitum suum, insuper præ coleræ magnitudine in quoslibet latrat: porci verò, præter sordes, conculcant cibum, & invadunt eum, qui porrigit, nisi dederit.

NOLITE ergò SANCTUM, id est, cælestia Evangelicæ veritatis documenta & mysteria, maximè nuda, DARE CANIBUS, id est hominibus immundis, latronibus & oppugnatoribus eorum, ut Clemens Alexandrin. 2. Stromatum cap 1. Ubi fit allusio ad ritum veteris legis, in qua vetitum erat carnes sanctas, seu Deo consecratas, immundis, maximè canibus, dare. Idem autem, Scripturæ more docet sequenti hemistychio: NEQUE MITTATIS, seu projiciatis, MARGARITAS VESTRAS, id est, eundem illum cælestis sapientiæ thesaurum, instar margaritæ pretiosum, ANTE PORCOS, seu contemptores ejus. Hanc enim porcorum istorum conditionem mox explicat. NE FORTE CONCULCENT EAS PEDIBUS; quo contemptus & rei pretiosæ prophanatio significatur, dum sacra, quæ eis non placent, aversantur, irrident, blasphemant, ET CONVERSI DIRUMPANT VOS, conviciis lacerando, verbis, factisque persequendo. Solent enim hujusmodi convertere aversionem à doctrina in

ipsum Doctorem. Duplex hîc ergò tangitur præcepti ratio, nempè, ne doctrina exponatur prophanationi, & doctor persecutioni. Ubi meritò quæritur, An ergò Christus dederit sanctum canibus, qui Judæis resistentibus & contemnentibus sæpè prædicavit? Respondet Augustin. Christum non dedisse sanctum canibus, sed eis, qui capere poterant, & simul aderant, quos propter immunditiam & malitiam aliorum, negligi non oportebat.

7. Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

7. PETITE ET DABITUR VOBIS. Lucas cap. 11. subjungit ista orationi Dominicæ: unde videtur Christus hîc perficere orandi modum, quem supra tradiderat. Chrysost. verò putat modum tradi, quo difficilia præcepta Christi hactenùs tradita impleri possint, nempe petendo ad ea, quæ desunt nobis, adjutorium Dei. PETITE ITAQUE ET DABITUR VOBIS, id est, certissimè exaudiet vos. Intellige, si nec in rebus petendis, nec in modo petendi defecerimus: nam cum illa limitatione intelligendum est id, quod mox additur:

8. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

8. OMNIS ENIM QUI PETIT, ACCIPIT, &c. Porrò de rebus petendis dicitur 1. Joan. 5. versu 15. *Quodcumque petierimus, secundum voluntatem ejus, audit nos*: id est, si petamus & bona & ad salutem utilia. Si enim vel mala petimus, vel bona infima & fragilia, vel ut ea in concupiscentias nostras insumamus, non est mirum, si petimus & non accipimus, Jacobi 4. vers. 3. Unde August. initio Epist. 34. Bonus Dominus, qui non tribuit sæpè quod volumus, ut, quod malumus, tribuat. Modus petendi tangitur ab Aug. lib. De natura & gratia, capite 17. Deus dat omnibus affluenter, inquit, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantùm petunt, quomodo, & quantum res tanta (cælestis scilicet sapientia) petenda est. Ubi per, *sic petere*, August. intelligit ibi, quod Apostolus Jacobus cap. 1. quem explicat, nempè ut postulet, in fide nihil hæsitans, id est, magnâ & humili fiduciâ: per, *tantum petere*, orationis instantiam ac perseverantiam. Nam, ut idem ait Serm. 5. de Verbis Domini capite 5. cùm aliquando tardius dat Deus, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulciùs obtinentur; citò autem data vilescunt & contemnuntur. Hanc autem orationis instantiam quàm maximè orantibus necessariam esse indicat hîc Christus illâ inculcatione, *petite, quærite, pulsate*. Nam quamvis Tertull. libr. De præscript. cap. 8. & Augustin libro 2. De sermone Domini in monte capite 21. illa tria operosè distinguant; alii quoque exponant, *petite* orando, *quærite* rectè vivendo, *pulsate* perseverando; alii, *petite* fide, *quærite* spe, *pulsate* charitate: idem tamen August. libro 1. Retract. capite 19. tradit, longè melius ad instantissimam petitionem omnia referri. Hoc enim ostendit v. 11. ubi eodem verbo *petendi* cuncta concludit.

9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem,

9. AUT QUIS EX VOBIS HOMO? Græcè, *Num quis est ex vobis homo?* nempè quamvis immitis & malus. Opponit enim hominem naturâ jam depravatum benignissimo & omnis malitiæ experti Deo, ut impetrandi facilitatem probet non solùm à minori, sed etiam à

contrario, ut ex v. 11. patet. QUEM SI PETIERIT FILIUS SUUS PANEM, sustentationi utilem, NUMQUID LAPIDEM PORRIGET EI? rem scilicet vitæ sustentandæ noxiam? Idem judicium de pisce & serpente. Pulcrè autem lapidem pani, piscem serpenti opponit. Colore enim & figurâ nihil simílius, naturâ & usu nihil dissimilius: & plus probat, quàm propositum postulabat, nempè non solùm Deum petentibus opem laturum, sed etiam bona daturum, sicut mox versu 11. concludit.

numquid lapidé porriget ei?

10. Aut si piscem petierit, nũquid serpentem porriget ei?

11. Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?

12. OMNIA ERGO. Unde hoc inferatur, non omninò patet. Lucas cap. 6. vers. 31. subjungit hoc illi sententiæ, quæ præcessit hîc cap. 5. vers. 42. *Qui petit à te, da ei*, & reliquis de dilectione proximi, cum quibus optimè cohæret: ut scilicet Lucas hîc ordinem dictorum Christi servaverit, non Matth. Augustinus verò vult hoc orationi subnecti, quasi Christus traderet modum impetrandi, nempè faciendo aliis, quod nobis fieri volumus. Posset tamen non ineptè dici cum Chrysost. & discipulis ejus, esse epilogum & compendium omnium, quæ hisce tribus Capitibus dicta sunt. QUÆCUMQUE VULTIS. Propriè hîc, *Velle*. accipiendum est, non vulgariter. *Voluntas* namque propriè, inquit August. lib. 2. c. 22. De serm. Domini in monte, non est nisi in bonis: nam in malis, flagitiosisque factis *Cupiditas* propriè dicitur, non *voluntas*. Hoc ut significarent aliqui, addiderunt olim textui Latino, *bona*, sed non est opus. Sensus est enim: Omnia, quæ rectâ & rationabili voluntate vultis ab aliis præstari, ET VOS FACITE ILLIS: quia hoc est diligere proximum, sicut se ipsum. Græcè & Syriacè, *Sic & vos*: nam propter disparitatem personarum patris & filii, mariti & uxoris, &c. sæpè non eadem, sed similia cum proportione aliis præstanda sunt. Hanc regulam in veteri lege Tobias cap. 4. vers. 16. præscribit filio: quam & Philosophi agnoverunt. Propter cujus observationem Alexander Imperator dicere solebat, sibi placere Christianos. Tradit eam Christus velut legis compendium, tum quia facillima est; quod enim erga se rectum & æquum sit, fieri homo facillimè videt; quod verò erga alium, propter obscurationem cupiditatum & philautiæ, non ita facilè videt: tum verò QUIA HÆC EST LEX ET PROPHETÆ, id est, hæc est summa & velut compendium doctrinæ, quam lex Moysis & Prophetæ per valde varia præcepta de proximo diligendo tradunt. Quo sensu non repugnat ei, quòd infrà c. p. 22. vers. 40. ad duo præcepta dilectionis Dei & proximi lex & Prophetæ referuntur, quia ibi additur, *universa lex*, quod hîc non additur, ut observat Augustinus.

12. Omnia ergo quæcumq; vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex, & Prophetæ.

13. INTRATE PER ANGUSTAM PORTAM. Hîc sequuntur non tam præcepta nova, quàm exhortatio generalis, ad servanda superiorà præcepta, usque ad finem Capitis. Per *Portam* autem & *Viam* idem intelligit, non quidem hanc vitam, ut Basil. quæst. 241. inter breviores, sed rationem instituendæ vitæ cujusque. Arcta quidem & angusta porta intelligitur via virtutis, tum quia terminis divinæ

13. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & mul-

ti sunt qui intrãt per eam.

legis, maximeque Christianæ, hactenus traditæ circumscripta est, ita ut neque ad dexteram neque ad sinistram vagari hominem sinat, ut ulli omninò cupiditati satisfaciat: tum quia incessu difficilis est non propter se, cùm sit maximè connaturalis, sed propter pronitatem corruptæ naturæ in omnia sensibilia, à quibus difficillimè refrænatur: tum denique quia unica omninò est, à qua ne quidem latum unguem fas est deflectere. Quia verò omnes cupiditates per diversissima genera vitiorum in corruptelas feruntur, sive per defectum, hinc dicitur: LATA PORTA ET SPATIOSA VIA EST, QUÆ DUCIT AD PERDITIONEM, id est via iniquitatis, ET MULTI SUNT QUI INTRANT PER EAM; & consequenter tendunt ad perditionem æternam. Major enim hominum pars viæ facilitate capitur, & libentiùs facit id, quod lubet, quàm id, quod licet. Unde quasi admirabundus Salvator adjicit.

14. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam.

14. QUAM ANGUSTA PORTA ET ARCTA VIA EST, QUÆ DUCIT AD VITAM: ET PAUCI SUNT, QUI INVENIUNT EAM: pauciores, qui ingrediuntur; pauciſſimi, qui ingressi ad finem usque perseverant, ut Hieron. notat tum hîc, tum lib. 2. contra Pelagianos. Nulli enim Philosophi, hæretici, Turcæ, Ethnici eam inveniunt; nulli mali Catholici ingrediuntur, pauci boni ad finem usque perveniunt. Via verò spatiosa inventu facillima est, quia non alio opus est ductore quàm errore, & à via recta deflexu, qui infinitis modis fieri potest. Eandem doctrinam lumine naturæ viderunt Ethnici, & expressêrunt partim per litteram Pythagoram bicornem, partim per facilem descensum Averni,

Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor.

Quia verò viam illam inventu difficilem, & à paucis inveniri dixerat, ut meritò dux aliquis quæri deberet, aptissimè subjungit, non à quolibet eam esse quærendam.

15. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces:

15. ATTENDITE, seu diligenter cavete, A FALSIS PROPHETIS qui se duces angustæ viæ offerunt, &, ut August. qui promittunt sapientiam cognitionemque veritatis, quam non habent, & se plerumque paucitate commendant. Significantur autem præcipuè Hæretici, qui vocantur Pseudoprophetæ, nomine apud Judæos usitato: quia quod apud gentem illam usurpabant Pseudoprophetæ, hoc Hæretici apud Christianos. Utrique enim se à Deo missos clamitant, cùm à se ipsis veniant: utrique venditant verba Dei, cùm sua prædicent mendacia. Ad utramque fraudem indicandam addit: QUI VENIUNT, à se ipsis scilicet, non missi à Deo, juxta illud Jerem. 23. vers. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant*: AD VOS, docendos viam veritatis, IN VESTIMENTIS OVIUM, id est ementita simplicitate & habitu veri doctoris veritatis, ut scilicet minùs à veris ovibus timeantur, quemadmodum aliquando feciſſe lupum tradit fabula. Hæc autem sunt ea, per quæ se esse oves simplicibus suadent, nempè nominis Christiani extrinsecùs superficies, ut Tertull. De præscript. cap. 4. pellis mansueta, ut Cyril. Catechesi 4. dulces sermones, ad Rom. 16. vers. 13. spiritus justitiæ & sanctimoniæ 2. ad Corinth. 11. vers. 15. v. g. je-

junia, eleemosynæ, orationes: rursum perpetua Christi & Evangelii inculcatio, densissima Scripturarum citatio, de quibus pulchrè Vincentius Lirinensis in suo Commonitorio cap. 35. & 37. INTRINSECUS AUTEM SUNT LUPI RAPACES, quia revera scopus eorum non est alius, quàm proprii compendii causâ gregem Domini lacerare, & à veritate abductos discipulos post se trahere: quo in æternum exitium præcipitentur, de quo vide Actor. 20. vers. 29. & seq. Quod ergò symbolum ad eos dignoscendos in tantâ similitudine?

16. A fructibus eorum cognoscetis eos: Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?

16. A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS: id est à doctrina, inquit hîc Calvinus, examinatâ ad verbum Dei: sed absurdè. Agitur enim hîc de discernendis Pseudoprophetis, id est de ipsa, quam docent, doctrina discernenda: absurdum autem doctrinam ex doctrinâ probari. itaque August. hîc & omnes veteres unanimiter intelligunt opera; eaque non qualia & ab hypocritis fieri possunt, jejunium, eleemosynæ, orationes, ut patuit sup. cap. 6. v. 1. & seqq. nam, ut idem August. talia opera sæpè ad vestitum ovium pertinent, quibus Pseudoprophetæ decipiunt simplices: sed maximè illa de quibus Paulus ad Galat. 5. vers. 19. & 22. Nam quamvis subinde etiam illa bona opera conentur simulando exprimere, plerumque tamen improbitas in verbis aut factis erumpit, si attentiùs observentur, ut notat hîc D. Thomas; & maximè ut Theophyl. produntur successu temporis: nam nemo diu potest fictam ferre personam. Hoc autem maximè apparet, cùm cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt. Tunc enim necesse est, ut appareat, utrùm lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua, inquit August. lib 2. cap. 12. De serm. Domini in monte.

17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit.

18. Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere:

19. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.

20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

17. Sic, quemadmodum scilicet de tribulo & ficu dictum est, OMNIS ARBOR BONA: intellige fructiferam: quædam enim arbor nec bonos nec malos fructus profert. Sub *arbore* etiam frutices accipiendi sunt Hebraïco more, qui illa omnia uno nomine vocant: nam tribulus propriè non est arbor. Itaque omnis arbor bona non ex foliis, sed ex fructibus cognoscitur: quia si bona est, FRUCTUS BONOS FACIT; si MALA, MALOS. Nec enim aliter in rebus naturalibus fieri ullo modo potest, ut vel bona malos, vel mala bonos, vel utravis utrosque promiscuè ferat. Applicatio similitudinis istius difficilis est: si enim symbolicè per *arborem bonam* & *malam* intelligas hominem bonum & malum, potest bonus mala opera, malus bona proferre: sin doctorem verum & falsum, potest hæreticus etiam docere vera. Augustin. rem facilè expedit, plerumque per arborem bonam & malam, intelligens voluntatem bonam & malam, à quibus opera tamquam fructus procedunt: numquam enim illa malos, hæc bonos fructus facit. Ita ipse libro De gratia Christi cap. 10. libr. 2. De nuptiis & concupiscentia cap. 26. lib. 1. contra Julianum, cap. 8. & latè lib 4. cap. 5. & sæpiùs alibi. Quibus locis ferè refutat Manichæos, qui arborem bonam & malam vocabant naturas bonas & malas: itemque Pelagianos, qui conjugium intelligebant arborem bonam, un-

de non posset homo nasci cum peccato originali, tamquam fructus malus. Quæ Augustini interpretatio, licet universaliter verissima sit, non tamen satis apparet, quomodo Christi propositum spectet, qui vult signum dare, unde cognoscantur, non voluntas bona aut mala, sed Pseudoprophetæ à veris Prophetis, ut patet ex conclusione vers. 20. & tamen utrique possunt esse voluntatis malæ. Itaque sequendo filum sermonis Christi, *arbor bona* videtur esse Propheta seu doctor verus; *mala* falsus. Dat ergò signum dignoscendi eos non mathematicum, sed vulgare, neque de singulis operibus, sed de plerisque loquitur. Nam propter duplicem in homine voluntatem, non est in omnibus arborum & hominum quærenda similitudo, quod Christus ipse declaravit in Pharisæis cap. 23. vers. 2. & 3. qui vera docebant malè vivebant. Vel ergò significat, ita ferè fieri solere, ut falsi Prophetæ non diu sub ovina pelle lateant, sed fructibus sese prodant, contraque naturam fieri, si veri doctores malè vivant: vel certè intelligenda sunt hæc formaliter, ut loqui solent, hoc est de doctoribus veræ & falsæ doctrinæ ut talibus. Nullo enim modo fieri potest, ut vera & casta doctrina malos fructus proferat, vel falsa bonos, sive in ipso prædicante, sive in auditoribus, si doctrinæ conformiter vivant. Monet ergò, non ad folia verborum, ornatum, speciem sanctitatis &c. sed ad fructus, quos docendo & doctrinæ conformiter vivendo proferunt, esse respiciendum. Sic enim omnes hæreses, maximè nostri temporis, etiam à vulgo deprehendi poterunt.

21. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui faci voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

Sed quasi quæreret aliquis, Qui sunt ergò illi fructus boni? Subjungit Christus.

21. NON OMNIS QUI DICIT MIHI, DOMINE DOMINE, id est, qui me Dominum honorificè compellat, & verbis me & Evangelium meum crepat: nam ista sæpè ad arborum folia & ad ovium vestimenta pertinent, INTRABIT IN REGNUM CŒLORUM, quia ut Hilar. regnum cœlorum sola verborum officia non obtinent. SED QUI FACIT VOLUNTATEM PATRIS MEI, & consequenter meam, id est qui observat mandata, quæ partim in recta fide, partim in operibus justitiæ posita sunt. Dicuntur ergò hæc adversùs eos, qui nomen Christi habent, facta non habent, inquit Augustin. sive rectè credant, sive non credant. Nunc contra eos, qui etiam in mirabilibus quibusdam factis fiduciam collocant.

22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.

22. MULTI DICENT MIHI IN ILLA DIE, singulari, terribili, & quæ nemini ignota erit, quâ scilicet erit intrandum in regnum cœlorum. Significatur enim dies judicii, quæ antonomasticè *illa dies* vocari solet, ut patet 2. ad Timoth. 1. vers. 12. & ibid. cap. 4. vers. 8. DOMINE, DOMINE. Hîc repetitio ista vehementiam significat ex terrore venientem, versu verò præcedenti tantùm sequentiam. NONNE IN NOMINE TUO, id est auctoritate, commissione, & virtute tuâ, PROPHETAVIMUS, id est docuimus, inquiunt aliqui: sic enim *Prophetare* subinde sumitur. Unde tali sensu hæretici vocantur falsi Prophetæ. Sed hîc videtur sumi propriè

priè pro, futura prædiximus, vel ex afflatu spiritus tui mysteria protulimus. Nam adfertur hîc tamquam miraculum, quod in nomine seu virtute Christi fieri solet, sicuti sunt & reliqua, quæ hîc sequuntur, DÆMONIA EIICERE, VIRTUTES MULTAS FACERE, id est multa effecta virtutis seu potestatis divinæ, quæ non sunt alia, quàm multiplicia miracula: quod enim per partes dixerat, generaliter concludit. Intelligi autem debent veræ prophetiæ, veræ dæmonum ejectiones, veræ virtutes, & miracula. Non enim necesse est, ut mentiri intelligantur, qui ista sive voce sive cogitatione dicturi sunt: nam omnia ista ab improbis fieri posse, exemplo Balaam & Caiphæ & filiorum Scevæ, & aliorum, patuit. Unde Basil. in Moralibus reg. 7. vocat ea dona spiritualia, quibus occulto Dei consilio ornari sinuntur improbi. Sed vanam istorum fiduciam esse, si fidei non adsit vita proba, declarat Christus.

23. ET TUNC, quod antè patientiâ dissimulaveram, CONFITEBOR ILLIS, id est, disertè ac palam profitebor: QUIA NUMQUAM, ne tunc quidem, cum illa signa faceretis: meamque causam agere videremini, NOVI VOS: ut meos seu pro meis. Plerique enim veteres observant *Noscendi* verbum in Scripturis sæpè pro dilectione & approbatione usurpari: atque ita competit vel solis prædestinatis quo pacto dicitur 2. ad Timoth 2. vers. 19. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus:* vel omnibus justis, quos Deus ex regula suæ justitiæ justos facit, juxa illud Psalm. 1. *Quoniam novit Dominus viam justorum*, nempe qui approbat, diligit & facit eam. Unde August. Serm. 23. de verbis Domini cap. 10. Non novit illos, qui omnia novit? Quid est ergò, *Non novi vos*? Improbo vos, reprobo vos, in arte mea non vos agnosco, ars mea nescit vitia, & judicat vitia: nescit faciendo, judicat arguendo. DISCEDITE A ME, in ignem scilicet æternum, quibuscumque tandem gratiis & quantiscumque miraculis fulseritis. Est enim eadem sententia cum illa terribili voce, *Ite maledicti in ignem æternum*: quæ tamquam turbo Dominicæ indignationis & velut tempestas erumpens super caput, impiorum veniet, Jerem. 23. vers. 20. & 29. QUI OPERAMINI INIQUITATEM, id est *operarii iniquitatis*, ut habet Lucas c. 13. qui scilicet in vita iniquitatibus addicti fuistis, & adhuc voluntatem addictam geritis. Non enim significat eos adhuc tunc iniquitatem operari. Hæc est ergò ratio, cur non noverit eos, quia aversatur eos.

23. Et tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatē.

24. OMNIS ERGO: q. d. Cùm ergò tanta sit necessitas fructuum, non foliorum; factorum, non verborum, ut ab illa ultima tempestate illæsi esse possitis. Est enim velut epilogus totius concionis, apta, nexaque ex præcedenti similitudine, exhortans ad præcepta sua facienda, non audienda vel credenda tantùm. OMNIS ERGO QUI AUDIT ET FACIT VERBA MEA HÆC, id est doctrinam hanc: quo significat istum sermonem omnibus præceptis, quibus Christiana vita formatur, esse perfectum, ut & August. observat initio libri 1. De serm. Domini in monte. SIMILIS

24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

EST VIRO SAPIENTI, id est prudenti, prudenterque rebus suis prospicienti, in eo, quòd ÆDIFICAT DOMUM SUAM SUPER PETRAM, id est in solidissimo & immobili fundamento, ita ut inde domus etiam fiat immobilis contra omnis generis tempestates, quæ vel desuper irruant, UT PLUVIA, vel tentent fundamenta, UT FLUMINA inundantia, vel in latus ingruant, UT VENTI: à quibus impulsa talis domus NON CECIDIT, id est everti tempestatibus istis non potuit. FUNDATA ENIM ERAT SUPER PETRAM, veluti super firmissimum fundamentum. Quæ similitudo sic reddenda est, ut *audire* & *facere* sit quasi ædificare super petram. Non enim, inquit August. quisque firmat quod audit vel percipit, nisi faciendo. Nam perfecta non auribus aut labiis, aut intellectu tenus, sed mirabili modo profundissimè ipsi animo incorporatur veritas & doctrina: ita ut postea homo adversus omnis generis tentationes ac tempestates undecumque irruentes sit insuperabilis. Audire verò (sub quo & credere tantùm intelligitur) & non facere, seu non obedire mandatis Dei, est quasi ædificare domum SUPER ARENAM, hoc est fluxo fallacique fundamento niti: quod nullam homini stabilitatem dare potest adversùs irruentes tentationes ac persecutiones, maximèque illam postremam novissimi diei tempestatem. Nam ad illam etiam respici suadet id, quod sequitur, ET FUIT RUINA ILLIUS MAGNA, quia æterna, & absque ulla spe redintegrationis. Hic videtur maximè obvius & simplex similitudinis istius sensus, quem elegantèr & latè prosequitur Homil. 25. Quamvis plerique alii antiqui magis particulatim, sed valdè diversis modis, singulas parabolæ istius partes applicuerint. Nam Augustino *petra* est Christus; *pluvia*, caliginosæ superstitiones; *venti*, rumores hominum; *flumina*, carnales concupiscentiæ. Hilario *petra* similiter Christus est; *pluvia* blandæ voluptatum illecebræ, quibus primùm fides rimis patentibus immadescit; *flumina*, graviorum cupiditatum motus *venti*, tota diabolicæ potestatis vis. Theophyl. & alii aliter.

25. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram.

26. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam super arenam:

27. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.

28. ET FACTUM EST &c. ADMIRABANTUR TURBÆ, Græcè ἐξεπλήσσοντο *obstupescebant*, SUPER DOCTRINA EIUS: tum quia doctrina tam nova, clara, sublimis, divina, rationi consentanea, atque auditoribus satisfaciens: tum quia modus docendi tam inusitatus, ut sequitur.

28. Et factum est: cùm consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus.

29. ERAT ENIM DOCENS EOS SICUT POTESTATEM HABENS. Græcè ἐξουσίαν *auctoritatem*, id est potestatem & jus dicendi. Non enim quasi ex alterius præscripto, sicut Moyses & Prophetæ loquebantur, HÆC DICIT DOMINUS: sed velut αὐτοκράτωρ seu legislator de pœnis & præmiis, de vita & morte decernebat, *Ego dico vobis*. Ita Chrysost. Adde, quia intrepidè loquebatur, quia magnâ spiritus efficaciâ dicendique gravitate pollebat, ut non tam dicere quàm dicta pectoribus, & cum dictis terrorem atque amorem imprimere videretur. ET NON SICUT SCRIBÆ EORUM ET PHARISÆI: quorum doctrina erat de cultu tantùm ex-

29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.

terno, non interno, de rebus minutissimis, plerumque supervacaneis, ut infrà cap. 23. & Marci 7. de quæstionibus scrupulosis & stultis, de genealogiis interminatis, de argumentis sæpè fabulosis. Modus docendi sine ulla majestate, sine spiritus efficacia, torpidus, elumbis, jejunus, ac frigidus, ita ut si quis etiam-num eorum dicta audiat, vel scripta legat, somniantes vel nugantes audire videatur, aut legere.

CAPUT VIII.

1. CUM AUTEM DESCENDISSET DE MONTE &c. ECCE LEPROSUS VENIENS. Commodè post prædicationem ac doctrinam signorum offertur occasio, ut per virtutum miracula, præteritus apud audientes sermo firmaretur, ut notat Hieron. maximè quia dixerat Evangelista quòd erat docens, quasi potestatem habens: iste enim erat præcipuus miraculorum Christi scopus. Ut propterea præclarè dixerit August. lib. De utilitate credendi cap. 14. Ille adferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem &c. Lepra autem pertinacissimæ scabiei genus est; sed Judaïca in nonnullis erat distincta à lepra nostrate, de quibus diximus ad cap. 13. Levit. ADORABAT EUM, accidendo scilicet ad genua, ut Marcus & Lucas notant: quamquam & Deum agnovisse Chrysost. & Auctor imperfecti velint, & satis clamant verba ejus:

1. Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ:

2. DOMINE, SI VIS, POTES ME MUNDARE: id est non est opus, ut roges, ut cujusquam sive hominis sive medicaminis opem adhibeas. Potestas curandi in solâ tuâ voluntate sita est, cui totum negotium submitto. Quæ sanè oratio & brevissima est, & modestissima, & maximæ fidei; & ideò

2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

3. EXTENDENS JESUS MANUM, ut virtus vivificæ carnis ejus ostenderetur: nam ut ait Victor Antiochenus in Marcum, Verbum indivulsam cum carne societatem se habere persuasum volens, pleraque miracula & signa per corporis ministerium edidit: quam doctrinam & Cyrillus Alexandr. & alii post ipsum tradiderunt. TETIGIT EUM, ut ostenderet se tamquam legislatorem non esse subjectū legi, quæ leprosum tangi vetabat, ut Homil. 26. Chrys. In hoc ipso tamen scopū legis, non litteram spectabat. Nam vetabat hoc lex, non ut leprosi non sanarentur, sed ut tangentes non inquinarentur. Ipse autem contactu suo non fiebat immundus à lepra, sed maculam abstergebat. Quia ergò dixerat leprosus, SI VIS, respondit Christus, VOLO: quia dixerat, POTES ME MUNDARE, respondet ei, MUNDARE, id est, esto mundus: est enim Imperativus, ut ex Græco patet. Et CONFESTIM, quia nihil est medium inter opus Dei & præceptum. Voluntas enim Dei potestas est, inquit Ambros. initio lib. 5. in Luc. qui pulcrè notat tres hæreses in paucis verbis refu-

3. Et extendēs Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et cōfestim mundata est lepra ejus.

tari : *Volo* enim dixit, propter Photinum, *Imperat* propter Arium, *Tangit* propter Manichæum.

4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

4. ET AIT ILLI JESUS : VIDE, seu cave, NEMINI DIXERIS. Ita ostendens inquit Chrysost. Homil. 28. quàm esset alienus ab aura gloriæ, pompaque jactantiæ : simul docens nos, ut Ambros. loco cit. non vulganda nostra beneficia, sed premenda, ut non solùm à mercede abstineamus pecuniæ, sed etiam gratiæ seu favoris. SED OSTENDE TE SACERDOTI : ut per eum communioni hominum restituaris, juxta legem Levit. 14. vers. 2. ET OFFER MUNUS, QUOD PRÆCEPIT MOYSES : id est sacrificium, ibidem præscriptum, sub quo totus purificationis ritus comprehenditur. IN TESTIMONIUM ILLIS. Jungendum videtur non cum, *præcepit*, sed cum, *offer*, &, *ostende* : q. d. ut hæc ostensio & oblatio illis testimonium dicant tum innocentiæ meæ, quem calumniantur legis adversarium, tum potestatis meæ, quâ leprosus mundatus est: ut ita vel in me credant, vel isto ipso testimonio sint inexcusabiles, munus velut mundati accipiendo, & tamen non credendo in eum, cujus miraculum probaverint : quas rationes tangit Hieron. & Chrysost.

5. Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum,

5. CUM AUTEM INTROISSET CAPHARNAUM, ACCESSIT AD EUM CENTURIO: id est centum militum præfectus. Unde Gentilem fuisse vult Augustin. Serm. de verbis Domini cap. 2. jam erat Gens sub Romanis, quod & Auctor imperfecti sentit Homil. 22. & satis colligitur ex versu 10. & magis Lucæ 7. vers. 5. Quo pulchrè adumbratum fuit, gratiam ex Judæis, velut leprosis, id est partim sanis, partim languidis, ad gentes paralysi decumbentes & morti proximas cumulatiore fructu esse transferendam, Christo corpore absente, majestate præsente, ut Augustin. ibid. Nam quòd hîc dicitur : *accessit rogans*, & *dicens*, intellige non per seipsum, sed primò per seniores Judæorum, deinde per amicos, ut ex Lucæ 7. exponit Augustin. lib. 2. De consensu Evang. cap. 20. & lib. 33. contra Faustum cap. 7. & 8.

6. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

6. DOMINE PUER MEUS, id est servus, ut Lucas, ne filium intelligeremus, IACET IN DOMO PARALYTICUS, omnibus scilicet undique artibus fluidis, & ad consistendi officium agendique corruptis, ut solent esse Paralytici. ET MALE TORQUETUR, quod fieri solet in paralysi subita, nam lenta dolore caret.

7. Et ait illi Jesus: Ego veniam & curabo eum.

7. ET AIT JESUS ILLIS, id est Judæis, ejus nomine venientibus : EGO VENIAM, scilicet etiam ad servum, ut nos doceat non magnos colere & præterire mendicos. Cùm verò hoc fuisset renuntiatum Centurioni,

8. E respondens Centurio ait : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

8. RESPONDENS CENTURIO, nempè rursum non per se, sed per amicos, quos submisit, cùm non longè abesset Christus à domo, ut clarum est ex Luca, ait : DOMINE, NON SUM DIGNUS, UT INTRES SUB TECTUM MEUM, id est vel domum intres. Dicendo autem se indignum, præstitit dignum, non in cujus, parietes, sed in cujus cor Christus intraret, inquit Augustin. Sermone cit. SED TANTUM DIC VERBO, id est impera, dic unicum verbulum. Quâ phrasi agnoscit

ſummum ejus imperium, ſummamque ſolius juſſûs efficaciam, ut meritò putari poſſit, Chriſtum non ſolùm ut Meſſiam Judæorum, ſed ut verum Deum agnoviſſe.

9. NAM ET EGO, quamvis HOMO SUM, non Deus, uti tu, & SUB POTESTATE CONSTITUTUS, id eſt alteri ſubjectus, Tribuno aut Cæſari, non omnibus imperans, ſicut tu, tamen quia ſum HABENS SUB ME MILITES, id eſt quia nonnullam in quoſdam milites poteſtatem habeo, DICO HUIC: VADE, ET VADIT &c. id eſt multa ſolo juſſu facio. Argumentum enim petit à minori, quaſi diceret, inquit Auguſt. loco cit. homo ſub poteſtate, jubendi habeo poteſtatem, quid tu non poſſis, cui omnes ſerviunt poteſtates? Ex quibus verbis patet incomparabilis fides iſtius Gentilis, ſicut profundiſſima humilitas ex verſu 8. & humilitas erga ſervum, modeſtiaque ſupplicandi ex verſu 6.

9. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii, Veni, & venit; & ſervo meo, Fac hoc & facit.

10. AUDIENS JESUS MIRATUS EST, id eſt in modum mirantis ſe vultu habuit, & locutus eſt: quemadmodum iratus dicitur Deus, effectu ſcilicet non affectu, quia tranquillo judicio fecit id quod irati ſolent. Nam, ut Auguſt. lib. 1. contra adverſarium Legis & Prophetarum cap. 7. quiſquis miratur, inopinatum atque improviſum ſibi eſſe ſignificat quod miratur: Jeſu autem nihil erat inopinatum, ut pote qui ipſam Centurionis fidem in ipſo fecerat. Itaque, inquit Auguſt. id, quod mirandum aliis commendat, mirando (id eſt mirantis modo ſe habendo) laudabat. Nam, ut idem ait lib. 1. De Geneſi contra Manichæos cap. 8. tales motus ejus non perturbati animi ſunt ſigna, ſed docentis magiſtri.

10. Audiens autem Jeſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël.

ET DIXIT: AMEN DICO VOBIS, NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL: ex quo ſcilicet & cui ego prædicavi. Non enim agitur de Patriarchis, Joanne Baptiſta, Beata Virgine, ſed de populo, in quo verſabatur. Græcè expreſſiùs, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ *nec in Iſraël*, hoc eſt ne quidem in Iſraël, qui ſcilicet ab infantia Scripturas de Chriſto edoctus eſt, ideoque fide debebat antecellere. Quæ oppoſitio apertè probat, Centurionem fuiſſe gentilem: unde ex tanta ejus fide, veluti ſpecimine & præludio quodam, tranſit hîc ad prænuntiandam vocationem Gentium.

11. DICO AUTEM VOBIS QUOD MULTI, qui erant ſine Chriſto hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes: AB ORIENTE ET OCCIDENTE VENIENT, id eſt ab omnibus mundi plagis: ſub præcipuis enim comprehendit reliquas. ET RECUMBENT, ſcilicet ad menſam cæleſtem, ubi cibus juſtitia, ubi potus ſapientia, inquit Auguſt. illo ſermone 6. cap. 4. Nam Chriſtus more Scripturæ uſitato quietem & gaudium æternæ beatitudinis ſub convivii typo exprimit, ut clarè Lucæ 22. verſ. 29. & 30. CUM ABRAHAM, ISAAC ET JACOB, quibus promiſſio regni cæleſtis ſub typo terræ Chanaan facta eſt, IN REGNO CÆLORUM: ut cum illis, tamquam Patribus ſuis ejuſdem conſortes fiant beatitudinis, quia fidei imitatio faciet eos filios.

11. Dico autẽ vobis quòd multi ab Oriente, & Occidente venient & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Jacob in regno cœlorum:

12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

12. FILII AUTEM REGNI : id est, indigenæ, quia in regno Judaïco quod erat typus regni cælestis, nati, & consequenter ad ipsum regnum cœlorum primi vocati, & quodammodo destinati : quia, ut Apost. ad Roman. 9. vers. 5. illorum adoptio erat filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa. EJICIENTUR, seu expellentur, IN TENEBRAS EXTERIORES. Infernum intelligi non est dubium. Vocatur *Tenebræ*, quia locus tenebrosissimus : tum respectu lucis corporalis, quia vel vis illuminandi ab igne inferni penitus adest, ut vult Basil. in Psal. 28. vel certè, si ad aliquid lucet, hoc eis tormento est, non solatio, ut Greg. 9. Moral. cap. 39. alias 48. tum etiam respectu lucis, spiritualis, quia, ut August. in Psal. 6. est ibi summa mentis cæcitas, in quam qui traditur, ab interiori Dei luce penitùs secluditur : quod nondum fit, dum in hac vita est: Et hâc de causâ putat August. vocari infernum *tenebras exteriores*, quasi dicas extimas, seu extremas, id est profundissimas, tamquam à regni cælestis luce remotissimas. Quamquam veri sit valde simile, simul ad hoc respici, quod passim in Scripturis cæleste regnum sub typo cœnæ describatur, Luc. 14. v. 16. Apocalyp. 19. vers. 9. Cæna autem multo lumine celebrari solet : ut meritò inde pulsi, in tenebras exteriores pelli dicantur, tamquam extra cœnam regni positas, ut sic opponantur luci domesticæ, ex qua ejiciuntur. Ne verò suaves aliquas veluti nocturnas tenebras suspicaremur, addit : IBI ERIT FLETUS, qui signum est summi doloris, tristitiæ ac perturbationis : ET STRIDOR DENTIUM, signum maximi horroris, vel certè furoris & iracundiæ. Nam Græcum βρυγμὸς etiam *fremitus* transferri possit, ut patet Act. 7. vers. 54. ubi dicitur ἔβρυχον τὸς ὀδόντας id est stupebant seu frendebant dentibus, nempe ex rabie. Non desunt tamen, qui hîc duplex Gehennæ tormentum indicari volunt : fletus ex calore; stridoris dentium ex frigore, idque ex Job 29. vers. 19. ubi Commentarius Hieronymo attributus hoc docet. Sed res ista incerta est.

13. Et dixit Jesus Centurioni : Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

13. ET DIXIT JESUS CENTURIONI, in amicis, quos ad Jesum miserat : VADE. Hebraismus est quo conceditur id, quod petitur, Judic. 11. vers. 38. 1. Reg. 17. vers. 37. & alibi passim. ET SICUT CREDIDISTI. me absentem solo verbo puerum sanare posse, FIAT TIBI. ET SANATUS EST PUER IN ILLA HORA, hoc est protinus illo ipso temporis momento, ut clariùs expressit Syrus.

Et cùm venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, & febricitantem :

14. ET CUM VENISSET JESUS. Non dicit *post hæc*, &c. nam ista tota historia & cætera usque ad finem Capitis 9. contigisse videntur ante sermonem Domini in monte, ut pote qui habitus fuit ad duodecim Apostolos jam electos, ut patet Lucæ 6. cùm tamen Matthæus hîc tantùm capite 9. eligatur. Est igitur omissorum recapitulatio. Cùm venisset ergò IN DOMUM PETRI, quæ Marci 1. vers. 29. dicitur *Simonis* & *Andreæ* : vel quia eorum fuerat, jam enim reliquerant omnia; vel quia patris eorum erat; vel denique, quia spectaret ad socrum Petri & in ea solerent hospitari. VIDIT SOCRUM EIUS IACENTEM ET FEBRICITANTEM, id est ita graviter febricitantem,

ut decumberet. Et cùm rogassent eum pro ea, ut narrant alii.

15. Et tetigit manum ejus, & dimisit eam febris, & surrexit, & ministrabat eis.

15. TETIGIT MANUM EIUS ET SURREXIT, id est, ut Marcus, *Elevavit eam, apprehensa manu ejus*: ET DIMISIT EAM FEBRIS: ipso scilicet carnis contactu vivificæ, & imperio, ut Lucas addit, fugata. ET MINISTRABAT EIS: prandium scilicet Jesu & discipulis à Synagoga redeuntibus. Quo significat non solùm liberatam à febri, sed præter morem vulgaris medicinæ subitò etiam vires ei fuisse restitutas.

16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus verbo: & omnes malè habentes, curavit:

16. VESPERE AUTEM FACTO. Addit Marcus cap. 1. vers. 32. *Cùm occidisset sol*, videlicet quia erat sabbatum. ibid. vers. 2. ut ita indicaret eos ipso die abstinuisse à ferendis ægrotis, quod propter festivitatem non licere sibi crederent. Vespere autem sabbatum finiebatur, Levit. 23. vers. 32. OMNES MALE HABENTES CURAVIT, singulis scilicet imponens manus suas, ut Lucas addidit.

17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: & ægrotationes nostras portavit.

17. UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST &c. id est ita ut adimpleretur. Eventus enim ex sanatione consecutus, non finis sanandi indicatur. IPSE INFIRMITATES NOSTRAS ACCEPIT, id est, abstulit. Et ÆGROTATIONES, seu morbos nostros, IPSE PORTAVIT, id est, asportavit. Plerique putant ea, quæ de peccatis dixit Isaias, tamquam quæ Christus in cruce tulit, Matthæum sensu accommodatitio ad corporis infirmitates transtulisse. Sed nihil obstat, quo minùs Isaias de utrisque, id est, tam de peccatis quàm corporis morbis, intelligatur, cùm hi sint illorum effectus: ut hic sit Prophetæ sensus: IPSE INFIRMITATES NOSTRAS, tam corporis quàm animi, totâ vitâ & maximè in cruce TULIT, pro iis patiendo, & consequenter ABSTULIT, ET ÆGROTATIONES, seu dolores nostros, IPSE eodem modo PORTAVIT, & consequenter asportavit. Neque enim aliâ de causâ satisfaciendo tulit, quàm ut auferret; quod plenissimè in Sanctis suis in ipsa etiam corporum resurrectione præstabit.

18. Videns autem Jesus turbas multas circà se, jussit ire trans fretum.

18. VIDENS AUTEM TURBAS MULTAS. Et tacitè causa trajectûs redditur, ut nempe multitudinem, humanámque laudem, tot miraculis adhærentem, fugeret. Cúmque eum abire paratum videret Scriba quidam, ait:

19. Et accedens unus Scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris.

19. SEQUAR TE, QUOCUMQUE IERIS, id est, paratus sum instar discipuli tibi adhærere, & quocumque volueris sequi. Ad cujus non tam verba quàm animum, DICIT JESUS: VULPES, animalia licet hominibus invisa & noxia, FOVEAS HABENT, in quibus commodè lateant, dormiant, foveantur ab aëtis injuriis, & iisdem de causis VOLUCRES CŒLI NIDOS; Græcè κατασκηνώσεις, *umbracula*, propriè ex frondibus & ramis, ut sunt avium nidi. FILIUS AUTEM HOMINIS, id est ego seu Christus; Græcè est ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, genere masculino. Unde apud Justinum quæstion. 66. inferebant, Christum ex hominis concubitu natum. Verùm est Hebraismus seu periphrasis Hebraica, quâ simpliciter indicare solent hominem, ut patet Psalm. 8. vers. 5. & Job 25. vers. 6. *filius hominis vermis*. Sed tamen cum quadam efficaciori expressione humanæ miseriæ, utpote cui magis obnoxius est.

qui longâ serie ex homine misero miser nascitur. Et hâc de causâ nemo in Evangeliis vocavit Christum filium hominis, nisi ipse seipsum commendans nobis, tum quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis, inquit Augustin. libro 2. De consensu Evangel. cap. 1. nempè magnum illud incarnationis & exinanitionis suæ beneficium: tum etiam se esse illum, quem Prophetæ carnem assumpturum prædixerant, eóque ipso nomine, Dan. 7. vers. 13. filium hominis appellaverant, ut notat Theodoret. in illum locum & Epiphan. Hæresi 57. numer. 8. NON HABET, ne tantillum quidem commodi aut proprii,

20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autē hominis non habet ubi caput reclinet.

UBI CAPUT RECLINET: ex itineribus lassus, aut somno oppressus: qu. d. inquit Hieronym. Quid me propter divitias & sæculi lucra sequi cupis, putans me miraculis quæstum facere, cùm tantæ sim paupertatis, ut ne hospitiolum quidem habeam, nec proprio utar tecto? Augustin. tamen quæst. 5. in Matth. putat eum miraculis commotum voluisse sequi Christum, propter jactantiam, quam significavit Christus per volucres cœli; finxisse autem discipuli obsequium, quem dolum significaverint vulpes. Utrumvis verum sit, hâc responsione tacitè eum taxat, & à proposito deterret, nempe ut se mutatis moribus sequeretur.

21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum.

21. ALIUS AUTEM DE DISCIPULIS, id est, jam vocatus ad discipulatum ejus, AIT ILLI: PERMITTE ME PRIMUM SEPELIRE PATREM MEUM: id est, senectuti ejus inservire usque ad sepulturam, inquiunt aliqui, quasi pater adhuc vixisset. Sed rectiùs Chrysostom. & Augustin. Serm. 7. de verbis Dom. intelligunt vere mortuum fuisse, & à sepeliendo hunc prohibitum, quia Christus, inquit August. quando parat homines Evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis hujus temporalisque pietatis. Amandus est enim generator, sed præponendus creator. Nam ideò Lucas adjecit: TU AUTEM VADE, ET ANNUNTIA REGNUM DEI. Quasi diceret Christus, Ego ad Evangelium te voco, quod majus est, quàm id, quod parentibus vis impendere; cùm non desint alii, qui opportuniùs id officium parenti impendent. Itaque

22. Jesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

22. SEQUERE ME, omnibus postpositis mihi individuus adhære, ET DIMITTE MORTUOS, quantum ad animam, SEPELIRE MORTUOS suos, id est, sibi similes, corpore scilicet mortuos: q. d. Tu cælesti vitæ dedicatus vitam annuntia, mortui animâ mortuorum curam gerant.

23. Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.

23. ET ECCE MOTUS MAGNUS FACTUS EST IN MARI, id est, lacu Galileæ, idque non fortuitò, sed ipso Christo faciente, ut ita discipuli compellerentur ad invocandam opem Dei, ad Christi potentiam, suæque fidei infirmitatem agnoscendam. His enim de causis solet Deus etiam tentationes justis probandi causâ excitare. IPSE VERO DORMIEBAT: vero quidem somno, ad probandam naturæ susceptæ veritatem, sed tamen voluntario: ne, si eo vigilante contigisset tempestas, vel non timerent discipuli; vel eo invito contigisse, vel ab eo non posse sedari suspicarentur. Ipsis verò immodicè trepidantibus dicit:

26. Et dicit eis Iesus : Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.

26. QUID TIMIDI ESTIS? id est, quid tanto timore consternati estis? Unde Marci 4. vers. ultim. additur Græcè, *quid sic*, vel *adeò timidi estis*? Arguit enim non quemlibet timorem, sed eum, qui fidem opprimit, pacem turbat, fiduciam in Deo minuit: ex quo clamabant, ut habet Lucas Græcè, *Præceptor, præceptor*, itemque *perimus*, id est, actum est de nobis. Unde causam tanti timoris taxans, vocat eos MODICÆ FIDEI: qua vel non crederent: vel non fiderent se à dormiente posse liberari. Fides enim hîc, vel credulitatem, vel fiduciam potest significare, & in utraque infirmi erant.

TUNC SURGENS IMPERAVIT VENTIS ET MARI. Græcum ἐπετίμησε significat *increpavit*, ut est apud Luc. quod apud Marcum dicitur *cominatus est*: quæ omnia propriè in creaturis ratione præditis locum habent. Hîc autem tantùm significant vocem ejus, quâ quasi imperando & increpando dixerat: *Tace & obmutesce*, fuisse efficacem, ita ut ventus & mare auctoritati & voluntati ejus obediverit, ut sequitur; non quidem sentiendo, sed motum ex imperio impressum suscipiendo & sequendo. ET FACTA EST TRANQUILLITAS MAGNA, ne vestigio quidem turbationis reliquo, ut post tempestatem fieri solet.

27. Porrò homines mirati sùt dicentes: Qualis est hic quia venti & mare obediunt ei?

27. PORRO HOMINES MIRATI SUNT: tam discipuli, ut Luc. quàm ii, qui erant in aliis navibus, quas Marc. adfuisse dicit cap. 5. vers. 36. DICENTES: QUALIS EST HIC? quasi dicerent, Profecto longè alius est, & major, quàm hactenùs eum existimavimus, nempe dominus ventorum & marium, ut potè quæ arbitrio ejus subjacent. Præclarus typus est hæc historia rerum futurarum, quem August. tum alibi sæpiùs, tum in Psalm. 25. exposuit. Tropologicè enim stagnum hæc vita est; tempestas, tentatio, Jesus dormiens, fides sopita; evigilatio, invocatio; tranquillitas, liberatio. Allegoricè Tertull. libr. De baptismo cap. 12. navicula est Ecclesia, mare sæculum, fluctus persecutiones & tentationes, somnus Domini patientia. In fine Sanctorum precibus excitatus sæculum compescet, & suis reddet tranquillitatem.

28. Et cùm venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam.

28. ET CUM VENISSET IN REGIONEM GERASENORUM. Græcus hîc legit Γεργεσηνῶν, id est, *Gergesenorum*, seu *Gergesæorum*, qui fuerunt populi à quinto filio Chanaan procreati, Genes. 10. v. 16. *Gergesa* verò, ut Hieron. De locis Hebraïcis, civitas fuit trans Jordanem, juncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse. Hæc, inquit, esse nunc dicitur *Geraſa*, urbs insignis Arabiæ, quam suo tempore dicit fuisse viculum supra mare Tiberiadis. Idem confirmat in Abdiam sub finem. Syrus hîc, & Græcus apud Marcum & Lucam legunt *Gadarenorum*, à civitate *Gadara*, quam propterea multi eamdem cum *Garasa* esse putant. Sed falluntur: nam & Hieron. ibid. & Josephus libr. 2. De bello Jud. cap. 19. apertè distinguunt. Utraque tamen erat trans amnem Jordanem, & non procul ab invicem dissita. Unde ab utravis eadem regio nunc *Geragenorum*, nunc *Gadarenorum* dicitur. OCCURRERUNT EI DUO HABENTES DÆ-

MONIA, seu Dæmoniaci. Marcus & Lucas non nisi unius meminerunt, nempè quia unus erat vel sævior cæteris, vel, ut Augustin. lib. 2. De consensu Evangel. cap. 24. personæ alicujus famosioris, de quo facti hujus fama latiùs præclariúsque fragaverat.

DE MONUMENTIS EXEUNTAS: in quibus habitabant. Monumenta enim Judæorum erant extra civitatem, ne præsentiâ eorum polluerentur, ac ferè in montibus & desertis locis, 4. Reg. 23. versu 16. Idque vel in speluncis, ut sepulchrum Abrahæ fuit; vel instar cubiculorum spatiosorum in rupibus excisa, ut Christi Domini. Eò loci Dæmoniacos illos dæmones adegerant, ut scilicet dignum esset principe mortis habitaculum; ut tanto major esset horroris ac sævitiæ species; ut denique errorem illum pernicioſum hominibus persuaderet, animas hominum in dæmones commutari, ut notat Chrysost. Homil. 28. Nam hoc sensisse Plotinum & Platonicos tradit Augustin. lib. 9. de Civit. cap. 11. & Origeni adscribit Hieron. Epistol. 59. & Tertullian. idem Augustin. Hæresi 86. SÆVI NIMIS, id est, valde. Sævitiam eorum latiùs describit Luc. cap. 8. & Marc. cap. 5. Quomodo verò tropologicè peccatores in sepulchris habitent, & sæviant vide latè tractantem Chrysost. Hom. 29. in fine.

29. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis & tibi Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?

29. ET ECCE CLAMAVERUNT, DICENTES: QUID NOBIS ET TIBI? id est, Quid tibi nobiscum rei aut negotii est? Quid tibi molesti sumus, ut rebus nostris te interponas, aut nobis molestus sis? Sunt enim verba expostulantium & conquerentium cum eo, quem non lædebant, sed venerabantur, quia præcipiebat eis exire, ut Luc. & Marc. Phrasis est usitata Hebræis, & Scripturis frequens, ut infrà cap. 27. versu 19. & 2. Reg. 16. vers. 10. & alibi. JESU FILI DEI. Nam, ut alibi dicit Lucas, cap. 4. versu 41. dæmones sciebant eum esse Christum, tametsi antea in deserto jejunantem non cognovissent. Sciebant autem eum per quædam temporalia divinæ virtutis effecta, & occultissimæ signa præsentiæ, quæ angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potiùs, quàm infirmitati hominum possunt esse conspicua: quæ quando paululum supprimenda judicavit Christus, & aliquanto altiùs latuit, dubitavit de illo dæmonum princeps, ut explicat Augustin. 9 de Civitate, capite 21. Christus enim tantùm eis innonuit, inquit, quantum voluit: tantum autem voluit, quantum oportuit. VENISTI HUC ANTE TEMPUS TORQUERE NOS? Tum quia tormentum est dæmonibus, eos relinquere, quos affligunt: tum quia metuebant, ne in abyssum relegarentur, ut Lucas ait, ubi præter supplicium, quod ubique circumferunt, privarentur grassandi in homines licentiâ. Ideóque dicunt, ANTE TEMPUS, id est, magnum judicii diem, ut Augustin. 8. de Civit. cap. 23. quo æternâ damnatione unà cum hominibus puniendi sunt.

30. Erat autem non longè ab illis, grex multorum porcorum pascens: sive spectaret ad Gentiles; erat enim Gadara

30. ERAT AUTEM NON LONGE AB ILLIS, nempè partim circa montem, ut Marcus, partim in ipso monte, ut Luc. GREX MULTORUM PORCORUM PASCENS: sive spectaret ad Gentiles; erat enim Gadara

urbs Græcanici instituti, ut testatur Josephus 7. Antiquitat. capite 13. sive etiam ad Judæos. Porcus autem & similia immunda animalia comedere quidem Judæis vetitum fuit, non autem alere, Gentibus vel exercitui Romano vendere, lardo ad unctiones plaustrorum, &c. uti, sicut satis colligitur ex Deuteron. 14. versu 21. & in mulis atque asinis manifestum est.

rum porcorum pascens.

31. DÆMONES AUTEM ROGABANT EUM, ut constaret illos ne tantillum quidem posse, nisi permittente Deo: SI EJICIS NOS HINC, MITTE NOS, non extra regionem, ut Marc. hoc est extra illum districtum, ubi hominibus, sibi longâ consuetudine notis, maxime nocere possent, nec etiam in abyssum, ut Luc. sed IN GREGEM PORCORUM: tum ut vel sic odium ac rabiem suam in homines effunderent: tum verò ut homines porcorum jacturâ consternati, vel exasperati, ut colligitur ex versu ultimo prædicationem Christi respuerent.

31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

32. ET AIT ILLIS: ITE, sicut petitis. Est enim permittentis, ut ex Græco constat, quamquam alioquin & jubentis esse posset. Annuit itaque petitioni dæmonum, non ut pœnas homines darent neglectæ legis, quòd porcos alerent, ut putat Jansenius in Concordia; nam suprà paruit esse falsum: sed ut esset testimonium, verè dæmones egressos esse; ut constaret ipsis liberatis beneficii magnitudo, tum liberationis ex tanta multitudine dæmonum, tum conservationis ex illo furore & strage, qui similem in se exercuissent, nisi Deus vetuisset; ut fama miraculi latiùs spargeretur in gloriam Christi; ut convincerentur Sadducæi, negantes esse spiritus, quod Hilarius notavit; denique, ut Augustin. Tractat. 9. in Epistol. Joan. ut ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt. ET ECCE IMPETU ABIIT TOTUS GREX PER PRÆCEPS, Græcè κατὰ τοῦ κρημνοῦ, *è præcipitio*, id est, ex abrupto loco se præcipitarunt: quem sensum Syrus indicat vertendo, *totus grex iste rectè contendit sursum in rupem, & corruerunt* IN MARE, videlicet ex scopulis, mari Genesareth imminentibus, se præcipitantes.

32. Et ait illis: Ite. At illi exeũtes abierunt in porcos; & ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare; & mortui sunt in aquis.

33. PASTORES AUTEM FUGERUNT: spectaculo territi, & ut rem dominis & civitati nuntiarent, quò constaret se esse extra damni culpam.

33. Pastores autem fugerunt: & venientes in civitatem, nunciaverunt omnia, & de eis qui dæmonia habuerant.

34. ET ECCE TOTA CIVITAS, miraculo & damno inexpectato excitæ, EXIIT OBVIAM JESU, quem ex pastoribus intellexisse videntur versus civitatem tendere. Causa verò adjungitur, ET VISO EO ROGABANT EUM UT TRANSIRET, seu discederet, A FINIBUS EORUM. Hujus petitionis rationem petit Hieron. ex humilitate, qua se præsentia Domini indignos judicabant; sicut & Petrus, quando dixit, *Exi à me*, &c. Sed veram causam indicat Lucas, *Quia magno timore tenebantur*, ne scilicet gravioribus forsan afficerentur damnis, sive aliorum animalium, sive etiam ipsius vitæ suæ, ad præsentiam tantæ sanctitatis & potestatis. Similem timorem indicabat Sareptana 3. Reg. 18. versu 18. Timor igitur iste etsi reverentiam

34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu, & viso eo rogabāt, ut transiret à finibus eorum.

quamdam & ſubmiſſionem erga Chriſtum haberet conjunctam; carnalis tamen fuit, cui amor agnoſcendæ ab eo veritatis prævalere debuiſſet. Myſticè tractat hanc hiſtoriam latè Hilar. can. 8. in Matthæum & Ambroſ. libro 6. in Luc. in fine.

CAPUT IX.

1. Et aſcendēs in naviculam, transfretavit, & venit in civitatē ſuam.

1. ET ASCENDENS IN NAVICULAM TRANSFRETAVIT, ſcilicet lacum Geneſareth, rediens in oppoſitam ripam, unde venerat. Itaque Geraſenis facile acquieſcit, docens reipſa id quod verbis præſcribit capite decimo, non eſſe prædicandum invitis, & nolentibus prædicationem recipere. ET VENIT IN CIVITATEM SUAM: non Bethleem, ut putavit Sedulius, nec Nazareth, ut Hieronym. ſed Capharnaum, ubi paralyticum iſtum ſanatum fuiſſe clarè indicat Marc. capite 2. verſu 1. & conſentit Chryſoſt. quæ vocatur SUA, quia in ea frequentiùs commoratus eſt.

2. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Ieſus fidem illorum, dixit Paralytico: Cō fide fili: remittuntur tibi peccata tua.

2. ET ECCE OFFEREBANT EI PARALYTICUM. Cauſam & modum Matthæus tacet, ſed exprimit Marcus. Cùm enim non poſſent eum offerre illi, præ turba, quæ ad januam ſtabat, per tectum ſupernè apertum eum demiſerunt. Itaque VIDENS JESUS, ex iſto conatu, & facto tam inuſitato, FIDEM ILLORUM, offerentium, ut Hieron. & ex narratione omnium Evangeliſtarum, maxime Lucæ, videtur colligi. Hæc enim tum ad plenam ſanitatem corporalem, tum ad pœnitentiam peccatori impetrandam, prodeſſe poteſt. Fidem tamen ipſius paralytici etiam adfuiſſe colligit Chryſoſt. ex eo, quòd ita ſeſe offerri paſſus eſt. Porrò fides hîc videtur non ſolùm aſſenſum in id, quod de Chriſto credendum erat, ſed ſimul fiduciam impetrandi, quæ ex fidei firmitate ſolet naſci, comprehendere. Cui potiùs, quàm charitati offerentium, aut patientiæ paralytici, tribuitur hîc & alibi ſanitas, non quod excludantur, ſed partim quia fides prima eſt ordine, partim quia ei proprium eſt impetrare id, quod credit & ſperat, partim denique ut ita fides in Chriſtum commendaretur. DIXIT PARALYTICO: CONFIDE FILI: id eſt, bono animo, & magna fiducia eſto: id enim quod petis impetrabis. REMITTUNTUR TIBI PECCATA TUA, hoc ipſo dicto, quo ea remitti pronuntio. Unde Græcus dictum factum indicans legit ἀφίωνται *remiſſa ſunt tibi peccata tua*, hoc eſt, cauſa ſublata eſt, per quam morbus inflictus fuerat. Ex quo ſatis colligitur, paralyticum iſtum, cùm ſanitatem à Chriſto tamquam pœnitentiæ publico præcone ambiret, concepiſſe ſimul anteactæ vitæ pœnitentiam, ſive ei propter fidem offerentium, aut propriam data fuerit, ſive non.

3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat.

3. ET ECCE QUIDAM DE SCRIBIS, de Legis & Scripturarum peritia ſibi placentibus, quæ peccatorum remiſſionem paſſim Deo tribuunt, DIXERUNT INTRA SE, in corde ſcilicet, id eſt, cogitabant: HIC BLASPHEMAT, nempè in Deum, contumeliosè in Deum loqui-

rur, sibi arrogando, quod Deo proprium est, ideò ejus majestati derogando. Livor & malevolentia in deteriorem partem verba Christi rapiebant. Non enim dixerat, *remitto*, sed *remittuntur*; quod intelligi poterat, à Deo, ut esset non efficientis, sed afferentis.

4. Et cum vidisset Jesus: non conjecturis, sed quasi oculis perspexisset, cogitationes eorum; ita facto ipso suam divinitatem, & se blasphemare probans, Dixit: Ut quid, &c. 5. Quid est facilius dicere, &c. Si nuda verba spectes, æquè facilè est utrumvis dicere: sin rem, longè difficilius est dimittere peccata, quàm corpori etiam propria auctoritate sanitatem dare, juxta illud Auguſt. Tract. 72. in Joan. Justificatio impii majus est opus, quàm cœlum & terra. Itaque Quid facilius est dicere? ita scilicet, ut dicentis auctoritas non periclitetur, neque mendacii argui possit. Nam dicere, Dimittuntur tibi peccata, obscuræ veritatis est, quæ credi debeat, ut videri non possit, etiam tum quando verè dimittuntur. Dicere verò, surge et ambula mox palpabilem requirit probationem sanitatis consequentis: alioquin temeritatis, ac mendacii confestim ex re ipsa arguetur. Non ergò Christus hîc asserit aut probat sanationem corporalem esse difficiliorem remissione peccatorum: sed ex veritate assertionis de re visibili, ubi effectus mox adesse debet, probat sibi etiam esse credendum, asserenti invisibilem remissionem, quam quivis facilè jactare posset sine periculo convincendæ falsitatis. Nam, ut Chrysost. Hom. 3. alterum horum latet, alterum patet. Quod quamvis minùs sit in se, est tamen manifestius, ut illud majus, ac invisibile reddatur certius & confirmatius. Hunc sensum postulat id quod sequitur.

4. Et cùm vidisset Iesus cogitationes eorũ dixit: Ut quid cogitatis mala in in cordibus vestris?

5. Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula?

6. Ut autem sciatis, &c. id est, ut id, quod latet, ac temerè dictum à me arbitramini, ex eo, quod oculis patet etiam verum esse intelligatis. Tunc ait paralytico. Verba sunt non Christi, sed Evangelistæ, quibus significat Christum subitò, relictis quasi Scribis, ad paralyticum se convertisse. Unde quamvis deessent, sensus perfectè constarent. Surge et tolle lectum tuum: ut quod erat testimonium infirmitatis, fiat probatio sanitatis: et vade in domum tuam, ne phantasticum putetur id quod factum. Unde ad faciendam testatissimam fidem,

6. Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittẽdi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

7. Surrexit et abiit in domum suam.

8. Videntes autem turbæ timuerunt, Græcè ἐθαύμασαν, *admiratæ sunt*, sed admiratione timori adjuncta. Nam, ut Lucas cap 5. vers. 26. *stupor apprehendit omnes, & repleti sunt timore*: quod fieri solet, quando subitò maxima opinio, & reverentia de aliquo concipitur, sicut simili de causa 3. Reg. 3. vers. 28. dicuntur timuisse Salomonem. Et glorificaverunt Deum, ejus benignitatem laudibus celebrando, Qui seu quia, dedit potestatem talem, remittendi scilicet peccata, & visibilibus istis miraculis confirmandi hominibus, homini per enallagen numeri. Unde non videtur quicquam sublimius homine, seu occultum illud incarnationis Dei mysterium agnovisse.

7. Surrexit, & abiit in domũ suam.

8. Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificaverũt Deũ, qui dedit potestatem talem hominibus.

9. Et cùm trâsiret inde Iesus, vidit hominem sedentẽ in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.

9. ET CUM TRANSIRET INDE JESUS, versus mare scilicet, ut indicat Marcus 2. v. 34. VIDET HOMINEM SEDENTEM IN TELONIO, id est, in domo, quò adferuntur vectigalia, occupatum scilicet negotiis officii Publicanorum. Nam τελώνης ad verbum significat emptorem, seu redemptorem publicorum vectigalium, & τελώνιον locum, vel etiam mensam, ubi colliguntur. MATTHÆUM NOMINE. Marcus & Lucas vocant *Levi*, binominis enim fuit: sic tamen, ut post Christi discipulatum usitatius fuisse videatur *Matthæus*, antè *Levi*; illud fortasse à Christo impositum, hoc à parentibus. Unde Hieron. notat cæteros Evangelistas, propter verecundiam & honorem Matthæi, noluisse eum nomine appellare vulgato: quod Matthæus ipse ex humilitate fecit, sicut cap. 10. se Publicanum vocat, ut nomen suum, & infame officium indicando, perpetuum relinqueret suæ gratitudinis divinæque benignitatis, & gratiæ, ac potestatis monumentum. ET AIT ILLI, cui jam tot miraculis innotuerat: SEQUERE ME, meo discipulatui indivulsè inhærendo, qui ut Chrysost. miraculorum jam famâ perdomitus, & ut Hieron. majestate divinitatis occultè in humana facie relucente tractus, potenti denique gratiâ persuasus, & proinde non irrationabiliter, sicut Julianus Augustus & Porphyrius calumniabatur. ET SURGENS, SECUTUS EST EUM, spretis & lucris & periculis, quæ ipsi totique familiæ imminebant, quò rationes vectigalium non confectas relinqueret, inquit Basil. in Regulis fusiùs disputatis, respon. 8. Unde promptissimæ obedientiæ exemplum extollit Chrysost. Et hæc quantum ad animum. Antequam tamen omnibus reipsa se abdicaret, Christum domo & splendidis epulis excepit, quasi sic suis valediceret. Nam

10. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum Iesu & discipulis ejus.

10. DISCUMBENTE EO IN DOMO; ipsius Matthæi, qui, ut Lucas, fecit ei convivium magnum, quod modestiæ causa Matth. tacet. Hoc autem sicuti de bonis suis fecit; ita & potuit rationes administrationis suæ Domino permittente reddere. ECCE MULTI PUBLICANI ET PECCATORES DISCUMBEBANT CUM JESU, sive invitati à Matthæo, sive ultrò, exemplo sequentis Matthæi, & Christi humanitate tracti, quia Marcus ait: *Erant enim multi, qui sequebantur.* Peccatores autem quia distinguuntur à Publicanis, videntur homines fuisse vitæ apertè improbæ & infamis.

11. Et videntes Pharisæi; dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?

11. ET VIDENTES PHARISÆI, id est, cùm intellexissent post convivium (patet enim Pharisæos non interfuisse) DICEBANT DISCIPULIS EIUS, tamquam minùs instructis ad subornandam accusationis malitiam, reddendamque sui facti, & magistri rationem. Accusandi enim non admonendi causâ ista dicebant, non ad instruendos, à Magistro discipulos. QUARE CUM PUBLICANIS ET PECCATORIBUS MANDUCAT MAGISTER VESTER? & vos cum illo? hoc enim addit Lucas. Magistrum tamen præcipuè impetebant, tamquam qui peræàm suos verbis & factis instrueret, nec habendum esse virum sanctum, qui peccatorum consortio gauderet. Quos ipsi Pharisæi videntur vitasse, non eo animo, quo vitari debent, nimirum ne

communicans ſuperbo induat ſuperbiam, & tangens picem inquinetur ab ea, hoc eſt, ne mores eorum familiaritate addiſcantur, vel etiam ne ipſi peccatores in improbitate roborentur: ſed ex faſtu & errore, ne ſicuti juxta legem contactu rei immundæ, ita etiam peccatis inquinarentur. Unde Dominus veram converſationis ſuæ, cum illis cauſam aperiens

12. Non est opus, inquit, valentibus medicus, quatenus ſcilicet rectè valent; & ideo vos, tamquam qui ſanos vos eſſe creditis, non frequento: q. d. Medicus ſum peccatorum, non ſocius, non ut foveam peccata, ſed ſanem; atque ita laude, non reprehenſione dignus. Niſi fortè quis eo nomine medicum accuſet, inquit Nazianz. Orat. 36. quòd morbo ſe inclinet, fœtoremque ſuſtineat, ut ægrotis ſanitatem donet. Unde ex ſcriptura factum ſuum probans,

12. At Ieſus audiens, ait Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habẽtibus.

13. Euntes discite, id eſt ite, ac diſcite, non tam ſcientiâ quàm affectu & opere, quid ſibi velit illa Dei per Prophetam ſententia, & tunc ſcilicet accuſate me. Misericordiam volo et non sacrificium, id eſt, magis quam ſacrificium ut legit Aug. libr. 20. contra Fauſt. c. 16. Patet ex eo, quod ſequitur, *& ſcientiam Dei pluſquam holocauſta*. Ex quo etiam patet, per *Sacrificium* intelligi holocauſta, id eſt, externa ſacrificia. Nam, ut Auguſtin. libro 10. de Civit. cap. 5. nihil aliud hîc, niſi ſacrificio ſacrificium prælatum oportet intelligi, ſcilicet extremo religionis ſacrificio internum miſericordiæ, juxta illud Apoſt. ad Hebræos 13. verſ. 16. *Talibus enim hoſtiis promeretur*, id eſt placatur, aut delectatur, *Deus*. Non enim veni. Ratio datur verſus duodecimi, non decimitertii: q. d. Proprium officium meum eſt, eſſe medicum: non ergò miremini, ſi cum ægrotis verſer. Non enim in mundum miſſus ſum, ac veni vocare iustos, sed peccatores, ubi exponit, ut antè juſtos, utique ſanos; peccatores autem appellavit ægrotos, inquit Auguſt. de natura & gratia cap. 19. Græcus hîc, atque etiam Latinus apud Lucam addit, *ad pœnitentiam*: quod tamen ſatis indicatur per verbum, *vocare*, ſi propriè ſumatur. Vocatio enim juxta Apoſt. ad Rom. 8. verſ. 30. præcedit ad juſtificationem. Eſtque illud primum beneficium, quo homo invitatur à tenebris ad lucem, à peccatis ad Deum, id eſt, ab ægritudine ad ſanitatem, propter quod Chriſtus in mundum venit, aliàs non venturus, & quo jam juſti non indigent.

13. Euntes autem diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.

14. Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis, à Phariſæis ſubornati, ut per os eorum, jam æmulatiunculâ aliquâ adverſus Chriſti diſcipulos laborantium, reſponſum Chriſti refellerent: nam Marcus & Lucas indicant Phariſæos ſimul acceſſiſſe. Dicentes: Quare nos et Pharisæi ieiunamus frequenter? jejuniis non ipſius Legis, quæ ab omnibus obſervabantur, ſed ſpecialibus, magiſtrorum juſſu, vel inſtituto ſuſceptis. Unde Phariſæus ille: *Ieiuno bis in ſabbato*, id eſt, quâcumque hebdomadâ. Discipuli autem

14. Tunc acceſſerunt ad eum diſcipuli Ioannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi, jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui non jejunant?

TUI NON IEIUNANT? Plus significare volunt, quàm dicunt, quod Lucas expressit, cùm eos dixisse notat, *Discipuli tui edunt, & bibunt*, id est, indulgent genio, cum Publicanis & peccatoribus manducando. Nam hac de causa vocatus fuit ipse Christus *homo vorax, & potator vini*, infrà cap. 11. vers. 19. Itaque sensus calumniæ est: Convivia tua cum peccatoribus excusas, prætextu misericordiæ; cur saltem discipulos tuos non doces perfectionem, quam nos profitemur? Sperabant enim Pharisæi sic fore, vel ut disciplinam Joannis omnibus probatam damnare cogeretur, vel suam, quibus urbanissimè respondet:

15. Et ait illis Iesus: Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus: & tunc jejunabunt.

15. NUMQUID POSSUNT FILII SPONSI LUGERE? Sponsum se oportunè vocat, quia sic ab eorum magistro vocatus fuerat, Joan. 3. vers. 29. Filii autem sponsi, Græcè υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *filii thalami nuptialis*, dicuntur phrasi Hebraicâ (sicut *filii lucis, tenebrarum, regni, &c.*) qui ad thalamum nuptialem pertinent, id est, qui sponso velut comites honoris gratiâ dati familiarissimè adhærent; cujusmodi triginta dati fuerunt Samsoni, Judic. 14. & vocantur *amici*, ac *pronubi*, vers. ultimo. Hi ergò non possunt LUGERE, id est, indecens est, ut in sordibus ac luctu, seu in actionibus tristitiæ versentur, quamdiu durant tempora nuptialia, quæ lætitiæ plena sunt: quasi diceret, hæc indulgentia discipulorum meorum tempori congruit.

VENIENT AUTEM DIES, CUM AUFERETUR AB EIS SPONSUS, per mortem scilicet, vel assumptionem in cœlos: ET TUNC IEIUNABUNT, id est lugebunt, seu luctuosis incumbent actionibus, sicut factum indicant Acta Apostolorum. Et hinc est, quòd commodè antè dies ablationis Sponsi nostri Quadragesimam jejunamus, ut notat August. Serm. 74. de diversis cap. 3. Eademque de causa Feriâ 6. & Sabbato olim jejunare solebant, ut idem Epist. 86. & Clemens Romanus lib. 5. Constitut. Apostolicar. cap. 17. Ut autem non solùm ex temporis ratione, sed etiam ex magno artificio, sic cum suis discipulis agendum intelligerent, duas addit similitudines ex veste & utribus.

16. Nemo autem immittit cōmissuram panni rudis in vestimētum vetus: tollit enim plenitudinem ejus à vestimento & pejor scissura fit.

16. NEMO AUTEM, nisi insipienter agere velit, IMMITTIT COMMISSURAM PANNI RUDIS, id est insuit frustum panni adhuc impexi, & impoliti, prout à fullonibus prodit, IN VESTIMENTUM VETUS, id est, ad reparandam detritam vestem, ac laceram. Nam illa talis commissura, seu pannus ille rudis TOLLIT PLENITUDINEM A VESTIMENTO, scilicet veteri, id est, tollit integritatem, seu id, quod adhuc plenum & integrum erat in veste veteri, ET PEIOR, seu major, ac restauratu difficilior SCISSURA FIT. Cùm enim pannus ille rudis sit durus, ac fortis vestimentum autem vetus tritum, ac pœnè putridum, mox laceratur. Addit Lucas aliud incommodum, *Alioquin & novum rumpit*, scilicet vestimentum, quia Lucas præmiserat, hanc commissuram, seu hoc frustum panni novi vulsum fuisse ex vestimento novo. Huic omninò similis est comparatio de

vino,

vino, & utribus: nam vini novi & bullientis violentia disrumpit utres vetustate infirmos, & pœnè putridos, & utraque pereunt. Iste est cortex utriusque parabolæ, quâ significat juxta Chrysost. Hom. 30. & Theophil. etiam se imprudenter facturum, si discipulis suis adhuc infirmis, & veteri assuetis homini, grave & rigidum vitæ genus imponeret: periculum enim fore, ne & hujusmodi institutum sine fructu periret, & tyrones novæ vitæ austeritate territi desperatione quadam resilirent à virtutis perfectioris via, quam sectari cœperant, & ita pejores fierent ex eo ipso, quo meliores fieri debuerant.

17. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conservantur.

17. SED VINUM NOVUM IN UTRES NOVOS MITTUNT, qui vim vini ferant, ne ferveſcente musto rumpantur. ET AMBO CONSERVANTUR, vinum & utres: q. d. Simili modo cùm innovati fuerint discipuli mei Spiritus sancti gratiâ, vis rigidioris disciplinæ eis committenda erit, eamque cum fructu ferent: nam, ut Augustin. Serm. 186. De tempore, carnalitas vetustas est, gratia novitas, spiritualia non capit carnalis, quantò homo meliùs fuerit innovatus, tantò ampliùs capit, quod verum sapit.

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum dicens, Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.

18. HÆC ILLO LOQUENTE AD EOS, ECCE PRINCEPS UNUS ACCESSIT. Marcus *Archisynagogum*, Lucas cap. 8. *Principem synagogæ*, quod idem est, vocat, nomine Iaïrum. Erant hujusmodi præfecti synagogæ, ad quos spectabat populi convenientis, lectionis Scripturarum, prædicationis, &c. moderatio, ut patet Actor. 13. vers. 15. & Lucæ 13. 14. ET ADORABAT EUM, genuflexione, vel corporis prostratione, ut Marcus & Lucas, DICENS: DOMINE FILIA MEA MODO DEFUNCTA EST. Marcus ait, *in extremis est*; Lucas, *& hæc moriebatur*, id est, animam agebat: quo significat uterque nondum fuisse modò defunctam, postea enim defuncta nuntiabatur. Itaque, vel utrumque dixit Iaïrus sub disjunctione, & Matt. solùm alterum expressit, vel, ut August. 2. de consen. Evang. cap. 28. alii posuerint, quid dixerit Iaïrus, Matthæus verò brevitatis causâ quid voluerit, atque cogitaverit: illi verba, hic voluntatem, cui debent verba servire, eò quòd certum sit, eum saltem audito suorum nuntio de morte ejus hoc cogitasse & voluisse.

19. Et surgens Iesus, sequebatur eum, & discipuli ejus.

20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.

21. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.

22. At Iesus conversus, & videns eam, dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora.

20. ET ECCE. Interponitur hîc alia historia, quâ confirmaretur fides vacillantis Iairi, & ostenderetur, nunquam à benefaciendo otiosum fuisse Christum, quæ quia accuratiùs tractatur à Marco, eò explicationem ejus remittimus.

23. ET CUM VIDISSET JESUS TIBICINES, quia, ut Ambros. lib. 8. in Lucam, mos erat Gentilium ad luctum tibicines adhibere, ad quorum modos histriones canebant funebria carmina, tundebant pectora, & ejulabant, ut Lucanus in Dialogo de luctu. Unde Ovidius 4. Fast.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Hoc autem à Gentibus ad Judæos videtur fluxisse: vide Jerem. 9. vers. 17. & 18. Unde hîc addit, ET TURBAM TUMULTUANTEM,

23. Et cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat:

id eſt, multitudinem miſerabili lamentatione deplorantem puellæ mortem. Nam Marcus dicit *tumultum*, & (hoc eſt) *flentes*, & *ejulantes multùm*: & Luc. *Flebant autem omnes & plangebant illam.* Turbis igitur illis DICEBAT:

24. Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum.

24. RECEDITE, cum toto illo luctus & planctus apparatu: NON EST ENIM MORTUA PUELLA: ſcilicet, ſicut vos putatis, ut in morte maneat, ſicut cæteri mortui, neque ſit ſpes reviviſcendi. SED DORMIT, quia mox expergefactam videbitis, quam lugetis, ut mortuam: ſomnus igitur eſt, non mors. Unde quod multi dicunt, *Non eſt mortua*, quia omnia vivunt Deo, non videtur huic loco convenire: ſic enim nullus mortuus diceretur, cùm tamen aliquid peculiare videatur Chriſtus de hac puella dicere, quod non de omnibus. Unde nec illo modo dicitur hîc puella *dormire*, quo omnes mortui, Dan. 12. verſ 2. vel peculiariter Sancti dicuntur in morte dormientes, propter ſpem futuræ reſurrectionis; ſed potiùs ad illum planè modum, quo Joan. 11. v. 11. dicit Chriſtus: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut à ſomno excitem eum.* Quod cùm non intellexiſſent, addit, *mortuus eſt*, indicans ſe eum à mortuis velle ſuſcitare. Uſus eſt autem hîc iſto loquendi modo eadem de cauſa, quâ mox præcepit, ut nemo ſciret, videlicet ut hâc urbanâ ambiguitate minus miraculum turbis innoteſceret: ET DERIDEBANT EUM; quia ignari iſtius conſilii divini, & apud quos de vera morte puellæ nulla erat dubitatio.

25. Et cùm ejecta eſſet turba, intravit; & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella.

25. ET CUM EJECTA ESSET TURBA. Ut pompam & inanem gloriam declinaret apud turbam, ſecreti continendi neſciam, patrem tamen, & matrem puellæ, ut Marc. *& eos, qui ſecum erant*, id eſt, ut explicat Luc. Petrum, & Jacobum, & Joannem tamquam teſtes adſumpſit ſecum. ET TENUIT MANUM EIUS. Addunt alii, eum dixiſſe, *Puella ſurge*, ut ipſo quodammodo geſtu & voce ageret tamquam cum dormiente, quem manu & voce excitare ſolemus. Unde eadem facilitate, qua è ſomno excitata SURREXIT, ut Marcus, *ambulabat, & juſſit illi dari manducare*, ne phantaſma putaretur. Quamvis autem, eodem teſte, vehementer illis præciperet, ut nemo id ſciret, calcandæ ſcilicet inanis gloriæ ſtudio, & documento, tamen, quia fugientes ſequi ſolet,

26. Exiit fama hæc in universam terram illam.

26. EXIIT FAMA HÆC IN UNIVERSAM TERRAM ILLAM, Galilæam ſcilicet, ubi contigit, omnibus rem tam ſtupendam & inexpectatam eò magis certatim divulgantibus. Addit hoc, ne quis à ſe miraculum confictum putet, cujus teſtis fuit tota regio.

27. Et tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci, clamantes, & dicentes: Miſerere noſtri, fili David.

27. ET TRANSEUNTE INDE JESU, SECUTI SUNT EUM DUO CÆCI, accepto miraculi iſtius rumore in ſpem ſanitatis erecti, DICENTES: MISERERE NOSTRI: qua voce indicant ſe de poteſtate ejus non dubitare, ſed tantùm gratuitam poſcere voluntatem: q. d. Velis tantùm quia potes, FILI DAVID, ille ſcilicet Davidi ex Davide promiſſus & expectatus. Nam quamvis eo tempore multi eſſent ex Davide procreati, hoc tamen peculiariter Meſſiæ cognomen & periphraſis

fuit : atque ita est hæc luculenta fidei & fiduciæ professio. Distulit eos tamen, donec

28. VENISSET DOMUM, scilicet in Capharnaum, ubi domicilium elegerat: idque tum, ut fides eorum augeretur, vel probaretur, tum ut ostentationem fugeret, doceretque fugiendam. ET DICIT EIS, ut examinaret naturam fidei illorum, & imitandam proponeret tamquam sanitatis eorum causam, qua magis quàm eorum miseria permotus fuisset: CREDITIS QUIA HOC POSSUM, non precibus meis impetrare, ut Prophetæ, sed FACERE VOBIS? id est, mea auctoritate & potestate præstare? hanc enim penes se esse significat. Fides igitur, quam postulat, non est de voluntate faciendi, multò minùs de facto jam exhibito; non enim dicit: Creditis me hoc velle facere, vel me facturum, vel me feciſſe; qualem fidem hæretici postulant de remissione peccatorum: sed, Creditis, quia hoc possum facere; Est enim fides de divina virtute sua, quæ fides non est fiducia, sed verus mentis assensus, qui tamen per fiduciam conjunctam solet operari. Unde cùm dixisset, UTIQUE, id est, indubitanter credimus, respondit eis:

28. Cùm autem veniſſet domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Iesus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique, Domine,

29. SECUNDUM FIDEM VESTRAM FIAT VOBIS: id est, Si sic creditis, habeat hæc fides per fiduciam, quam clamando & sequendo professi estis, effectum suum.

29. Tunc tetigit oculos eorũ, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis.

30. ET APERTI SUNT OCULI EORUM: quantum ad effectum videndi, hoc est, viderunt. Periphrasis est videndi Hebræis familiaris, etiam cùm oculi non solùm patent, sed neque visu carent: sic enim primorum parentum, & Agar, Genes. 20. vers. 19. oculi aperti dicuntur, quando adverterunt. Vide infrà capite 20. versu 33. & Joan. 9. versu decimo & seqq. sæpius. Sic & aures dicuntur aperiri, vel patere, quando surdi audiunt, ut Marci septimo vers. 35. Utriusque exemplum Isaiæ 35. vers. 5. ET COMMINATUS EST ILLIS, DICENS: VIDETE NE QUIS SCIAT: Græcè ἐνεβριμήθη, acriter & cum fremitu quodam interminatus est. Unde Joan. 11. vers. 33. exponitur, *infremuit*.

30. Et aperti sunt oculi eorũ: & comminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat.

31. ILLI AUTEM EXEUNTES DIFFAMAVERUNT EUM IN TOTA TERRA ILLA, id est, factum divulgarunt, & famam sparserunt. Ubi observat S. Gregor. 19. Moral. cap. 14. aliàs 18. hac in re Christum servis se sequentibus exemplum præbuisse, ut ipsi quidem virtutes suas occultare desinerent, & tamen, ut alii proficiant, prodantur inviti. Occultentur ergò bono studio, inquit, necessitate publicentur: ut eorum occultatio sit custodia propria: publicatio sit utilitas aliena. Hujusmodi igitur præcepta Christi non videntur fuisse vera præcepta, ad seriò obligandum imposita, sed efficacis tantùm desiderii sui declaratio, quòd scilicet nullo inanis gloriæ studio teneretur. Unde alii non peccarunt, virtutem ejus ex gratitudine debitâ laude prosequendo.

31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.

32. EGRESSIS AUTEM ILLIS, ECCE OBTULERUNT EI HOMINEM MUTUM, DÆMONIUM HABENTEM: id est, mutum à dæmone possessum. Non enim illud, *mutum*, referendum est ad dæmonium, sed ad hominem, cujus lingua non naturaliter, sed dæmonis male-

32. Egressis autem illis, ecce obtulerũt ei hominem mutum dæmonium habentem.

ficio ligata significatur ex eo, quòd ejecto dæmone loquebatur. Lucas tamen ipsum dæmonium vocat mutum, cap. 11. vers. 14. scilicet effectivè, quia faciebat mutum : nam varii dæmones tardis nocumentis, & vitiis delectantur. Loco, *mutum*, Græcè est κωφὸς, quod vulgò magis surdum, quàm mutum significare notat Hieronym. sed in scripturis indifferenter usurpari. Hîc mutus ab aliis offertur, quia mutus eum verbis orare non poterat, ut Chrysostomus, nec ab eo fidem exigit, quia muti simul & surdi esse solent. Tractat allegoricè quatuor ista miracula S. Hilarius can. 9. juxta quem Filia Principis significat synagogam, Hæmorroïssa Gentes, sicut intelligit & Hieronym. Rursum aliâ figurâ duo cæci significant Scribas & Pharisæos, inquit Hilarius, dæmoniacus Gentes. Vide eum latiùs. Sensu tropologico Hæmorroïssa est anima, multo tempore concupiscentiis & vitiis diffluens, quam sanare non possunt Medici, lex Moysis, aut Philosophi, sed tactus fimbriæ, seu fides Incarnationis. Filia Principis duodennis est anima initio conversionis peccans, quæ facilè sanatur, si Princeps, id est, Pastor Ecclesiæ, pro ea satagat. Duo cæci & mutus totius humani generis significant statum, cum primò oculi per fidem aperiri debent, ut deinde in Dei laudes lingua solvatur.

34. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Numquam apparuit sic in Israël.

33. ET MIRATÆ SUNT TURBÆ, quia videlicet NUMQUAM APPARUIT SIC IN ISRAEL, id est, nemo umquam in Israël fuit, qui tantâ imperandi auctoritate, tantâ celeritate & facilitate, tam varia & immedicabilia morborum genera sanaret: non enim ad solum ejecti dæmonii miraculum, sed ad præcedentia respiciunt. Atque hæc erat simplex & candida turbæ, nullis invidiæ stimulis agitatæ confessio.

34. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.

34. PHARISÆI AUTEM, livore cæci, cùm facta negare non possent, malitiosè calumniando, DICEBANT : IN PRINCIPE DÆMONIORUM, id est ope principis, ac præcipui dæmonum, hoc est, non divinâ virtute, sed pacto & arte magicâ cum summo dæmone, EJICIT DÆMONES, inferiores. Calumniam istam acerbissimam accuratè refellit Christus cap. 12. Nunc autem eâ contemptâ pertransit benefaciendo & exercendo legationem Evangelicam susceptam,

35. Et circuibat Jesus omnes civitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.

circuitque OMNES CIVITATES ET CASTELLA, Græcè κώμας, *Pagos*, id est, erga magnos & parvos nomine neglecto. In quo circuitu

36. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem.

36. VIDENS TURBAS, id est, miseriam turbæ non modò corporalem, sed maximè spiritualem, MISERTUS EST EIS : Græcè ἐσπλαγχνίσθη, id est, internis visceribus, summo affectu & commiseratione super malis eorum indoluit, QUIA ERANT VEXATI, id est, variis afflicti malis, ET IACENTES, SICUT OVES NON HABENTES PASTOREM : quæ hac illac oberrando temerè vagantur, nec pastorem, nec caulam, nec gregem sciunt quærere. Significat ergò Judaïcum populum per diversa vitiorum & errorum genera oberrasse, ideóque diversis malis à dæmonibus afflictum, nemine curam gerente salutis eorum.

Itaque

37. Tunc dicit discipulis: Messis quidem multa, scilicet populi Judaïci: nam in illis à Prophetis seminatum fuerat, inquit Augustin. Serm. 42. de Sanctis cap. 1. Unde Joan. 4. vers. 35. de eodem populo dicit, *regiones jam albas esse ad messem*, id est, eos maturos esse, quia doctrinam salutis & Evangelicam accipiendo, incorporarentur Christo, & ex synagoga in Ecclesiam velut horreum transferrentur, quia finis legis Christus. Et hinc est, quòd respectu Judæorum non dicuntur Apostoli seminare (ut pote quòd respectu Gentium eis magis competebat) sed metere Joan. 4. vers. 38. Operarii autem pauci: id est messores, qui operam suam collocent, ut messis in aream Ecclesiæ devehatur, id est, qui eis Evangelium regni, à Lege adumbratum, prædicent: solus enim erat Christus & Joannes, quia necdum Apostoli missi erant.

37. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

38. Rogate ergo Dominum messis. Se ipsum tacitè indicat, inquit Chrysost. quamquam verisimilius est indicari Patrem, cui sua Christus transcribere solet. Ut mittat. Ipsius est enim mittere nam qui se ingerunt, non legitimè ab ipso missi, falcem in alienam messem mittunt, & sacrilegii rei sunt, ut omnes hæretici. Operarios in messem suam, qui re ipsa scilicet, non nomine tenus, tales sint, fideles & idoneos, quia ipse tales non solùm mittit, sed & facit.

38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

CAPUT X.

Quod igitur Dominum rogandum esse dixerat, mox Christus ultrò, non expectatis precibus, ex profusione ingenitæ pietatis ipse facit, mittendo scilicet operarios in messem suam. Nam

1. Convocatis duodecim discipulis, qui hactenùs nonnisi discipuli fuerant, continui auditores doctrinæ, & spectatores operum, nunc eos mittere incipit ad colligendam messem, ad quod verbo & exemplo formaverat, atque ita hac omissione eos Apostolos fecit, &, ut Luc. cap. 6. vers. 13. etiam Apostolos nominavit; q. d. Missos, quia generaliter in universum missi sunt: quamvis ex etymologia etiam aliis competat, sicut cæteris septuaginta duobus discipulis hoc tribuunt nonnumquam veteres. Ut autem hæc missio non esset potestate vacua, vel eorum doctrina novitate contemptibilis, vel prædicationis, tamquam legationis divinæ, potestas arrogata videretur, miracula velut sigilla commissionis & auctoritatis appendit. Nam dedit illis potestatem spirituum immundorum, id est, super spiritus immundos, nempe ut ejicerent eos. Vocantur *immundi*, non naturâ, sed vitiis, quia omni immunditiâ delectantur, horrent & insectantur sanctimoniam, ex quo à divina puritate ceciderunt. Hæc autem potestas ejiciendi spiritus, curandi infirmitates non erat inhærens Apostolis, sicut Christo, sed stabiliter addicta, & assistens ex divina voluntate, quo conciliaretur eis,

1. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

tamquam Legatis, reverentia, auctoritas, fides ex miraculis, quæ deerat ex ingenio, eloquentiâ, opibus, pompa, comitatu.

2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus.

2. DUODECIM AUTEM APOSTOLORUM. Duodecim non casu, sed divino consilio electi sunt, ut satis indicatur Act. 1. vers. 26. 21. & ult. Rationes tangunt veteres: primam, ut, quia duodecim tribus typus erant Ecclesiæ, ex omnibus Gentibus colligendæ, duodecim Patriarchæ, & Patres eam generarent, ut indicat Iren. libro 4. capite 58. & Theophyl. hîc, imò ipse Christus infrà capite 19. vers. 28. Alteram sæpiùs tangit August. ut in Psalm. 59. & alibi, quia duodenarius constat ternario, in quaternarium ducto: Apostoli autem Trinitatem in quatuor orbis partes erant prædicaturi. NOMINA HÆC SUNT. Nominatim recensentur, ut constaret tum divinæ electionis ratio infirma mundi eligentis, tum firmitas testimonii ipsorum, quod de rebus maximis toti orbi reddere debebant.

PRIMUS SIMON: non ætate, quia senior erat Andræas, ut Epiphan. Hæresi 51. numer. 19. nec vocatione, quia idem Andræas imperfecta vocatione, scilicet ad credendum, prior vocatus fuit, Ioan. 1. vers. 40. & 41. perfecta verò ad Apostolatum simul cum Petro, Matth. 4. vers. 18. Nec etiam sola necessitate numerandi primus ponitur; sic enim qui sequitur, secundus dici debuisset: neque casu, quia utique ponitur Petrus in Evangeliis primus, cæterorum verò ordo mutatur. Itaque primus auctoritate, & electionis dignitate, sicut Judas semper collocatur ultimus: q. d. & omnium Apostolorum primus, id est, præcipuus & quasi vertex Simon, inquit Chrysostom. in capite 1. Act. Et ex hoc loco desumpta videtur vox *Primatus Petri*, quam usurpat Augustin. Tract. ult. in Joan. & alii veteres. Unde Beza, cæteris impudentior, hac voce perstrictus, audet suspicari ab aliquo Primatus Papæ fautore vocem *Primus* fuisse additam, QUI DICITUR PETRUS, ut distinguatur à Simone Chananæo, ET ANDREAS FRATER EIUS. Matth. Apostolos recensendo sex binarios per copulativam efficit: unde videtur eos ita binos enumerare, sicut à Christo conjugati & bini missi fuerant ad prædicandum, Marci 6. vers. 7. Hinc fratres conjungit, ad significationem concordiæ.

3. Jacobus Zebedæi, & Joannes frater ejus, Philippus, & Bartholomeus, Thomas, & Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, & Thadæus.

3. JACOBUS ZEBEDÆI: supple filius, ut ab alio Jacobo distinguatur. Dictus est etiam *Major*, propter ætatem; occisus est ab Herode Act. 12. ET JOANNES FRATER EJUS. PHILIPPUS, nomen Græcum, sicut & *Andreas*, à Judæis usurpatum fuit, eo quòd Gentibus per multas annorum centurias fuissent mixti; ET BARTHOLOMÆUS, quasi dicas *filius Ptolemæi*, vel potiùs *Tholmai*, quod habetur 2. Reg. 3. vers. 3. THOMAS, Syriacum est ab Hebraica radice, significante gemellum, nam תאם, *Taâm*, significat *geminare*: Græcè dicitur *Didimus*, Joann. 20. versu 24. ET MATTHÆUS PUBLICANUS, quondam scilicet: nam humilitatis causâ superabundantem Christi gratiam prædicat, uti peccatum abundaverat. Eadem de causa se Thomæ postposuit, cùm alii præponant. JACOBUS AL-

PHÆI, ſcilicet filius. Dictus eſt *Minor*, Marci 15. verſ. 40. quia junior, cujus mater erat, ut ibid. & Joan. 19. verſu 25. Maria Cleophæ, ſoror matris Domini: unde & à Paulo ad Galat. 1. *Frater Domini* vocatur. Vita fuit ſanctiſſimus, Jeroſolymorum Epiſcopus, auctor unius ex Epiſtolis Catholicis. Hujus frater THADÆUS vocatus eſt etiam proprio nomine *Judas*, ut utrumque conſtat ex initio Epiſtolæ, quam ſcripſit: unde à Luca vocatur *Judas Jacobi*. Dictus eſt etiam à Græcis hìc *Lebbæus*, quaſi dicas corculum, ita ut trinominis fuerit, juxta Hieronymum.

4. SIMON CHANANÆUS: non à terra *Chanaan*, ſeu *Chananæa*, repugnat enim orthographia, tam Latina, Hebraica, quàm Syriaca; ſed à *Cana*, oppido vel vico Galilææ, ut Hieronym. unde rectiùs fortaſſe *Cannæus* diceretur. Hoc autem nomen quia ſecundùm etymologiam Hebraicam denotat zelum, nam קנא *Kanné* ſignificat *Zelari*: hinc à Luca cap. 6. & Act. 1. vocatur *Simon Zelotes*: quamvis Scaliger velit Zelotem eſſe dictum, quia à ſecta Zelatarum, de quibus apud Joſephum, ad Chriſtum converſus fuit. ET JUDAS ISCARIOTES. Ita vocatum volunt Hebraicè, alii à marſupio, alii à mercede venditi Chriſti, alii à ſtrangulatione per anticipationem, alii à tribu Iſſachar; ſed horum pleraque meræ chimeræ ſunt. Veriſſima videtur illa & ſimpliciſſima opinio, quæ, ut Hieronym. ab urbe deducit, nempe Carioth. in tribu Juda, Joſue 15. verſu. 25. & Jerem. 48. verſ. 24. & 41. quaſi dicas, איש קריות *Iſch Kerioth*, *virum Charioth*, id eſt, Cariothenſem: nam hac formâ exprimunt Hebræi ſæpè ſua patronymica, ut *viri Bethleem*, *Anathoth*, pro Bethleemitis, Anathothitis, 1. Eſdræ verſ. 22. & ſequentibus.

4. Simon Chananæus, & Judas Iſcariotes, qui & tradidit eum.

5. Hos duodecim miſit JESUS, tamquam Legatos altiſſimæ legationis annuntiandi regni cœlorum, PRÆCIPIENS EIS, DICENS, hoc eſt & mandata, tamquam inſtructionem legationis, dedit in hæc verba: IN VIAM GENTIUM, id eſt, ad Gentes ducentem, NE ABIERITIS, prædicandi ſcilicet cauſa, quia nondum ſalutis omnibus publicandæ tempus erat; quod tamen poſt reſurrectionem eis præceptum eſt, infrà cap. 28. verſ. 19. quia juxta ſapientiſſimam Dei ordinationem oportebat Judæis, tamquam filiis regni, & ad quos Meſſiæ promiſſio facta erat, primum loqui verbum Dei, cùm verò repellerent illud, & ſe indignos judicarent æternæ vitæ juſtiſſimo judicio, oportebat converti ad Gentes, ut explicat Paulus Act. 13. verſ. 46. ET IN CIVITATES SAMARITANORUM NE INTRAVERITIS: eadem de cauſa. Nam, & illi verè Gentiles erant, utpote in Judæam ex Chaldæa tranſlati, ut patet 4. Reg. 17. v. 24. & ſeqq. ſed quia propter cultum nonnullum veri Dei, & Meſſiæ expectationem, Joan. 4. verſ. 20. & 25. medii videbantur inter Judæos & Gentes, hinc diſtincta fit eorum mentio.

5. Hos duodecim miſit Jeſus, præcipiens eis, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.

6. SED POTIUS ITE AD OVES, QUÆ PERIERUNT DOMUS ISRAEL, id eſt, Gentes Iſraëliticæ, ſub qua totam illam nationem comprehendit, quæ vocantur *oves paſcuæ Dei*, Pſam. 73. verſu 1. quia po-

6. Sed ſpotius ite ad oves, quæ perierunt domus Iſraël:

pulus à Deo peculiariter electus: *perdita* autem, quia universum genus humanum in Adam perditum fuit, & sicut ovis erraverat. Isa. 53. & peculiariter illo tempore Judæi erant vexati & jacentes, sicut oves non habentes pastorem, ut suprà cap. 9. Hic ergò districtus figitur isti legationi. Unde eadem ex causa & sensu Christus à Paulo ad Roman. 13. vers. 8. vocatur *minister circumcisionis*: & ipsemet infrà cap. 15. vers. 24. se non venisse profitetur, nisi ad oves domus Israël.

7. Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit regnum cœlorum.

7. EUNTES AUTEM PRÆDICATE. Hîc explicatur summa legationis, QUIA APPROPINQUAVIT REGNUM CÆLORUM, ut scilicet per pœnitentiam ad illud vos præparetis, ut supplet Marcus cap. 6. vers. 12. Hoc autem comprehendit veteris vitæ detestationem, & assumptionem novæ. Vide de hac suprà dicta capite tertio versu 2.

8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date.

8. INFIRMOS CURATE, &c. His verbis actum jubendo, simul dat potestatem confirmandis miraculis, tamquam sigillis, legationem seu missionem suam: nec non ipsa quoque mandata legationis, hoc est, prædicationem suam; utraque enim erat valde nova. Simul autem indicat, miracula esse debere non tam curiosa vel terribilia, ut Moysis, quàm benefica: ut ita prædicatio eorum fieret non tremenda, vel onerosa, sed beneficiis, tam spiritualibus quàm corporalibus gratissima. Itaque GRATIS, id est, nullis meritis vestris aut pretio, sed merâ Dei gratiâ, ACCEPISTIS, potestatem illam, ideóque GRATIS DATE: non potestatem ipsam, quæ ab eis dari non poterat, sed effectus illius potestatis, sanitatem, &c. His ergò verbis jactantiam simul & avaritiam convellit, simúlque tangit radicem, cur spiritualium istorum donorum venditio sit illicita, quia scilicet potestas illa talis est, quæ nullo humano labore, sed solâ Dei gratiâ haberi potest. Ideóque magna ei fit irreverentia, si ad vile pretium, contractúsque humanos deprimatur. Quamquam hisce verbis etiam acceptio munerum, quæ ex gratitudine Apostolis offerrentur, vetari videatur, quia indecora est, & gratia Dei sic ad quæstum videtur verti: unde Giesi eà de causa reprehensus est. Porrò sententia generalis est, ideóque tum ad alia spiritualia Dei dona, tum peculiariter ad ipsam prædicationem Apostolorum referri potest, ut refert Basil. in cap. 8. Isaiæ. Non enim, inquit, sermo Evangelii venalis est, ut verba Pythonum. Unde præcidens omnem venditionis & negotiationis causam ac prætextum,

9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.

9. NOLITE, inquit, POSSIDERE. Græcum κτήσησθε, & Syriacum תקנון, *Teknun* verti potest *comparare*, scilicet in viaticum; & hoc magis cum Luca & Marco convenit, qui dicunt, *Ne tuleritis in via*; & quia sequitur, IN ZONIS VESTRIS, id est, loculis, ex zona itinerantium & militum pendere solitis. AURUM, NEQUE ARGENTUM, NEQUE PECUNIAM. Græcè χαλκόν, *æs*: tres enim pecuniæ species, etiam vilissimam, ex ære, vetat.

10. Non

10. NON PERAM IN VIA, Græcè πήραν εἰς ὁδὸν, *peram in viam*, id est, peram viatoriam, ad recondendum cibum, continens pro contento; & sub *Pera* etiam poculum intelligitur. NEQUE DUAS TUNICAS, id est, vestimenta: unum, quo induti sitis, & aliud futurorum timore, ne fortè sit opus, ut notat Hieronym. hîc & August. lib. De consensu Evang. cap. 30. Nam si necessitas postularet, duobus vestimentis indui potuisse, patet exemplo Christi, qui duobus indutus fuit, Joan. 19. vers. 23. NEQUE CALCEAMENTA: nempè duplicia, sicut de tunicis dictum est. Ita Caiet. & Maldonat. & olim cecinit Juvencus poëta: vel verius fortassis vetat non calceamentis indui, sed non possideri seu portari calceamenta in viam; curam scilicet prohibens, inquit August. quâ ideò portanda cogitantur, ut non desint. Et hoc videtur esse, quòd Lucæ capite 22. dicitur eos missos *sine sacculo, & pera, & calceamentis*, id est, sine provisione in futurum, & tamen nihil eis defuisse. Hinc Marci cap. 6. vers. 9. permittuntur non portare, sed *indui sandaliis*, id est, soleis, quæ solas plantas tegerent: quibus & Petrus indutus fuisse indicatur, Græcè, Actor. 12. vers. 8. Quamquam ὑποδήματα, quæ hîc *calceamenta* vocantur, revera nihil aliud sonent Græcè, quàm quasi subligacula, quia subligantur. Multi tamen putant hîc vetari calceos, qui totum pedem tegant, tamquam mollitiei vel curæ carnis testimonium; permitti verò sandalia, quæ solas plantas. Cujus diversitatis mysticam dat rationem Augustin. ut scilicet nec occultaretur Evangelium, nec terrenis commodis inniteretur: & per duas tunicas intelligit vetari duplicitatem. NEQUE VIRGAM. Marcus ait, *nisi virgam tantùm*: sed Matth. per *Virgam*, intelligit arma defensiva aut offensiva, juxta illud, *Reges eos in virga ferrea*: nam divinæ providentiæ ac tutelæ prædicatoribus armorum usus non convenit. Unde Ambros. *Virgam* vocat ulciscendi instrumentum doloris, & in verbis humilitatem doceri tradit, libr. 6. in Lucam. Marcus verò permittit baculum itinerarium, quo se sustentent, qui Hebraicè propriè dicitur מִשְׁעֶנֶת, *Misghéneth*, vel מִשְׁעָן, *Misgan*. Augustinus putat Marcum intelligere *Virgam* metaphoricè, pro potestate sumendi necessaria à discipulis seu auditoribus; Matthæum verò propriè, qu. d. Ne minimas quidem res in futurum necessarias providete. Nam omnium datur una generalis ratio: DIGNUS EST ENIM OPERARIUS CIBO suo, id est alimento, quo sustentetur in opere gratis administrato. Unde *Cibus* pro omnibus sustentationi vitæ necessariis, tamquam pars pro toto sumitur, quorum provisionem prohibuerat. Atque ita satis clarè indicat, cur eos omnia ista possidere, ac ferre noluerit, non quasi non essent necessaria, inquit Augustin. loc. cit. sed quia sic eos mittebat, ut demonstraret, ab eis ista sibi deberi, quibus Evangelium annuntiarent, tamquam stipendia militantibus, tamquam fructum vineæ plantantibus, tamquam lac gregis pastoribus, ut scilicet ista essent, &

10. Non peram in via, neq; duas tunicas, neque calceamēta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo.

expediti ab impedimentis omnibus ad prædicationem, & securi de sustentatione. Lucas pro cibo *Mercedem* ponit, non ut significet sustentationem esse adæquatum pretium operis, sed esse operi gratis facto debitam, eóque magis, quò opus est nobilius & magis gratuitò exhibetur: sic enim & majoris meriti est & magis debetur sustentatio, ut potè ex justitia & ex gratitudine, nempe ut operarius in opere, nullius rei temporalis consideratione maculato, vel pretio compensabili possit sustinere. Unde August. lib. de pastoribus cap. 2. Non ergò est, inquit, venale Evangelium, ut pro temporalibus prædicetur: si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiunt ergò sustentationem necessitatis à populo; mercedem dispensationis à Deo. Non enim redditur, quasi merces illis, qui sibi in charitate serviunt, sed tamquam stipendium, quò, ut possint laborare, pascantur. Hæc ille. Itaque hoc agebat Christus cum discipulis, quod Apostolus apertiùs dixit 1. ad Corinth. 9. vers. 14. *Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ubi tamen mox adjiciens, *Ego autem nullo horum usus sum*, utique ostendit potestatem datam, non impositam necessitatem. Atque ita facilè intelligitur, & præcepta ista non isti unicæ legationi Apostolorum fuisse posita, ut quidam putant, sed perpetua: & tamen sine eorum violatione Paulum potuisse manuum labore vivere, & Apostolos à mulieribus ali, ne gravarent populum, & Christum Dominum loculos circumferre, in quibus id, quod populus dabat, asservaretur. Ex iis, quæ hactenus diximus, satis intelligitur, hæc Christi præcepta non ad istam unicam, & primam missionem Apostolorum pertinere, ut multi recentiores volunt, sed etiam ad illam universalem in totum orbem. Nam veteres penè omnes non aliter intelligunt, quàm hîc informari virum Apostolicum, & perfectè à divina providentia suspensum.

Quia igitur sic instructis occurrere poterat, an quivis promiscuè sustentationis causâ esset adeundus, præoccupat Christus.

11. In quamcumque autem civitatem aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete donec exeatis.

11. IN QUAMCUMQUE CIVITATEM AUT CASTELLUM, id est, vicum aut pagum, INTRAVERITIS, prædicandi causâ, non inquirendum vobis de hospitio meritorio, aut quis dives aut opulentus, sed QUIS IN EA DIGNUS SIT, hospitio vestro, qui scilicet morum integritate, beneficentiâque spem præbeat promptæ hospitalitatis. Famâ hoc inquiri vult, inquit Hieron. ne prædicatoris dignitas suscipientis infamiâ deturpetur, atque ita, ut Ambros. libro 6. in Luc. mutandi hospitii, necessitudinisque violandæ causa non supperat. ET IBI MANETE, DONEC EXEATIS, scilicet illa civitate aut castello, quod Lucas clariùs dicit, *Nolite transire de domo in domum.* Alienum est enim, ut idem Ambr. à prædicatore regni cœlestis, cursitare per domos, & inviolabilis hospitii jura mutare: nam levitatis vel appetentiæ mensæ lautioris speciem habet, & hospes primus contristari aut offendi solet.

12. INTRANTES AUTEM, &c. SALUTATE EAM, ut humanitate hospitis animum præveniatis, DICENTES: PAX HUIC DOMUI. Formula salutandi est Hebræis usitata, inquit Hieron. *Pax tecum*: quæ subinde significat adventum esse pacificum, sine animo bellandi aut nocendi, ut patet Genes. 43. vers. 23. & Judic. 6. vers. 23. Plerumque verò per eam omnia læta prosperaque imprecantur, sicut Latini dicendo *Ave* & *Salve*. Pax enim est omnium desideriorum finis: Christus autem vulgi verbis intelligi cupit Evangelicam, quam prædicabat, æternæ vitæ pacem.

12. Intrantes autem in domũ, salutate eam, dicentes: Pax huic domui.

13. ET SIQUIDEM FUERIT DOMUS ILLA DIGNA, pace Evangelicâ, quam fueritis apprecati. Lucas ait, *Si fuerit ibi filius pacis*, id est dignus pace, sicut dicitur *filius mortis*, id est, morte & supplicio dignus. Dignum autem intelligit August. lib. de correct. & gratia cap. 15. per prædestinationem divinam. Quo pacto enim Evangelicâ pace jam dignus fuerit ante annuntiatam pacem? Si igitur digna domus fuerit, id est, talis, quam Deus ad pacem secum præordinaverit: VENIET PAX VESTRA SUPRA EAM, id est, proderit domui, quia Deus effectum dabit verbis vestris. SI AUTEM NON FUERIT DIGNA, PAX VESTRA REVERTETUR AD VOS, id est, inquit August. vobis proderit hæc prædicatio, non autem illi. Quo sensu hæc dicta erunt; vel ad consolationem annuntiantium pacem, dum viderint apud multos optato effectu carere verba sua: vel, ut, S. Remigius in Catena, ad explorationem dignæ domus seu hospitis: q. d. Salutate, offerendo pacem. Si domus fuerit digna pace Evangelii, quam annuntiatis, & consequenter hospitio vestro, acceptabunt eam, Deo affectum benedictionis præstante: sin minùs, vos ex illa repulsa nullum patiemini detrimentum.

13. Et si quidẽ fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit, digna, pax vestra revertetur ad vos.

14. ET QUICUMQUE NON RECEPERIT VOS, NEQUE AUDIERIT SERMONES VESTROS. Unum est explicatio alterius: unde Lucas solùm dicit, *Quicumque non susceperunt vos*, non admittendo scilicet prædicationem Evangelicæ pacis pœnitentiæ, & regni cœlorum. EXCUTITE PULVEREM DE PEDIBUS VESTRIS. Quod August. quæst. 7. super Matth. juberi putat, vel ad contestationem terreni laboris, quem pro illis inaniter suscepissent; vel ut ostenderent, usque adeò se ab ipsis nihil terreni lucri quærere, ut etiam pulverem de terra eorum sibi non paterentur adhærere: quas duas rationes, & Chrysost. tangit. Proximè tamen videtur hoc fieri in signum anathematis, ac maledictionis eorum, utpote cum quibus, velut maledictis, nec pulverem quidem volint habere communem. Hoc est enim quod Luc. cap. 10. ait *Etiam pulverem*, scilicet rem vilissimam & minimam: qui qùia addit, *extergimus in vos*, id est, contra vos, & quia Paulus & Barnabas ad litteram hoc observantes, Act. 13. vers. 15. dicuntur excussisse pulverem pedum in eos, id est, contra eos: manifestum est, hanc ceremoniam adhiberi, quemadmodum Marc. ait, *in testimonium*, & ut Lucas cap. 9. *in testimonium supra illos*, nempè rebellionis

14. Et quicũque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris.

& condemnationis eorum, atque ita ad terrorem rebellium: talis enim actio significantior & efficacior est, quàm verba. Unde ne putetur esse inane terriculamentum, adjicit:

15. Amen dico vobis: Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.

15. TOLERABILIUS ERIT TERRÆ SODOMORUM, &c. QUAM ILLI CIVITATI. Quia illis pœnitentia ac promissio regni cœlorum, & salutis æternæ non fuit prædicata, nec dum miraculis ac virtutibus confirmata: hæc tantam liberalitatem Dei non fide tantùm, sed nec audientiâ dignatur, quæ impietas sine dubio est gravissima: unde eadem illa ratio tangitur cap. 11. vers. 23. & 24.

16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

16. ET ECCE EGO MITTO VOS. Putant quidam hæc non esse dicta Apostolis in hac prima missione, eo quòd sine periculis & persecutione fuerit: sed refelluntur ex Luca cap 10. vers. 3. ubi certum est de prima missione agi. Itaque etsi non fuerint in illa passi persecutionem, præmoneri tamen, & præmuniri eos decuit simul, & semel adversùs ea, quæ & tunc contingere poterant, & postmodùm ad Gentes missis contigerunt. Itaque ECCE EGO, qui novi, quid faciam, qui luporum rabiem arcere, sistere, moderari, & in utilitatem patientium convertere scio, MITTO VOS SICUT OVES: quibus nihil imbellius, simplicius, innocentius, magis inerme, & ab omni præsidio defensionis imperatum. Explicare enim videtur versum decimum, quomodo mittantur sine virga. IN MEDIO LUPORUM: quibus nihil est rapacius, & ovibus magis infestum. Significat enim hac phrasi, tum luporum seu persequentium undique circumdantium multitudinem; tum persecutionum futurarum crudelitatem, tum defensionis impotentiam & imparitatem.

ESTOTE ERGO PRUDENTES, SICUT SERPENTES, ET SIMPLICES SICUT COLUMBÆ. Græcè ἀκέραιοι, quod hoc loco videtur à κέρας deduci, quasi diceres *sine cornibus*, hoc est placidi: est enim epithetum animalium, quæ natura non armavit cornibus ad injuriam depellendam. Cum quo reipsa convenit, si transferas cum aliis *sinceri*, vel *innocentes*. Nam antiqui unanimiter volunt hîc significari innocentiam ad non inferendum malum. Sensus est ergò: Cùm velut oves mittamini inter lupos, ovis verò valdè stolida sit, arma vestra erunt prudentia serpentis, ut insidias & mala caveatis; columbæ simplicitas, ut nemini noceatis: ita scilicet, inquit Nazianzenus Orat. 19. ut, nec prudentia in versutam improbitatem, nec simplicitas in stoliditatem degeneret, sed ex ambabus una absoluta virtus fiat. Nam, ut Tertull. cap. 2. lib. contra Valentinianos, nocentissimi, qui non sunt simplices; sicut stultissimi, qui non sapientes seu prudentes. Simili ferè modo Hilar. lib. de Synodis significari dicit serpentinam prudentiam, columbæ simplicitate temperandam; & columbæ simplicitatem prudentia serpentis instruendam, ut fiat simplex sapientia, & sapiens simplicitas. Serpens enim cùm se hominibus exosum, quasi naturâ sentiat, nunquam fidit, sed magnâ semper solliçitudine

& insidias eorum cavet, & actus declinat. Addunt veteres ferè omnes, Auguſt. q. 8. ſuper Math. & lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 16. Hieron. Chryſoſt. Theophyl. hîc, Ambr. lib. 3. de fide, cap. 6. quòd ſerpens totum corpus capiti, ubi vita eſt, cuſtodiendo objiciat, & per anguſtias ſe coarctando vetuſtatem exuat: ita inquiunt in perſecutione luporum caput, id eſt, Chriſtum ſeu fidem Chriſti eſſe cuſtodiendam, & per anguſtam portam ad vitam eſſe intrandum. Sed quia ad eamdem ſerpentis prudentiam pertinet, venenum in perſequentes jaculari, hæc malitia per columbæ ſimplicitatem temperanda eſt: quam in eo ſitam eſſe ferè conveniunt, quòd nemini omninò, ſive homini, ſive beſtiis noceat: uſque adeò, inquit Auguſt. ut nullum omninò animalium necet, non ſolùm grandium, contra quæ vires non habet, ſed nec minutiſſimorum quibus etiam perparvi paſſeres aluntur. Imò nec nocentibus nocent, nec direptoribus nidi ſe opponunt, læſæ redeunt, de ipſis lædentibus benè merentur, felle carent. Addit pulchrè idem Auguſt. Serm. 19. de diverſis, quòd ſocietate gaudent, ubique ſimul volant, ſimul paſcuntur, charitatem ſervant, gemitibus amoris murmurant, oſculis filios generant, amant etiam quando de nidis rixantur. Quæ facile eſt applicare. Hic ergò genuinus videtur loci ſenſus. Nam cùm ſimplicitas columbina quid ſibi vellet ſatis omnibus eſſet manifeſtum, obſcurior verò ſerpentina prudentia, ſtatim illam explicans Chriſtus, adjicit:

17. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis ſuis flagellabunt vos:

17. CAVETE AUTEM AB HOMINIBUS: q. d. In eo vos prudentiam illam adhibere volo, ut caveatis ab illis, quos jam lupos nominavi, hoc eſt, ut cautè proſpiciatis, quibus vos credatis, ut eorum inſidias declinetis, quia homo homini lupus erit. TRADENT ENIM VOS, examinandos, judicandos, puniendos, IN CONCILIIS, Græcè εἰς συνέδρια; undè Sanedrin ſupremum Judæorum Concilium dictum eſt: ET IN SYNAGOGIS SUIS FLAGELLABUNT VOS. Synagogæ etiam propriè erant Judæorum, quæ intelliguntur hîc eſſe publicæ totius populi Judaici conciones.

18. Et ad præſides ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus.

18. ET AD PRÆSIDES DUCEMINI, qui propriè erant Romanorum, unde Cyrinus, Pilatus, Feſtus, &c. erant Præſides Cyriæ vel Judææ. IN TESTIMONIUM: hoc eſt, ut ita hac occaſione martyres ſeu teſtes ſitis, ILLIS ET GENTIBUS, id eſt, Judæis & Gentilibus: teſtes, inquam, tum Evangelicæ veritatis verbo & facto (intelligent enim non eſſe rem inanem, pro qua tam conſtanter mori parati ſitis;) tum juſtæ condemnationis eorum in die judicii.

Et quia homines rudes atque idiotæ meritò rogare poterant, quid regibus & Conciliis eſſent reſponſuri, cogitationem illam prævenit.

19. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa ho-

19. CUM AUTEM TRADENT VOS, quia ignari quid à Judicibus quærendum ſit, NOLITE COGITARE: Græcè μὴ μεριμνήσητε, ne anxia ſollicitudine diſtracti cogitetis: de quo verbo diximus cap. 6. verſ. 25. unde Luc. 12. verſ. 11. *Nolite ſolliciti eſſe.* Eodem Græco verbo ac ſenſu dicit Marc. cap. 13. verſ. 11. *Nolite præcogitare*, ſcilicet illa

ra quid loquamini.

anxia ac diffidenti sollicitudine. Non enim vult esse negligentes defensionis, sed securos ac fidentes Deo. QUOMODO AUT QUID LOQUAMINI, id est, quid in defensionem allaturi sitis, & quomodo hoc dicturi: quorum illud ad sapientiam, hoc ad oris elocutionem pertinet, & de utroque qui causam dicunt, anxii esse solent. Unde quod hîc simpliciter dicitur: DABITUR ENIM VOBIS IN ILLA HORA, QUID LOQUAMINI, Lucæ 21. vers. 15. distinctè utrumque promittitur, his verbis, *Ego dabo vobis os*, id est, facundiam oris, *& sapientiam*, id est, rationibus vos instruam.

20. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

20. NON ENIM VOS ESTIS, QUI LOQUIMINI, id est, non vos eritis, qui loquemini præsentia pro futuris, SED SPIRITUS PATRIS VESTRI, & consequenter meus, QUI LOQUITUR, seu loquetur, IN VOBIS: non quasi ipsi non essent locuturi, sed quia Spiritus sanctus & constantiam dicendi inseret, & rationes suggeret, & verba dictando ipsam linguam diriget, ut ipsi loquantur. Quo sensu dicitur ad Rom. 9. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Non quasi homo non velit, & currat, sed quia Deus miserendo, & hominis voluntatem præparando, facit, ut homo velit & currat, ut August. in Enchiridio cap. 32. q. d. Ergò, causa non est vestra, unde nec vos anxii sitis: mea est, meum erit ejus patrocinium.

Et hactenùs quidem contra persecutiones externorum eos præmuniit; nunc contra domesticas, quæ nisi prædicatæ fuissent, simplices animos maximè perturbare potuissent.

21. Tradet autem frater fratrem in mortē, & pater filium: & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient.

21. TRADET FRATER FRATREM IN MORTEM, &c. nempe infidelis fidelem: quia in iis, quorum diversa est fides, nullus affectus etiam naturalis fidus erit. q. d. Ea quæ aliis præsidio & solatio esse solent, affectus naturæ, & vinculum sanguinis, in majoris miseriæ accessionem cessura sunt vobis, ac discipulis meis. Nam, ut notat Tertull. cap. 9. Scorpiaci, mixtim de persecutionibus Apostolorum ac cæterorum loquitur. Itaque

22. Et eritis odio omnibus, propter nomen meum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

22. ERITIS ODIO OMNIBUS HOMINIBUS, id est, omni hominum generi, Judæis & Gentibus, viris & fœminis, Principibus, populo, consanguineis, extraneis, non propter culpam aliquam, sed tantummodò PROPTER NOMEN MEUM: hoc est, propter nomen Christi creditis: prædicatis, & profitemini, seu quia Christiani estis, ut explicatur 1. Petri 1. vers. 14. & 16. *Nomen* enim hîc fidei, cultus, ac professionis est symbolum. Tacitè autem eos hoc verbo consolatur, quia, ut ibidem indicatur, honoris & gloriæ, & virtutis Dei est, pro illo nomine pati. Unde pleniùs consolando adjicit, QUI AUTEM PERSEVERAVERIT USQUE IN FINEM: non in bonis operibus, de hac enim perseverantia propriè non agitur hoc loco, sed in ista tolerantia persecutionum: Græcè enim est ὁ ὑπομείνας, id est, ut vertitur Marci 13. vers. 13. *qui sustinuerit*, scilicet adversitates illas constanter, nec unquam usque ad finem mortalis hujus vitæ cesserit. Unde Tertull. eo modo legens loco

cit. Scorpiaci, Quid sustinendo, inquit, nisi persecutionem, traditionem, occisionem? Nec enim aliud est *sustinere in finem*, nisi pati finem. SALVUS ERIT, æternæ vitæ salute. Non enim cœpisse, sed perfecisse, virtutis est, quia sola in benè cœptis perseverantia coronatur.

23. CUM AUTEM PERSEQUENTUR VOS. Hæc est altera pars prudentiæ serpentis scilicet insidiis persequentium se substrahere per fugam. Cum ergò PERSEQUENTUR VOS IN CIVITATE ISTA, non sinendo ibi Evangelium prædicari, FUGITE IN ALIAM: tum ut ipsis persecutoribus consulatis; tum ut periculum declinetis, quòd non est ultrò accersendum; tum verò ut in alia spargatis Evangelium. Quando ergò non est alia manendi ratio, sive charitatis sive justitiæ, tum fuga licita, imò præcepta est: unde hoc *præceptum* vocat Nazianz. Orat. 1. contra Julianum, quæ est numero tertia, & Athanas. pro fuga ista. Noluit enim Christus, ut Apostoli statim primo se prælio morti objicerent, sed longè latéque conarentur fidem spargere. Nam cùm Evangelium, ipsum, seu fructus ejus, propter quem aliquando non est fugiendum, postulat, ut fugiamus, tunc fugere non timiditas, ut Athanasio exprobrabant Ariani, sed pietas est: non fugere verò non fortitudo, sed pertinacia. Multò verò sæpiùs licita est fuga, etsi non præcepta: unde August. Epistol. 180. dicit subinde, quòd istis verbis Christus fugam suis sive præcepit sive permisit. Atque ita ex hoc loco collegerunt Sancti citati, & sentit Ecclesia licitam esse fugam in persecutione, non solùm Apostolis in prima illa missione, sed etiam in alia & aliis. Nam illa verba, *fugite in aliam*, Apostolis quidem occasione primæ missionis dicta sunt, sententia tamen eorum generalis est, ideóque à citatis generaliter intellecta, contra Chrysostom. Theophyl. Hieron. ac Tertull. qui eam ad primam Apostolorum missionem restrinxerunt. Patet enim etiam in Actibus Apostolorum eos persecutiones fugisse. Unde Tertulliani sententia, opinantis illicitam esse fugam, reprobata est. Quomodo autem non repugnent isti permissioni alia Christi verba, improbantis mercenarium, qui vidit lupum venientem, & fugit, & de aliis istius quæstionis anfractibus, vide præclarè disputantem August. Epistol. hac de re scripta ad Honoratum, quæ est 180. Nam pro diversitate temporum, personarum, obligationum fuga nunc illicita, nunc licita, nunc præcepta est. Sed quia Apostoli cogitare poterant, quò tandem ituri essent, si ubique persecutiones fugerent, addit: NON CONSUMMABITIS, id est, non absolveritis peragrando omnes CIVITATES ISRAEL, DONEC VENIAT, post resurrectionem suam, immortalis FILIUS HOMINIS, qui vos alia legatione ad Gentes missurus est. Ita Beda, & inclinat Chrysostom. sed quia adventus Christi ferè poni solet pro illo notissimo adventu ad judicium, aptior videtur sententia Hilarii Can. 10. qui per illud, *fugite in aliam*, concedi fugam intelligit in civitates Gentium; & ne

23. Cùm autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis.

mirarentur suos Judæos à se posse deseri, prænonet plenam Judæorum conversionem suo adventui ad judicium deberi. *Non consummabitis* igitur *civitates Israël*, id est, non perducetis ad fidem & Evangelii perfectionem Israëlitas, *Donec veniat filius hominis*, scilicet ad judicium, quo tacitè futuram Judæorum incredulitatem insinuat.

24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

24. NON EST DISCIPULUS SUPER MAGISTRUM, &c. Proverbiales sententiæ erant inter Judæos, non solùm tunc, sed etiam postea usitatæ: unde reperiuntur etiam-num in Thalmud, Tract. de Benedictionibus cap. 9. in Commentariis Aben-Esræ super Oseam. Significatur illis hoc loco, non quales discipuli & servi esse soleant; sæpè enim magistros ac dominos suos superant, sed quali conditione contenti esse debeant: q. d. Nolite vos melioris conditionis putare, quàm ego fui, qui calumnias, persecutionem, mortem Evangelii causâ patior.

25. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus, & servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverũt, quãto magis domesticos ejus?

25. SI PATREMFAMILIAS me scilicet familiæ hujus vestræ, totiusque Ecclesiæ, veluti domus meæ caput, patrem ac dominum BEELZEBUB VOCAVERUNT: à בעל *Baal*, id est, *Dominus* (quo nomine Gentes Orientales ferè Deos suos appellabant) & זבוב *Zebub*, *Musca*, quasi diceres *Dominum Muscarum*. Erat famosum idolum Accaronitarum, 4. Reg. 1. ita dictum, quòd vel propter aspersum victimarum sanguinem esset muscis plenum, vel potiùs quòd adversùs muscarum infestationem invocaretur. Nam simili ratione Plinius lib. 10. Natur. hist. cap. 28. Cyrenaïci Achorem Deum invocant, muscarum multitudine pestilentiam adferente, quæ protinus intereunt, postquam litatum est illi Deo. Ubi in *Achore* vestigia apparent *Accaronis*. Et Clemens Alexander in Protreptico testatur, Eleos Jovi Ἀπομυίῳ, Romanos autem Herculi Apomyio, id est, muscarum depulsori, sacrificasse; quem Pausanias in Arcadicis Myagrum vocat. Quæ omnia planè idem sunt, quod Beelzebub. In detestationem hujus spurcissimi idoli, inquit Hieron. Principem dæmonum eodem nomine videntur appellasse, & ignominiæ causâ ipsum Christum, tamquam qui pietatis esset hostis, instar Beelzebub, vel qui Beelzebub operâ ad pellendos dæmones uteretur.

QUANTO MAGIS DOMESTICOS EIUS? Vos scilicet, vobisque similes quos humanitatis causâ *domesticos* potiùs, quàm *servos* vocari notat Chrysost. sicut & Joan. cap. 15. vers. 15.

26. Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est operum, quod non revelabitur; & occultum, quod non scietur.

26. NE ERGO, &c. quia communis erit vobis & mihi, discipulis & magistro, servis & domino conditio, TIMUERITIS EOS, ut propter convitia & persecutiones ab Evangelii mei prædicatione desistatis. NIHIL ENIM EST OPERTUM, QUOD NON REVELABITUR, &c. Et istæ adagiales locutiones sunt, usu vulgi tritæ: unde & Christus iis in diversis locis, & propositis usus est, ut patet Lucæ 12. v. 2. Præsenti autem loco sic aptandæ sunt, ut contineant rationem, cur timere non debeant hominum convitia, probra, & blasphemias:

mias: q. d. Brevi apparebit, post propagatum Evangelium, etiam in hoc mundo, ut Chrysost. vel certè in die judicii, ut Hilar. & Hieron. innocentia & virtus vestra, & persecutorum impietas, & omnium rerum veritas, quæ vulgò temporis filia dicitur; *Nihil enim opertum, &c.* Quæ cùm ita sint, *ne timueritis*, sed potiùs liberè constanterque

27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

27. Quod dico vobis in tenebris, id est, privatim & inter domesticos parietes, DICITE IN LUMINE, id est, palàm in lucem proferte: ET QUOD IN AURE AUDITIS, id est, quod secretis colloquiis, quasi in aurem vobis insusurratum fuit, PRÆDICATE SUPER TECTA: id est, publicè clarâ voce omnibus prætereuntibus divulgate. Loquitur enim juxta morem Palæstinæ, ubi in tectis planis ambulare, & colloqui etiam cum transeuntibus poterant.

Cùm ergò adversùs infamias eos sic muniviſſet, nunc etiam adversùs mortem malorum omnium terribiliſſimum.

28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

28. ET NOLITE TIMERE, timore scilicet illo præpostero, quo à libertate credendi, vel confitendi, vel prædicandi fidem meam decidatis, EOS, QUI OCCIDUNT CORPUS, partem vilorem, miseriarum seminiarium brevi sponte moriturum, & glorioſiùs ipsis invitis reparandum: ANIMAM AUTEM, partem digniorem, NON POSSUNT OCCIDERE: quia nec naturalem ejus vitam auferre possunt, cùm immortalis sit, neque supernaturalem, quia est ipse Deus. SED POTIUS, nempe si aliquis timendus est (mavult enim alioquin suos Christus agi amore quàm timore:) TIMETE EUM, QUI POTEST ANIMAM ET CORPUS, id est, totum hominem, irrecuperabiliter scil. & viventem, PERDERE. Plus est enim ita perdere quàm occidere: carnales quippe homines mallent more brutorum corpore & animâ occidi, quàm viventes perdi. IN GEHENNAM, Græcè εἰς γέενναν, *in gehenna*, id est, à Deo verâ vita animæ separatum, æternis corporis & animæ suppliciis addici. Itaque, ut Chrysost. notat, non promittit eis liberationem à morte, sed velut adamantinos reddit, atque ipsa morte superiores, Ne verò putarent per tantam persequendi, imò & occidendi licentiam impiorum, se à Dei providentia esse derelictos, mox adjicit:

29. Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro?

29. NONNE DUO PASSERES, Græcè δύο στρουθία, *duo passerculi*, ASSE VENEUNT? unus enim præ utilitate vix invenit pretium, Græcè & diminutivum ἀσσαρίου, quòd Euthymius vult esse minimi oboli genus: alii dimidium assis quem testatur Plinius lib. 33. c. 3. percussum lege Papiriâ. Porrò *Assis* erat ærei nummi genus, quorum decem valebant denarium, scilicet argenteum. Sed aliquando asses ita minuti fuerunt cusi, juxta Budæum lib. 5. de Asse, ut non nisi sextantem aut unciam appenderent, qui alioqui libram æris continebant. ET UNUS EX ILLIS, id est ne unus quidem eorum, NON CADIT SUPER TERRAM, id est, humi cadit Hebraica periphrasis, pro, perit, scilicet ut aves occisæ in terram cadendo solent. SINE PATRE VESTRO, id est, sine ejus scientia, voluntate ac decreto. Significat enim, inquit August. 5. de Genesi ad lit. c. 21. vilissimas corruptibilis mundi, abjectissimasque particulas di-

vina providentia regi. In voce autem, *Patre vestro*, vis argumenti à minore, quod Christus v. 31. applicat, tacitè augetur quia passerum non est pater.

30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.

30. VESTRI AUTEM, non solùm vita, ut passerum, sed CAPILLI, Græcè efficaciùs καὶ τρίχες, &, seu *etiam, capilli*, qui abjici & contemni solent, NUMERATI SUNT, id est, velut numeratos & custodiæ suæ concreditos habet, ne vel unus eorum pereat. Quo singularissimam & planè mirabilem Dei de hominibus, maximéque illis, quorum non tantùm creator, ut passerum, sed & pater est, curam inculcat, ne vel timeant irruentes persecutiones, vel aliquid sibi sine Dei nutu accidere posse suspicentur, cùm MULTIS, seu infinitis, PASSERIBUS MELIORES, id est, pretiosiores sint apud Deum Patrem suum.

31. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

32. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

32. OMNIS ERGO, QUI CONFITEBITUR ME, id est, qui abjecto pudore & timore, atque amore temporalium, mihi doctrinæque meæ liberè, ingenuè, constanter, testimonium perhibuerit, CORAM HOMINIBUS, hostibus scilicet fidei veritatem extorquentibus. Nam ultrò fidem publicare, non tam est confiteri Christum, quàm profiteri, quod non perinde necessarium est, vel laudabile.

Confitemur autem Christum, non solùm quando verbis profitemur, Christum esse Deum, sed etiam cùm quamlibet doctrinæ Christi partem confitemur: imò cùm facto quoque à præceptorum ejus obedientia vi persecutionum avelli non possumus. Non minùs enim Christi Martyres sive testes sunt, qui propter virtutis Christianæ professionem, ore vel opere factam, moriuntur, ut Joannes Baptista & similes, quàm qui confitendo, quòd sit Messias aut Deus. Hinc factum, ut apud Cyprian. & alios antiquos, qui professionem fidei suæ coram persecutoribus ediderant, vocarentur *Confessores*, & ipsæ professiones fidei *Confessiones*, si non sequerētur mors.

CONFITEBOR ET EGO EUM, id est, vicissim agnoscam eum publicè pro meo, CORAM PATRE MEO; supple, in die judicii: ideo enim addit Marcus cap. 8. versu 38. *Cùm venerit filius hominis in gloria Patris sui.*

33. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

33. QUI AUTEM NEGAVERIT me: negando scilicet ore vel me Christum, vel se Christianum, vel quamcumque doctrinæ meæ partem: vel facto à virtute qualibet, aut ab obedientia mea vi persecutionis recedendo, etsi corde credat. Unde Marcus non solùm dicit, *qui me*, sed addit, *qui verba mea confusus fuerit*, id est, erubuerit. Quo verbo utitur ibi Christus, quia, ut Tertull. c. 9. Scorpiaci, sciebat à confusione vel maximè formari negationem, mentis statum in fronte consistere; priorem esse pudoris, quàm corporis plagam.

Porrò ne mirarentur Apostoli, quî fieri posset, ut princeps pacis Christus & Evangelium pacis tot persecutiones adversùs se concitare posset, cùm Prophetæ passim tranquillitatem & abundantiam pacis futuram prædicent, præoccupat objectionem Apostolorum;

34. NOLITE ARBITRARI, QUIA PACEM VENERIM MITTERE IN TERRAM. Quo indicat se loqui de terrena in rebus infimis pace, quam scilicet solam mundus novit & æstimat pacem, ut quoquomodo in rebus & commerciis temporalibus etiam cum vitiis concordes agant: nam sæculi pax & lætitia non est aliud, quàm nequitia impunita, ut alicubi August. NON VENI PACEM hujusmodi MITTERE, SED GLADIUM, id est, bellum, dissensiones, ac separationes, quorum gladius est instrumentum & signum. Ab hoc autem se venisse dicit, quia eorum occasio, non causa fuit. Nam illa ex prædicatione cœlestis doctrinæ, cui multi nollent acquiescere, ità vidit consecutura; ac si idcirco veniisset, quia etsi prævideret, tamen venit. Sic enim Christus dicitur Lucæ 2. versu 34. *Positus in ruinam multorum.* Similis locus est Joan. 9. v. 39. Quamvis etiam propriè ad hanc dissensionem faciendam venisse dici possit, quatenus fidelis ab infideli dissentit ac separatur. Unde de tali separatione intelligi potest id, quod sequitur:

34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.

35. VENI ENIM SEPARARE HOMINEM, filium scilicet ADVERSUS PATREM SUUM, &c. Exprimit autem tria paria domesticæ conjunctionis, sub quibus omnes conjunctissimi naturæ & societatis gradus intelliguntur: ut sciant omnes concordiæ nexus & affectus quantumvis impotentes fide & religione suâ diruptum iri, tam ab iis, qui non credent, pertinaciter repugnando fidei, quàm ab iis, qui credent constanter sibi per quorumlibet contemptum adhærendo.

35. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam & nurum adversus socrum suam.

36. ET INIMICI HOMINIS ejus DOMESTICI EJUS, quia alter alteri propter fidem contrarius erit, infidelis fideli, & consequenter fidelis infideli; inimicum enim esse relativum est. Verba sunt Michææ Prophetæ capite 7. de temporum ejus calamitatibus dicta, quæ Christus accommodat proposito suo. Quia verò durissimum videbatur id, quod dixerat, se venisse, ut etiam conjunctissimi à se invicem dissiderent, rationem subjicit. Nam

36. Et inimici hominis domestici ejus.

37. QUI AMAT PATREM ET MATREM PLUS QUAM ME, id est, qui eos mihi prætulerit, ita ut propter ipsos me, doctrinam meam, aut præcepta mea verbis aut factis negare malit, NON EST ME DIGNUS, id est non est dignus nomine, discipulatu, promissis meis: Lucas enim ait, *Non potest meus esse discipulus.* Non ergò amorem parentum vetat, sed ordinat, ut scilicet in necessitatis & compassionis articulo quo vel parentes, vel Christus deserendus est, inferior potiori cedat: tunc enim, inquit Hieronym. odium in parentes, pietas est in Deum, de quâ re latiùs August. Epistol. 89. versus finem. ET QUI AMAT FILIUM AUT FILIAM, &c. Crescit gradatim oratio: longè enim potentior est parentum in liberos, quàm in parentes liberorum affectus, quos tamen omnes affectus amori suo jubet cedere. Imò verò nec ille est ME DIGNUS.

37. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

38. QUI NON ACCIPIT, id est, qui non parato animo suscipit & amplectitur CRUCEM SUAM, id est, quamcunque afflictionem & cruciatum, etiam ipsum supplicium crucis, omnium dirissimum ignominiosissimum, sibi divinitùs destinatum. Videtur enim allu-

38. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.

dere ad crucem, quam ipse humeris portaturus erat: qu. d. Qui non est paratus mecum etiam crucifigi: hoc enim sibi videtur velle id, quod adjicit, ET SEQUITUR, id est imitatur, ME, tam in cruce ferenda, quàm ferendi modo; ut scilicet patienti, æquo, imò libenti animo, & justitiæ causâ propter Deum ferat. Multi enim ut fures & latrones crucifiguntur, & crucem ferunt sine fructu.

39. Qui invenit animam suã, perdet illam: & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.

39. QUI INVENIT ANIMAM SUAM, scilicet in hoc mundo, ut alibi additur, id est, qui invenerit se ipsum, negatione scilicet nominis mei, seu qui nolendo crucem suam sibi destinatam accipere, seipsum salvum in hoc mundo morti & rebus adversis eripuerit, PERDET EAM, id est, in futuro æternum seipsum perditurus est. ET QUI PERDIDERIT ANIMAM SUAM, scilicet in hoc mundo, id est, qui vitæ temporalis jacturam fecerit, & ita carnalium hominum oculis seipsum perdiderit, PROPTER ME: addit Marcus c. 8. vers. 35. *& Evangelium*, quod suprà Matth. cap. 5. vers. 10. dixerat, *propter justitiam*; Martyrem enim Christi facit non pœna, sed causa. INVENIET EAM: Marc. d. cap. 8. & Lucas 9. *salvam faciet eam*, id est, se ipsum salvum lucrifaciet in futuro.

Eædem vel similes sententiæ repetuntur Matth. 16. Marc. 8. Lucæ 9. & 17. & Joan. 12. simili sensu: in quibus *Anima* non potest accipi pro vita corporis, quia etiam, qui in futuro perdunt animam suam, vitâ corporis vivent. Itaque alii accipiunt pro animæ salute, sive corporali, sive æternâ. Nos commodissimè accipi posse indicavimus per synecdochen pro toto homine, phrasi apud Hebræos & in veteri Testamento usitatissimâ, ut patet Levit. 5. vers. 1. 2. 5. &c. Et hac de causa sæpè in novo Testamento, ubi nos legimus *teipsum*, *seipsum*, & similia, translatio Syriaca usitato suo idiotismo legit *animam suam*, vel *animam tuam*, ut patet infrà c. 22. vers. 39. Et cap. 27. vers. 40. pro, *Salva temetipsum*, legit, *Salva animam tuam*. E contrario verò id, quòd Matth. 16. v. 26. dicitur, *Anima verò sua detrimentum patiatur*, Lucas proprietatem Hebraicam explicans dixit, *Se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat.* His igitur sententiis vinculum, quod nos arctissimè devinctos tenet, & Christi amorem impedit, disrumpit, perversum scilicet amorem sui, quem usque ad mortis ipsius contemptum perducit. Alioquin enim hoc non esset amare se, sed odisse; non invenire, sed perdere. Nam, ut August. Tract. 15. in Joan. si malè te amaveris, tunc odisti; si malè oderis, tunc amasti.

40. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.

40. QUI RECIPIT VOS. Post tot prædictas calamitates, & odium omnium, hoc tandem solatii loco adjicit, austeritatem præceptorum spe temperans promissionis, inquit Hieron. ne scilicet ab omnibus prorsus se desérendos esse verérentur. Itaque his verbis partim significat, quantam eorum esset habiturus curam, qui ipsiusmet personam sustinerent, partim spe præmii domos eis totius orbis aperit, inquit Chrysost. quod ipsum latè deducit Homil. 26. quia QUI vos, tamquam Legatos meos, RECIPIT hospitio,

honorificè, humaniter benignéque tractatos, ME RECIPIT, id est, perinde reputabo, ac si in personam meam esset collocatum ut clariùs explicat Matth. 25. v. 40. Honorem enim Legato, ut tali exhibitum sibimetipsis Reges exhibitum putant. ET QUI ME RECIPIT, RECIPIT EUM, QUI MISIT ME, id est, Deum Patrem, qui honorem mihi à se misso impensum sibi præstitum putat. Neque verò honorifica tantùm, sed & fructuosa eis erit ista hospitalitas. Nam

41. QUI RECIPIT PROPHETAM, id est, doctorem Evangelii, de quo hic sermo est, IN NOMINE PROPHETÆ, eo nomine, seu titulo, quod est Propheta, seu annuntiator verbi Christi, ac Dei. Nam his verbis retorquet intentionem hominis in Christum, ac Deum, ut clarè indicat Marcus cap. 9. vers. 40. ut scilicet non maneat in ipsa persona Prophetæ & justi, multò minùs hæreat in aliis mortalibus caduciſque considerationibus, ut quia Iudæus, affinis, cognatus, potens, eloquens, doctus. MERCEDEM PROPHETÆ ACCIPIET, id est talem, inquit Chrysostomus qualem ipse Propheta, quia scilicet eum, ut talem diligit, & Prophetæ officio cooperatur. Nam opus, quo alterius operi, sive bono, sive malo, communicamus, sicut illius naturam imbibit, ita & illius præmium accersit, aut supplicium. Unde mox idem extendit ad eum, qui recipit quemlibet, IUSTUM IN NOMINE IUSTI, id est, eo nomine, quòd iustus est, seu intuitu iustitiæ & pietatis. Et quia non omnium est, Prophetas, aut iustos, spectatissimæ virtutis viros seu hospitio recipere, & magnis afficere beneficiis, ad infimos, & ad infima beneficia descendit.

41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

42. ET QUICUMQUE POTUM DEDERIT UNI EX MINIMIS ISTIS: scilicet qui in me credunt, ut exprimitur cap. 18. v. 6. vel fratribus meis, vt cap. 25. hoc est, ex infimis inter fideles, & contemptissimis. Quo simul indicat id, quod Apostolus docet ad Galat. 6. v. 10. quamvis ad omnes bonum operari debeamus, maxime tamen ad domesticos fidei. CALICEM AQUÆ FRIGIDÆ vel aliquid abiectissimum ministerium exhibuerit; *Frigida* enim dicit, vt observat Hieron. ne & in calida, paupertatis ex penuria lignorum occasio quæreretur. TANTUM IN NOMINE DISCIPULI, quod Marcus dicit cap. 9. *in nomine meo, quia Christi estis*: hoc est ergò, mei intuitu, seu eo tantùm nomine, quia Christianus est, qui Christi doctrinam sectatur, aut profitetur, sive iustus ille sit, sive injustus. Unde Hilar. in fine Can. 10. putat significari, quòd probitatem, obsequentis, fallentis de se probra non lædunt, eo quòd mercedem suam à dantis fide, non autem sumentis mendacio consequatur. Itaque illud, *tantùm*, etiam ad præcedentia referri potest: AMEN DICO VOBIS, id est asseveranter dico, ne cui hoc incredibile videatur, NON PERDET MERCEDEM SUAM: quæ pro divina scilicet liberalitate tali operi reposita est: magis enim Deus ad affectum dantis, quàm ad rei datæ magnitudinem respicit.

42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

CAPUT XI.

1. Et factum est cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum:

CVM CONSUMMASSET IESUS PRÆCIPIENS, id est, cùm finem fecisset præcipiendi, seu instruendi & ordinandi, ut est Græcè; pleraque enim non fuerant præcepta propriè dicta, sed instructiones & prædictiones: TRANSIIT INDE; ab Apostolis, periculum legationis facturis, sese separando. Hoc enim factum esse indicatur Lucæ 9. vers. 6. & 10. nimirum, ut sic inciperent sine cortice natare, & ne præsentia sua eorum auctoritatem minueret aut miracula obscuraret. UT DOCERET ET PRÆDICARET, etiam ipsemet, non solùm per vicarios suos, IN CIVITATIBUS EORUM. Quidam ad Apostolos referunt; quasi diceret, in omnibus civitatibus, ubi Apostoli prædicassent: sed hoc duriùs, & significat Lucas loco cit. Apostolos potiùs ad Christum rediisse. Eorum igitur, id est Iudæorum: refertur enim ad id, quod remotè præcessit, atque ex narrationis serie & sensu satis intelligi datur, eo quòd iussisset Apostolos ad oves domus Israël pergere.

2. Joannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis:

2. IOANNES AUTEM CUM AUDIVISSET. Videtur hæc historia non narrari ordine suo, eo quòd ex Lucæ 7. vers. 18. verisimiliter videatur contigisse ante missionem duodecim Apostolorum. Legationis huius causam indicat interrogatio ista:

3. Ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

3. TU ES QUI VENTURUS ES, AN ALIUM EXPECTAMUS? Ex quâ colligit Tertull. Ioannem de Christo certum esse desiisse, ut loquitur cap. 8. lib. de Præscript. deficiente scilicet in eo spiritu Prophetiæ, post totius spiritus translationem in Dominum, ut ait cap. 10. libr. de baptismo. Sed, ut rectè dicit Ambros. libr. 6. in Luc. aut insolentiæ fuisset, antea ei divina tribuere, quem nescias, aut de Dei filio dubitasse perfidiæ est. Hieron. ponderat, non dici, *Tu es, qui venisti*, sed, *qui venturus es*, scilicet ad inferos, quò Ioannes mox erat descensurus; ut scilicet scire posset, non utrum esset Messias, sed utrum & inferis Christum deberet nuntiare. Cum quo consentiunt Gregorius Homil. 1. in Ezechiel. & illi, qui dubitasse volunt apud Ambros. d. libr. 6. in Lucam, utrum esset morituus. Sed longè rectiùs Hilar. Can. 11. & Chrysost. Homil. 37. in Matth. sentiunt, Ioannem nullo modo de Christo dubitasse, sed potiùs discipulos eius putantes forsan, quòd Ioannes modestiæ causâ Christum ita prædicasset, & sibi prætulisset. Nam eos adversus Christum aliquid, ut Hieronymus loquitur, mordacitatis, ac livoris habuisse, & pro magistro suo fuisse æmulatos, satis patuit suprà cap. 6. vers. 26. ubi dicunt, *Ecce hic baptizat*, Christus scilicet *& omnes veniunt ad eum*: quasi dicent, nos deserimur, ad illum turba confluit. Unde ex Lucæ 7. vers. 18. constat, hanc legationem eâ occasione contigisse quòd discipuli Ioannis narrarent ei miracula Christi, cum quadam scilicet æmulatione. Itaque ut eorum infirmitati & ignorantiæ consuleret, illam ipsam in se suscipit: ut ita ipsi liberiùs

interrogarent: *Tu es, qui venturus es?* Græcè ἐρχόμενος, Tune es ille venturus? id est, ille qui à gente Iudaica, iuxta vaticinia Prophetarum, expectatur venturus, scilicet Messias? sed quia in illa ipsa hora, ut testatur Lucas, multa miracula patrasset Iesus non tam verbis quàm factis, quæstionem solvere, eosque convincere voluit, eo quòd minùs esset obnoxium calumniæ. Respondit igitur:

4. EUNTES RENUNTIATE IOANNI: prudenter dissimulans id, quod Ioannes fecerat, ne vel incredulitatis, vel ignorantiæ eos insimulando, difficiliùs se instrui paterentur: QUÆ AUDISTIS, de me narrari. Nam quod hîc dicitur, MORTUI RESURGUNT, non viderant ipsi, sed recenter factum audiverant, ET VIDISTIS, scilicet ista, quæ tunc facta fuisse Lucas tradit.

4. Et respondens Iesus ait illis: Euntes renunciate Ioanni quæ auditis & vidistis:

5. CÆCI VIDENT, CLAUDI AMBULANT, SURDI AUDIUNT, &c. Alludit ad locum Isaiæ 35. v. 5. & 6. ubi ad litteram hæc miracula, & simul per ea spiritualis à vitiis liberatio per Christum futura significatur. PAUPERES EVANGELISANTUR. Græca phrasis, pro *pauperibus evangelizatur*, id est, Evangelium, seu promissio regni cœlorum pauperibus prædicatur; maximè enim mirabile, pauperibus promitti regnum. Et hoc vaticinium ex Isaiæ 61. vers. 1. citat: q. d. Respondete Ioanni ea quæ Prophetæ de Messia prædixerunt, vos vestris oculis vidisse compleri. Porrò pro, *pauperes*, textus Hebraicus & Vulgatus legunt עניים *Ghanavim, mansueti*: quod LXX. verterunt *pauperes*, propter summam vicinitatem utriusque vocabuli עניים, *Ghanavim*, & עניים, *Ghanum*, in lingua Hebraica, sicut & significationis: nam pauperes nempe non solùm opibus, sed maximè spiritu & animo, qui scilicet iis non apponunt cor, simul mansueti & humiles esse solent, & propterea magis capaces prædicationis regni cœlorum, divites verò feroces, ac superbi; ut propterea Augustin. Homil. 13. & alibi sæpiùs dicat, Vermis divitiarum superbia.

5. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur:

6. ET BEATUS EST, QUI NON FUERIT SCANDALISATUS IN ME, id est, qui nullâ re offensus fuerit ex me, quò minùs mihi tanquam salutis auctori credat & adhæreat. Nam uti nunc, ita & olim alios aliud in Christo offendit, nascendi ex muliere abiectio, crucis ignominia quasi stultitia, conversationis humilitas, doctrinæ severitas, &c. quâ de causâ Christus dicitur, *Lapis offensionis*, & *Petra scandali*, 1. Petri 2. vers. 8. & *positus in ruinam multorum*, Lucæ 2. sed non credentibus. Notat autem Hieronym. tacitè Christum notasse discipulos Ioannis, tanquam scilicet qui essent scandalizati in ipso, quasi non eâ severitate viveret, quâ Ioannes, ut patuit etiam suprà capite 9. vers. 14.

6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

7. ILLIS AUTEM ABEUNTIBUS, ne Ioannem coram discipulis laudando assentator videretur, CŒPIT DICERE AD TURBAS: quæ non intelligebant mysterium huius legationis, & ex eâ facilè suspicari poterant Ioannem, qui olim, Ioan. cap. 1. & 3. magnificum Christo perhibuerat testimonium, mutasse sententiam, aut certè in Christo fuisse scandalisatum, ac cœpisse dubitare. QUID

7. Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

EXISTIS IN DESERTUM VIDERE? q. d. Quid causæ quòd fuit, antè certatim, relictis domibus atque oppidis, in desertum spectatum currebatis? An ut spectaretis ARUNDINEM VENTO AGITATAM? Quæ scilicet cuiuslibet venti impulsu huc illuc fluctuat, id est, hominem arundinis instar levem, & in sententia inconstantem? q. d. nequaquam; sed omnes, vel hoc ipso facto unanimiter iudicastis, esse hominem, ut vitæ severitate, ita & mentis constantiâ admirabilem. An ut spectaretis

8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

8. HOMINEM MOLLIBUS, vestimentis, VESTITUM? id est, qui deliciis vestium, aut ciborum enervatus mollem quoque mentem gerat, vel qui luxus cupiditate antea alicui adulari soleret? q. d. nullo modo id sentiistis de Ioanne. Nam QUI MOLLIBUS VESTIUNTUR, id est, qui vestium, totiusq; vitæ luxum sectantur, non in desertis quærendi sunt, ubi omnia inculta, austera & squallida, sed IN DOMIBUS REGUM SUNT, ideſt, sectantur Principum palatia. Longè ergò abesse iudicastis à Ioanne omnem levitatis & inconstantiæ suspicionem.

9. Sed quid existis videre? propheram? Etiam dico vobis & plus quàm prophetam.

9. Quid ergò EXISTIS VIDERE? PROPHETAM? Hîc tandem exprimit, quid senserint Ioannem esse; nam, ut est infrà cap. 12. *Omnes habebant Ioannem sicut prophetam.* Itaque prudenter Christus præmunit turbas, ex propria earum opinione, quam ne quis velut popularem contemneret, ipse primùm comprobat, dicendo ETIAM DICO VOBIS; quia tanquam Propheta nemine indicante Messiam cognovit, & post se venturum prædixit. Deinde ex sua sententia addit, ET PLUS QUAM PROPHETAM. Ratio est: Hic EST ENIM, DE QUO SCRIPTUM EST, &c. q. d. quia tantus est Ioannes, ut non solum prophetaverit, sed tanquam de nobilissimo Propheta ab aliis prophetatum est.

10. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuã ante te.

10. ECCE ENIM EGO MITTO ANGELUM MEUM, non natura, sed ministerio, id est, nuntium illum antonomasticè præclarissimum miraculosa scilicet conceptione, circumcisione, vitæ puritate & austeritate instar Angeli admirabilem. Unde eum Angelum, non hominem fuisse existimatum, tradit Euseb. lib. 9. de Demonstrat. Evang. cap. 5. ANTE FACIEM TUAM, id est, propriè, ante te. Nam sicut sex mensibus ante Christum conceptus & natus est, totidem circiter antè prædicare cœpit. QUI PRÆPARABIT VIAM, prædicatione baptismi & pœnitentiæ, & regni cœlorum appropinquantis iuxta dicta cap. 3. vers. 3. ANTE TE. Græce ἔμπροσθέν σου, coram te, in conspectu tuo. Qua repetitione, *ante faciem tuam*, &, *antè te*, videtur fieri allusio ad duplicem hominum consuetudinem: unam, qua Regi venturo quispiam præcurrere solet, qui vias & hospitium parari curet, ut præcognitus Rex maiori cum pompa recipiatur: alteram, qua nobilissimus aliquis jamjam venientem præcedit, qui secedere de via iubens, Regem iam præsentem ostendit. Utroque officio Ioannes functus est, & ex utroque capite oritur, quòd dicitur esse plusquam Propheta, quia iam olim prophetatus, vitaque purus, instar Angeli, Christum Regem non ut cæteri prophetæ, è longinquo vaticinatus

natus, sed mox venturum nuntiavit, Matth. 3. vers. 11. & venientem præsentemque digito ostendit, *Ecce Agnus Dei, &c.* Joan. 1. v. 38. & manibus suis baptizavit.

11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo.

11. NON SURREXIT INTER NATOS MULIERUM, id est, non est exortus inter homines, ex muliere non virgine natos: nam mulier hîc pro corrupta sumitur, ut notant Hieron. hîc & Ambros. in Psalm. 43. itemque lib. 5. in Lucam. Major enim, inquit, fuit iis, quibus æqualis esse poterat sorte nascendi. Cum quo reipsa convenit id, quod alii dicunt, inter eos, qui communi sorte nascendi per concubitum prodeunt. Quamquam nullum sit incommodum quocumque modo natos intelligere, quia comparatio non fit nisi cum viris, iisque Prophetis Veteris Testamenti non cum Beata Virgine, aut Apostolis, aut Christo, qui ad Novum pertinebant. MAIOR JOANNE BAPTISTA, Lucas c. 7. v. 28. addit, *Propheta*, & hoc in Matth. supplet Hilar. Can. 11. Non surrexit ergò major Propheta, sive scilicet spectes munus prophetandi, utpote cui licuit Christum mox venturum prædicere, & monstrare præsentem; sive cætera prædictionis ejus, conceptionis, sanctificationis in utero, nativitatis, & sanctissimæ conversationis privilegia, ut latiùs expendit Chrysost. Quòd si nullus Propheta eo fuerit major, qui tamen erant maximi, ergò nullus omninò. Negando igitur quemquam majorem, permittit ei aliquem esse æqualem, ut notat Augustin. libr. 2. contra adversarium Legis & Prophetarum cap. 5. & Hieron. hîc Quamquam quia verba ista sunt declaratio illius, quòd esset plùs quàm Propheta, negativa ista videatur tacitè affirmativam insinuare.

QUI AUTEM MINOR EST IN REGNO CŒLORUM, MAIOR EST ILLO. Non pauci veterum sic intelligunt, Qui minimus est in cœlo, sive homo, sive Angelus, utpote jam triumphator cùm Deo existens, major est *illo*, qui adhuc corruptibile corpus gerens, consistit in prælio. Aliud est enim, inquit Hieronym. victoriæ coronam possidere, aliud adhuc in acie dimicare. Et ita istud, *in regno cœlorum*, cum præcedentibus jungi debet. Sed quia non videtur iste sensus multùm facere ad propositum Christi, verisimilior esse videtur, quem tradit Hilar. Can. 11. Chrysostomus & Theophyl. hîc, qui jungunt ea verba cum sequentibus, hoc modo: Ille, qui inferior est Joanne Baptista, tum ætate, tum opinione vestrâ, major est illo, virtute, potestate, divinitate, majestate, claritate, inquit Augustin. initio Tract. 13. in Joan. ubi hunc sensum præferre videtur, etsi utroque modo jam dicto dixisset, rectissimè intelligi posse, libr. illo. 2. contra adverss. Legis superiùs citato. IN REGNO CŒLORUM, id est, in Ecclesia justorum, sive terrena, sive cælesti: vel etiam *in regno cœlorum* annuntiando, quòd Joannes primus quidem, sed nequaquam tanta efficacia & fructu, quanto Christus prædicavit. Sic ergò Christus summa cum modestia, ne sibi Joannem prætulisse videretur, confirmat ipsius Joannis de se testimonium, quòd suprà vidimus cap. 3. v. 11. Et regni cœlorum sic intellecti factâ mentione, sicut hoc est suprà

c. 3. v. 2. expoſuimus, valde aptè ſubjungit Chriſtus:

11. A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

11. A DIEBUS AUTEM JOANNIS BAPTISTÆ, id eſt, à quo tempore ipſe primus prædicatione ſuâ vexillum erexit, ad regnum cœlorum, velut bravium certaminis, rapiendum, USQUE NUNC, quo ego in eadem prædicatione ſuccedo, REGNUM CŒLORUM VIM PATITUR, id eſt, vis illi infertur, ſeu vi facta invaditur & extorquetur aliis alios, certatim conantibus antevertere. Unde Lucas dicit cap. 16. *Omnis in illud vim facit*, id eſt, omnes vi & eruptione facta illud diripere conantur. Itaque ſignificatur partim ardor, ac ſtudium properantium ad diripiendum illum theſaurum regni cœlorum propalatum; partim multitudo confluentium; partim quòd illi, qui à regno prorsùs alieni videbantur, ut Gentiles, Publicani, & peccatores, deturbatis heredibus & filiis regni tamquam ignavis, in illud irruerent, & quaſi aliis debitum ſibi raperent. Poſtremam hanc conſiderationem latè ponderat Hilar. Can. 11, & ſecutus eſt Nazianz. Orat. 40. omnes autem tres Ambroſ. in fine libr. 5 in Lucam. ET VIOLENTI RAPIUNT ILLUD, id eſt, & qui talem vim inferunt regno, illi obtinent, ac diripiunt illud. Sed quia talis violentia non poteſt inferri regno, niſi quis etiam ſibimetipſi vim inferat: hinc conſequenter indicatur eos, qui ardore regni cœleſtis aſſequendi violentiam naturæ inferunt, omneſque vitioſas refrænant cupiditates, regnum illud vi iſta facta velut violentos prædatores invadere, inquit Auguſtin. libr. 2. Quæſtionum Evangel. quæſt. 37. quæ eſt expoſitio multorum antiquorum, Irenæi libr. 4. cap. 72. Baſilii lib. de vera virginit. & in princ. Proverbiorum, Hilar. hîc, & aliorum poſt ipſos.

13. Omnes enim prophetæ & lex, uſque ad Joannem prophetaverunt;

13. OMNES ENIM PROPHETÆ, ſeu Prophetarum ſcripta, ET LEX, Moyſis, USQUE AD JOANNEM PROPHETAVERUNT, id eſt, uſque ad Joannis prædicationem ſuo functi ſunt munere, prophetandi ſcilicet, ſeu prædicandi, promittendi & obſcuris figuris adumbrandi Chriſtum, & regnum ejus. Finis enim legis totius Chriſtus. Relinquitur hîc tacitè ſupplendum, id quod Lucas ſupplet c. 16. v. 16. *Ex eo verò tempore regnum Dei annunciatur*, id eſt, jàm non futurum eſſe, ſed appropinquaſſe nuntiatur, omniaque cæleſtia de Chriſto myſteria propalantur. Sic ergò datur optima ratio cur à Joanne, ac deinceps regnum cœlorum vim pateretur, quia ſcilicet poſt Joannem Chriſtus jam, & regnum ejus palàm omnibus prædicatur & præſens ſiſtitur.

14. Et ſi vultis recipere, ipſe eſt Elias qui venturus eſt.

14. ET SI VULTIS RECIPERE, IPSE EST ELIAS, non perſonâ, ſed officio, quia ſcilicet ut Angelus interpretatur, Lucæ 1. v. 17. præceſſit Chriſtum in ſpiritu & virtute Eliæ, convertendo ſcilicet corda filiorum ad Patrem, ſive, ut Auguſt. Tract. 4. in Joan. quia præceſſit in eodem ſpiritu vis Eliæ: quod enim Elias ſecundo adventui, hoc Joannes primo fuit, & ſecundum præfiguravit. QUI VENTURUS EST, juxta Malachiæ vaticinium & Scribarum veſtrorum doctrinam, Lucæ 17. verſ. 10. q. d. Non eſt, quòd propterea putetis regnum Dei, & Meſſiæ nondum advenîſſe, eo quòd

Elias nondum apparuit, quia Joannes ipse est Elias. Additur ab aliis, *si admittitis*; partim ut significet ab eorum arbitrio pendere, quòd esset ipsis Elias, quia ad Deum, sicut Elias, ipsos conversurus esset officio præcurrendi, si vellent credere; partim ut indicet sermonem esse parabolicum, adeòque figuraliter tantùm verum, eo quòd esset vera, & viva figura Eliæ spiritu, virtute, prædicatione, præcursione, totoque officio: ut sic quasi benevolè ipsos invitet ad attendendum & intelligendum, & æquo animo accipiendum id, quod diceret. Unde addit

15. Qui habet aures audiendi, audiat.

15. QUI HABET AURES AUDIENDI, id est intelligendi, AUDIAT, id est, diligenter attendat & perpendat id, quod dico: mysticum enim erat, inquit Hieron. & egens intelligentiâ. Est familiare Christi epiphonema, quo continetur exhortatio ad audiendum, similis illi, *Qui legit intelligat*: *qui potest capere capiat*. Simul autem indicat, non omnes habere illas aures, de quibus loquitur, id est donum illud Dei, quo auditur id, quod dicitur. Quod donum subinde consistit in intelligentia eorum, quæ dicuntur, ut in hoc loco, quæ sæpè ex voluntatis rectitudine proficiscitur, plerumque verò, quando de rebus faciendis Christus loquitur, consistit in obedientia. Unde Aug. lib. de bono perseverantiæ c. 14. Aures audiendi ipsum est donum obediendi. Et Baruch. 2. v. 31. utrumque complectens, ait: *Dabo eis cor, & intelligent: aures, & audient.*

Et hactenus quidem laus Joannis, quæ tacitè tendebat eò, ut Joanni de se jam olim testificanti crederent, nec sententiam mutasse suspicarentur. Sed cùm Phariſæi Joannem spernerent, ut Lucas indicat c. 7. v. 30. hinc Christus ad increpandam duritiam eorum, omnibus modis inflexibilem, convertitur.

16. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt:

16. CUI AUTEM SIMILEM ÆSTIMABO GENERATIONEM ISTAM? id est, Cui rei comparabo hoc hominum genus, Scribas & Phariſæos, tam præfractos & contumaces? SIMILIS EST PUERIS, &c. id est, similiter agitur, seu, simile quid accidit in hoc hominum genere, ac si pueri, ludentes in foro, in duos se choros dividant, alter alteris COÆQUALIBUS, ætate scilicet, seu coætaneis & sociis, acclament, & pervicaciam morositatemque exprobrent:

17. Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non planxistis.

17. CECINIMUS VOBIS, Græcè ηὐλήσαμεν *tibiâ cecinimus*, nempe læta, tripudioque congruentia. ET NON SALTASTIS, id est, non estis provocati ad lætitiam. LAMENTAVIMUS, id est, lugubria, seu funebria cecinimus: alludit enim ad morem Judaïcum, in funebribus usitatum, ut suprà cap. 9. vidimus, ET NON PLANXISTIS, id est, non estis provocati ad luctum & planctum: q. d. Tanta est morositas vestra, ut neque læta, neque tristis cantio vobis placeat. Juxta quam expositionem non est necesse, ut revera fuerit talis puerorum lusus, sicut quidam volunt, de quo nihil certi constat: sed potest esse efficta, ut sæpè fieri solet, comparatio. Quam Christus ipse mox eleganter applicat; sed ita, ut Joannes & ipsemet respondeant pueris, frustrà præcinentibus, propter simplicitatem scilicet & innocentiam: Joannis verò au-

18. Venit enim Joannes neque manducans neque bibens, & dicunt Dæmonium habet.

steritas lamentationi, Christi facilitas cantui.

18. VENIT ENIM JOANNES, NEQUE MANDUCANS, NEQUE BIBENS, id est, tanta vivens austeritate ac temperantiâ, ut absque cibo, & potu vitam sustinere videretur. Atque ita totius vitæ severitas ac pœnitentiæ, tamquam luctus, prædicatio erat lamentationi similis, eò tendens, ut Judæos ad pœnitendum, velut ad lugendum, traheret. ET DICUNT DÆMONIUM HABET, id est, dæmonis virtute fert rigorem illum.

19. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Et justificata est sapientia à filiis suis.

19. VENIT FILIUS HOMINIS MANDUCANS ET BIBENS, id est, communi cum hominibus conversatione, more cæterorum, promiscuo cibo & potu vivens: supple, ut isto facili vivendi genere & comitate, velut lætiori cantu, Judæos ad virtutem, ac Deum provocaret, qui non fuerant Joannis austeritate commoti. ET DICUNT, humanitatem vertentes in contumeliam & calumniam: ECCE HOMO VORAX ET POTATOR VINI, qui scilicet delicias suas ponit in vino & convivijs. PUBLICANORUM, ET PECCATORUM AMICUS: q. d. nebulonum & perditorum hominum socius, & consequenter illis similis, ET IUSTIFICATA EST SAPIENTIA, Dei scilicet, id est, sapientissima Dei providentia, quæ in hoc duplici modo consulendi pervicaciæ Judæorum eluxit, probata & laudata seu est justa declarata. Videntur enim hæc verba respondere illis Lucæ: *Omnis populus audiens, & Publicani justificaverunt eum*: id est, laudaverunt & glorificaverunt eum. A FILIIS SUIS, scil. sapientiæ, hoc est, idiotismo Hebraico à sapientibus, nempe Apostolis, inquit Hieron. vel potiùs generaliùs ab omnibus, quotquot verè in hoc populo sapientes fuerint, sive Apostoli, sive Publicani, sive populus, qui scil. isti consilio Dei vel meæ prædicationi credidederunt.

20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam.

20. TUNC CŒPIT EXPROBRARE, id est, ingratitudinem objicere, & probris afficere, quòd scilicet beneficia illa plurimarum virtutum, seu miraculorum, sine fructu pœnitentiæ, quem spectabant, percepissent. Luc. c. 10. v. 1. indicat, hæc esse dicta, cùm ad prædicandum discipuli mitterentur, sed quia hæc exprobratio optimè cohæret præcedentibus de duritia Judæorum, & Matth. addit *tunc*, videntur bis fuisse dicta, de quo Aug. lib. 2. de consensu Evang. c. 23.

21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis: olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

21. VÆ TIBI CHOROZAIN, *Corozain*, *Bethsaida*, *Capharnaum*, tres fuerunt urbes præcipuæ Decapoleos, sibi valde vicinæ: inter quas *Corozain* erat in dimidia tribu Manasse, in ulteriori Jordanis ripa: *Capharnaum* è regione ejus, in citeriori ripa, in tribu Nephtalim; *Bethsaida* verò, unde orti erant SS. Petrus & Andreas, in tribu Zabulon; quæ tres tribus circa ingressum Jordanis in lacum Genesareth sunt conterminæ, omnes sunt in ripa istius lacus Genesareth, omnes florentes opibus, omnes ex hac Christi commination ita funditùs eversæ, ut Corozain tantum ruinæ supersint; reliquarum vix septem domus aut tuguria. QUIA SI IN TYRO ET SIDONE, Et hæ conterminæ sunt Galilææ, in tribu quidem Aser, sed numquam à Judæis possessæ, ideòque Genti-

les & idololatræ, in littore maris mediterranei, mercimoniis totius orbis opulentissimæ, ideóque deliciis, Deique contemptu plenæ, de quibus vide Isaiæ 23. & Ezech. 26. & 27. Unde quia vicinæ, impietate, & vitiis nobiles, ideóque Judæis detestabiles, ut eos magis pungat Salvator, asserit eas tamen à Corozain & Bethsaida impietate superari: quia si in illis FACTÆ ESSENT VIRTUTES, id est, miracula: sub quibus universam prædicationem suam, quam confirmabant, comprehendit: OLIM, id est, jam diu simul ac factæ essent, non cum tanta dilatione, IN CILICIO ET CINERE PŒNITENTIAM EGISSENT, id est, magnæ humilitatis pœnitentiam. Ille enim erat vetus pœnitendi & lugendi ritus, ut induerentur cilicio, quod hîc Græcè & semper Hebraicè vocatur *Saccus*, veste nempe vili, rudi, aspera & carnis afflictivâ, ad testandum dolorem & simul vindictam sceleris, & aspergerentur *cinere*, in humiliationis suæ testimonium. De his in Scripturis passim sermo est, & Gentiles etiam ritum illum imitati sunt Jonæ 3. v. 6. Ex quo apertum est pœnitentiam aliquid aliud inferre, quàm novam vitam, ut hæretici contendunt.

In his autem verbis docet Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 9. altius nobis mysterium prædestinationis ostendi. Si enim quæritur, cur ergò non est Tyriis & Sidoniis cum tot virtutibus prædicatum, si credidissent & egissent pœnitentiam? Respondet eod. lib. 14. quia alto illo prædestinationis judicio non erant à perditione separati. Quia enim ut crederent, inquit, non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum, hoc est, ut infrà explicat, si tales, uti Tyrii, altiore Dei judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.

22. VERUNTAMEN DICO VOBIS, TYRO ET SIDONI REMISSIUS ERIT, id est, tolerabiliùs seu mitiùs punientur, quia, ut Hieron. Tyrus & Sidon naturalem tantummodò legem calcaverant, Judæi verò & naturalem & scriptam, ac tot prædicationes Christi miracula contempserant. Nam illa eorum infidelitas ac duritia non de ignorantia, sed de libera voluntate veniebat, aut Augustinus ibidem cap. 9.

22. Veruntamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quàm vobis.

23. ET TU CAPHARNAUM NUMQUID USQUE IN CŒLUM EXALTABERIS? Lucas & Græca etiam hîc legunt sine interrogatione, *usque in cœlum exaltata es*, nempe opibus, gloria (erat enim cæteris longè præcellentior) itemque præsentiâ meâ, prædicatione, miraculis. Cum interrogatione verò legendo sensus est; Numquid putas te semper sublimem divitiis, & gloriâ in cœlum evehendam? Locutio enim est hîc hyperbolica. USQUE IN INFERNUM DESCENDES: Græcè καταβιβασθήσῃ, *deprimeris*, *vi prosterneris*: quo quamvis urbis quoque desolatio, maximè tamen æternæ civium damnatio significatur, cujus magnitudinem mox attexit: QUIA SI IN SODOMIS, quæ scelerum & suppliciorum omnibus exemplum fuerunt celebratissimum, FACTÆ FUISSENT ILLÆ VIRTUTES QUÆ

23. Et tu Capharnaüm, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent usque in hanc diem.

24. Veruntamen dico vobis,

quia terræ Sodomorum remissius erit die judicii, quàm tibi.

MANSISSENT USQUE IN HANC DIEM : Græcè est, ἐμειναν ἄν, *utique mansissent*, vel *manere potuissent*. Similis planè locutio cum ea vers. 21. *pœnitentiam egissent* : ubi interpres illud, *an*, reliquit intactum. Unde illud, *fortè*, vel est superfluum ; & erit plena assertio, tamquam de re secundùm Dei præscientiam certò futura: vel sumi debet, ut respondeat Græcæ particulæ potentiali, quatenus significet, non certò eos interituros fuisse, sed manere potuisse usque in præsentem diem, nempe quia tot miraculis incitati egissent pœnitentiam. Et sic vulgari modo de futura eorum permansione & pœnitentiâ fuisset locutus, ad indicandam istâ comparatione maximam Judæorum obstinationem.

25. In illo tempore respondens Jesus dixit : Confitebor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

25. IN ILLO TEMPORE, quo exprobrabat civitatibus illis, RESPONDENS JESUS, id est, in verba prorumpens, DIXIT : Phrasis est Hebræis frequentissima, juxta quam, *Respondere* sumitur ut Hebraicum ענה, *Ganáh*, pro sermonem ordiri vel prosequi, etiamsi nemini jam locuto respondeatur : maximè sequente verbo *dixit*, ut videre licet non solùm hîc, sed cap. 17. vers. 4. & cap. ult. vers. 5. & Lucæ 14. vers. 3. CONFITEOR TIBI, id est, laudo & gratias ago : nam hoc sensu verbum *Confitendi* est in Scripturis usitatissimum, maximè in Psalmis. PATER DOMINE CŒLI ET TERRÆ. Pulcherrimâ interpunctione, inquit Athanas. lib. 3. contra Arianos, differentiam Patris ac Domini docuit. Nam & Patrem suum dixit, & creaturæ Dominum, ut constaret eum à tempore indutæ carnis Patrem suum quoque Dominum appellare: quod idem notat Amb. libr. 5. de fide cap. 3. QUIA ABSCONDISTI HÆC, id est, quòd absconderis hæc mysteria regni cælorum, prædicata A SAPIENTIBUS ET PRUDENTIBUS, hujus mundi, id est, eis qui ingenio, doctrinâ, & sapientiâ sæculari pollent, scil. Scribis, Pharisæis, Capharnaïtis. Abscondit autem, non illustrando mentem illorum internâ gratiâ, ut credant & intelligant & convertantur. ET REVELASTI EA, seu quòd revelaveris ea, infuso Spiritus sancti lumine, PARVULIS, Græcè νηπίοις, *infantibus*, id est, idiotis, qui nullâ sæculi sapientiâ aut prudentiâ clari sunt, & instar infantium ac stultorum contemnuntur : nam opponuntur sapientibus, de quibus dixerat. Unde Apostolus idem consilium Dei explicans, eos vocat *stulta*, *ignobilia*, & *contemptibilia mundi*, 1. ad Corinth. 1. v. 27. & 28. Ostendit igitur Christus his verbis statu inferioris homines citiùs quàm Scribas, Pharisæos & divites hujus sæculi credidisse, & credituros esse, ut ait Ambr. Serm. 17. in Psal. 118.

26. Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te.

26. ITA PATER. In Luca vertitur, *etiam Pater*. Est autem modus loquendi, quo Christus vehementer aliquid confirmare solet, ut patet Lucæ 11. vers. 51. & ibid. c. 12. v. 5. q. d. Planè Pater, sic fecisti ; & rectissimè, QUONIAM SIC FUIT PLACITUM ANTE TE, id est, quia sic placuit tibi, cujus beneplacitum est lex omnis æquitatis : ita docens nos, abjecto omni fastu & meritorum præsumptione, in scrutando isto secretissimo illuminationis unius & excæcationis alterius, electionis & rejectionis consilio, non ad ra-

tiones humanas, ſed ad Patris beneplacitum recurrere, & illi humiliter acquieſcere. Ne verò poteſtatem revelandi parvulus myſteria à ſe removiſſe videretur, mox occurrit.

27. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, id eſt, Omnium rerum imperium ac diſpenſatio meæ quoque voluntati ac beneplacito tradita eſt à Patre, nempe per hypoſtaticam humanitatis cum divinitate unionem, ut ſcilicet tamquam Salvator omnia inſtauraret, ut indicat Iren. lib. 4. capite 37. & clarè tradit Athanaſ. in illud, *Omnia mihi tradita ſunt, &c.* Intellige igitur tradita tamquam homini, cui Deitas juncta eſt in unitate ſuppoſiti. Qui ſenſus involvit alium, quem ſecutus eſt Hilar. Can. 11. & Auguſt. lib. 3. contra Maximinum cap. 12. quòd omnia ei tamquam Filio Dei tradita ſint à Patre per æternam generationem. Gignendo enim ei, quem genuit de ſubſtantia ſua, tradidit omnia quæ habet in ſubſtantia ſua. Sed hoc non omnibus perſpectum eſt. Nam nemo novit Filium, id eſt, me eſſe Filium divinam ſcilicet meam generationem, naturam, majeſtatem Patri æqualem, nisi Pater, qui genuit. Addunt hic nonnulli, *& cui voluerit Pater revelare*: Sed non debet addi, tum quia jam præceſſit, quòd Pater revelat parvulis myſteria; tum maximè, quia hoc involvitur in eo, quod ſequitur, Et cui voluerit Filius revelare: quia dum revelat Filius, etiam per Filium revelat Pater, tamquam per Verbum ſuum, ut obſervat Auguſt. 7. De Trinit. capite 3. Si enim, inquit, hoc verbum, quod nos proferimus, & ſe ipſum oſtendit, & illud, de quo loquimur, quantò magis Verbum Dei per quod facta ſunt omnia? Proinde tam Pater quam Filius revelant, & conſequenter omnia prorſus myſteria etiam à Patre, ſed per Filium revelantur, tamquam per mentis noſtræ lumen, ut idem explicat in Quæſtionib. Evangel. lib. 1. quæſt. 1. Proinde & in traditione omnium, & in mutua illa cognatione oſtendit ſe Patri prorſus æqualem. De Spiritu ſancto nihil expreſsè dicit, ſive quòd illa ultima verba, *Et cui voluerit, &c.* etiam ad illum referenda ſint, ut pote cui Filius omnia divinitatem tradendo revelet; ſive quòd propter inſeparabilitatem, unitatemque Trinitatis, ea, quæ ſingulis perſonis tribuuntur, etiam cæteris convenire intelligantur, ut Auguſt. 1. De Trinit. capite 8. & 9. & Baſil. libro 5. contra Eunomium. Unde alibi dicitur, *Et nobis revelavit Deus per Spiritum ſuum.* Cùm ergò tantus ſim,

27. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo novit Filium, niſi Pater: neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

28. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & egoreficiam vos.

28. Venite, non pedibus, ſed affectibus fidei, ſpei, & charitatis ad me, tamquam ad eum, cui omnia tradita ſunt, hoc eſt tamquam ad fontem omnium bonorum, revelatorem omnium myſteriorum omnes qui laboratis, ſub jugo veteris hominis, moleſtiarum perpeſſione afflicti & fatigati, nempe ut novum induendo non laboretis. Et onerati estis, oppreſſi ſcilicet onere ſeu jugo peccatorum, concupiſcentiarum, miſeriarum hujus vitæ, ac denique veteris Legis: nam & iſti oneri ſeu jugo videtur jugum ſuum, id eſt, Evangelicum mox opponere, juxta Hilar. & Theophil Et ego reficiam vos, id eſt, refocillabo & recreabo à

molestiis, Græcè est ἀναπαύσιν, requiem & liberationem ab oneribus illis tribuam: unde mox vertit nomen inde deductum, INVENIETIS REQUIEM. Fiet autem hoc eo, quo sequitur, modo:

29. Tollite jugum meum super vos & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.

29. TOLLITE IUGUM MEUM, id est, suscipite Legem meam, seu Evangelium, quod annuntio, excusso totius veteris hominis jugo. Nam, ut August. Sermone 9. De verbis Domini capite 1. Jugum illud tollere & ferre non est aliud, quàm piè vivere in Christo: cujus doctrina seu Evangelium, sicut & lex Dei, & imperium hominis, vocantur in Scripturis *Jugum*, Psalm. 2. vers. 2. Jerem. 2. versu 20. Genes. 27. versu 40. quia subditos per modum jugi, quod bobus imponitur, subjicit & continet. ET DISCITE A ME, id est, disciplinam meam subite. Videtur enim esse explicatio ejus, quod immediatè præcessit; & ratio subditur: QUIA MITIS SUM, ET HUMILIS CORDE, id est, quia non sum iracundus aut arrogans, instar tyranni, qui quemquam repellam, sed benignitate, mansuetudine & humilitate cuivis expositus. Communior tamen interpretatio est maximè August. Serm. 10. de verbis Domini, & lib. De vera Virgin. cap. 35. *Discite à me*, id est, exemplo meo, non mundum fabricare, vel in eo mirabilia facere, sed QUIA MITIS SUM, id est quòd mansuetus ac placidus, minimè morosus aut difficilis sum, ET HUMILIS, non verbis tantùm aut gestibus, externâque specie, sed *corde*, totoque animo. Duas istas exprimit virtutes, tum quia inter eas summa cognatio, & non minima sunt jugi Christi pars: tum quia ad suscipiendum, ferendúmque jugum maximè prærequisita, (superbia enim jugum Christi velut abjectum maximè aversari solet, asperitas & impatientia etiam susceptum excutere:) tum quia mortalibus, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est, tam magnum & arduum est esse parvum seu humilem, ut nisi à tanto magistro disci omninò non possit; unde humilitas propriè virtus Christi & Christianorum: tum denique quia nullæ virtutes magis præstant refectionem seu requiem, quam jam promiserat. Unde effectum earum explicans, addit: ET INVENIETIS REQUIEM, non corporibus, sed ANIMABUS VESTRIS. Nihil enim inquietius asperitate & superbiâ: nam sicut ista radix est & princeps omnium omninò cupiditatum, ita quoque omnium bellorum ac tumultuum, quibus mundus, major & minor, intus & extra perturbatur. Ne verò nomine jugi, quod molestum esse solet, deterrerentur, docet suum esse alterius rationis.

30. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.

30. JUGUM ENIM MEUM. *Jugum* & *Onus* idem sunt, Lex videlicet Christi. SUAVE EST, Græcè χρηστὸν, id est, *blandum* seu *commodum*, scilicet non asperitate molestum, ut juga jumentis esse solent, neque grave, ut onera, sed LEVE, id est, portatu facile. Mira sanè doctrina, cùm præcepta Christi sint difficillima, & perfectiora præceptis Legis & omnibus, qui piè vivunt, persecutiones promittantur. Rationem tamen reddit Nazianzen. Oration. 42. quia spes & merces molestiis hujus vitæ uberior est. Sed amplius voluit Christus. Rectiùs igitur August. Sermon. 9. De verbis Dom. hoc dictum esse docet

docet propter tres rationes. Prima est, quia Christus suos exoneravit sarcinis seu onere innumerabilium observationum, quod erat revera grave jugum duræ Judaïcæ cervici convenienter impositum, ut idcirco S. Petrus dicat Actor. 15. v. 10. *Quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Secunda est, quia loco illius jugi non nisi facilitatem simplicis fidei, bonæ spei, & sanctæ charitatis imposuit, hoc est, non nisi solam bonam voluntatem. Nihil enim tam facile est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi: & hæc sufficit Deo. Nam, ut latiùs explicat Epist. 45. Ibi labor est, ubi multa quæruntur & diliguntur, quibus adipiscendis atque retinendis voluntas non est satis, quia consequentem non habet facultatem. Justa verò vita, cùm volumus, adest, quia eam ipsam plenè velle justitia est. Nec plus aliquid perficiendum justitia requirit, quàm perfectam voluntatem. Vide, si labor est, ubi velle satis. Unde divinitùs dictum est, Pax hominibus bonæ voluntatis. Ubi pax, ibi requies: ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla causa laborandi. Hæc ibi. Tertia est, & præcipua, præcedenti affinis, quia, ut idem lib. De nat. & gratiâ, c. 69. *Omnia levia sunt charitati*, vel potiùs ipsa charitas est ipsum jugum, quod leve est. Christi enim præceptum seu jugum non est aliud, nisi ut diligamus Deum & proximum: & ipse venit, non jam legem ac timorem, sed ipsam dilectionem in cordibus nostris diffundere per Spiritum sanctum. Quidquid autem amatur, dulcescit amantibus, nec sentiunt quòd laborant: imò tunc ab eis plus laboratur, quando à labore prohibentur, ut ait Serm. 47. De diversis c. 1. Et hoc sensu dicit S. Joannes Epist. 1. c. 5. v. 3. *Mandata ejus gravia non sunt.* Gravia enim sunt timori, levia amori, & quidquid propter illa toleratur.

CAPUT XII.

1. IN ILLO TEMPORE ABIIT JESUS PER SATA SABBATO. *Sabbat* seu *Sabbaton* (nam utroque modo Hebraicè, & exinde Græcè dicitur) propriè significat cessationem seu quietem & ulteriùs diem quieti à Deo destinatum, nempe septimum hebdomadæ, in quo nihil operis fieri poterat, non solùm servilis, sed neque necessarii ad parandos cibos, quia præveniri poterat, Exodi 35. v. 3. quâ veritate observabatur etiam dies expiationis, Levit. 23. v. 30. & 31. Extensum est inde vocabulum ad omnia cætera festa, ibid. v. 32. quibus non ab omni opere, ut die septimâ, sed à servili tantùm cessabatur: quæ differentia videtur notari Levit. 23. versu 3. collato cum versu 7. & 8. Denique per catachresin *Sabbaton* pro tota hebdomada usurpatur: unde Feria secunda, tertia, &c. Hebræis dicitur secunda & tertia Sabbati, id est, hebdomadæ, 1. ad Corinth. ult. v. 2. & Marci ult. versu 2. Nisi sensum esse velis, prima, secunda, &c. post Sabbaton. Hoc loco videtur intelligi *Sabbaton* propriè dictum, quo cibos parare non liceret;

1. In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato: discipuli autem ejus esurientes, cœperunt vellere spicas & manducare.

nam inde est orta quæstio, & Christi responsio satis indicat, discipulos aliquid fecisse, quod extra necessitatem non licuisset Sabbato. Sed Lucas c. 6. vocat illud Sabbaton *secundo-primum*, quod verbum infinitas peperit sententias. Quibus omissis, omnium videtur probabilissima S. Chrysost. initio Homil. 40. quâ dicitur secundo-primum quasi bis primum seu bis solemne, eo quòd Sabbaton & aliud festum concurreret in eundem diem. Cùm autem hoc contigerit eo tempore, quo segetes habebant spicas, necesse est consequenter incidisse hoc Sabbaton in primum vel ultimum diem Azymorum, qui erant similiter etiam festi, vel in diem Pentecostes. Nam quòd Jansenius in Concordia, Franc. Lucas & alii putant, etiam ratione incidentis Neomeniæ potuisse esse duplex, falluntur, quia Neomenia non erat festum in populo, sed tantùm in templo, ut diximus Levit. 23. Multò verò magis fallitur Maldonatus, dum putat non potuisse spicas haberi nisi in festo Pentecostes, eo quòd tunc Deuteron. 16. versu 9. falx in messem mitteretur. Est enim certissimum, manipulum spicarum offerri solitum, tamquam primitias messis inchoatæ, secundâ die Azymorum, hoc est in festo Paschatis, Levit. 23. versu 10. & 11. & locus Deuteron. expressè refutat ipsum Maldonatum: nam neque tunc fruges meti incipiebant, sed septem septimanis antè: neque primitiæ segetis seu frugum tunc offerebantur, ut ipse videtur putare, sed panum ex frugibus jam demessis, Levit. 23. v. 17.

DISCIPULI AUTEM ESURIENTES, sive quòd præ populi concursu nec spatium habuissent manducandi, Marc. 3. vers. 20. sive quòd audiendi Salvatoris aviditate nec de necessariis fuissent solliciti: CŒPERUNT VELLERE SPICAS. Permittebat hoc expressè Lex in agris alienis, Deuteron. 23. v. ult. quod etiam Sabbato Iren. vult licuisse l. 4. c. 20. etsi tunc non liceret metere. ET MANDUCARE. Quòd austerioris vitæ indicium esse notat Hieronym. ut potè non præparatas epulas, sed cibos simplices quærentium.

2, Pharisæi autem videntes; dixerunt ei: Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.

2. PHARISÆI AUTEM, qui potiùs carpendi quàm discendi causâ sequebantur, DIXERUNT EI: ECCE DISCIPULI TUI FACIUNT QUOD NON LICET FACERE SABBATIS: nempe vellendo & confricando spicas, cibum parare, hoc enim licebat quidem aliis festis, Exodi 12. v. 16. non tamen Sabbatis, ut suprà diximus. Discipulos autem arguunt, sed impetunt magistrum: quasi dicerent, ex factis discipulorum tuorum patet doctrina tua.

3. At ille dixit eis: Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant:

3. AT ILLE DIXIT EIS: NON LEGISTIS, vos, qui de scientia Legis inflati, me & discipulos accusatis, QUID FECERIT DAVID, quem non audetis reprehendere, ut potè vir secundùm cor Dei, QUANDO ESURIIT IPSE, ET QUI CUM EO ERANT, supple *esurierunt*; hoc est cùm simili necessitate premerentur: nam excusatio ista petitur ex necessitate, quæ non habet legem. Unde Marcus 2. versu 25. dicit, *quando necessitatem habuit*. Cùm autem Christus hîc dicat, eos, qui cum ipso erant, esuriisse; & Lucas addat, eum dedisse panem iis, qui cum ipso erant; & David ipse dicat, se condixisse pueris in illum & illum locum; necesse est dicere

aliquos fuisse comites Davidis, non quidem præsentes, sed certo loco condictos, ut ita concordent verba David cum Achimelech, 1. Reg. 21. vers. 1. & 2. Nam quamvis David posset dici mentitus, ut vult Jansenius, non tamen mentitus dici potest Christus.

4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his quicum eo erant, nisi solis sacerdotibus?

4. QUOMODO INTRAVIT IN DOMUM DEI, atrium scilicet circumdans tabernaculum. Nam hoc fuisse ibi satis patet ex loco 1. Reg. cit. etsi arca non esset ibi, sed in Gabaa, 1. Reg. 7. versu 1. & 2. Reg. 6. v. 3. ET COMEDIT PANES PROSPOSITIONIS, id est, propositos: Hebraïcè *Panes facierum* ita dictos, quòd duodecim panes in tabernaculi parte Septemtrionali coram facie Domini, in Sancta Sanctorum habitantis, erant semper propositi, ut significaretur duodecim tribus à Deo semper ali. QUOS NON LICEBAT EI EDERE, prohibente scilicet expressè Lege communi, Levit. 24. v. 9. Ne verò dicerent, ei tamquam Regi & Prophetæ forsitan id licuisse, addit: NEQUE HIS QUI CUM EO ERANT. Primum itaque argumentum & excusatio discipulorum petitur à majori, seu longè graviori facto David, quod tamen non fuit peccatum. Sequitur nunc secunda.

5. Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt?

5. AUT NON LEGISTIS IN LEGE, Moysis, non solùm referente, sed & expressè iubente offerri sacrificia, & consequenter mactari, excoriari, purgari animalia, ligna ferri, ignem accendi; quæ omnia in se spectata opera sunt servilia Sabbatis prohibita: & ita SABBATIS (quæ maxime præ cæteris festis observationem requirebant) SACERDOTES (quos maximè decebat Sabbatum colere) IN TEMPLO (ubi maximè coli oportebat) SABBATUM non solùm non observant, sed VIOLANT, externâ scilicet specie, & ea faciendo, quibus, nisi Dei cultus excusasset, violabatur. ET SINE CRIMINE SUNT, transgressæ scilicet Legis de sanctificando Sabbato. Unde Judæorum traditio, In Templo est Sabbatum.

6. Dico autẽ vobis, quia templo major est hic.

6. DICO AUTEM VOBIS, QUIA, seu quòd TEMPLO MAJOR EST HIC. Græcè ὧδε, *in hoc loco*, ut potè dominus templi; cui ut ministrent, & regnum Dei propaganti cooperentur discipuli mei, spicarum grana comedunt: q. d. Si templi ministerium excusat, ego multò magis, qui dignior ac sanctior templo sum.

7. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium; nunquam condemnassetis innocentes.

7. SI AUTEM SCIRETIS, &c. id est, Quod si animo impressum haberetis, quid sibi velit ista Dei sententia, MISERICORDIAM VOLO ET NON SACRIFICIUM, id est, magis probo, quàm sacrificium; phrasi Hebræis usitatâ, qui quod postponunt, hoc negant. Sub sacrificio autem tamquam præcipuo omnem externum Dei cultum comprehendit, etiam observationem Sabbati. NUMQUAM CONDEMNASSETIS, Legis Dei transgressæ, INNOCENTES. Itaque non tam arguit eos ignorantiæ speculativæ, quàm practicæ, quæ à voluntate pendet: hoc est, taxat inhumanitatem & immisericordiam eorum, quòd homines terentes obvias aliquot frumenti spicas, ut eo tam crudo cibo famem urgentem pellerent, judicarent esse profanatores Sabbati. Tertia est ista excusatio, quam sequitur quarta.

8. Dominus

8. DOMINUS EST ENIM. Nova hæc est ratio, cur innocentes

enim est filius hominis etiam sabbati.

sint, & non condemnandi, quia DOMINUS EST FILIUS HOMINIS, ETIAM SABBATI, id est, Filius hominis, quo inspectante & consentiente hæc agunt, est Dominus etiam Sabbati, ut pote naturâ Deus, creator, & institutor omnium rerum, legislator etiam Sabbati: qui proinde potest pro libitu rigorem ejus moderari, dispensare, penitùs abrogare, & violatores à peccato eximere. Itaque sicut quatuor modis purgat discipulos suos, ita quatuor modos interpretandi positivas leges tradit, nempe ut cedant vel legi naturæ, vel alteri legi magis particulari, vel humanitati ac dilectioni proximi, vel denique auctoritati legitimæ dispensantis aut abrogantis.

9. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

9. ET CUM INDE TRANSISSENT, VENIT IN SYNAGOGAM EORUM; non eodem die, sed alio Sabbato, ut ait Luc c. 6. versu 6.

10. Et ecce homo manum habens aridam, & interrogabant eum, dicentes: Si licet sabbatis curare, ut accusârent eum.

10. ET ECCE HOMO MANUM HABENS ARIDAM, id est, emortuam, & ita inutilem ad opus, ET INTERROGABANT EUM, &c. non ut discerent, sed ut carperent eum, vel violati jam Sabbati, si licere affirmaret & sanaret; vel violati antea in vellendis spicis, vel certè inconstantiæ aut inhumanitatis, si negaret. Porrò Marcus & Lucas dicunt Christum interrogasse Pharisæos, *Utrum liceret Sabbatis benefacere, an malefacere.* Quod intellige Christum fecisse, ut quæstionem jam sibi ab eis propositam aliâ quæstione solveret. Indicat enim quòd qui non benefecerit, & non salvaverit proximum laborantem, quando potest, censeatur malefeciſſe eumque perdidisse. Per se autem est manifestum, non licere malefacere vel perdere hominem: unde relinquitur esse benefaciendum curando. Quòd cùm declarasset similitudine ovis, cui ipsimet fatebantur die Sabbati posse præstari beneficium liberationis ex fossâ, concludit primò particulatim respondendo ad quæstionem Pharisæorum,

11. Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam?

12. Quanto magis melior est homo ove? Itaque licet sabbatis benefacere.

12. QUANTO MAGIS, Græcè πόσῳ οὖν, quanto igitur MELIOR EST HOMO OVE? & consequenter quanto magis misero homini in Sabbato beneficium curationis conferre licet, si licet misero animali? Deinde generatim respondet ad quæstionem. ITAQUE LICET SABBATIS BENEFACERE, curationem scilicet & cujusvis alterius rationis beneficium proximo afflicto præstare. Verùm ut non verbis tantùm ineptiam refelleret, sed facto multò maximè:

13. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati sicut altera.

13. TUNC AIT HOMINI, nempe, ut Marcus c. 3. v. 5. addit, cùm eos *cum ira*, id est, vultu ad indignationem compositio, respexisset, & simul *contristatus* esset, seu condoluisset animo super cæcitate cordis eorum, qui livore cæci res apertissimas in quæstionem vocabant. EXTENDE MANUM, &c. q. d. Non ego te tango, non inspuo, sed solo verbo sano: nimirum, ut sicut hoc notat Athanas. Hom. de semente, omnis calumniæ umbra evanesceret. Loqui enim nec ipsi quidem, qui quæstionem loquendo proposuerant, vetitum esse, vel cogitare audebant. Et hæc est causa cur refutationis evidentiâ confusi, neque mutire ausi coram populo, consilium PERDENDI, id est, occidendi illum, agitarunt. Christus verò noluit contendere cum illis potentiâ, vel miraculis

14. Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum.

se defendere, sed tamquam infirmus infirmis exemplum præbens.

15. RECESSIT INDE, id est, declinavit eorum insidias, accessit furori, & nihil acerbatior continuando suam in benefaciendo facilitatem, omnibus expositam, CURAVIT OMNES, qui sequebantur.

15. Jesus autē sciens, recessit inde: & secuti sunt eum multi & curavit eos omnes:

16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent.

17. UT ADIMPLERETUR, QUOD DICTUM EST PER ISAIAM, qui scilicet prædixit Regem Christum non vindictâ promptum, non pompa, fastuque sæculari nobilem, non vulgi contemptorem, non urbes & vicos implentem strepitu & tumultibus, ut solent Reges, sed patientiâ, mansuetudine, humilitate, beneficentia in pauperes, & contemptu mundi fore commendatum: hoc enim sibi vult prophetia sequens.

17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam Prophetā dicentem:

18. ECCE PUER MEUS, QUEM ELEGI. q. d. Attendite conditiones pueri (Hebraicè servi) mei, qui ratione carnis, qua formam servi accepit, & ratione ministerii ei impositi, servus meus est, quem præ omnibus creaturis elegi, ut esset mihi filius, & regnum meum in hominibus restauraret. Videntur enim esse verba gloriantis de tali servo, cujusmodi sunt & Job. 1. versu 8. & cap. 2. v. 3. DILECTUS MEUS, IN QUO COMPLACUIT ANIMÆ MEÆ, seu mihi, id est quem totis visceribus diligo: vide dicta in fine capitis 3. PONAM SPIRITUM MEUM SUPER EUM, id est, dabo ei non de spiritu meo, sicut cæteris, quasi ad mensuram; sed spiritum meum seu plenitudinem spiritus mei, ut scilicet cum omnibus donis suis requiescat super eum, tum in conceptione, tum visibiliter in baptismo: & illo plenus, JUDICIUM GENTIBUS NUNTIABIT, hoc est, id, quod justum & rectum est, legem scilicet meam Evangelicam, tamquam legislator prædicabit, non Israëli tantùm, sed universis GENTIBUS, idque non strepitu verborum tantùm, uti Moyses, sed illam spiritu illo suo scribendo in cordibus eorum. Modus autem annuntiandi illius judicii hic erit.

18. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eū, & judicium gentibus nuntiabit.

19. NON CONTENDET, id est, non litigabit cum adversariis suis, NEQUE CLAMABIT, contentiosè scilicet & iracundè, NEQUE AUDIET ALIQUIS IN PLATEIS VOCEM EIUS, nempe murmurationis & querelæ de persecutoribus, ut vult S. Thom. in Commentario: alii autem intelligunt vocem jactantiæ & ostentationis in circulis platearum: alii prodigiosum illud silentium in Passione. Quamquam Hebraïca repetitione videatur idem significari, quod in præcedentibus, scilicet summa Christi in voce & moribus modestia, placiditas, & suavitas, sine vi ac tumultu regnum propagantis.

19. Non contendet, neque clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem ejus:

20. ARUNDINEM QUASSATAM, id est, concussam, jam frangi cœptam, NON CONFRINGET omninò, veluti contemnens illam præ vilitate, ET LINUM FUMIGANS, Syrus *lucernam*, id est, ellychnium lucernæ, vicinum extinctioni, ut potè flammâ jam amissâ, in quo scilicet restet adhuc aliqua scintilla spei reparandi lumen, NON EXTINGUET penitùs, sed fovebit potiùs, ut ardeat. Quibus metaphoris significatur incredibilis Christi humanitas &

20. Arundinē quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium:

mansuetudo, sive quòd Judæos persecutores, calamo quassato, propter perditam integritatem, & lino fumiganti, propter lumen amissum, comparatos, non contriverit, nec extinxerit, ut vult August. libro 20. de Civit. cap. 30. & Chrysost. hîc Homil. 41. sive quòd imbecilles, semifractos, & fidei lumine semiextinctos, in quibus adhuc aliquid esset bonæ fidei reliquum, non contempserit, sicuti Reges solent, nec iracundè oppresserit, sed potiùs mansuetudine toleraverit, foverit, ac promoverit. DONEC EIICIAT AD VICTORIAM IUDICIUM, id est, donec efferat seu proferat judicium illud novissimum, quo adversarios suos vincat: ita consequenter Aug. vel potiùs, ut illud, *donec* non tam significet limitationem temporis, quàm eventum rei: qu. d. donec mansuetudine sua hoc efficiat, ut illud judicium, seu Evangelium, quod nunciavit, & cui mundus magnoperè reluctabitur, tamquam ubique vincat & obtineat.

21. Et in nomine ejus Gentes sperabunt.

21. ET ita GENTES, Evangelio scilicet subactæ, IN NOMINE EIUS SPERABUNT, id est, ab ipso salutem expectabunt, & eum velut suæ salutis auctorem colent: Quod sensu convenit cum Hebræo, in quo legitur, *Legem ejus insulæ expectabunt*, id est, gentes insularum, à continente scilicet Judææ remotissimæ, Evangelium istud avidè suscipient, & salutis assequendæ causa; utpote cujus capitalis doctrina est, non aliud nomen esse sub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos salvos fieri, Act. 4. v. 12. Totum hunc locum citavit Matth. partim ex Hebræo, partim ex LXX. quædam omittendo, quædam etiam quoad sensum aliter reddendo, ut proposito suo magis conveniebat.

22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens cæcus & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur, & videret.

22. TUNC OBLATUS EST EI DÆMONIUM HABENS, CÆCUS ET MUTUS: non naturæ vitio, sed dæmonis maleficio. Unde factum est, ut, cùm CURASSET EUM, scilicet à dæmonio (nam Luc. c. 11. ubi idem narrat, ait, *Cùm ejecisset dæmonium*) LOQUERETUR ET VIDERET. Idem efficit spiritualiter dæmon in hominibus, occupat scilicet, ut August. notat lib. 1. Quæst. Evang. q. 4. visum & linguam, ne credat, fidemve confiteatur, aut det laudem Deo; quo expulso, primò fidei lumen aspiciunt, inquit Hieron. deinde in laudem Dei tacentia priùs ora laxantur.

23. Et stupebant omnes turbæ: & dicebant: Nunquid hic est filius David?

23. ET STUPEBANT OMNES TURBÆ. Causam stuporis indicat Marcus in simili miraculo c. 1. v. 27. quia scil. *in potestate spiritibus immundis imperabat*, Hoc enim ita mirabile est, ut propterea plerumque cùm Christus dæmones ejiceret, eamdem admirationem Evangelistæ notaverint, ut patet etiam Lucæ 9. v. 44. Unde & hîc incipiunt inde dubitare, utrum non esset FILIUS DAVID, ille scilicet promissus Davidi Messias. Nam ex hujusmodi operibus Christum agnoscendum satis indicavit suprà c. 11. v. 5. ex Isaia.

24. Pharisæi autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.

24. PHARISÆI AUTEM, odio, & invidia excæcati, AUDIENTES, tam honorificas de Christo voces, magicis incantationibus rem tribuunt, quasi per insignem, & PRINCIPEM, seu præcipuum dæmonem Beelzebub, talia exerceret, de quo vide dicta c. 10.

25. Jesus autē

25. JESUS AUTEM SCIENS COGITATIONES EORUM, id est, mentem,

ex qua prodirent illa verba, nempe ad advertendum ab ipso & ab Evangelio, & à salute populum: nisi significatum velit, sola cogitatione hoc dixisse Pharisæos. DIXIT EIS: OMNE REGNUM, *imò*, OMNIS CIVITAS VEL DOMUS, seu privata familia, DIVISUM CONTRA SE, id est, intestinis dissidiis distractum, DESOLABITUR ET NON STABIT, id est, necesse est, ut brevi pereat, neque persistere potest. Quam generalem propositionem omninò experientia, & omnium hominum judicio verissimam applicat regno Satanæ, subsumendo:

sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur, & omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit.

26. ET SI SATANAS, pro, *sed si*, vel, *itaque* si Satanas: juratus scilicet hominum adversarius, & propterea studiosissimè tyrannicum regnum in homines propagare studens, meo ministerio SATANAM EJICIT, vi scilicet & invitum, ut homines protsus diabolicæ potestati erepti restituantur Deo; sicut me videtis facere. ADVERSUS SE DIVISUS EST, id est, pugnis bellisque unus ab altero dissidebit, dum hic lædere homines, ille liberare volet. QUOMODO ERGO STABIT REGNUM EJUS? Cùm ipsemet illud destruat cujus conservandi propagandique simul peritissimus & avidissimus est. Quandò ergò ex collusione aliqua dæmoni dæmon cedit, quod aliqui contra hanc primam Christi rationem objiciunt, tunc non inviti ejiciuntur, sed spontè exeunt; nec eripiuntur homines dæmoni restituti Deo, sed tum ipsi, tum alii erroribus implicati arctius possidentur, & ita non sunt inter se divisi dæmones, sed animo studiisque colligati.

26. Et si Satanas satanam ejicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?

27. ET SI EGO IN BEELZEBUB EJICIO DÆMONES, FILII VESTRI IN QUO EJICIUNT? Hæc est secunda ratio in qua per filios intelligunt recentiores ferè exorcistas Judæorum: de quibus Act. 19. v. 14. & Josephus 8. Antiquitatum cap. 2. quos per Salomonem institutos refert. Plerique tamen veteres, ut Athanas. tractatu de communi essentia, Hilar. Chrysost. Theophyl. hîc, quod magis probat, & Hieron. per filios intelligunt Apostolos, ac discipulos suos gente Judæos, qui jam dæmones expulerant: & ita argumentum erit à concessis, ut explicat Chrysost. q. d. Expulsionem dæmonum in Apostolis ac discipulis meis tamquam opus divinæ virtutis commendatis, cur ergò in me traducitis? Hoc enim signum est, non personam ex operis iniquitate, sed opus ex personæ odio condemnati. IDEO IPSI JUDICES VESTRI ERUNT, condemnantes vos invidiæ in me, & blasphemiæ in Deum, ex ipsa vestra inconstantia. Quamvis Hieron. eo ipso hoc referat, quòd eos judices futuros velit, cùm sedebunt super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.

27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Ideo ipsi judices vestri erunt.

28. SI AUTEM EGO IN SPIRITU DEI, seu per Spiritum sanctum Dei cooperantem, EJICIO DÆMONES, IGITUR PERVENIT IN VOS, non regnum Beelzebub, seu diaboli, cui vos me cooperari dicitis, sed REGNUM DEI, de quo cap. 3. vers. 2. dictum. Sensus est, Ergò verum est id, quod Joannes Baptista, Apostoli mei, & ego prædicavimus, appropinquasse scilicet, & venisse regnum Dei, destructo regno diaboli, quia tot miraculis Spiritus Dei prædicationem nostram veram esse testatur.

28. Si autem in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.

29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere nisi priùs alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.

30. Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit.

29. Aut, id est, alioquin, nisi hæc vera sint, QUOMODO POTEST QUISQUAM INTRARE IN DOMUM FORTIS? Tertia ratio petitur à comparatione duorum inter se bellantium: in qua *domus* intelligitur arx munita, quam alter eorum custodit, VASA, arma quibus confidit, itemque suppellex universa in spolium victoris cessura. *Fortis* igitur parabolicè est diabolus, quia non est potestas super terram, quæ comparetur ei, Job 41. & quia ut August. qu. 5. libr. 1. Quæst. Evang. quia nemo ab illo se potest suis viribus eripere, sed per gratiam Dei: *domus ejus* est hic mundus, in quo dominabatur, vel, quod in idem redit, regnum ejus: *vasa* sunt arma, quibus utitur ad tuendum regnum suum, voluptas, tentatio, consuetudo. &c. vel potiùs ipsi homines infideles, quos tamquam vasa & supellectilem suam possidet, quibus utitur ad voluntatem suam, ut explicat Hieron. hîc Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 8. & Iren. diversis locis, lib. 3. c. 3. c. 8. & lib. 5. c. 21. Hos ergò tamquam spolia nemo ei eripere ac diripere potest, transferendo illos à vitiis ad virtutem atque in regnum Dei. NISI PRIUS ALLIGAVERIT FORTEM illum, id est, nisi ademerit ei priùs potestatem impediendi voluntatem credentium, à sequendo Deo, & obtinendo regno ejus: q. d. Hæc autem omnia videtis me tamquam fortiorem fecisse ac facere prædicatione virtutis, miraculis, dæmonum ejectione. Constat igitur me Spiritu Dei, qui solus principe dæmoniorum fortior est, ejicere dæmonia, & fracto regno ejus regnum Dei constituere. Quæ cùm ita manifesta sint;

QUI NON EST MECUM, credendo me in Spiritu Dei ista facere, & regnum ejus adducere, atque ita hærendo mihi, ille hâc ipsa indifferentiâ & incredulitate CONTRA ME EST, hoc est, stat à partibus adversarii, quia tam manifesta Dei opera à Deo removeat. Quod idem sequenti hemistichio repetit. ET QUI NON CONGREGAT MECUM, id est, qui colligit homines, sed non mecum, seu non ita, ut adhæreat mihi, sed sibi, ut Pharisæi & omnes hæretici, ille SPARGIT, quia separat illos à Deo. Unde ista sententia etiam à reliquo textu avulsa generaliter vera est. Quisquis enim non est Christi ac Dei, necessariò est mundi ac diaboli, quia nihil nisi peccatum à Christo ac Deo separat. Itaque his verbis tollit Christus illam medietatem, quam quidam etiam olim parvulis non baptizatis, itemque adultis tribuerunt, quâ putabant aliquos, neque cum Christo, neque tamen cum adversario ejus, hoc est diabolo esse posse: contra quos urget hanc sententiam Aug. lib 1. de peccatorum meritis & remissione, c. 28.

31. Ideo dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur.

31. IDEO DICO VOBIS, cum scilicet apertissimum jam factum sit, me non diabolica virtute ejicere dæmones. OMNE PECCATUM ET BLASPHEMIA (suppleri debet ex sequentibus CONTRA FILIUM HOMINIS commissa; non enim agitur de quolibet alio genere peccatorum, vel blasphemiarum:) REMITTETUR HOMINIBUS, id est facilè remitti potest, quia faciliùs de illis obtineri potest spiritus pœnitentiæ. SPIRITUS AUTEM BLASPHEMIA

quæ scilicet à vobis committitur, id est, blasphemia contra Spiritum sanctum, seu quâ blasphematur Spiritus sanctus, ut exprimunt Marcus & Lucas.

Quæ sit autem ista *Spiritus blasphemia*, & quis sensus loci, quæstio ita difficilis est, ut Augustinus serm. 11. de verbis Dom. cap. 5. dicat forte nullam in omnibus sanctis Scripturis esse difficiliorem. Hinc est, quòd ipse sæpiùs de isto loco disputans, subinde sententiam mutaverit. Nam cùm lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 22. putasset blasphemiam Spiritus esse, per malitiam & invidiam oppugnare fraternam charitatem, tamen libr. 1. Retract. cap. 19. addendum putat, si in hac tam scelerata mentis perversitate finiverit hanc vitam. Unde postea non quinquies mutavit opinionem, ut ei quidam recentior imperitè imponit, sed semper eò inclinat, ut hæc blasphemia Spiritus sancti sit perseverantia in nequitia cum desesperatione indulgentiæ Dei, ut loquitur in fine expositionis inchoatæ in Epistola ad Rom. hoc est, ut eam vocat Sermone cit. cap. 12. & in fine Epistolæ 50. impœnitentia finalis, seu duritia cordis, usque ad finem vitæ. Unde passim docet, sciri non posse, utrùm illa commissa sit ante vitæ finem. Causa potissima, quæ ad hanc opinionem induxit Augustinum, est, quia clarè dicitur hîc, peccatum numquam remitti, & quòd omnis alia blasphemia remitti possit. Itaque sic jungit Augustin. ista verba præcedentibus, non quasi Judæi ista dicendo jam commisissent illam Spiritus blasphemiam; sed ne pœnitentiam repellendo, quam Christus prædicabat, & propter quam miracula faciebat, perseverandoque in peccatis eam committerent, ut ait in illa Exposit. inchoata Epist. ad Romanos.

Sed quia Marcus clarè notat, hæc ideò à Christo esse dicta, quia dicebant Judæi, SPIRITUM IMMUNDUM HABET, per quem scilicet operatur ista miracula: hinc textui congruentior videtur interpretatio multorum veterum, Hieronym. Chrysost. & Theophil. in hunc locum, Athanas. tractat. in istum locum, & aliorum qui blasphemiam istam Spiritus dicunt esse, quâ manifesta opera Spiritus sancti, hoc est divinæ bonitatis & gratiæ, quæ Spiritui sancto appropriantur, tribuuntur Beelzebub, seu Spiritui immundo. Hoc est enim Deum facere diabolum, ut ait Athanas. Quod fortè indicare voluit & Christus suprà, quando dixit, *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt*. Istiusmodi ergò blasphemia NON REMITTETUR, quia difficilè remittetur, ut Chrysostom. & plerique recentiores post ipsum, nempè quia extremæ est malitiæ: adeóque id oppugnat, ac tollit directè, quo ad pœnitentiam perducendi sumus, divinam scilicet bonitatem; propter quam offensam pœnitendum est. Unde rarissimè, (si tamen unquam) Deus talibus Spiritum pœnitendi impertit. Explicans autem clariùs ea quæ dixisset Christus addit:

32. ET QUICUMQUE DIXERIT VERBUM, offensivum & blasphemativum, seu contumeliosum, CONTRA FILIUM HOMINIS, id est, qui humanâ offensus specie, atque infirmitate, de Filio hominis infra dignitatem sentit, ac loquitur, ut vocando eum *voracem*,

32. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixe-

rit contrà Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.

vini potatorem, &c. REMITTETUR EI, id est, facilè ei dabitur venia. Est enim aliqua excusationis ratio, vel ignorantia latentis divinitatis, vel conversatio ista tam promiscua cum vulgo & peccatoribus, vel simile quid. QUI AUTEM DIXERIT CONTRA SPIRITUM SANCTUM, eo quo exposuimus modo, NON REMITTETUR EI NEQUE IN HOC SÆCULO, NEQUE IN FUTURO, id est numquam, seu, ut exponit Marcus, *Non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.* Non quòd remitti non possit agenti pœnitentiam, sed quòd, vel difficilè & rarò, vel fortasse numquam actu remittatur à Deo propter malitiæ enormitatem, ut suprà dictum. Quæ sententia & ad alia nonnulla enormia contrà divinitatem, vel fraternam charitatem peccata forsan extendi potest; sicut propter hunc locum variæ blasphemiæ contra Spiritum sanctum enumerantur, etsi scopus Christi non sit de illis loqui. Porrò quia dicitur, *neque in hoc sæculo*, &c. rectè Augustin. colligit libr. 21. de Civit. cap. 24. & libr. 6. contra Julian. c. 15. veraciter hoc posse dici, nisi essent, quibus, etsi in non isto sæculo, tamen in futuro peccata remittentur. Quod non est aliud, quàm statuere ignem purgatorium post sæculum, sicut etiam ex isto loco colligit Gregor. 4. Dialogorum cap. 39.

33. Aut facite arborem, bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

33. AUT FACITE ARBOREM BONAM, id est, aut statuite me esse bonum, ET FRUCTUM EIUS BONUM, aut contra, &c. q. d. Aut me ex operibus, quæ improbare non potestis, absolvite, aut opera ex me, quem vituperatis, damnate. Ostendit enim argumento, ut Hieronym. vocat, ineluctabili, ex naturis rerum petito absurdam & asystatam esse eorum calumniam, quòd opera tam magnifica & benefica laudare cogerentur, auctorem verò damnarent. SI QUIDEM EX FRUCTU, tamquam notiori, ARBOR COGNOSCITUR. Nam, ut suprà dixerat c. 7. *Omnis arbor bona bonos fructus facit*, &c. sed radicem notans tantæ perversitatis, nempe inveteratam & hereditate transmissam malitiam,

34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cũ sitis mali? ex abundantia enim cordis os loquitur.

34. PROGENIES, inquit, VIPERARUM, de quo cap. 3. QUOMODO POTESTIS, sive possetis, BONA LOQUI, de me & operibus meis, CUM SITIS MALI, animo scilicet invidiâ tabescente pleni. Significat autem non tam impossibilitatem quàm difficultatem, seu id, quod naturâ comparatum est fieri; sicut & Jeremias, cùm dixit, *Si mutare potest Æthiops pellem suam*, &c. Quem sensum magis declarat familiari proverbio: EX ABUNDANTIA ENIM CORDIS, sive boni, sive mali, OS LOQUITUR, id est, loqui solet bona, vel mala. Nam

35. Bonus homo de bono thesauro profert bona: & malus homo de malo thesauro profert mala.

35. BONUS HOMO DE BONO THESAURO, qui est idem quòd abundantia cordis, hoc est cumulus honorum, affectuum, & cogitationum in corde instar thesauri reconditus, PROFERT BONA, veluti fructum arbori congruentem.

36. Dico autẽ vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod

36. Sed ut sciatis, quale judicium de istis blasphemiis ferendum sit, DICO VOBIS, QUONIAM OMNE VERBUM OTIOSUM, est enim argumentũ à minori. *Verbum* autem *otiosum*, Græcè ἀργὸν, quasi ἀεργὸν, quod nihil efficit, est verbum frustrà prolatum, hoc est, ut Hieronym.

quod sine utilitate loquentis dicitur & audientis, vel, ut Gregor. Pastoralis Curæ p. 3. Admonit. 15. & Hom. 6. in Evang. quod ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. In quem sensum aptè dicit Ambros. libr. 1. Offic. cap. 2. Tacere nosse quàm loqui difficilius est. Scio namque loqui plerosque, cùm tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cùm loqui sibi nihil prodest. REDDENT RATIONEM DE EO, id est, exigetur de eo ab eis ratio, etsi forte reddere non possint: otiosum enim est, quod ratione caret.

locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

37. EX VERBIS ENIM TUIS, id est, nam etiam ex solis verbis, & non tantùm ex operibus, IUSTIFICABERIS, seu justus pronuntiaberis, & declaraberis. Non enim hîc agitur de interna justificatione, sed de oppositâ condemnatione quæ sequitur. ET EX VERBIS TUIS CONDEMNABERIS, prout judicis examen de unoquoque feret.

37. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

38. TUNC, cùm stupere, flecti, atque erubescere debuissent, nam admirantis esse notat Chrysost. RESPONDERUNT EI QUIDAM, diversi ab iis, quorum jam calumniam refutaverat. MAGISTER, VOLUMUS A TE SIGNUM VIDERE, *de cœlo*, inquit Lucas, cujusmodi fuerunt status Solis sub Josue, tonitrua sub Samuele, raptus Eliæ, descensus ignis, &c. id est, petimus miraculum aliquod insigne, quo cælestis magisterii tui auctoritatem asseras, ac te Dei non Beelzebub virtute facere quæ facis: quasi verò ea quæ fecisset non essent majora, & eis, quæ peterent, calumniari non possent. Quibus Christus:

38 Tunc respondérunt ei quidam de Scribis & Pharisæis, dicentes: Magister, volumus à te signum vidére.

39. GENERATIO MALA ET ADULTERA, id est, genus hominum adulterinum ac degenere, quod Daniel dicit cap. 13. v. 56. *Semen Chanaan, & non Juda*: SIGNUM QUÆRIT, nempe *tentantes*, ut addit Lucas, id est, causa probandi potentiam meam, & ita calumniandi, non verò veritatem cognoscendi & credendi. Et ideo ad petitionem ejus, SIGNUM NON DABITUR EI, de cœlo scilicet, cujusmodi petit, sed de terra. Hoc enim sibi vult, quod sequitur, NISI SIGNUM JONÆ PROPHETÆ, id est, sed signum in Jona præfiguratum, scilicet resurrectionis. Nam, *nisi*, in Scriptura sæpè non est exceptivum, sed adversativum, ut ad Galat. 2. vers. 16. Objicit Judæis hoc idem signum multis aliis locis, ut infrà cap. 16. vers. 4. & Joan. 2. v. 10. nempe quia erat instar omnium certissimum, gravissimum, maximum, quod nec Satanas, nec hominum, nec Angelorum quisquam imitari potest, soli Deo possibile, numquam visum, auditum, aut factum, quo maximè declarata fuit divinitas ejus, & ipse esse Filius Dei in virtute, ut Apostolus ad Romanos versu 4. denique cujus pondere infidelitas Judæorum ita erat opprimenda, ut necessario ejus prædicationi, vel crederent, & pœnitentiam agerent, vel post quadraginta annos, tanquam post quadraginta dies perirent.

39. Qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.

40. SICUT ENIM FUIT JONAS IN VENTRE CETI, seu in viscéribus balenæ, TRIBUS DIEBUS, AC TRIBUS NOCTIBUS, supple ac deinde vivus evomitus est; ut hoc signo probaretur esse Propheta, missus à Deo ad prædicandam pœnitentiam. Hunc enim scopum

40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.

sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

spectare Christum probat versus 41. SIC ET FILIUS HOMINIS IN CORDE TERRÆ. Hebraismus pro, in medio, seu intimo terræ, quia cor in medio animalis. Apostolus ad Ephes. 4. vers. 9. hoc vocat *in inferioribus*, seu infimis partibus terræ: per quod & sepulchrum pro corpore Christi, & limbus pro ejus anima significatur. Unde Tertullian. libr. de anima cap. 55. *Cor terræ* vocat receſſum intimum & internum, & in ipsa terra opertum, & intra ipsam cavatum, & interioribus adhuc abyssis superstructum. TRIBUS DIEBUS ET TRIBUS NOCTIBUS. Et ista est Hebraica, Scripturisque frequens, periphrasis trium dierum naturalium, qui die & nocte, seu luce & tenebris constant: q. d. fuit ibi per tres dies naturales, nempe synecdochicè totum ponendo pro parte, quia fuit ibi parte diei sextæ, toto Sabbato cum sua nocte præcedente, denique nocte Dominicæ. Ita Hieron. ac diversis locis Augustinus lib. 1. Quæst. Evang. q. 7. Epist. 49. qu. 6. & alibi. Ut proinde quæri non debeat, quomodo ibi per tres dies, seu luces, & rursum per tres noctes etiam pro parte fuerit, cùm non possint inveniri nisi duæ luces, & duæ noctes, & adhuc non integræ; sed tantùm, quomodo ibi fuerit per tres dies naturales. Rursùs autem hîc suppleri debet quantùm ad sensum: Ac deinde resurgam vivus, & ita declaratus Filius Dei prædicabo huic nationi pœnitentiam, ad quadraginta dies (diem pro anno sumendo) & Jerosolyma subvertetur. Hoc enim postulat similitudo Christi cum Jona, cujusmodi plures alias similitudines prosequitur Cyrillus Catechesi 14. & Augustinus citata Epistola 49. quæstione 6. Sed

41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quàm Jonas hic.

41. VIRI NINIVITÆ SURGENT IN IUDICIO, id est, resurgent resumptâ carne in die judicii extremo: significatur enim judicium cum mortuorum resurrectione fore conjunctum, ut observat Augustin. 20. de Civit. cap. 5. ET CONDEMNABUNT EAM, non quia & ipsi judicabunt, sed quia ex ipsorum comparatione isti meritò damnabuntur, inquit ibid. QUIA EGERUNT PŒNITENTIAM, Ninivitæ, non Judæi. ET ECCE PLUSQUAM JONAS HIC. Grecè ὧδε *hoc loco*, id est, aliquid amplius & præstantius est hoc loco apud hanc generationem, quàm Jonas fuit: supple quo tamen prædicante non agunt nec agent, viso etiam signo resurrectionis, pœnitentiam. Utitur autem neutro genere, ac tertiâ personâ, modestiæ causâ. Porrò excessus istius comparationis consistit in eo, quòd Jonas erat servus, extraneus à balena mortis umbra evomitus, nullo miraculo clarus, eversionem urbis paucis diebus prædicans: Christus verò Deus, ac Dominus, gente cognatus, à morte infernóque redivivus, innumeris miraculis & prophetiis commendatus, regnum cœlorum tot annos per se suosque prædicaret; & Jonæ tamen Ninivitæ barbari & idololatræ pœnitentes crederent, Christum verò Judæi prophetiis instructi impœnitentes occiderent.

42. Regina Austri surget in judicio cum generatione ista,

42. REGINA AUSTRI, quæ in Austro dominabatur. Quæ denominatio ab integra mundi plaga videtur majestatem Reginæ & amplitudinem regni ejus indicare. Est autem periphrasis Reginæ

Sabæ, quam Josephus 8. Antiquit. cap. 5. vocat Reginam Ægypti, atque Æthiopiæ, quæ in Austro sita sunt. Non enim est ista Saba Arabiæ, unde Sabæi thure nobiles, sed Saba Æthiopiæ Regia, quam Cambises, Persarum Rex, à sorore sua vocavit Meroën, ut idem 2. Antiquit. cap. 5. Meroën enim esse caput Æthiopiæ testis est Plinius lib. 2. cap. 73. Et hinc est, quod Isaiæ 43. v. 3 Ægyptus, Æthiopia & Saba conjunguntur. Nam & id quod sequitur, VENIT A FINIBUS TERRÆ, planè indicat, imperium ejus valdè fuisse remotum à Judæâ. Porrò singula verba hîc augent pondus comparationis, quòd scilicet *Regina Austri*, id est, mulier gentilis, potentissima, regni curis distracta ex remotissimis orbis partibus, iter difficillimum arripuerit, solùm ut audiret sapientiam terrenam hominis mortalis: Judæi Dei cultores, Legis doctores ipsam Dei Sapientiam, ultrò ipsos in carne venientem, invitantem, & abscondita cœli mysteria depromentem spernerent. Unde hanc Reginam tamquam peregrinam & incognitam, gessisse typum Ecclesiæ gentium tradit Hieronymus in Psalm. 121.

& condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiâ Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic.

43. Cum AUTEM IMMUNDUS, &c. Hoc tandem addit, ad terrendos ingratos & impœnitentes illos animos pœnæ etiam hujus vitæ magnitudine, ut patet ex applicatione Christi vers. 45. qu. d. Sed idcirco sic agetur cum hac perversa natione, sicut agitur cum dæmoniacis, sed potiùs cum iis, quorum animam diabolus possidet. Nam CUM IMMUNDUS SPIRITUS EXIERIT AB HOMINE, baptismi scilicet, vel divinæ gratiæ virtute fugatus, AMBULAT PER LOCA ARIDA, Luc. *inæquosa*, id est, arentia, ac deserta, & proinde habitationi prorsus inepta: QUÆRENS REQUIEM, ut scilicet alicubi commodam habitandi sedem inveniat. Loquitur enim in toto illo cortice parabolæ anthropopathès, id est humano more. Insinuat autem diabolum non quiescere, donec sanctificatum aliquem inveniat, quem inhabitet, eo quòd omnis alia inhabitatio ei squalleat.

43. Cùm autẽ immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem & non invenit.

44. TUNC DICIT, REVERTAR IN DOMUM MEAM, UNDE EXIVI. Major enim fervet odio adversùs eos, è quorum animis per Dei gratiam pulsus est. ET VENIENS INVENIT EAM VACANTEM, id est, vacuam spiritu Dei, divinisque occupationibus. Unde Basil. in Psal. 44. & Nazianzen. Orat. 39. exponunt otiosam, ac desidem; sic enim aditus præbetur diabolo: imò SCOPIS MUNDATAM ET ORNATAM, id est, paratissimam, & invitantem suo ornatu ad ingressum talis hospitis, cui otium, gratiæ neglectus, & omnis immunditia veluti ornamenta placent.

44. Tunc dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatã, & ornatam.

45. TUNC VADIT ET ASSUMIT, ne scilicet iterum expellatur, SEPTEM ALIOS SPIRITUS SECUM, id est multos, numerum certum ponendo pro incerto, ut etiam Isaiæ 4. vers. 1. Exprimit tamen illum numerum septenarium, ut opponantur septem spiritibus virtutis, de quibus Isaiæ 11. vers. 2. & Apocal. 1. vers. 4. NEQUIORES SE. Quo indicat septuplò nequiores aliis fieri, & diabolo magis obnoxios, qui gratiâ excidunt. Ex qua consideratione Au-

45. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se & intrantes habitant ibi: & fiunt novissima hominis

illius pejora prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ.

gustin. dixit Epist. 137. Non sum expertus pejores, quàm qui in monasteriis ceciderunt: optimi enim corruptio pessima. Et sic Deo ingratitudinem & perfidiam vindicante, FIUNT NOVISSIMA HOMINIS ILLIUS PEIORA PRIORIBUS: tum propter acriorem dæmonum incursionem, tum propter majorem erroris firmitatem, ejusque expugnandæ difficultatem, QUIA INGRESSI HABITANT IBI. Ita Nazianzen. Orat. citata. Plenius explicat sensum loci S. Petrus Epist. 2. cap. 2. vers. 20. & 21. Christus ipse Joan. 5. vers. 14.

SIC ERIT ET GENERATIONI HUIC PESSIMÆ. Hæc est applicatio parabolæ, quam variis modis exponunt veteres. Verisimilis est quam dat Hieron. ex Hilario, ut videtur, Can. 12. Judæos à dæmone liberatos fuisse, cùm datâ lege ab idololatriâ extracti, divinoque cultui dedicati per Prophetas exculti sunt: sed cùm non inveniret diabolus in Gentilibus illam requiem, quam quærebat, sive quòd jam antè illos possideret, sive quod postea per fidem Christi ab illis pelleretur, repetit Judæos, Christi contemptu optimè paratos, & illos immissis spiritibus erroris, mendacii, blasphemiæ, odii, excæcationis, & impœnitentiæ arctissimè possidet.

46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. 47. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.

46. ADHUC EO LOQUENTE AD TURBAS, ECCE MATER EIUS ET FRATRES STABANT FORIS: non elatione, quasi dedignarentur ingredi, & audire prædicantem, ut aliqui voluerunt, sed, ut S. Luc. quia præ turba ingredi non poterant. *Fratres* autem dicuntur hîc non naturâ, quia nullos habuit, nec gente, quia sic omnes Judæi adstantes fratres erant, nec ex prima uxore Joseph, ut quidam Græci putaverunt: sed cognatione, quia de una familia; sicut Abraham & Loth dicuntur fratres, Gen. 13. v. 3. & Sara dicitur soror Abraham, Genes. 20. vers. 12. Unde infrà cap. 15. vers. 55. Jacobus & Joseph, Simon & Judas dicuntur fratres ejus, cùm tamen Jacobus & Joseph essent filii Mariæ Cleophæ, ut patet Matth. 27. versu 56. collato cum Joannis 19. versu 25.

QUÆRENTES LOQUI EI. Quæ causa fuerit tam importunæ interpellationis alii aliam conjectant: Chrysost. ac Theophyl. vanitatem, ut scilicet tanti viri viderentur cognati; Auctor imperfecti instinctum diaboli, ne Christus carnalibus fratribus crederetur Deus: recentiores, ut caperent eum tamquam in furorem versum. Sed omnia ista à pietate saltem matris ejus aliena sunt. Importunitas interpellationis potius suadet fuisse sollicitudinem de salute ejus, ut vel indicarent ei consilium inimicorum de perdendo eo, de quo vers. 14. vel, ut specie evocationis elaberetur, ne in ipsa apprehenderetur concione. Et hinc est, quòd potiùs evocant eum per aliquem, quem submiserant, ut Marcus narrat, quàm quod aliquis eorum conaretur intrare.

48. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

48. AT IPSE DICENTI, seu nuntianti, AIT: QUÆ EST MATER MEA, &c. non quòd fastidiret matrem, aut puderet eum cognationis suæ, sed ut Ambr. quòd paternis se ministeriis amplius, quàm maternis affectibus, debere cognosceret. Cælestia enim negotia carnis

& ſanguinis affectui præferenda ſunt. Unde

49. EXTENDENS MANUM IN DISCIPULOS SUOS AIT: ECCE MATER MEA, &c. id eſt, ſpiritualem iſtorum cognationem carnali præfero, quanto ſpiritus præſtantior eſt carne. Nam & ipſa B. Virgo magis beata & dilectior mater ejus fuit, quia mente quàm quia carne tulit, ut ipſe indicat, Lucæ 11. verſ. 28.

49. Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.

50. QUICUMQUE ENIM FECERIT VOLUNTATEM PATRIS MEI: in quo numero & ipſam S. Mariam incluſit. Itaque & maternum nomen, quia terrenum erat, in comparatione cæleſtis propinquitatis objecit; & quo rurſum conſortio generalis Virgo illa cum cæteris Sanctis cohæreret, oſtendit, inquit Auguſtin. Epiſtola 38. IPSE MEUS FRATER, ET SOROR, ET MATER EST, id eſt, ipſum & fratris & ſororis, & matris loco habeo, & affectu diligo. Nova quippe ſpiritus nativitas, ſicuti novæ & præſtantioris cognationis vinculum adfert, ita & majoris mutuæ dilectionis incentivum. Quamquam Greg. Hom. 3. in Evang. ſingula magis myſticè explicando, fratrem & ſororem fieri unumquemque in utroque ſexu velit credendo, matrem prædicando, quia Chriſtum auditorem mentibus infundendo quaſi parit. Allegoricè verò idem & Hieron. atque Hilar. Sygnificatum putant ſinagogam & populum Judæorum, Chriſto in Eccleſia docente præ turbis gentium credentibus non intrare, eoque à Chriſto non agnoſci.

50. Quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

CAPUT XIII.

1. IN ILLO DIE, &c. LOCUTUS EST EIS MULTA IN PARABOLIS, id eſt, obſcurè ſub comparationum & ſimilitudinum involucris. Parabola enim Græcè eſt propriè comparatio; ſed uſu Scripturæ ſæpè ſumitur pro ſermone obſcuro, qui aliud ſonat, aliud innuit, cujuſmodi ſunt ænigmata & allegoriæ. Cauſa utendi parabolicis iſtis ſermonibus datur verſ. 13. Modus ita docendi Syris maximè familiaris eſt, & ad hoc utilis, quòd res per exempla ſenſibilia jucundiùs irrepant animis hominum, moveant efficaciùs, hæreant tenaciùs: obſcuritas autem reddat auditores attentos, & ad intelligendum curioſos. Unde Auguſt. 12. contra Fauſtum cap. 7. & alibi ſæpiùs tradit obſcuritatem illam ænigmatum, in Scripturis adhiberi, propter exercitationem quærentium, & delectationem invenientium. Qua de cauſa & Chriſtus poſt parabolam de ſeminante, quâ varietatem auditorum in iſta turba confluentem indicaverat familiari ſuo epiphonemate omnes ad diligentem animadverſionem excitat.

1. In illo die exiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare.

2. Et congregatæ ſunt ad eũ turbæ multæ, ita ut in naviculam aſcendens ſederet: & omnis turba ſtabat in littore:

3. Et locutus eſt eis multa in parabolis, dicens: Ecce exiit qui ſeminat, ſeminare.

4. Et dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.

5. Alia autem ceciderunt in petroſa, ubi non habebant terram multam: & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ.

6. Sole autem orto æſtuaverunt: & quia non habebant radicem, aruerunt.

7. Alia autem ceciderunt in ſpinas: & creverunt ſpinæ, & ſuffocaverunt ea.

8. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum aliud centeſimum, aliud ſexageſimum aliud trigeſimum.

9. Qui habet aures audiendi, audiat.

9. QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT, id est desideret, conetur que intelligere & dijudicare, ex quo genere auditorum sit, & ita satagere, ut inter optimos sit. Aures enim audiendi hîc est donum intelligendi & obediendi: vide dicta cap. 11. vers. 14. Dicendo autem, *Qui habet aures*, indicat non omnes habere, nempe quia non omnibus dantur, ut est Deuter. 24. vers. 4. Unde & ipse Christus explicans, cur EIS, id est, turbis,

10. Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

10. IN PARABOLIS loquetetur: hoc est, ita obscurè, ut non intelligerent, cum sibi, hoc est discipulis suis, ita non soleret loqui, respondet:

11. Qui respondens, ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum.

11. QUIA VOBIS, credentibus & intelligendi, obsequendique cupidis, DATUM EST, singulari Dei dono, NOSSE MYSTERIA REGNI CÆLORUM, id est, clarè, sine obscuritatum involucris, audire & intelligere arcana, ad regnum cælorum pertinentia. Non enim hîc loquitur de præceptis Evangelicis, quæ quia omnes nosse debent, omnibus etiam turbis clarissimè exposuerat cap. 5. 6. 7. ILLIS AUTEM, nempe non credentibus, seu non habentibus aures audiendi, utpote vel prodigia sectantibus, vel sciendi tantùm non obediendi curiosis, vel irridentibus, vel etiam calumniantibus, NON EST DATUM. Significat ergò istis verbis, causam istius discretionis pendere à gratuita gratia Dei, penes quem æquitatis, tam secretæ ratio est, excellentia potestatis, cùm utrisque dare potuisset mysteriorum cognitionem, & utrisque negare. Sed tamen volens indicare, in ista doni istius discretione habitam fuisse aliquam rationem præcedentis dispositionis, etsi respectu primæ gratiæ nullæ fuerit, adjicit:

12. Qui enim habet, dabitur ei & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.

12. QUI ENIM HABET id, quod habere debet, sive fidem, sive discendi studium, sive obedientiam, sive bonum usum donorum Dei præcedentium (generalis est enim hæc sententia) DABITUR EI, magis atque magis, ET ABUNDABIT: Græcum etiam exponi potest redundabit, abundanter affluet; ita ut continuis donorum incrementis ad summam perfectionem perducatur. Revera enim sic Deus non modò cum Apostolis, sed cum omnibus electis agit, ut paulatim eos, jam benè utentes primis donis, continuâ beneficentia cumulet. E contrario autem, QUI NON HABET id, quod habendum est, ut suprà dictum est, ET QUOD HABET, AUFERETUR AB EO, id est, etiam si quid habet reliquum, eo quoque in pœnam privabitur, sicut videmus hoc Christum exponere infrà c. 25. v. 28. & 29. Sæpiùs est enim usus hâc sententiâ, utpote proverbiali, & vulgi non solùm sermone, sed & usu agendi tritâ. Verissimum est enim ditioribus magis dari, pauperibus semper auferri.

13. Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

13. IDEO ergò IN PARABOLIS LOQUOR EIS, QUIA VIDENTES oculis corporis miracula mea NON VIDENT, oculis cordis, quid sibi velint, innuant & suadeant. ET AUDIENTES, apertissima verba mea corporis sensu, NON AUDIUNT, cordis assensu, inquit Aug. de bono perseverantiæ cap. 14. Quod ipse Christus explicat, dum addit: NEQUE INTELLIGUNT. Significat igitur, se eis in pœnam incredulitatis obscurè loqui: q. d. quia clarissimis miraculis, quæ

quæ vident, & sermonibus apertissimis, quos audiunt, nolunt credere & obedire, justo judicio eis per parabolas loquor. Qui enim videre nolunt, cùm possunt, Deo puniente, etiam cùm volunt, videre non possunt. Nam, ut August. de nat. & gratia cap. 22. prævaricatorem legis dignè lux deserit veritatis, quâ destitutus utique sit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat: & ideò tantùm audiat vocem legis, quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris.

Sed difficultas oritur ex Marco, & Luca, per particulam finalem dicunt Christum eis in parabolis loqui, *Ut videntes non videant, &c.* Cui respondetur, Matthæum causam supplicii meritoriam, alios non causam finalem, sed eventum exprimere: quasi dicerent: Ex quo fiet, ut videntes adhuc minùs videant. Quamquam non desint, qui etiam finem significari velint. Sicut enim verum est, Deum quosdam propter peccata velle damnare, & reipsa damnando nolle etiam ut salvi fiant: ita etiam verum est, propter peccata quibusdam obscurè loqui, ne Dei mysteria intelligant. Idque in quibusdam, quia non vult illis dare gratiam convertendi, atque ita eos converti, & salvos fieri, quos justo judicio jam ad interitum mox inferendum adjudicavit, in quibusdam verò, ut salvi fiant. Nam aliquibus, per misericordiam Dei, ipsa cæcitas in salutis occasionem vertitur, ut scil. quemadmodum ait Aug. q. 14. super Matth. cæcitate suâ sibi displicentes, & se dolentes, atque ex hoc humiliati, ad confitenda peccata converterentur, veniamque mererentur: sicut nonnullis usque ad deicidium excæcatis post passionem contigit. Quorumdam enim superbia debet ipsa cæcitate, & peccatis inde consequentibus, edomari & frangi. Porrò ne cui mirum videretur, sic puniri populum, qui tanta aviditate Messiam promissum videre atque audire cupiebant, probat hoc prædictum à Propheta dicente:

14. AUDITU AUDIETIS, &c. Loquitur autem Isaias per imperativum, AUDITE AUDIENTES, ET NOLITE INTELLIGERE: partim quia Imperativus idiotismo Hebraico sæpè pro Futuro usurpari solet, ut patet c. 23. v. 32. *Et vos implete mensuram Patrum:* & clarè Psal. 36. vers. 27. *Declina à malo, & fac bonum:* partim ad significandum, quòd ab irato ac deserente Deo in pœnam ipsis continget id, quod ipsimet facturi sunt. Ut sit quasi prolatio justæ sententiæ: Omninò fiat sic, *audite audientes*, &c.

14. Et adimpletur in eis prophetia Isaïæ dicentis: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis.

15. INCRASSATUM EST ENIM, &c. Et hæc omnia per imperativum in Hebræo expressa sunt, *Cor incrassa, aures aggrava, oculos claude.* Itaque Hebræa, sicut & Joan. c. 12. v. 40. & Paulus ad Rom. 11. v. 8. indicant, cæcitatem, & cordis duritiam, & similia infligi ab irato Deo: LXX. verò in Isaia & Matth. hîc, & Lucas Act. 28. vers. 26. qui omnes eundem locum allegant, significant illas ipsas pœnas culpabiliter à populi libertate proficisci, hoc est, ut Augustinus, ait quæst. illa 14. ipsos causam fuisse, ut Deus illis oculos clauderet &c. Nam ut idem ait lib. 5. contra Julian. c. 3. Cæcitas cordis & peccatum est, quo in Deum non creditur; & pœna peccati, quâ cor superbum digna animadver-

15. Incrassatus est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos.

sione punitur, & causa peccati, cùm mali aliquid cæci cordis errore committitur. Quibus verò modis hujusmodi pœnæ fiant à Deo, latiùs diximus in caput 9. Exodi de obduratione Pharaonis. Differre autem videtur obduratio cordis à cæcitate cordis, quòd illa sit quædam impotentia, ne moveatur ad bonum: hæc impotentia, ne videat bonum, quod agendum est. Sunt enim aliquid amplius, quàm simpliciter nolle moveri, vel nolle videre. Cæcus, inquit August. de nat. & gratia cap. 51. putat quod vult videre, sed non potest: & lib. 1. contra Julian. imperf. Quis volens cæcus est corde, cùm nemo velit cæcus esse vel corpore? Itaque obduratio est causa cæcitatis: est enim duritia, seu firmitas affectuum in malo, seu in amore rerum temporalium. Affectus quippe terrenis rebus immersi & ebrii cor cæcum ad divina faciunt. Quod clarè videtur indicare hoc loco. Nam causam reddens, cur videntes non videant, INCRASSATUM EST ENIM, inquit, COR POPULI, id est crassum & pingue redditum, Heb. *impinguatum est*. Qua metaphora significat, quòd, sicut cor nimia pinguedine hebetatur & suffocatur: nam, ut Hieron. Epist. 2. *Pinguis venter non gignit mentem tenuem:* ita animus & affectus terrenis deliciis immersus & impinguatus, stupidos & cæcos reddat ad res divinas. ET AURIBUS GRAVITER AUDIERUNT, id est, difficulter audierunt, quasi semisurdi ad divina mandata. Hebraicè *aures aggrava*, seu *aggravatæ sunt*, scil. quasi sordibus oppletæ: quæ rursum nihil aliud sunt, quam terreni affectus, quibus fit, ut vel audire tædeat res divinas, nedum obedire. ET OCULOS SUOS CLAUSERUNT: ne scilicet attenderent & intelligerent in Messia, in operibus & verbis ejus id, quo corrigerentur, sed potiùs id, quo magis perveterentur, id est ultrò excæcaverunt se malitia sua. Nam cæcitas, seu impotentia illa videndi oritur, ut diximus, ex affectu stabiliter aversо à divinis ad terrena. NE QUANDO VIDENT OCULIS. Hebr. est, *ne fortè*, quomodo & Luc. reddit Act. 28. quo significatur, vel simpliciter illum esse effectum crassi, pinguisque & cæci cordis, efficere scil. ut in posterum non videant oculis, &c. vel certè eos hoc ipsum affectare, ne quid VIDEANT, AUDIANT, INTELLIGANT, quo à rebus amatis abstrahantur, & CONVERTANTUR ad Deum, & per justificationem SANENTUR à Deo. Nam illum esse quorundam affectum patet ex Psal. *Noluit intelligere, ut benè ageret*, id est, ne benè ageret: & Aug. de se lib. 8. Confess. c. 7. At ego adolescens miser valdè etiam petieram à te castitatem, & dixeram, da mihi continentiam, sed noli modo: timebam enim ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quem malebam expleri quam extingui.

16. Vestri autem beati oculi quia vident, & aures vestrę quia audiunt.

16. VESTRI AUTEM BEATI OCULI, nempe corporales, QUIA VIDENT, me & opera mea: vident, inquam, corpore sentiendo, & mente intelligendo. Nam quia discipuli hîc præferuntur Judæis, necesse est includere visionem mentis, seu intelligentiam, juxta v. 13. & quia mox fidem discipuli præferuntur Prophetis, necesse est non excludere visionem corporalem. Idem judicium de auribus, quibus audiunt.

17. Quia multi Prophetæ, et justi, desiderio futuræ redemptionis flagrantes, Cupierunt videre, oculis suis præsentia quæ credebant futura, Salvatorem scilicet mundi, & opera ejus, Et non viderunt: sed Apostolus ad Hebr. 11. à longè aspexerunt, & salutarunt. Et audire, quæ auditis, me scilicet regni cælorum mysteria pandentem.

17. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ videtis & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

19. Omnis, qui audit verbum regni, id est, si quis audit prædicationem de regno cælorum, seu Evangelii, et non intelligit, id est non curat intelligere, seu non meditatur illud, & fovet corde velut in terra recondens, ut fructum ferat: culpa enim hîc notatur: venit malus, Græcè ὁ πονηρὸς, *ille malus*, antonomasticè, nempe diabolus immutabiliter malus, qui per volucres cœli aptè significatur, tum propter locum, in quo versatur, tum propter velocitatem, superbiam, & perpetuam sedulitatem, quâ insidiatur semini. Et rapit, procuratâ oblivione, vel detorto in alias curas animo, quod seminatum est, per aures, in corde eius: Hic est qui secus viam seminatus est, qui significatur portione illâ terræ, juxtà viam publicam sitæ, & pedibus prætereuntium calcatæ atque induratæ. Dicitur hic homo seminatus, non sicut semen, quod paulò antè dicebatur seminatum, sed sicut ager semine conspersus: unde & Sata dicuntur agri, qui seruntur. Significatur itaque cor istius hominis esse instar viæ publicæ peccandi consuetudine induratum, nullo fructificandi desiderio velut aratro scissum ac præparatum, ideóque semen verbi Dei auribus, non animo recipiens.

18. Vos ergo audite parabolã seminantis.

19. Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde ejus: hic est qui secus viam seminatus est.

20. Qui autem super petrosa seminatus est, id est, qui significatur per terram inter petras excipientem semen, eo sensu, quo versu præcedente., Hic est, qui verbum, auditum, continuo cum gaudio accipit, id est, mox ut audivit prædicationem, delectatus illius veritate, pulchritudine, rectitudine, in animum recipit, probat, credit, & in opera nonnulla velut herbam erumpit. Hoc enim sibi vult, quod in parabolâ dicitur *continuò exortum*, qui ad illam primam delectationem, veluti teporem Solis, mox gestit verbis factisque fructum aliquem polliceri.

20. Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud;

21. Non habet autem in se radicem, id est profundum & constans propositum, quod Apostolus ad Ephes. 3. v. 17. vocat *non esse in charitate radicatum & fundatum*: quòd optimè significatum fuit semine non habente terram multam seu quod intùs latentibus petris solâ superficie terræ tegebatur. Nam illa affectio pietatis superficialis est, neque intima cordis ipsius penetralia seu affectus mutati sunt, sed instar saxorum duri manent; ideò est temporalis id est, ut Lucas, ad tempus credit, quamdiu scilicet nihil eorum tangitur, quæ inveteratis & intimis illis ac profundis cordis affectibus diligit. Unde facta tribulatione et persecutione propter verbum, id est, propter fidei vel justitiæ professionem, veluti ad æstum Solis humore consumpto, Continuo scandalizatur, id est, etiam solo timore amittendi quæ diligit offenditur, ac deserit fidem aut justitiam. Nam ut æstus Solis hæc

21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis, facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur.

bas humore & radicibus destitutas enecat, radicatas maximè promovet: ita persecutio infirmos dejicit, firmos perficit.

22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui verbum audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum, suffocat verbum, & sine fructu efficitur.

22. QUI AUTEM SEMINATUS EST IN SPINIS, id est, terrâ spinosâ figuratus, in quo ex parte terræ nihil deerat: neque enim vel prorsus induratus erat, sicuti primus; neq; prioris vitæ vitiis tamquam petris plenus, ut secundus. HIC EST, QUI VERBUM AUDIT: supple, & intelligit, atque in animum immittit, ut profundas radices agat. Præfertur enim hic præcedenti, neque germinatio, aut radicatio, aut culmus aliquis, sed solus ei fructus deest. Nam SOLLICITUDO SÆCULI ISTIUS, id est, rerum quarumlibet, ad hoc sæculum pertinentium: nam Marc. dicit, *circa reliqua concupiscentiæ*. Sub his comprehenditur quidquid anxii homines in hoc mundo quasi innocenter consectantur, præter regnum Dei, ut honores, splendores familiæ, lites pro temporalibus, voluptates, quas expressit Lucas; etiam divitiæ: sed quia istæ generalissimum publico hominum studio quæsitum & minimè agnitum impedimentum sunt, hinc speciatim addit: ET FALLACIA DIVITIARUM, id est, fallaces & seductrices divitiæ, quia blanda spe promittunt id quod præstare non possunt, quietam scilicet beatitudinem, cùm tamen curis in acquirendo & conservando præsentem maximè turbent, futuram plerumque auferant. Porrò hæc omnia spinæ sunt, quia sollicitudo rerum divinarum delinit animam, serenat, colligit. SUFFOCAT VERBUM, quia totus affectus, vigor & conatus animæ in illa derivatur, & ita obruitur atque extinguitur affectus vitæ melioris.

23. Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidè centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimũ.

23. QUI VERO IN TERRAM BONAM SEMINATUS EST. *Bonam* vocat non naturâ tantùm, sed cultu, id est, quæ & pinguis, & aratro subacta, & petris spinisque purgata est. Hæc item triplex est, sicut & infructuosa. Nam omnis quidem fructum adfert, sed ALIUD CENTESIMUM, ALIUD SEXAGESIMUM, ET ALIUD TRIGESIMUM. Græcè est ὁ μὲν in genere masculino, quod referri potest vel ad *verbum* seu *sermonem*, vel ad *hominem*: Contextus congruentior videtur, si ad hominem seminatum seu semine conspersum referas. Noster retulit ad verbum, tamquam ad granum seminatum, quod in quibusdam fert fructum centesimum, &c. Græcè clariùs, *centum, sexaginta, triginta*; supple, pro uno grano, quod sparsum fuit. Quo indicatur, quòd quemadmodum fertilitas terræ pro soli & cultus diversitate diversa est, ita ut una centuplum reddat, alia minus (numerus enim certus pro incerto ponitur) ita & profectus hominum in ferendis perseveranter fructibus bonorum operum. Quæ diversitas, quia non solùm apparet in singulis electis cujuscumque status, sed etiam in statibus ipsis hominum, hinc est, quòd multi Patres, ut Hieronym. hîc & Epistol. ad Ageruchiam, Athanas. Epistol. ad Ammon. Monachum, & alij, centesimum fructum attribuant Virginibus; sexagesimum Viduis continentibus; trigesimum castis Nuptis. Augustin. verò libro 1. Quæst. Evangel. q. 9. centesimum assignat Martyribus, sexagesimum Virginibus, trigesimum Conjugatis. Alij illas diversitates aliis modis

applicant, quos vide enumeratos apud Aug. lib. De sancta Virginitate cap. 45.

24. SIMILE FACTUM EST REGNUM CŒLORUM HOMINI, id est, Simile quid agitur in regno cœlorum, ac si homo seminaret semen bonum, & inimicus clam zizania superseminaret. Quem loquendi modum Evangeliis familiarissimum explicavit Marc. cap. 4. vers. 26. cùm dicit, *Sic est regnum Dei, quemadmodum si jaciat homo sementem*, &c. In cujusmodi phrasibus *Regnum cælorum* aut *Regnum Dei* intelligitur esse ipse populus regnaturus, hoc est Ecclesia ad regnandum in cælis destinata. Aptè autem jungitur hæc parabola præcedenti, ne quis putaret, bonum illud semen ita fructuum fertile futurum, ut nihil haberet mali seminis, unde zizania nasci possent, admixtum. Sed hæc est differentia utriusque parabolæ, quod ibi semen Christi est verbum Dei, hîc verò homines, in quibus fructificat verbum Dei: ibi via & loca saxosa & spinosa sunt eadem quæ zizania. Explicuit autem parabolam ipse Christus, ita ut in ea ipsemet sit seminator boni seminis, *ager* mundus, id est, Ecclesia per totum mundum fusa: ut Aug. Ser. 18. De verbis Domini c. 9. & ex professo libro ad Donatistas post Collationem c. 6.

24. Aliam parabolam proposuit illis dicens: Simile factum est regnum cœlorũ homini qui seminavit bonũ semen in agro suo.

25. CUM AUTEM DORMIRENT HOMINES, id est, clam, tempore sibi opportunissimo, cùm negligentius agerent Prælati, vel etiam cùm mortui essent Apostoli, ut Augustin. quæst. 12. in Matth. INIMICUS SUPERSEMINAVIT ZIZANIA, id est, diabolus hæreticos in medio fidelium, qui aspersis pravis erroribus, falsisque opinionibus, præcedente Christi nomine, superseminantur, & corporaliter fidelibus mixti sunt. Quamquam omnes omninò malos per zizania intelligat quæst. cit. ET ABIIT: quia per hæreses diabolus fit occultissimus, inquit idem: omnes enim fallacias suas proponit ex Scripturis sub nomine verbi Dei.

25. Cùm autẽ dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit.

26. CUM AUTEM CREVISSET HERBA, ET FECISSET FRUCTUM SUUM, TUNC APPARUERUNT ET ZIZANIA. Quo pulchrè significatur, quod cùm homines proficere cœperint in Spiritu Dei, tunc incipiant malos sentire, & hæreticorum errores cognoscere, ut August ibid. & aliis locis notat.

26. Cùm autẽ crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

27. ACCEDENTES AUTEM SERVI PATRISFAMILIAS: non Angeli, sed homines boni, quibus offensis tantâ malorum & hæreticorum multitudine, suboritur voluntas eos de rebus humanis auferendi, dicendo:

27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania?

28. VIS, IMUS, ET COLLIGIMUS EA? Quibus respondetur,

28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea?

29. NON: idque non ut Ecclesiastica negligetur disciplina, & cessaret vindictæ medicinalis, & charitatis severitas, sed, NE FORTE COLLIGENTES ZIZANIA, seu malos, ERADICETIS SIMUL ET TRITICUM. Quod periculum subest, quando zizania tritico ita sunt similia, ut certò dignosci non possint, ut notat hîc Hieron. Itémque, ut August. quando est periculum schismatis, & ne zizania infirmum triticum secum in perniciem trahant. Cùm autem metus esse non subest, sed omninò de frumentorum stabilitate certa securitas manet, satis insinuatur, non debere dormire severi-

29. Et ait: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum.

tatem disciplinæ, de quo vide latiùs lib. contra Epist. Parmeniani cap. 2. Itaque

30. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: colligite, primùm zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticũ autem congregate in horreum meum.

30. SINITE UTRÀQUE CRESCERE USQUE AD MESSEM, id est consummationem sæculi, ut scilicet interea vel ipsi Deo inspirante corrigantur, vel saltem proficiant alii ex occasione & comparatione, & exercitatione alieni erroris. ET IN TEMPORE MESSIS DICAM MESSORIBUS, id est, Angelis, quia eorum ministerio finis adferetur rebus mortalibus, mundus ardebit, mortui suscitabuntur. COLLIGITE PRIMUM ZIZANIA, separando malos à bonis, qui in regno Christi, per totum mundum sparso, hoc est Ecclesia, velut scandala & offendicula bonorum tam moribus quàm doctrinâ permixti fuerunt, ET ALLIGATE EA IN FASCICULOS, ut non confusè, sed pro modo perversitatis suæ uniuscujusque erroris pertinacia puniatur, inquit August. Quæst. illà 12. cit. Unde Serm. 39. de Sanctis, *Alligate in fasciculos*, id est, inquit, similes cum similibus, fures cum furibus, homicidas cum homicidis, &c.

31. Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnũ cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo:

31. SIMILE EST REGNUM CŒLORUM GRANO SINAPIS. Regnum cœlorum hîc alii volunt esse Christum, alii fidem Christi, alii Ecclesiam, alii Evangelium seu doctrinam Evangelicam: quod cæteris verisimilius est. Quamquam in hujusmodi locutionibus tantùm significetur in regno cœlorum, seu in regno Christi, simile quid accidere atque in semine, in grano sinapis, in fermento, &c. ut jam v. 24. diximus. Hîc ergò regnum cœlorum ratione doctrinæ Christi, seu ipsa doctrina Evangelica comparatur grano sinapis. Conditiones ejus mirificas breviter tangit Plinius lib. 19. cap. 8. in fine: Acerrimum sapore ignei effectus, ac saluberrimum corpori Sinapi. Latiùs autem exequitur lib. 20. cap. 22. virtutem ejus, ad plerósque morbos curandos. Ex proprietatibus ejus Augustinus Quæst. Evang. libr. 1. qu. 11. consideravit fervorem, & quòd venena expellat. Hilarius Can. 13. quòd sit acre semen, molle, minimum, cujus virtus pressuris accenditur, nempe quia tritum vim suam exerit, sicut Evangelium persecutionibus. Quamvis ista vera sint, Christus tamen ipse similitudinem explicat in eo sitam esse:

32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus; cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.

32. QUOD MINIMUM QUIDEM SIT IN OMNIBUS SEMINIBUS, id est, unum ex minimis omnium; nam semen rutæ & alia nonnulla minora sunt. CUM AUTEM CREVERIT, MAIUS EST OMNIBUS OLERIBUS, id est, maximum omnium, seu unum ex maximis omnium: ita scilicet, ut fiat ARBOR, id est arbuscula. Lignescit enim stipes ejus, & in locis maximè calidis longè supra humanam assurgit: ita ut VOLUCRES HABITENT IN RAMIS EIUS, non tam nidulandi causâ, ut quidam transtulerunt (neque enim nidos in eis faciunt) sed potiùs insidendi & versandi; multum enim delectantur granis ejus. Alteram similitudinis partem supprimit Christus: q. d. Ita & doctrina Evangelica in mundo seminata inter omnes doctrinas abjectissima erit & minima, quantum ad pompam eloquentiæ, rationum naturalium apparatum, sæcularem prædicantium auctoritatem, ut potè Judæis scandalum, Genti-

bus ſtultitia. Sed ſemel ſparſa non ebulliet in folia & herbas, ſicut doctrina Philoſophorum, quæ nihil mordax aut vividum habet; ſed creſcet in arborem firmam, longè latéque fuſam, quia firmitate, ſoliditate, celebritate, æternitate, & ſectantium multitudine omnes omninò doctrinas ſuperabit: ita ut volucres cæli, id eſt, Reges & Principes, vel quicumque ad cæleſtia ſubvolare volent, ſub umbra ejus victuri ſint. Idem ergò ſignificat hæc parabola, quod illa Danielis de lapide, qui crevit in montem implentem univerſam terram. Proprie enim hîc ſignificatur Evangelii progreſſus à parvis initiis in prodigioſam magnitudinem. Efficacia verò ejus indicatur ſequenti parabolâ, qua eadem doctrina ſimilis dicitur

33. Aliam parabolam locutus eſt eis. Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.

33. FERMENTO, QUOD MULIER ABSCONDIT, ſeu miſcuit, quia pinſere ferè erat mulierum officium, ut indicatur etiam Levit. 26. v. 26. IN FARINÆ SATIS TRIBUS. Satum menſuræ genus, Hebr. סאה, *Seáh*, tria faciebant Ephi, & tantùm unica vice pinſi ſolebat, ut patet Gen. 18. v. 6. Significatur ergò, quòd, ſicut modicum fermenti ingenti maſſæ farinæ mixtum ſuo ſapore univerſam pervadit, in ſe convertit, acore elevat, levem reddit, & ſapidam: ita Evangelium quamvis humile occulta vi univerſum orbem afficiet, & in ſuam naturam convertet. Singula ſingulis applicat Aug. lib. 1. Quæſtion. Evang. qu. 12. ut mulier ſit ſapientia, fermentum, dilectio, quia fervere facit & excitat: ſata tria, cor, anima & mens, vel tria hominum genera, Noë, Daniel & Job, id eſt, Eccleſiarum Præpoſiti, continentes & conjugati. Plures alios ſenſus vide apud Hieron.

34. Hæc omnia locutus eſt Jeſus in parabolis ad turbas: & ſine parabolis non loquebatur eis:

34. HÆC igitur OMNIA IN PARABOLIS LOQUEBATUR. Cauſam videtur Marc. indicare, cùm addit, *prout poterant audire.* Quo non ſignificatur, Chriſtum ſe attemperaſſe captui ipſorum, aut ut faciliùs pararentur ad myſteriorum captum, ut quidam intelligunt, ſed potiùs, ſicut ipſe Chriſtus ſuprà latè indicavit, prout digni erant; ut ſcilicet qui poſſet capere caperet, & ad interrogandum ſuſcitaretur, in cæteris verò ſub parabolarum cortice cæleſtis doctrina, ſine profanatione lateret: ita ut hac ratione

35. Ut implerétur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum eructabo abſcondita à conſtitutione mundi:

35. IMPLERETUR QUOD DICTUM ERAT PER PROPHETAM, qui typum gerebat Chriſti Domini, ſive David ille fuerit, ſive Aſaph, cui attribuitur Pſalmus ille 77. APERIAM IN PARABOLIS OS MEUM. Quo ſignificat ea, quæ in Pſalmo illo narrantur, tamquam in populo Hæbræo geſta, eſſe typos & parabolas rerum futurarum, abſconditaque continere Sacramenta, ut Hieron. hîc, imò Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. v. 11. in quo ipſo parabolico loquendi modo indicatur Chriſtus ei ſimilis futurus. ERUCTABO ABSCONDITA A CONSTITUTIONE MUNDI. Idem ſignificatur quod præcedenti hemiſtichio, id eſt, inſtar ſcaturiginis ore meo profundam myſteria regni cæleſtis, quæ nemini ab initio creationis mundi patefacta ſunt.

36. Tunc dimiſſis turbis, venit in domum, & acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, dicentes:

Ediſcere nobis parabolam zizaniorum agri.

37. Qui reſpondens ait illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis.

38. Ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen hi ſunt filii regni. Zizania autem, filii ſunt nequam.

39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis verò, consummatio sæculi est. Messores autem Angeli sunt.

40. Sicut ergò colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi.

41. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem:

42. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, & stridor dentium.

43. Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

44. Simile est regnum cœlorũ thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.

45. Iterum simile est regnum cœlorũ homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inventa autem una pretiosa margarita abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eã.

44. SIMILE EST REGNUM CÆLORUM THESAURO. Duabus præcedentibus parabolis significata fuit virtus, & efficacia Evangelicæ doctrinæ: duabus sequentibus ejus pretium. Itaque thesaurum absconditum Hieron. putat esse verbum Dei absconditum in carne. Augustin. duo testamenta, vel congruentiùs ad præcedentia, eadem doctrina & sapientia Evangelica de regno cœlorum, quia inæstimabilis pretij est. ABSCONDITO IN AGRO: quia revera à sæculo in mysterio abscondita fuit, per typos tantùm & parabolas in veteri Testamento significata, & revelata postremis temporibus. QUEM QUI INVENIT HOMO ABSCONDIT, id est, absconditum esse sivit, tacuit, nemini aperuit, ne scilicet sibi præriperetur. Quo significatur, thesaurum illum Evangelicum inventum non esse jactanter ostentandum: sed in corde procul ab humanis laudibus, ut Greg. custodiendum. ET PRÆ GAUDIO ILLIUS, insperatè inventi, VENDIT UNIVERSA, QUÆ HABET, ET EMIT AGRUM ILLUM, id est, omnium libenter jacturam facit, ut illum obtineat. Quo indicatur, thesaurum illum cum omnium omninò rerum charissimarum, etiam ipsius vitæ jactura esse comparandum & servandum, si aliter obtineri non potest. Conformiter planè ad illud Lucæ 14. v. 33. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Eódem omninò spectat parabola sequens de margaritâ, prout utrumque declarat Basil. in Reg. 8. fusiùs disputata. Omnibus enim studiis, curis, amoribus & rebus pretiosissimis, ut sunt thesaurus & lapides pretiosi, cœlestis illa sapientia de regno cœlorum assequendo præferenda est. Unde, quia multi ab ista animi fortitudine deficiunt, ne quis putaret omnes, qui inveniunt thesauruum illum, etiam re ipsâ regnum cœlorum assequi, aptè subjungit aliam parabolam.

47. Iterum simile est regnum cœlorũ sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.

47. SIMILE EST REGNUM CŒLORUM SAGENÆ MISSÆ IN MARE. Sagena hæc est Evangelica prædicatio, ut Augustin. Serm. 21. de diversis cap. 3. vel, (quod in idem redit) ut idem Serm. 5. c. 2. & alibi sæpissimè contra Donatistas, est ipsa Ecclesia, quæ instar sagenæ seu retis mittitur IN MARE, id est, inquit, in hoc sæculum, fluctibus seu tentationibus turbulentum: tempestatibus periculosum, naufragiis molestum, ubi se invicem homines quasi pisces devorant, EX OMNI GENERE PISCIUM CONGREGANTI, quia tam bonos quàm malos congregat fide, Scripturis, Sacramentisque Christianis, quibus inclusi indiscretè in mundo, velut mari, natant.

48. QUAM, CUM IMPLETA ESSET, Cùm scilicet plenitudo Gentium intraverit, EDUCENTES, ET SECUS LITTUS SEDENTES, quia educetur Ecclesia ex fluxis & instabilibus sæculi hujus undis, ad stabilem illum immortalis vitæ statum, velut in littus, ELEGERUNT BONOS IN VASA. *Vasa* sunt Sanctorum sedes, & beatæ vitæ magna secreta, quò non omnes perveniunt, qui Christiani appellantur, ut idem Serm. 121. Reliqua in parabola manifesta sunt.

48. Quam cùm impleta esset, educētes, & secùs littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, & separabunt malos de medio justorum.

50. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.

52. Ait illis: Ideò omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera.

53. Et factum est, cùm consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde.

54. Et veniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorū, ita ut mirarentur & dicerent: Unde huic sapientia hæc, & virtutes?

52. IDEO, quia intellexistis mysteria, & pretium eorum, ne putetis vos vobis tantùm debere sapere. Nam OMNIS SCRIBA DOCTUS, id est, doctor Evangelicus, qui benè constitutus est in REGNO, Græcè ad regnum, cœLORUM: hoc est, ad mysteria regni cælorum prædicanda, SIMILIS EST HOMINI PATRIFAMILIAS; id est, similis esse debet bono patrifamilias, qui non sibi soli reservat, sed PROFERT DE THESAURO, penuario scilicet, id est, non vivit in diem, sed ex annonâ, quam diu antè collegit ac reposuit, profert convivis NOVA ET VETERA, id est, omnium ciborū genera, ut omnium necessitati & palato faciat satis. Quo significatur doctorem regni cœlestis ex scientiæ thesauro, jam antè longâ meditatione, contemplatione, exercitatione præparato, proferri auditoribus pro cujusque captu & statu omne doctrinæ, exemplorum ac parabolarum genus, adeóque consequenter tam ex veteri quàm ex novo Testamento, nova scilicet mysteria veteris Scripturæ testimoniis illustrando, ut passim Christus facit. Nam istud hîc simul esse insinuatum, quidquid improbet Calvinus, docent unanimiter veteres; Hilar. Hieron. Chrysost. Euthymius in hunc locum, Iren. lib. 4. cap. 2. August. Quæstiōn. 36. in Matth. Athanas. & alii.

54. Cùm autem venissent IN PATRIAM SUAM. Triplex erat Christi patria, Bethleem, ubi natus est; Capharnaum, ubi frequenter versatus, de qua suprà cap. 9. v. 1. & Nazaréth, ubi educatus, quom hîc intelligi ex Luca patet cap. 4. v. 16. DOCEBAT EOS IN SYNAGOGIS EORUM, id est, Synagoga: neque enim plures videntur fuisse in tantillo oppidulo: nisi per *Synagogas* ipsos conventus hominum intelligas, quomodo Concio, & Ecclesia dicuntur ipse populus. ITA UT MIRARENTUR ET DICERENT: UNDE HUIC SAPIENTIA HÆC, cùm scilicet litteras non didicerit, ut est Joan. 7. v. 15. ET VIRTUTES, id est, miracula seu potestas patrandi tam mirabilia?

55. NONNE HIC EST FABRI FILIUS? Marci 6. v. 3. dicunt, *Nonne hic est faber?* vel qui tamquam fabri filius etiam faber putabatur, ut Augustin. 2. de consensu Evangel. cap. 42. vel, ut verisimile, quia verè fabrilem simul exercuit. Hilar. hîc fabrū ferrarium fuisse putat, alij murarium: Justinus, auctor antiquissimus, Dialogo cum Triphone clarè dicit, eum aratra & juga boum confecisse, hoc est, fuisse lignarium. Cui consentit Ambros. Sermone quodam de Nativitate, & Auctor operis imperf. Unde ille apud Sozomenum lib. 6. c. 2. arcam ligneam fa-

55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus, Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas?

bricat Juliano ad mortem. Ex quo patet, istam & tunc, sicut & nunc est, publicam fuisse opinionem. Unde & nonnulli volunt quia tractant fabrilia fabri, eum sub jugi & aratri symbolis Evangelium suum proposuisse, Matth. 11. v. 29. & Lucæ 9. v. ult. NONNE MATER EIUS DICITUR MARIA, nullo scilicet dignitatis aut honoris titulo illustris aut nota, ET FRATRES EIUS, id est, cognati, Hebraïsmo valdè usitato, JACOBUS qui cap. 10. v. 3. dicitur *Alphæi*, scilicet filius, & Marci 15. Jacobus minor, unus scilicet ex Apostolis; & JOSEPH, Jacobi jam dicti frater, ut est cap. 27. v. 56. Ubi similiter constat, utrumque fuisse filium Mariæ quæ Joan. 19. vocatur Cleophæ, scilicet filia ut Hieron. libro contra Helvidium: erat enim uxor Alphæi. Quamquam probabile sit, Alphæum & Cleopham eundem esse, cujus uxor Maria fuerit, mater omnium, qui hîc nominantur. ET SIMON. Euseb. lib. 3. Histor. cap. 19 ex Hegesippo tradit & istum fuisse filium Cleophæ, fratris Josephi, mariti Mariæ Virginis, ET JUDAS: Lucæ 6. v. 16. vocatur *Jacobi*, scilicet frater; sicut & ipse met se vocat initio Epistolæ suæ. Itaque quatuor isti *Jacobus*, *Joseph*, *Simon*, & *Judas* fratres erant, filij Mariæ, uxoris Cleophæ, aliàs Alphæi, fratris Joseph.

56. Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista?

56. ET SORORES EIUS, id est, cognatæ, non ex materno genere, sed paterno, ut indicat Augustin. Quæst. 17. in Matth. hoc est, patrueles, neptes scilicet Josephi (qui putabatur pater ejus) ex fratribus aut sororibus. Nam ut Hieronym. loco cit. Miraris, inquit, si errant in fratribus, qui errant in patre? Eodem modo æstimentur & fratres, quo æstimatus est pater.

57. Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua.

57. ET SCANDALIZABANTUR IN EO, id est, offendebantur educationis & prosapiæ humilitate, seu impingebant in eum: velut in lapidem offensionis, ita scilicet, ut propterea non crederent eum esse Messiam: fortè & malis artibus, ut aliàs factum est, sapientiam illam & virtutes tribuebant. JESUS AUTEM DIXIT EIS: NON EST PROPHETA SINE HONORE NISI IN PATRIA, &c. Familiaritas enim contemptum parit, & pluris æstimantur peregrina quàm domestica: denique quia, ut Hieron. propemodum naturale est, cives civibus invidere, dum gloriam contribulis suam confusionem putant.

58. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum.

58. ET NON FECIT IBI VIRTUTES MULTAS. Paucos enim tantùm infirmos curasse notat Marc. cap. 6. v. 5. PROPTER INCREDULITATEM EORUM. Miraculis enim Christus fidem solebat prærequirere, ut sup. c. 9. v. 28. & alibi passim. Usque adeò, ut, si qui increduli aut curiosi illa peterent, nunquam faceret, ut patet in Herode, Lucæ 23. in Pharisæis, Matth. 12. & in hæreticis etiam hodie, qui cum ea maximè videre velint, minimè vident, quia ex credulitate ea petunt. Et hæc est ratio, cur Marcus dicat, *Non poterat ibi virtutem ullam facere*, nempe quia miraculis indigni erant, & res incongrua,

CAPUT XIV.

1. DE morte S. Joannis dicemus Marci 6. de multiplicatis verò panibus Joan. 6. ubi accuratiùs ista narrantur.

1. In illo tempore audivit Herodes Tetrarcha famam Jesu:

2. Et ait pueris suis: Hic est Joannes Baptista: ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.

3. Herodes enim tenuit Joannem: & alligavit eum: & posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui.

4. Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi habere eam.

5. Et volens illum occidere, timuit populum quia sicut prophetam eum habebant.

6. Die autem natalis Herodis, saltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi.

7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcunque postulasset ab eo.

8. At illa præmonita à matre sua: Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ.

9. Et contristatus est rex: propter juramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, jussit dari.

10. Misitque & decollavit Joannem in carcere.

11. Et allatum est caput ejus in disco, & datum est puellæ, & attulit matri suæ.

12. Et accedentes discipuli ejus tulerunt corpus ejus, & sepelierunt illud: & venientes nunciaverunt Jesu.

13. Quod cùm audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum: & cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus.

14. Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curavit languidos eorum.

15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas.

16. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare.

17. Respondent ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.

18. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc.

19. Et cùm jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit, & fregit & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

20. Et manducaverunt omnes & saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos.

21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum: exceptis mulieribus, & parvulis.

22. ET STATIM JESUS COMPULIT DISCIPULOS ASCENDERE, eo quòd inviti ab eo divellerentur, tum propter se, tum propter ipsum, eo quòd nox instaret, & nullæ essent naves quibus sequi posset. Idcircò autem verisimiliter eos abesse Christus voluit, partim ne facilè cum turbis conspirarent, cogitantibus eum in Regem tollere, ut narrat Joan. cap. 6. vers. 15. partim ut expeditius turbæ dimitterentur (ut hic indicatur) discipulis jam profectis, partim ut solus oraret, & denique ut sequenti miraculo pararet viam.

22. Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & præcedere eum transfretum, donec dimitteret turbas.

23. ET DIMISSA TURBA, id est, cùm turbis valedixisset, & abire jussisset, tametsi ibi totâ nocte manserint, & eum exspectaverint, ut patet Joan. 6. vers. 22. & seqq. ASCENDIT IN MONTEM, ut vim turbæ fugeret, volentis eum creare Regem, ibid. SOLUS ORARE, id est, ut ibi solitarius oraret. Secessum & solitudinem amat oratio: unde & Christus plerumque montes & deserta quærit.

23. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

24. NAVICULA AUTEM: in qua discipuli erant, IN MEDIO MARI Genesareth, id est, in profundo, IACTABATUR FLUCTIBUS. Notat pe-

24. Navicula autem in medio

mari jactabatur fluctibus ; erat enim contrarius ventus.

riculi magnitudinem: ERAT ENIM CONTRARIUS VENTUS, quem Christus ipse post discessum eorum videtur suscitasse, ad probandam eorum fidem ac constantiam.

25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare.

25. QUARTA AUTEM VIGILIA NOCTIS : quæ est postrema noctis pars, apperente scilicet diluculo, diciturque *Vigilia matutina* Exod. 24. vers. 24. Nox enim tota in quatuor partes dividebatur quæ Latinis dicebantur Vigiliæ, Græcis verò & Hebræis Custodiæ, eo quòd quater, singulis ternis horis, vigiles seu custodes mutarentur, juxta disciplinam militarem. Itaque totâ penè nocte cum tenebris, vento, fluctibus luctati fuerant. VENIT JESUS AMBULANS SUPRA MARE, adhuc fluctibus turbidum ac furens. Ex quo colligitur, quòd mare non cesserit vestigiis ejus, hoc non proveniisse ex aliqua consolidatione undarum, instar glaciei, ne diffluerent, sed potiùs ex eo, quod gravitatem corporis impediret, ne pro natura sua deorsum vergendo, aquas finderet. Quo viso discipuli

26. Et videntes eum super mare ambulantē, turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt.

26. TURBATI SUNT. Nimis brutam ignorantiam & crassum stuporem hoc vocat Calvinus in Harmonia: sed ipsemet refutat se, in Joannem scribens. Fieri, inquit, non potest, quin consternatio nos invadat, viso spectro. Nam Evangelista notat, eos putasse, quod corpus grave ambulans super mare, quod præ nocturnis tenebris non dignoscebant, esset PHANTASMA, id est spectrum seu illusio diabolica: cujusmodi iis, quibus apparent, subinde nocere solent. Cùm clamavisset, confusa scilicet & incerta voce, quod magni timoris indicium fuit,

27. Statimque Jesus locutus est eis : dicens: Habete fiduciam : ego sum, nolite timere.

27. STATIM LOCUTUS EST JESUS. Ubi enim summè periculum crevit, Dei auxilium adesse solet. Nam in ista historia speculum datur, quomodo Deus fideles suos tentare, probare, in extremum periculum ac timorem adducere, ac denique liberare solet, ut pulchrè & latiùs expendit Chrysost. Hom. 15. in Matth. HABETE FIDUCIAM, in me præsentem. Quia verò eum in tenebris non dignoscebant, addit: EGO SUM, non spectrum: nam, ut Hier. ex voce sibi nota poterant eum agnoscere. Itaque NOLITE TIMERE, sive à spectro, sive à mari. Simul autem cum voce pacem animosamque fiduciam animis infudit. Ille enim solet esse effectus vocis Dei loquentis; non tantùm significare, sed cum dicto etiam efficere; apparendo timorem, loquendo afferre tranquillitatem: spectra è contrario.

28. Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas:

28. RESPONDENS AUTEM PETRUS DIXIT : DOMINE SI TU ES, Multis modis reprehenditur hîc à Calvino Petrus, infirmæ fidei, inconsiderationis, temeritatis, stultitiæ. E contrario Hieron. Hilar. Chrysost. Theophil. hîc, & August. Serm. 13. de verbis Dom. extollunt fidem Petri, & ardentissimam charitatem. Itaque quòd dicit, *si tu es*: non de Christi virtute dubitat, sed de persona: nam & spectrum poterat effigiem & vocem ejus mentiri. Proinde ex modestia non dicit Veni ad me, sed magnitudine fidei de Christo dicit, JUBE, ita scilicet ut res ipsa sequatur: nam & hoc spectrum jubere poterat: ex ardore verò dilectionis addit, MI

VENIRE AD TE, id est, non vanitatis, non ostentationis causa, sed ut tibi adsim, te clariùs cognoscam, venerer, amplectar, tecum eam. Nam Christus videbatur navem prætereundo, iter reliquum pedibus velle conficere, Marc. 6. v. 48.

29. AT IPSE AIT, VENI, non ut stultitiam Petri experientia redargueret, Calvinus garrit, sed ut Christus se verum dixisse probaret, & Petri fidem charitatemque commendaret. ET DESCENDENS PETRUS, eò quòd efficaciam jubentis ex infusâ animi securitate sensisset, & tentanti aquæ non cederent: ideò enim non dicitur prosiliisse in aquam, sicut fecit Joan. 21. sed descendisse.

29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquâ ut veniret ad Jesum.

30. VIDENS VERO VENTUM VALIDUM, oculis scilicet ab adjutore in periculum deflexis, TIMUIT: cùm tamen jam esset Christo propinquior, seu, ut Chrysost. Homil. 51. hæc est humanæ naturæ conditio, ut difficilioribus nonnunquam superatis, succumbat in minoribus. Itaque CUM CŒPISSET MERGI, metum sequente diffidentiâ, diffidentiam periculo submersionis, CLAMAVIT: DOMINE DICENS SALVUM ME FAC. Nam pericula magna excitare solent sopitam fidem ac dilectionem. Hæc enim verba sunt nihil dubitantis de auxiliatoris potestate; & ideò, revivisscente ejus fide.

30. Videns verò ventum validum; timuit; & cùm cœpisset mergi; clamavit dicens, Domine salvum me fac.

CONTINUO JESUS EXTENDENS MANUM APPREHENDIT EUM: iterum ambulare cœpit super aquas, tantùm scilicet spatii revertens, quantùm à navi ad Christum ambulaverat prout notat Cyril. catechesi 5. Ut ergò sciret non à ventis, sed à fidei imbecillitate periculum provenisse, addit Christus:

31. MODICÆ FIDEI QUARE DUBITASTI? non de potentia jubentis, quia alioqui non invocasset eum; sed quare animo fluctuasti? Græcè ἐδίστασας, id est, cur huc illuc animus tuus impulsus fuit? Significatur enim, fiduciam, & consequenter fidei vigorem ex futuris maris metu remissiorem factum, sicut contingere solet iis, quibus animus nunc in periculi magnitudinem, nunc in auxilium Dei defigitur, quamvis de potentia Dei nihil speculativè dubitent.

31. Et continuò Jesus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti?

32. ET CUM ASCENDISSENT IN NAVICULAM. Unde quod Joan. dicit, *Voluerunt eum accipere in navem*, sic intelligendum, ut non excludatur acceptio, sed tantùm ut voluerint accipere, tamquam diu cum ipso navigaturi, cum tamen navis statim ad terram appulsa fuerit, ut ibid. dicit, quod tertium erat miraculum: quartum verò, quòd CESSAVIT VENTUS.

32. Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus.

33. Quibus moti dixerunt ii, qui in navicula erant, VERE FILIUS DEI ES; non adoptione, ut vir justus, sed naturâ, qualem te prædicas. Sic enim intellexerunt Christi verba etiam Judæi, & hac de causa eum Joan. 10. lapidare voluerunt, & Joan. 19. secundùm Legem suam mori debere dixerunt. Allegoricè, mixto sensu morali, tractat historiam totam August. Tract. 25. in Joan. sed latè & ex professo toto Serm. 22. de diversis. Navicula enim est Ecclesia; fluctus, tentationes & adversitates, discipulorum pavor,

33. Qui autem in navicula erant venerunt, & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.

conturbatio fidelium : sed Jesus, cùm solus à resurrectione sua in monte sit, ambulat super omnes tumores fluctus, & Principatus hujus mundi, in fine tranquillitatem suis allaturus. Supplet nonnulla qu. 15. lib. 1. Quæstion. Evang.

34. Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar.

34. ET CUM TRANSFRETASSENT, VENERUNT IN TERRAM GENESAR. Confundunt hanc terram nonnulli cum terra Gerasenorum, de qua c. 8. v. 28. sed certum est eos falli. Nam *Gerasa* erat trans Jordanem : *Genesar* cis Jordanem, prope Bedsadaim, Hebraicè dicitur *Genereth* ; Latinè meliùs *Genesar* vel *Genesaret*. Estque tum civitas, tum terra, protensa juxta lacum, eodem nomine appellatum, naturâ & pulchitudine admirabilis, prout eam describit Josephus lib. 3. de bello Judaïco c. 18.

35. Et cùm cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes.

36. Et rogabant eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt salvi facti sunt.

36. ET ROGABANT, UT VEL FIMBRIAM VESTIMENTI EIUS TANGERENT, id est, ut vel istâ minimâ facillimaque accessione ad Christum, se sanari permitteret. Superstitione implicitos eos vocat Calvinus hîc, eo quòd ad tactum vestis restringerent Christi gratiam : cùm potius Christi gratiam fidei magnitudine ad vestes extenderent. Unde cùm Christus miraculis suis non soleat superstitionem confirmare, ut hîc, & Matth. 9. v. 22. similem tactum vestis etiam voce laudaverit, firmum manet argumentum, pro cultu Crucis Domini & Reliquiarum ; quem Calvinus hinc stabilire metuebat.

CAPUT XV.

1. Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ, & Pharisæi, dicentes:

1. TUNC ACCESSERUNT SCRIBÆ ET PHARISÆI AB JEROSOLYMIS : tamquam qui ibi cæteris sanctiores, atque doctiores haberentur, & ideò gloriæ Christi magis invidèrent. Nam alioqui, ut Chrysost. & Theophyl. notant per omnia loca dispersi habitabant, eo quòd plerique essent Levitæ. Cùm ergò Christum non possent carpere, carpunt discipulos, non de transgressione Legis Dei, sed de traditione seniorum, seu majorum violatâ. Nam illarum contemptus redundabat in Pharisæos, qui eis succedebant & similium traditionum erant architecti. Et hæc fuit ratio, cur acriùs eas tuerentur, quàm leges Dei. Caput autem accusationis erat :

2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum ? non enim lavant manus suas cùm panem manducant.

NON ENIM LAVANT MANUS SUAS, CUM PANEM MANDUCANT, id est, inter manducandum. Non enim loquuntur de vulgari illa lotione, quæ ante cibum civilis honestatis causâ adhiberi solet, sed de religiosa, seu superstitiosa, quâ, ut Marcus ait, non comedebant, nisi crebrò laverint manus, scilicet tam ante quàm inter comedendum : item quandocumque redirent ex foro, ubi versabantur in omni hominum genere. Eamdem curam adhibebant, ut ex Marco patet, calicibus, urceis, æramentis, id est, vasis æreis, lectis, seu thoris, in quibus accumbebant mensæ, hoc est, omnibus instrumentis convivij, nimirum, ne vel ipsi, vel illa vasa quidpiam fortè tetigissent, quo ipsi immundi fierent ;

idque non juxta leges in Levitico præscriptas, quibus sufficiebat mundari, quando reipsa fiebant immundi, sed juxta traditiones scrupulosas, & superstitiosas superadditas. Itaque Christus accusationem graviori accusatione, ut clavum clavo pellit.

3. QUARE ET VOS TRANSGREDIMINI MANDATUM DEI: quod longè gravius est facto discipulorum meorum; PROPTER TRADITIONEM VESTRAM, id est, studio servandæ traditionis vestræ? Qua indicat & quanti essent faciendæ illæ traditiones, utpote repugnantes legi Dei: & præpositum Pharisaicæ pietatis studium. Hujusmodi traditiones vocantur à Judæis Lex oralis, ut distinguatur à lege scripta. Auctores earum ipsi statuunt Moysen in monte Sinaï, qui tradiderit eas Josuæ, hic septuaginta senibus; isti synedrio magno, à quo eas Rabbini acceperint: sicut hæc patent ex Aben Ezra, Jarchi Rabbi Bechai, & aliis in cap. 4. vers. 14. Deuter. Quo speciosо titulo quibuslibet commentis posterorum auctoritatem conciliarunt. Nam revera auctores pleraruмque traditionum istarum erant recentiores quidam Akiba, Simeon, Hillel, & alii, qui aliquanto ante Christum natum vixerunt, ut patet ex Hieronym. Epist. 15. ad Algasiam qu. 10. Epiphanio Hæresi 15. & 33. Quanti eas traditiones, seu deuteroseis fecerint & olim & nunc, ex eo liquet, quòd passim eas vocant fundamentum legis scriptæ, & religionis Judaicæ, ut loquitur Aben Ezra Præf. in Legem Moysis, & R. Bechai in lib. כד חקמה *CadHakkemach*, id est, *Cadus Farinæ*. Imò expressis verbis eas præferunt verbo Dei, & Bibliis, ut patet in Codice Juris ipsarum בבא מציעא, *Baba Metzia*, & in Thalmud Jerosolymitano Codice Beracachot, ubi hujusmodi deuteroseis collecta sunt. Deinde in libro Eruvin statuitur pœna mortis iis, qui transgrediuntur verba scribarum. Et alibi dicunt: Qui credit verbis Sapientum, perinde est ac si crederet ipsi Deo; cùm tamen pleraque, vel prorsus frivola, ac turpia sint, qualia recenset Hieronym. Epistola citat. quædam apertè contraria præceptis Dei, ut quæ Christus hîc tangit: NAM DEUS DIXIT:

3. Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit:

4. HONORA PATREM ET MATREM. Quo non solùm honor in verbis, gestibus, & officiis deferendis præcipitur, sed vel maximè in vitæ necessariis ministrandis, si hoc exigat imbecillitas, ætas, penuria, ut hîc notat Hieronym. Hoc enim *Honor* in Scripturis significare solet, ut patet tum ex oppositione vers. 5. tum ex 1. ad Timoth. 5. v. 3. & 17. ET QUI MALEDIXERIT PATRI VEL MATRI, id est, vel solo verbo læserit, ne dum factis, MORTE MORIATUR, id est, omninò absque ulla spe veniæ moriatur.

5. Honora patrem, & matrem &: Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

5. VOS AUTEM DICITIS, veluti traditione vestrâ interpretantes legem de honorandis parentibus: QUICUMQUE DIXERIT PATRI VEL MATRI, egentibus & postulantibus subsidium necessarium: MUNUS QUODCUMQUE EST EX ME, TIBI PRODERIT. Locus perobscurus facilè decem modis ab auctoribus exponitur. Prætermissâ sententiarum varietate, duæ cæteris præferendæ videntur. Una facillima, & textui Latino, qui adjicit verbum *Est*, satis con-

5. Vos autem dicitis: Quicúque dixerit patri, vel matri: Munus quodcúque est ex me, tibi proderit:

gruens. *Munus quodcumque* intellige ſacrum, Marcus enim legit *Korban*, quod ſexcenties in Pentateucho vertitur *Oblatio*. Itaque Korban, ſeu oblatio quæcumque, EX ME, offeretur in cultum Dei: illa TIBI PRODERIT, perinde ac ſi tibi dediſſem. Particeps enim eris fructus, tum corporalis, inde comedendo, tamquam ex epulo ſacro, tum maximè ſpiritualis. Altera magis conformis eſt textui Græco, Syriaco, & tranſlationi Hebraïcæ, itemque ipſi textui Latino S. Marci, in quibus omnibus deeſt verbum *Eſt*; & maximè antiquis, Origeni in Matth. qui dicit eam ex quodam Hebræo didiciſſe Chryſoſtomo & diſcipulis ejus, Hieronym. & aliis in hunc locum. MUNUS igitur, ſeu oblatio, Deo ſcilicet jam devota & conſecrata, QUODCUMQUE EST EX ME TIBI PRODERIT, id eſt, quicquid ex me tibi prodeſſe poſſit, & tu à me expectare. Græcè, *id, quo ex me juvari poſſis*; Syriacè, *id, quo juvaberis*, ſeu *juvareris ex me*: q. d. Id, quod petis à me, jam Deo conſecratum eſt, non poteſt in alios uſus verti, quàm ſacros. Sic enim deterriti parentes nolebant illud à filiis accipere. Hic ſenſus eo convenientior videtur, quòd in hodiernum uſque diem extent veſtigia hujus traditionis ſic intellectæ in Talmud, Cod. Nedarin. c. 11. prout eam exponunt Maimonides in Commentario & Rabbi Niſſim, qui addit, hujuſmodi votum non poſſe irritum fieri. Porrò in utroque ſenſu oratio eſt defectiva, & ſupplenda hoc modo: Culpâ caret, aut legi ſatisfacit de honorandis parentibus. Juxta utramque etiam oblatio liberorum cedebat in lucra ſacerdotum, quorum plerique erant Scribæ & Phariſæi.

6. Et non honorificabit patrẽ ſuum, aut matrẽ ſuam: & irritum feciſtis mandatũ Dei propter traditionem veſtram.

6. ET, ita ſecutus traditionem veſtram, NON HONORIFICABIT PATREM SUUM, &c. id eſt, non obſervabit præceptum Dei, jam dictum, ſed ſinet parentes prætextu voti egeſtate conſumi. Sunt enim hæc verba Chriſti, non Phariſæorum.

7. Hypocritæ; bene prophetavit de vobis Iſaïas, dicens:

7. HYPOCRITÆ; duplici titulo, & quòd volentes videri divinæ legis vindices, eam traditione ſua irritam facerent, & quòd prætextu cultus Dei conſulerent avaritiæ ſuæ: BENE PROPHETAVIT DE VOBIS ISAIAS, quia exactiſſimè opera veſtra & ejus prophetia conveniunt.

8. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt à me.

8. POPULUS HIC LABIIS ME HONORAT, id eſt, ore me colit, laudat, celebrat, invocat, ſub quo omnis externus cultus intelligitur: COR AUTEM EORUM LONGE EST A ME, quia contraria voluntati meæ cogitat, id eſt miſericordia, charitate, cæteriſve virtutibus, quibus verè color, vacuus eſt.

9. Sine cauſa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.

9. SINE CAUSA AUTEM COLUNT ME: Græcè μάτην, *fruſtra inaniter*; ſeu, ut eſt apud Marcum cap. 6. verſ. 7. *In vacuum*, tum quòd frivolus eſſet ille cultus; tum quòd veri cultus non aſſequerentur finem, qui eſt cor, non labia formare, Deumque propitium reddere. DOCENTES, id eſt, toti vacantes ad ſequendum, alioſque docendum, DOCTRINAS ET MANDATA HOMINUM. Græcè & Syriacè, *doctrinas, mandata hominum*, ſeu quæ ſunt mandata hominum. Quod expreſsè & propriè intelligendum eſt, id eſt, mandata humano ſpiritu efficta, quæ videlicet, vel frivola ſunt, nihil conferentia ad obſer-

10. Et convocatis ad ſe turbis dixit eis: Audite, & intelligite.

observationem mandatorum Dei, in quibus verus Dei cultus situs est (cujusmodi erant tot lotiones Pharisaïcæ) vel etiam mandatis Dei adversantur, ut illud de Korban. Hæc enim duo spectare Christum patet ex Marco, qui pro ratione utrumque tangendo subjicit: *Relinquentes enim mandatum Dei*, ecce contrarietatem, *tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, &c.* ecce frivolas traditiones. Quibus observandis tantum impendebant studium, ut propter illas Dei mandata negligerent, ut à Marco ibid. v. 9. & hîc v. 3. & 6. notatur. Neutrum habet locum in traditionibus Ecclesiæ, quas ex hoc loco hæretici imperitè carpunt: tum quòd à Spiritu Dei, Ecclesiam dirigente, instituuntur; tum quòd ad accuratiorem mandatorum Dei custodiam, interioremque cultum promovendum faciunt; tum quòd nullo modo eis adversantur, nec studio tuendi illas, Dei mandata negliguntur. Hactenus igitur ad hominem: nunc directè facti discipulorum rationem reddit.

11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

11. NON QUOD INTRAT IN OS, COINQUINAT HOMINEM: Græcè κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον, *communicat hominem*, sicut aliquoties est Latinè apud Marcum. *Commune* autem vocabant Judæi immundum, propter legem, aut traditionem aliquam, sibi solis datam, ea ratione, quòd res ista cæteris nationibus esset communis, nec ab ullis nisi à se vitaretur, ut hîc notat Hieronym. Itaque, NIHIL, QUOD INTRAT IN OS, quantumvis sordidum, & vetitum etiam à Deo, quibuscumque manibus, sive lotis, sive illotis, sumptum, COINQUINAT HOMINEM, natura scil. sua, ita ut hominem reddat ingratum Deo. Hæc enim erat persuasio Pharisæorum, quòd manus pollutæ polluerent cibum, cibus hominem. Rationem dicti Christi dat Paulus 1. ad Timoth. 4. v. 4. *Quia omnis creatura Dei bona est*, & omnia munda mundis. Non ergò negat, id, quod intrat in os, posse coinquinare hominem, vel propter intemperantiam, ut fit in ebriis; vel inobedientiam, ut in primis parentibus; vel scandalum, juxta Paulum 1. ad Corinth. 8. Ut proinde absurdè hoc adferatur ab hæreticis contra delectum ciborum. SED QUOD PROCEDIT DE ORE, id est, de homine, ut Marcus, idque per synecdochen. Utitur tamen, *ore*, ad servandam antithesin, & quia de comedendo sermo erat. Non significat autem, quidquid procedit ab ore, hoc eum coinquinare; nam & sputa & laudes Dei ab eo procedunt: sed nihil coinquinare, nisi quod procedat ab homine, seu quod homo ex se proferat corde, ore, opere. Quæ verba cùm subverterent scrupulosas illas lotiones Pharisaicas, imò & discipulis viderentur delectum ciborum lege præscriptum tollere, addunt:

12. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt?

12. SCIS, QUIA PHARISÆI AUDITO VERBO HOC SCANDALIZATI SUNT? id est offensi sunt?

13. At ille respondens ait: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

13. AT ILLE RESPONDENS AIT: OMNIS PLANTATIO, id est planta, seu germen, QUAM NON PLANTAVIT PATER MEUS, ERADICABITUR. Chrysost. cum suis de doctrina, ac dogmatibus intelligunt: August. verò qu. 17. libr. 1. Quæst. Evang. de affectibus

animi, ut concupiscentia: rectiùs Hieron. (quamvis res ferè in idem redeat) de hominibus qui dicuntur plantatio Dei, vel diaboli, ratione affectuum bonorum, vel malorum. Unde populus Dei vocatur *Germen plantationis novæ*, Isaiæ 60. vers. 21. *vinea electa, &c.* Idem igitur significatur, quod Matth. 3. v. 10. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, &c.* Subintelligendū autem relinquit, tales plantationes esse Pharisæos. Unde subjungit:

14. Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorū: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.

14. SINITE ILLOS, agere ut volunt: nolite de eorum offensione & scandalo esse solliciti, tametsi sint ut duces, ac doctores populi. Nam CÆCI SUNT, qui non intelligunt apertissimam veritatem: ET DUCES CÆCORUM, id est, qui tamen se duces, seu doctores cæcorum profitentur. Quo notat cæcitatem illam, sui ipsius ignaram, ex superbia & obstinata malignitate provenire; & ideo scandalum talium, ex veritate sumptum, potiùs esse permittendum quàm veritas relinquatur, ut Greg. Hom. 7. in Ezech. Sed quia etiam discipuli illis verbis, *Non quod intrat in os*, &c. turbati fuerant, eo quòd viderentur esse contraria doctrinæ legis, atque traditionis, quam à puero imbiberant; unde & clarissima verba tamquam PARABOLAM, id est, sermonem parabolicum & figuratum explicari petunt, putantes eum, ut solet, obscuritate parabolæ aliquid significare voluisse, inquit August. ibi contra Faust. cap. 13. Hinc Salvator eorum scandalum tamquam infirmorum non contemnit, sed rationem reddit, cum aliqua tarditatis increpatione.

15. Respondens autem Petrus dixit ei: Edisere nobis parabolā istam.

16. At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis;

17. Non intelligitis, quia omne, quod in os intrat, in ventrē vadit, & in secessum emittitur?

17. NON, Græcè οὔπω, *nondum*, INTELLIGITIS, tamdiu scilicet de vera sanctitate & pollutione à me instructi, QUIA OMNE, QUOD IN OS INTRAT, IN VENTREM VADIT? supple, ut Marcus addit, *Ea non intrat in cor ejus*; & consequenter cor, seu animam non potest coinquinare, ET IN SECESSUM EMITTITUR? Quo significat, si quid sordium, aut immunditiæ fortassis esset in cibo, hoc ipsum velut feces secerni, relictâ in corpore puriori substantiâ. Unde Marcus ait, *Purgans omnes escas*, id est, hac sui emissione separans feces & immunditias ab eo; quod mundum remanet. Et ita evanescit argutula quorumdam & antiqua calumnia, arguentium, olim Christum velut ignarum Physicæ, quia non totum emittitur in secessum.

18. Quæ autē proceduntde ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem:

18. QUÆ AUTEM PROCEDUNT DE ORE. Marcus, *Quæ de homine exeunt*, seu proficiscuntur, veluti cogitationes, verba, facta, quorum singulorum mox exempla profert, DE CORDE EXEUNT, id est, ex animo, seu affectu, & libero arbitrio hominis proficiscuntur, veluti cardine & fonte omnis coinquinationis & sanctitatis: & idcirco EA COINQUINAT, seu coinquinare possunt HOMINEM, sicut & sanctificare.

19. De corde enim exeunt cogitationes malæ homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.

20. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem: Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem:

21. Et egressus

21. ET EGRESSUS INDE, ex terra Genesar, SECESSIT IN PARTES

TYRI, SIDONIS, id est, in territorium Phœniciæ, non prædicandi causâ, sed partim latendi, & ita quiescendi causâ, ut indicat Marc. 7. vers. 24. partim istâ secessione præludium & figuram editurus, quòd Apostolis ad Gentes esset transeundum, cùm à Judæis repellerentur. Tyrus enim & Sidon numquam in Hebræorum potestatem venerant. Et hinc est, quòd inde egressa est.

sus inde Jesus, secessit in partes Tyri & Sidonis.

22. MULIER CHANANÆA, Marcus vocat *Syrophœnissam*, id est, ex Phœnicia Syriæ: nam erat & alia Phœnicia in Libya, de qua Plinius lib. 5. cap. 4. *Chananæa* dicitur, quia ex stirpe Chanaan, cujus Sidon erat primogenitus, Gen. 10. v. 15. Unde Tribus Aser, cùm non deleviset Sidonios, dicitur habitasse in medio Chananæi, Judic. 1. v. 31. & 32. CLAMAVIT, DICENS EI: MISERERE MEI, FILI DAVID, ille scilicet Davidi promisse, & à Judæis expectate, id est, Messia. Celebritas enim famæ & expectationis ejus ad gentes vicinas videtur permanasse.

22. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine fili David: filia mea male à dæmonio vexatur.

23. QUI NON RESPONDIT EI VERBUM, non de supercilio Pharisaïco, sed partim ut fidem ejus, & constantiam patefaceret, partim ut ostenderet, precibus coactum se præstare quod præstitit, ne alioquin sibi videretur contrarius, quia Apostolos vetuerat abire in viam gentium, cap. 11. vers. 5. ET ACCEDENTES DISCIPULI EIUS, ROGABANT EUM, DICENTES: DIMITTE EAM, concedendo scilicet ei id, quod petit, sicut indicat responsum Christi, QUIA CLAMAT POST NOS, id est, importuna est & dedecore nos afficit suis clamoribus. Ex quo patet hoc in via contigisse. Marcus tamen habet, *Intravit*, scilicet in domum. Sed ne Græcè, nec Syriacè est, *intravit*, sed solum *venit*: vel si legas, *intravit*, intelligendum est domi fuisse silentio repulsam, & tamen ipso egresso clamasse in via, prout conciliat August. 2. De consen. Evang. c. 49.

23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos.

IPSE AUTEM RESPONDENS, AIT: NON SUM MISSUS; nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël. Non quasi non esset redemptor Gentium, sed quod primò missus sit ad Israël, & illis repellentibus ad Gentes, ut Hieronym. vel potiùs, ut Augustin. tract. 31. in Joan. quod non sit missus, ut præsentiam corporalem exhiberet, nisi solis Judæis, Gentes conversurus fama sua per Apostolos suos: hoc est, quòd non esset missus legatus in propria persona, nisi Israëlitis, quibus & quorum Patribus promissus fuerat. Unde ab Apost. ad Rom. 13. vers. 8. vocatur *Minister circumcisionis*. Legationis autem istius functio erat, Evangelium docere; probatio, miracula facere; finis, oves perditas lucrifacere. Nihil istorum Gentibus communicavit, neque per se, neque etiam per Apostolos, nisi postquam à Judæis repulsus fuit: scil. quasi per accidens, si rerum eventum spectes, etsi per se, si providentiam, & finem Dei. Judæis proinde ex justitia, ratione promissionis; Gentibus ex misericordia, juxta doctrinam Apostoli, loco cit. muliere verò adhuc instante respondit:

24. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israël.

25. At illa venit, & adoravit eum dicens: Domine adjuva me.

26. NON EST BONUM, id est, æquum, aut congruum, SUMERE PANEM FILIORUM, id est prætipere panem liberis enutriendis debitum, ET MITTERE, seu projicere, CANIBUS, Græcè κυναρίοις, *catel-*

26. Qui respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum

& mittere canibus.

lis, sicut paulò post. Per *Filios*, itaque intelligit Judæos, quia præ omnibus gentibus Deo curæ: qua de causa Israël *Filius Dei primogenitus* dicitur, Exodi 4. vers. 22. per *Canes* verò gentiles, propter impudentem, & publicam idololatriam, ac spurcissimos mores. *Panem filiorum* vocat totam gratiam Evangelicam, imprimisque miracula, tamquam Evangelii sui sigilla: nam propter doctrinæ confirmationem illa operatus est. Significat igitur illa, tamquam panem delicatiorem, nondum deberi Gentibus, nisi postquam eum Judæi fastidiverint. Marcus enim dicit Christum dixisse, *Sine priùs saturari filios*: quibus verbis spem aliquam mulieri aperuerat; & mox rationem adjicit, *Non est enim bonum, &c.*

27. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

27. AT ILLA DIXIT: ETIAM DOMINE, id est, Ita est, ut dicis. NAM ET CATELLI EDUNT DE MICIS, QUÆ CADUNT, &c. Pro, *Nam &*, quod aliquam obscuritatem parit, Græcè est, ναὶ γὰρ, *Etenim* seu *namque*: q. d. Verum est, non debere præripi panem filiis, & dari canibus: etenim canes micas tantùm è mensis dominorum lapsas comedunt. Quibus verbis & se catellam, & Judæos non tantùm filios, sed & dominos suos agnoscit. Præ modestia autem Christo inferendam relinquit conclusionem, scil. non posse sibi filiæ suæ sanitatem veluti micam, obiter manibus excidentem, præ tanta miraculorum majorum majestate, & abundantia in Judæos effusa negari. Mira mulieris argutia, qua circumventa & capta Dei Sapientia exclamavit:

28. Respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

28. O MULIER, MAGNA EST FIDES TUA! de me scilicet, ut Messia de conditione populi Judaïci & Gentilis, de miraculis: magna item, quia tot virtutibus sublimis, ferventi scilicet oratione, rara fiducia impetrandi, magnâ perseverantiâ in tot repulsis, extrema humilitate, mira prudentia, summa modestia. His Ecclesiæ Gentilium fidem, patientiam, & humilitatem præfigurari notat Hier. Observatione autem dignum est, nullius fidem nisi Gentilium Christum admiratum fuisse, scil. Centurionis, c. 8. vers. 10. & hujus mulieris. Unde & uterque ægrotus, Christo absente, curatus est, quia ad gentes Christus corpore non venit, ut August. q. 17. lib. 1. Quæst. Evang. Quod verò vers. 30. dicitur Christus CURASSE MUTOS, CÆCOS, CLAUDOS, &c. idem notat quæst. 18. significari, quòd Christus ægros omnibus animi morbis curet: *mutos* videlicet, qui non laudant Deum, aut non confitentur fidem: *cæcos*, qui non intelligunt, etiamsi obtemperent jubentibus: *surdos*, qui non obtemperant, etsi intelligant: *claudos*, ac *debiles*, id est infirmos, qui præcepta non plenè implent.

29. Et cùm transisset inde Jesus, venit secus Mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi.

30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum, mutos, cæcos, claudos, debiles & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus & curavit eos.

31. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israël.

32. Jesus autē convocatis discipulis suis, dixit: Misereor

32. JESUS AUTEM CONVOCATIS DISCIPULIS: tum ut cum illis consilium de sequenti miraculo communicaret; tum, ut confessionem eorum exprimeret, deesse panes in deserto, id est, adesse miraculi necessitatem, sine qua Deus ea non solet operari. Unde & istud non est operatus, nisi post triduum, quo perseverabant secum, & cùm jam defecisset, si quid secum tulissent, ut manducarent. Discipuli enim adhuc ita rudes erant, ut in tanta miraculorum ejus abundantia nihil, nisi creaturarum vires cogitarent;

Quod autem antè ex quinque panibus quinque millia saturaverit, hîc verò septem panibus quatuor tantùm millia, significatum voluit, Deum perinde multos ex modico, ut paucos ex multo pascere. Hîc septem sportæ, illic duodecim cophini supersunt: sive quòd sportæ essent multò capaciores cophinis: sive, ut Chrysost. ne relinquiarum æqualitas miracula confunderet, & oblivionem induceret, hujusmodi discrimine indelebilem utriusque voluit memoriam conservare. Sed unde tot sportæ in deserto? Credibile est solùm exprimi reliquiarum mensuram, etsi sportæ non adfuerint: nisi malis in sportis nonnullos antè vendidisse populo panes initio confluxus. Cætera in simili miraculo Joan. 6. dicturi sumus.

turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

33. Et dicunt ei discipuli: Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Jesus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piscículos.

35. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram.

36. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens, fregit, & dedit discipulis suis, & discípuli dederunt populo.

37. Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres.

39. Et venit in fines Magedan: Marcus: *in partes Dalmanutha*. Unde August. lib. 22. de consens. Evang. c. 51. putat esse diversa nomina unius loci: alii unum esse nomen urbis, aliud regionis: alii, & verius, esse duo loca contermina, ita ut qui in fines unius venerit, etiam venerit in fines alterius; sicut supra dicuntur *partes Tyri & Sydonis*. Sunt autem ultra mare Galilææ circa Gerasan, ut Hieron. De locis Hebraicis.

39. Et dimissa turba, ascendit in naviculam: & venit in fines Magedan.

CAPUT XVI.

1. Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi: sectæ capitaliter inter se contrariæ, nisi ubi Christo resistendum est. Ita fit in hæreticis sibi mutuò infestis, adversùs Ecclesiam conspirantibus. Nam, ut Tertull. semper Christus inter duos latrones crucifigitur. De tentatione & signo de cœlo & signo Jonæ Prophetæ, vide dicta cap. 12. v. 38. & 39. bis enim eadem à Christo diversis occasionibus postulata & responsa sunt.

1. Et accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis.

2. At ille respondens ait illis: Facto vespere, &c. hoc est, ex vespertino cœli rubore colligitis serenitatem sequentis diei; ex matutino tempestatem pluviarum aut ventorum. Nam pro, *rutilat*, & *rubicundum est*, Græcè est idem verbum πυῤῥάζει, id est, *rubet*, *igneum est*.

2. At ille respondens, ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundū est enim cœlum;

3. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cœlum.

4. Faciem ergo cæli dijudicare nostis: ita scilicet, ut discernatis signa quamvis fallacia serenitatis & pluviæ; & illis quamvis incertis nihil amplius requiritis. Signa autem temporum non potestis scire? id est, & non potestis discernere signa temporum promissorum de adventu Messiæ, plurima, infallibilibus prophetiis consignata, & jam rebus ipsis impleta?

4. Faciem ergo cæli dijudicare nostis: signa autē temporum

& mittere canibus.

lis, sicut paulò post. Per *Filios*, itaque intelligit Judæos, quia præ omnibus gentibus Deo curæ: qua de causa Israël *Filius Dei primogenitus* dicitur, Exodi 4. vers. 22. per *Canes* verò gentiles, propter impudentem, & publicam idololatriam, ac spurcissimos mores. *Panem filiorum* vocat totam gratiam Evangelicam, imprimisque miracula, tamquam Evangelii sui sigilla: nam propter doctrinæ confirmationem illa operatus est. Significat igitur illa, tamquam panem delicatiorem, nondum deberi Gentibus, nisi postquam eum Judæi fastidiverint. Marcus enim dicit Christum dixisse, *Sine prius saturari filios*: quibus verbis spem aliquam mulieri aperuerat; & mox rationem adjicit, *Non est enim bonum, &c.*

27. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

27. AT ILLA DIXIT: ETIAM DOMINE, id est, Ita est, ut dicis. NAM ET CATELLI EDUNT DE MICIS, QUÆ CADUNT, &c. Pro *Nam &*, quod aliquam obscuritatem parit, Græcè est, καὶ γὰρ, *Etenim* seu *namque*: q. d. Verum est, non debere præripi panem filiis, & dari canibus: etenim canes micas tantùm è mensis dominorum lapsas comedunt. Quibus verbis & se catellam, & Judæos non tantùm filios, sed & dominos suos agnoscit. Præ modestia autem Christo inferendam relinquit conclusionem, scil. non posse sibi filiæ suæ sanitatem veluti micam, obiter manibus excidentem, præ tanta miraculorum majorum majestate, & abundantia in Judæos effusa negari. Mira mulieris argutia, qua circumventa & capta Dei Sapientia exclamavit:

28. Respondens Jesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

28. O MULIER, MAGNA EST FIDES TUA! de me scilicet, ut Messia de conditione populi Judaïci & Gentilis, de miraculis: magna item, quia tot virtutibus sublimis, ferventi scilicet oratione, rara fiducia impetrandi, magnâ perseverantiâ in tot repulsis, extrema humilitate, mira prudentia, summa modestia. His Ecclesiæ Gentilium fidem, patientiam, & humilitatem præfigurari notat Hier. Observatione autem dignum est, nullius fidem nisi Gentilium Christum admiratum fuisse, scil. Centurionis, c. 8. vers. 10. & hujus mulieris. Unde & uterque ægrotus, Christo absente, curatus est, quia ad gentes Christus corpore non venit, ut August. q. 17. lib. 1. Quæst. Evang. Quod verò vers. 30. dicitur Christus CURASSE MUTOS, CÆCOS, CLAUDOS, &c. idem notat quæst. 18. significari, quòd Christus ægros omnibus animi morbis curet: *mutos* videlicet, qui non laudant Deum, aut non confitentur fidem: *cæcos*, qui non intelligunt, etiamsi obtemperent jubentibus: *surdos*, qui non obtemperant, etsi intelligant: *claudos*, ac *debiles*, id est infirmos, qui præcepta non plenè implent.

29. Et cùm transisset inde Jesus, venit secus Mare Galilææ: & ascendens in montem, sedebat ibi.

30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum, mutos, cæcos, claudos, debiles & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus & curavit eos.

31. Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes: & magnificabant Deum Israël.

32. Jesus autem convocatis discipulis suis, dixit: Misereor

32. JESUS AUTEM CONVOCATIS DISCIPULIS: tum ut cum illis consilium de sequenti miraculo communicaret; tum, ut confessionem eorum exprimeret, deesse panes in deserto, id est, adesse miraculi necessitatem, sine qua Deus ea non solet operari. Unde & istud non est operatus, nisi post triduum, quo perseverabant secum, & cùm jam defeciisset, si quid secum tulissent, ut manducarent. Discipuli enim adhuc ita rudes erant, ut in tanta miraculorum ejus abundantia nihil, nisi creaturarum vires cogitarent;

Quod autem antè ex quinque panibus quinque millia ſaturaverit, hîc verò ſeptem panibus quatuor tantùm millia, ſignificatum voluit, Deum perinde multos ex modico, ut paucos ex multo paſcere. Hîc ſeptem ſportæ, illic duodecim cophini ſuperſunt: ſive quòd ſportæ eſſent multò capaciores cophinis: ſive, ut Chryſoſt. ne relinquiarum æqualitas miracula confunderet, & oblivionem induceret, hujuſmodi diſcrimine indelebilem utriuſque voluit memoriam conſervare. Sed unde tot ſportæ in deſerto? Credibile eſt ſolùm exprimi reliquiarum menſuram, etſi ſportæ non adfuerint: niſi malis in ſportis nonnullos antè vendidiſſe populo panes initio confluxus. Cætera in ſimili miraculo Joan. 6. dicturi ſumus.

turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.

33. Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?

34. Et ait illis Jeſus: Quot habetis panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.

35. Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram.

36. Et accipiens ſeptem panes, & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo.

37. Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas.

38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres.

39. ET VENIT IN FINES MAGEDAN: Marcus: *in partes Dalmanutha.* Unde Auguſt. lib. 22. de conſenſ. Evang. c. 51. putat eſſe diverſa nomina unius loci: alii unum eſſe nomen urbis, aliud regionis: alii, & verius, eſſe duo loca contermina, ita ut qui in fines unius venerit, etiam venerit in fines alterius; ſicut ſupra dicuntur *partes Tyri & Sydonis.* Sunt autem ultra mare Galilææ circa Geraſan, ut Hieron. De locis Hebraicis.

39. Et dimiſſa turba, aſcendit in naviculam: & venit in fines Magedan.

CAPUT XVI.

1. ET ACCESSERUNT AD EUM PHARISÆI ET SADDUCÆI: ſectæ capitaliter inter ſe contrariæ, niſi ubi Chriſto reſiſtendum eſt. Ita fit in hæreticis ſibi mutuò infeſtis, adversùs Eccleſiam conſpirantibus. Nam, ut Tertull. ſemper Chriſtus inter duos latrones crucifigitur. De tentatione & ſigno de cœlo & ſigno Jonæ Prophetæ, vide dicta cap. 12. v. 38. & 39. bis enim eadem à Chriſto diverſis occaſionibus poſtulata & reſponſa ſunt.

1. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum ut ſignum de cœlo oſtenderet eis.

2. AT ILLE RESPONDENS AIT ILLIS: FACTO VESPERE, &c. hoc eſt, ex veſpertino cœli rubore colligitis ſerenitatem ſequentis diei; ex matutino tempeſtatem pluviarum aut ventorum. Nam pro, *rutilat*, & *rubicundum eſt*, Græcè eſt idem verbum πυῤῥάζει, id eſt, *rubet*, *igneum eſt.*

2. At ille reſpondens, ait illis: Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundū eſt enim cœlum;

3. Et mane: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum.

4. FACIEM ERGO CŒLI DIIUDICARE NOSTIS: ita ſcilicet, ut diſcernatis ſigna quamvis fallacia ſerenitatis & pluviæ; & illis quamvis incertis nihil amplius requiritis. SIGNA AUTEM TEMPORUM NON POTESTIS SCIRE? id eſt, & non poteſtis diſcernere ſigna temporum promiſſorum de adventu Meſſiæ, plurima, infallibilibus prophetiis conſignata, & jam rebus ipſis impleta?

4. Faciem ergo cæli dijudicare noſtis: ſigna autē temporum

verus à Diis gentium, idolis aut mortuis hominibus distingui solet. Ex quo patet, quàm perfecta fuerit ista Petri confessio. Si quī enim Filium Dei vel Messiam antea confessi fuerant, non aliter hoc intelligebant quàm communi vulgi sensu, scilicet quòd esset Filius Dei adoptivus, ut alii Sancti, tametsi cæteris præcellentior & Messias carnaliter Judæis magna cum gloria regnaturus. Unde Christus tantæ confessioni vicem reddens, respondit:

17. Respondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater qui in cœlis est.

17. BEATUS ES, propter istam tam sublimem tanti arcani confessionem, SIMON, quod ei propriè erat nomen, BARIONA, quod loco cognominis, qu. d. *filii Joannis*, ut est Joann. 21. nam *Bar* filium Syriacè significat, *Jona* contractum est *ex Jochanna*, latinè *Joannes*, ut Hieron. hîc. QUIA CARO ET SANGUIS NON REVELAVIT TIBI: id est, non homo quisquam carne & sanguine constans, non parentes, magistri, Scribæ vel Pharisæi, non tu ipse tuâ industriâ te hanc sententiam de me docuisti. SED PATER MEUS, QUI IN CŒLIS EST, id est, sed Deus per gratiam tibi cælitùs tantum secretum inspiravit, & ideò propter tantæ rei cognitionem beatus.

18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meā; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

18. ET EGO, Græcè, *Ego autem*: q. d. Tu homo me Filium Dei dixisti, ego Filius Dei tibi rependo vicem, ac viciſſim Dico, non omnibus, sed TIBI, soli; non cassō sermone, sed quem effectus sequetur: QUIA TU ES PETRUS; id est, quòd tu, sicut olim à me vocatus es, verissimè, non nomine sōlo, sed reipsâ es petra, saxum, seu rupes: Græcè enim πέτρος & πέτρα, quod sequitur, idem prorsus significant. Sed quia de viro loquebatur, masculinè loqui maluit, deindè verò fœminine, & usitatiùs, ET SUPER HANC PETRAM. Ut nimirum sic istâ repetitione, & mutatione vocabuli, & verbis adjunctis, ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM, explicaret metaphoram, & mysterium nomine *Petri* contentum: quòd videlicet eum ita vocaverit, non propter sterilitatem, ut Lucæ 8. v. 6. vel alias aliquas causas, sed propter immobilem firmitatem, quâ instar rupis divinâ virtute solidandus erat, ut molem tantam superædificandam posset sustinere. Templa siquidem, ædificia, atque urbes, quibus metaphoris Ecclesia sæpè designatur in Scripturis, super petras seu rupes solidissimè, & libentiùs à sapientibus fundantur, ut pulchrè patet Matth. 7. v. 25. Itaque illud, *hanc*, non refert, neque referre potest sine apertâ absurditate, vel Christum, vel fidem, sed id, quod præcessit *Petrus*, seu *Petra*. Christus enim Syriacè loquebatur, ubi Petrus & Petra eodem omninò modo vocantur *Cepha* seu *Cipho*. Et hinc est, quòd etiam nunc non solùm Syriaca, sed & aliæ pleræque celebres versiones eodem nomine *Petra* invariato utantur in utroque loco, ut Hebraïca tam Munsteri quàm Eliæ Hutteri, Arabica, &, ut periti testantur, etiam Persica, Armenica, Ægyptia, Æthiopica, adde & Gallica. Hæc ergò verba statuunt Petrum petram, hoc est, fundamentum, non primarium, non per se ac propriâ authoritate, quod est Christus solus, sed secundariū, & ex commissione, respectu totius Ecclesiæ, ac ministerii Ecclesiastici

fiastici. Hæc enim duo genera fundamentorum non repugnant, ſicut nec princeps & vicarius ejus, ſed, optimè ſubordinata ſunt: quemadmodum non repugnat id, quod Moyſes dicit, Deuteron. 32. v. 12. quòd Dominus ſolus dux fuit populi Iſraël, & id quòd Sanctus Stephanus, Act. 7. v. 36. & ſeqq. quòd Moyſes eduxit illos. Quod ergò nonnulli Patres fidem Petri, ſeu confeſſionem Petri dicunt eſſe petram, ſuper quam ædificata ſit Eccleſia, verum eſt, locutione cauſali, non formali, nempe quia confeſſio iſta cauſa fuit meritoria, cur formaliter ſuper Petrum Eccleſia ædificaretur: quo modo dicit Hieron. Epiſt. 61. circa fin. ſuper aquas non Petri corpus ambulaſſe, ſed fidem.

ET PORTÆ INFERI, ſeu inferni, id eſt, univerſa poteſtas diaboli. Utitur autem nomine, *portæ & inferi*, quia civitatē diaboli civitati Dei opponit. Per *portas* metonymicè in Scripturis, tamquam per fortiſſimam ejus partem, ſignificari ſolet ipſa civitas, ut patet Gen. 22. v. 17. & ibidem cap. 24. v. 60. & per *inferum & infernum*, ipſe incola inferni diabolus cum ſuis. Sub omni autem poteſtate diaboli comprehenditur etiam omnis hæretica machinatio, omnis vitiorum incurſatio, omnis perſecutorum ſævitia, quæ diaboli tamquam principis, & auctoris omnium iſtorum arma ſunt. NON PRÆVALEBUNT ADVERSUS EAM, ſive oppugnatam, ut eam ſuperent: ſive oppugnantem, ut illi reſiſtant. Directè enim ſignificatur Eccleſia tantam tractura firmitatem ex illa ædificatione ſuper petram, ut ſuper diabolo invicta futura ſit, ut Auguſt. libr. 1. de ſymbolo cap. 6. Pugnare enim Eccleſia poteſt, expugnari non poteſt. Indirectè verò indicatur eam etiam luctando victricem futuram: ſicut enim Martyres moriendo ſuperant, ita Eccleſia diriſſima licet patiendo infernas leges & tartari portas, & omnis mortis clauſtra diſſolvet, ut Hilar. Can. 16. Hæc ergò prima ſententia comprehendit quidquid Petro poteſtatis Chriſtus contulit. Sed quia breviter & obſcuriùs dictum erat, explicat Chriſtus clarius aliis metaphoris ſenſum ſuum.

19. ET TIBI DABO CLAVES REGNI CÆLORUM. Per *claves* deſignatur ſuprema poteſtas & auctoritas gubernandi, metaphorâ inde ſumptâ, quòd claves domus & civitatis penes illum ſint, cujus eſt ſuprema gubernationis auctoritas: in cujus ſignum Principibus, cùm recipiuntur, traduntur urbium claves. Quæ ſumma poteſtas explicatur pulchrè Apocal. 3. v. 7. & Iſaiæ 22. v. 20. 21. 22. ubi deſtitutio Pontificis & inſtitutio novi per claves deſcribitur. Per REGNUM CÆLORUM intelligitur regnum Chriſti, ſeu Eccleſia: quam eo nomine maluit exprimere, ut ſic intelligeret Petrus, poteſtatem ſibi datam eſſe cæleſtem & ſpiritualem, quæ tota ſpectaret eò, ut homines præparentur & promoveantur in regnum cælorum. Non ergò promittitur his verbis ſola poteſtas remittendi & retinendi peccata, vel concionandi, ut volunt hæretici, ſed omnis omninò poteſtas, quæ ad gubernationem regni Chriſti neceſſaria eſt, recipiendi, expellendi, præcipiendi, puniendi, remittendi peccata, retinendi, diſpenſandi, &c. Cujus poteſtatis actum valdè genera-

19 Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

lem mox explicat aliâ metaphorâ, ut intelligamus non de clavibus naturalibus esse sermonem. ET QUODCUMQUE LIGAVERIS SUPER TERRAM, q.d. Itaque hac potestate instructus, quocumq; vinculo tu, super terram existens, aliquem alligaveris, vel absolveris, hoc meo judicio in cœlis ratum habebitur, ita ut ille verè ligatus, & absolutus futurus sit. Quare illud, *super terram*, non ad vinculum, seu ad hominem ligandum & absolvendum referri debet, quasi mortui absolvi nequeant; sed ad personam ligantem, vel actus ejus. Eleganti enim antithesi cæli & terræ, tamquam longissimè distantium, commendatur potestas Petro data, eo quòd servi, quo absunt longiùs, eo licentiùs agere possunt & solent. Porrò vincula illa sunt imprimis peccata, quia funibus peccatorum quisque constringitur, Proverbiorum 5. item pœnæ, de quibus potissimùm Christus loquitur, Matthæi 8. versu 18. *Quæcumq; alligaveritis*, &c. præcepta: *Alligant enim onera gravia*, &c. Matth. 23. versu 4. denique vota, juramenta, & quæcumq; obligationes, quibus homines impediuntur à regno cœlorum, & à Christo in terris versante solverentur. Potestas enim ejusmodi ad rectam regni Christi administrationem necessaria est. Cùm verò Christus in mundum venerit peccatores salvos facere, 1. Timoth. 1. neque ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per eum: hinc est, quòd directè, & per se potestas ista est ad solvendum, per accidens ad ligandum, videlicet propter improbitatem quorumdam. His igitur verbis secundùm antiquorum Patrum concordem intelligentiam Christus Petrum caput Ecclesiæ suæ, vicarium scilicet suum, cum plenitudine potestatis instituit, &, ut Greg. loquitur lib. 4. Epist. 33. cura ei totius Ecclesiæ, & principatus, (seu primatus) committitur. Simul enim ad consolationem bonorum, & improborum terrorem, ne sibi cum hominibus rem esse crederent, tantam utrisque de sententia in se lata certitudinem & securitatem adfert, ac si testis de cælo descenderet.

20. Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Iesus Christus.

20. TUNC PRÆCEPIT, UT NEMINI DICERENT, QUOD IPSE ESSET JESUS CHRISTUS. Græcè ὁ χριστὸς, *ille Christus*, ille scilicet Filius Dei vivi naturalis, id est, ne suam illam sublimem de divinitate sua fidem promulgarent. Cujus rei causam aliam alii excogitarunt: verisimillima est illa, quam Matth. hîc subjungit, sed clariùs Lucas cap. 9. v. 22. *Præcepit ne cui dicerent hoc, quia*, inquit, *oportet Filium hominis multa pati*, id est, quia brevi à Scribis, & populo Judaïco crucifigendus sum. Nempe ne id, quod paucis accidit, Matth. 27. v. 40. & seqq. omnibus accideret, hoc est, ne tanto scandalo crucis & mortis ejus, quo & discipuli, & ipse Petrus perturbati sunt, fidem perderent. Nam, ut Chrysost. id, quod radices jam egit, si evulsum fuerit, non tam facilè potest iterum plantatum pullulare. Hæc ergò prædicatio gloriæ Christi servabatur post resurrectionem, sublatis è medio omnibus scandalis.

21. Exinde cœpit Iesus osten-

21. EXINDE, Græcè ἀπὸ τότε, *Ex tunc*, seu ex eo tempore, quo scilicet, ut Chrysost. præcipuum hoc dogma de sua divinitate

fixum in animo ipsorum locavisset, cœpit OSTENDERE, &c. id est, cœpit non involucris verborum, ut antea, Joan. 2. v. 19. & c. 3. v. 14. sed claris verbis eis prædicare passionem suam, ex Dei de cœlo sententia definitam, ne videlicet illa inexpectata veniente offenderentur, putantes quòd vel invitus est, vel non præscius, vel ex nota carnis infirmitate pateretur à tribus generibus hominum, scilicet A SENIORIBUS, id est, Senatoribus, Judicibus, & rectoribus Reip. non enim est ætatis, sed dignitatis nomen; ET SCRIBIS, ET PRINCIPIBUS SACERDOTUM, de quibus dictum alibi c. 2. v. 4.

dere discipulis suis quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus & Scribis & principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.

22. TUNC ASSUMENS EUM PETRUS: id est, *apprehendens eum*, ut in Marco vertitur, scilicet vestem, vel manum, ut amicus amicum solet: non enim objurgantis, sed, ut Hieron. notat, vehementer amantis affectu CŒPIT INCREPARE EUM, id est, tamquam sui oblitum cœpit reprehendere, & quasi ad saniorem mentem revocare, quòd rem tam absurdam filio Dei, in se vellet admittere, dicens: ABSIT A TE, DOMINE. Abominantis verba sunt tamquam prophanum quid, & ne eveniat deprecantis, Hebræis familiarissima, qui uno verbo dicunt חלילה, *Chalilàh*, ut patet Gen. 44. v. 7. in Hebræo, & Gen. 18. v. 25. ubi eadem phrasi Abraham utitur erga Deum, qua Petrus erga Christum.

22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens: Absit à te, Domine: non erit tibi hoc.

23. QUI CONVERSUS, vultu scilicet in Petrum, lateri suo adhærentem DIXIT ei: VADE POST ME: id est, facesse hinc: Eadem enim phrasi usus est Christus contrà diabolum, cap. 4 v. 9. ubi in multis Græcis codicibus additur etiam, *post me*. Ex quo tamen verbo minùs aptè putavit Hieron. & Orig. significari, Sequere sententiam meam, noli mihi præire consilio tuo. SATANA nihil significat nisi adversarium, & ex eo appropriatum est diabolo, atque idcircò asperior videtur reprehensio. Nam quamvis affectu, adversarius tamen erat Petrus voluntati Christi ac Dei, qui mortem ejus decreverat redimendo humano generi, quam ipse divini ignarus consilii impedire volebat, quod Christus significans, addit: SCANDALUM ES MIHI, Græcè σκάνδαλόν μου εἶ, *Scandalum meum es*, id est, quantum in te est, offendiculum & causam ruinæ mihi ponis revocando à patris obedientia. *Scandalum* enim propriè est hujusmodi offendiculum, ad quod in via impingimus. Fontem autem erroris Petri aperiens, non Satanicam scilicet malitiam, sed carnalem adhuc sensum, QUIA NON SAPIS EA QUÆ DEI SUNT, SED EA, QUÆ HOMINUM, id est, non divina, sed humana, quæ caro & sanguis suggerere solet, scil. fugere passiones, ignominias, mortem, opprobria: cujusmodi tamen fuga sæpè divinæ sapientiæ contraria est. Itaque cum idem homo alternantibus affectibus, nunc divina, nunc humana sapere soleat, non mirum est, tam brevi intervallo Petrum illinc beatum, hinc Satànam appellatum, ut notat Aug. serm. 13. de verbis Domini. Neque quidquam præjudicii hoc affert primatui Petri, ut impudenter clamant hæretici. Non enim tollit subitò primatus Ecclesiasticus omnem carnalem sensum homini. Adde, ut Hieron. hîc notat, prima-

23. Qui conversus, dixit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.

tum Petro tunc non collatum, ſed promiſſum.

24. Tunc Ieſus dixit diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſũ & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

24. TUNC, poſtquam redarguiſſet alium carnalem Petri affectum, DIXIT JESUS DISCIPULIS ſuis: ut generaliter nos doceret omnes omninò ſimiles affectus, quibus mortem & adverſa horreſcimus, eſſe ſuperandos iis qui ſequi volunt Deum: SI QUIS VULT POST ME VENIRE, id eſt, diſcipulus, ſectator, & imitator meus eſſe, ABNEGET SEMETIPSUM. De moribus plerique intelligunt, ut Hieron. hîc & Greg. hoc ſenſu: Suis affectibus valedicat, qui à voluntate Dei diſcrepant, exuendo ſcilicet veterem hominem & induendo novum. Sed tam id, quod præceſſit de morte Chriſti, quam Petrus impedire volebat, quàm ratio ſubjuncta v. 25. clamat magis de mortibus, quàm de moribus agi. Itaque ABNEGET SEMETIPSUM, id eſt, in periculis vitæ, & carnis afflictionibus ita afficiatur, quaſi alius illa pateretur, nullam ſcilicet ſui vitæq; curam habeat. Quod Chryſoſt. Hom. 56. intelligi poſſe monet ex abnegatione aliorum, quos tunc abnegare dicimur, cùm eos negligimus, & eorum vitam pro nihilo ducimus. Hoc Luc. cap. 96. vocat *abnegare animam ſuam*, ut diſtinguatur contra *abnegare patrem, matrem* &c. & eſt aliquod ſupremum in vita ſpirituali, ſupponens abnegationem affectuum ſuorum. ET TOLLAT CRUCEM SUAM: quaſlibet afflictiones ſibi impoſitas lubente animo ſuſcipiat, & hac ratione SEQUATUR ME, ſeu imitetur exemplum meum. Fit autem alluſio ad crucem, quam erat portaturus, & in qua moriturus.

25. Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eã: qui autem perdiderit animã ſuã propter me, inveniet eam.

25. QUI VOLUERIT ANIMAM SUAM, ſeu ſeipſum, SALVUM FACERE, crucem ſuam abjiciendo, PERDET EAM, de quibus vide dicta cap. 10. v. 38. & 39.

26. Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentũ patiatur? Aut quã dabit homo commutationem pro anima ſua?

26. QUID ENIM PRODEST HOMINI, SI UNIVERSUM MUNDUM, id eſt, univerſa mundi bona, etiam longævam vitam, LUCRETUR, in hoc ſæculo, ANIMÆ VERO SUÆ DETRIMENTUM PATIATUR? ſcilicet in futuro ſæculo hoc eſt, ut Luc. cap. 9. v. 25. exponit, ſe autem ipſum perdat, & detrimentum ſeu jacturam ſui faciat? AUT QUAM DABIT HOMO COMMUTATIONEM PRO ANIMA SUA? id eſt, quam compenſationem, ſeu pretium redemptionis dabit homo, etiam qui univerſum mundum obtinuerit, pro ſeipſo ſemel perdito in alio ſæculo? q. d. nullam: damnum enim eſt irreparabile. Alludit autem ad belli, vel judicii humani conſuetudines, ubi raptus vel damnatus ad mortem pecuniæ magnitudine ſæpè redimi poteſt & ſolet, hîc nequaquam.

27. Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis: & tunc reddet unicuique ſecundũ opera ejus.

27. FILIUS ENIM HOMINIS, &c. id eſt, non quilibet judex qui corrumpi poſſit muneribus, ſed FILIUS HOMINIS VENTURUS EST, non in illa ſpecie, & indigentia, & infirmitate, quâ nunc, ſed IN GLORIA PATRIS SUI, quam ſcilicet cum Patre, ſicut & eſſentiam, communem habet: neque cum paucis diſcipulis, ſed, CUM ANGELIS SUIS, omnibus comitantibus, paratis ſcilicet ad videndam & exequendam vocem ſermonum ejus. ET TUNC REDDET UNICUIQUE SECUNDUM OPERA SUA, id eſt, cuique reddet juſtam mercedem, quæ operibus debetur, ſive præmium bonis, ſive ſupplicium malis; hoc eſt enim reddi *ſecundùm opera*, id eſt, ſecundùm me-

tum operum. Nam ſicut mala propriè merentur ſupplicium, ita bona præmium: q. d. nulla ratio tunc habebitur vel perſonarum, vel precum, vel munerum, vel cujuſque commutationis, quibus cogitari poſſit, flectendum eſſe judicem, ſed operum dumtaxat.

28. Amen dico vobis, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortẽ donec videant Filium hominis venientem in regno ſuo.

28. AMEN DICO VOBIS: Græcè apud Lucam eſt ἀληθῶς, *Verè*, SUNT QUIDAM DE HIS STANTIBUS, &c. id eſt quidam adſtantium, ſeu præſentium non morientur, DONEC VIDEANT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN REGNO SUO, id eſt, donec videant meipſum oculis ſuis apparentem in ea gloria, & majeſtate, qua in regno meo appariturus ſum. Quod de die judicii, & de Joanne Evangeliſta citra mortem ſuperſtite, quidam olim intellexerunt. Sed ab ipſo Joanne ſatis refutatur cap. 21. verſ. 23. Alii ſatis veriſimiliter de gloria reſurrectionis ejus, quæ uſque ad aſcenſionem omnibus diſcipulis manifeſtata eſt. Sed quia illud, *quidam*, paucorum diſcipulorum privilegium videtur indicare, & ſtatim illis verbis ſubjungunt tres Evangeliſtæ transfigurationem ejus: hinc omninò verior eſt omnium penè veterum ſententia, Orig. Chryſoſt. Hilar. Theophyl. & Hieron. in hunc locum, quòd gloriam transfigurationis quibuſdam revelandam promittat: quam *regnum* vocat, quia regni ſui futuri erat imago, ſeu ſignificatio, ut Auguſt. in verſ. 9. cap. 2. ad Galat. Unde Nazianzenus Orat. 51. Talis veniet, ſcilicet ad capeſſendum regnum ſuum, qualis in monte obiter monſtratus eſt, divinitate carnem ſuperante. His ergò verbis erigit diſcipulorum animos, de morte ejus contriſtatos, & gloriæ brevi futuræ promiſſa manifeſtatione certos facit de eo, quod dixerat, ſe venturum judicem in gloria Patris, ut illa ſpe erecti non vererentur tollere crucem ſuam, &c prout hoc notat Hilar. initio Can. 7.

CAPUT XVII.

1. Et poſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrẽ ejus, & ducit illos in montem excelſũ ſeorſum.

ITaque ut Chriſtus promiſſum ſolveret, POST SEX DIES, Lucas ait *ferè poſt dies octo*: ubi vel confusè tantùm tempus notat, vel, ut alii hîc & Auguſt lib. 2. de conſenſu Evang. cap. 56. Matth. ſolos dies intermedios computavit, Lucas ſimul extremos, id eſt eum, quo Chriſtus loquebatur, & eum, quo viſionem exhibuit. ASSUMIT PETRUM & JACOBUM & JOANNEM, tamquam præcipuos Apoſtolorum, cæteriſque capaciores, quos ideò ſecretis maximis adhibere ſolebat. *Jacobus* autem iſte non eſt frater Domini, Epiſcopus Jeroſolymorum, auctor Epiſtolæ Catholicæ, ut Auguſt. putavit, ſed ille, qui dictus eſt *Major*, ab Herode occiſus, quia Joannem vocat FRATREM EIUS. Tres aſſumit, ut in ore trium teſtium conſtaret rei tantæ teſtimonium: non omnes, ne res divulgaretur juxta verſ. 9. ET DUXIT ILLOS IN MONTEM, nempe ut oraret, juxta Luc. cap. 9. In montibus enim Chriſtus, ubi ſolitudo major, & cæli conſpectus liberior, orare ſolitus fuit, ut Marci 6. verſ. 46. & Lucæ 6. verſ. 12. & rebus magnis orationem præmittere: EXCELSUM, ut loci celſitudine majeſtas rei indicaretur: SEORSUM; tum

ut tanta contemplatio esset à mundi tumultu liberior : tum quia nolebat eam quibuslibet etiam Apostolis innotescere. Mons iste, teste Hieron. Epistola 27. ad Eustochium, fuit Thabor, Josepho Itaburius dictus, in media Galilæa, non procul à Nazareth. Qua de causa peregrinatione etiam tum à Constantini temporibus & templo celebris fuit : ut sanè nova videri debeat suspicio cujusdam recentioris putantis esse Libanum. Nam quod Marc. dicit c. 9. v. 29. eos inde profectos & prætergressos Galilæam, nihil aliud significat quàm transivisse Galilæam.

1 Et transfiguratus est ante eos, Et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autē ejus facta sunt alba sicut nix,

2. ET TRANSFIGURATUS EST ANTE EOS, seu coram eis. Transfiguratio non fuit figuræ, sive faciei, sive corporis mutatio, sed externæ tantùm speciei, manente figura eadem, quod clariùs Lucas dixit, *Facta est species vultus ejus altera* Et hîc ipse Matth. explicans transfigurationis modum : RESPLENDUIT FACIES EIUS SICUT SOL, &c. fulgore illo, tum ex insidente Dei majestate, tum ex animi beatitudine in faciem totumque corpus dimanante, sicut fiet omnibus sanctis in cœlo. Nam, ut Augustin. Epist. 56. ad Dioscorum, tam potenti natura Deus facit animam, ut ex ejus plenissima beatitudine redundet, etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor, sub qua omnes ejus dotes comprehendit. Itaque fulgor iste faciei ab intrinseco venit, non ab extrinseco, ut olim Moysi. Nec tamen erat dos claritatis, quia erat passio transitoria, cum duos significet stabilitatem, ut D. Th. 3. p. q. 45. art. 2.

VESTIMENTA EIUS FACTA SUNT ALBA SICUT NIX, id est, albissima. Modum albedinis Luc. exprimit, *Factus est vestitus albus refulgens*, Græcè, ἐξαστράπτων, id est, *coruscans*, vel propriè *effulgurans* seu *fulgur emittens*, quasi radiis ex corpore per vestimenta, velutī per rimas, aut nubem erumpentibus. Albedo igitur ista vestium non albedo propriè, sed luminis transparentis fulgor erat, qualis ferè est nubium Soli subjectarum directè. Itaque sicuti nascendo subtilitatis, ambulando in fluctibus agilitatis, ita hîc claritatis corporis glorioſi aliquod specimen dedit, ut spem nostram firmaret, quòd reformabit etiam corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

3. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.

3. ET ECCE APPARUERUNT ILLIS MOYSES ET ELIAS : uterque in vero & proprio suo corpore. Nec enim est ratio, cur aëreum fuisset Moysis corpus, cùm eadem facilitate proprium ei reddi potuerit, neque fucum aliquem adesse tanto testimonio conveniret. Sed cur hi præ cæteris? Vera & à veteribus communiter notata causa est, Augustin. Serm. 69. de diversis, & aliis in hunc locum, ut per Moysen Lex, per Eliam Prophetæ significarentur ; & utrosq; in Christum tendere, ac terminari, & ei testimonium perhibere doceremur. Alias alii peculiares addunt. Chrysost. ut reipsa refutarentur duæ falsæ opiniones : prima vulgi, putantis Christum esse Eliam, aut aliquem ex antiquis Prophetis, quorum princeps Moyses : secunda Pharisæorum, eum criminantium, tamquam prævaricatorem legis, cujus tamen Moyses erat lator & Elias zelator

maximus. Ut Christus se vitæ & mortis dominum ostenderet, unum adducit vivum, alterum mortuum suscitat; ut discipulis mansuetudo Moysis & Eliæ zelus imprimeretur. CUM EO LOQUENTES. Lucas restrictiùs, *dicebant excessum*, seu exitum *ejus*, *quem completurus erat in Jerusalem*, id est, disserebant de passione & morte ejus, seu redemptione humani generis, tamquam scopo & complemento Legis ac Prophetarum, & antitypo totius œconomiæ veteris Testamenti. Causæ esse poterant, ut sic Petrus & Apostoli mortem ejus horrere, & absurditate offendi desinerent. Addit idem Lucas, Petrum, & qui cum illo erant, gravatos fuisse somno, tempore scilicet orationis Christi, & antequam transfiguratus esset: nam, ut idem, cùm evigilassent, viderunt majestatem ejus & duos viros cum ipso. Itaque

4. RESPONDENS PETRUS, id est, in verba erumpens, seu loqui incipiens, prout *respondere* more Hebraico sæpè sumitur, DIXIT AD JESUM: DOMINE BONUM EST NOS HIC ESSE, id est, permanere, nempe propter spectaculi & voluptatis magnitudinem, quâ velut sui ipsius oblitus & ebrius erat. Unde, ut fœlicitas illa sit perpetua, FACIAMUS HIC TRIA TABERNACULA, id est, tentoria ex frondibus, more Judaico, nempe ad retinendos Moysem & Eliam, jam parantes discessum, ut notat Luc. c. 9. v. 33. Forsan etiam manere omnes volebat ex horrore mortis Christi, de qua disserebant. Uterque verò Marcus & Lucas annotant eum nescisse quid diceret. Puerile enim erat votum, tabernacula pro tam glorioſis requireret, neque consonum eorum colloquio de futura Christi morte. Causa inconsiderantiæ istius erat quædam consternatio animi & obstupefactio, quia Marcus ait, *Erant enim terrore exterriti*. Unde ut reipsa voci istius incongruentia ostenderetur,

4. Respondens autem Petrus: dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum Moysi unum, & Eliæ unum.

5. ADHUC EO LOQUENTE: ECCE NUBES LUCIDA, instar tabernaculi, OBUMBRAVIT EOS: id est, velut umbra quædam texit tres illas personas glorioſas; partim ut splendorem nube temperatum ferre possent; partim ut esset quasi sedes glorioſa divinæ majestatis, inde mox locuturæ. Sic enim & Christus in nube adsumptus, & ad judicium venturus dicitur: & in veteri Testamento passim Dei majestas in ea loqui solebat, & apparere, tum in tabernaculo Moysi, tum in templo Salomoni; sed ibi tenebrosa erat, hîc lucida ad indicandam diversitatem status utriusque Testamenti. ET ECCE VOX DE NUBE, velut ex throno Dei Patris. Facta est autem, cùm jam intrassent Moyses & Elias in nubem, ac discessissent, adeòque, ut, Lucas ait, jam solus esset Christus; ut sic quemadmodum Chrysost. observat, non esset dubium de Christo solo vocem intelligi: Hic, Jesus, quem instar Solis fulgentem à Moyse & Prophetis agnitum, prophetatum, probatum vidistis, EST FILIUS MEUS DILECTUS, IN QUO MIHI BENE COMPLACUI, de quo diximus in cap. 3. sed hîc additur, IPSUM AUDITE, scilicet loco omnis Legis & Prophetarum, quos ei velut officio suo functos jam cedere vidistis. Alludit enim ad verba Moysis, jam impleta, Deuter. 18. v. 15. *Prophetam de fratribus tuis*

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

ſuſcitabit tibi Dominus, ipſum audies, ei credendo, obediendo, ſervi-endo, tamquam ipſi verbo & ſapientiæ divinæ legiſlatrici, quantumcumque ſcilicet ardua, & præceptis legibus contraria docere videatur.

6. Et audientes diſcipuli cecide-runt in faciem ſuam, & timue-runt valde.

6. ET AUDIENTES DISCIPULI, vocem illam plenam divinæ majeſtatis CECIDERUNT IN FACIEM SUAM, tum veneratione, tum maximè conſternatione quaſi exanimes, ET TIMUERUNT VALDE, id eſt, quia timuerunt valde. Pavor enim ex conſpecta gloria ſubortus, & eis intrantibus in nubem actus, auditâ vocis illius magnificentiâ, in tanta montis ſolitudine in terram eos proſtravit. Nam humana fragilitas conſpectum majoris gloriæ divinæ ferre non ſuſtinet, ut Hieron. Unde ſimile quid contigit Danieli, c. 10. v. 8. & 9. & Joanni, Apocal. 10. v. 17. Hinc ſicut in illis locis Angelus Danielem & Joannem, ita & hîc Chriſtus.

7. Et acceſſit Jeſus, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite & nolite timere.

7. TETIGIT EOS, ut non ſolâ voce ipſis notâ, ſed & tactu confirmarentur, diſcuſſo metu. Myſticè vultus, ut Sol, eſt lumen ipſius Evangelii; ſplendor veſtimentorum, mundatio Eccleſiæ; Moyſes & Elias, Lex & Prophetæ atteſtantes. Vide Auguſt. Serm. 23. & latiùs 69. de diverſis; prolixiùs & moraliter Orig. in Matth.

8. Levantes autem oculos ſuos, neminem viderunt niſi ſolum Jeſum.

9. Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis Jeſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat.

9. ET DESCENDENTIBUS ILLIS, &c. NEMINI DIXERITIS VISIONEM, non ſolùm populo, ut videtur Hieronym. putare, ſed nec Apoſtolis cæteris; ſic enim eos hoc præceptum obſervaſſe ſatis indicat Lucas. Cauſas prohibitionis adfert Hieron. tùm ne incredibile eſſet pro rei magnitudine; tum ne apud rudes animos poſt tantam gloriam crux ſubſequens ſcandalum crearet irreparabilius. Vide dicta in ſimili cap. 16. v. 20. DONEC FILIUS HOMINIS A MORTUIS RESURGAT: tunc enim & fidem & fructum inveniet iſtius rei opportuna prædicatio, miraculo glorioſæ reſurrectionis & aſcenſionis adjuta.

10. Et interrogaverunt eum diſcipuli dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primũ venire?

10. ET INTERROGAVERUNT EUM DISCIPULI, inter deſcendendum ex monte: QUID ERGO SCRIBÆ, ſeu legis periti, DICUNT, QUOD ELIAM OPORTEAT PRIMUM VENIRE? nempe ante adventum Chriſti. Cauſa quæſtionis fuit, quòd Elias jam diſceſſiſſet, & quòd Chriſtus ipſe feciſſet mentionem de reſurrectione ex mortuis: Unde Marcus ait, eos de hoc Chriſti dicto conquiſiviſſe, & mox ſubjungit hanc interrogationem. Senſus eſt ergo juxta Chryſoſtom. Hom. 58. Cùm tu ſis Chriſtus, & brevi te moriturum dicas, quid eſt, quod Scribæ dicunt Eliam, qui jam diſceſſit, oportere primùm venire quàm Chriſtum, ut convertat cor filiorum ad patres, & inde concludunt te non eſſe habendum Chriſtum? Diſtinctione duplicis adventus & duplicis Eliæ ſolvit Chriſtus reſpondendo:

11. At ille reſpondens, ait eis: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia,

11. ELIAS QUIDEM VENTURUS EST, Græcè ἐρχεται, *venit*, in præſenti, id eſt, venire debet. Additur autem Græcè & Syriacè, *primùm*, id eſt, præcedet me: quod. Omninò, verum eſt, quod Scribæ dicunt de Elia venturo. ET RESTITUET, ſeu reſtaurabit, OMNIA, reducendo ſcilicet, reliquias Iſraël ad fidem, & Gentilium plenitudini uniendo. Eſt enim periphraſis ejus, quod Malachias dicit cap. 4. v. ult. *Et convertet cor filiorum ad patres, quia Gentilium patres. Judæi.* Atque ita de vero Elia & ſecundo adventu

locus

locus iſte intelligitur, juxta communem intelligentiam antiquorum, Auguſt. Quæſt. Evangel. lib. 1. quæſt. 11. Hieron. Chryſoſt. & diſcipulorum ejus, & Hilarii in hunc locum.

12. Dico autem vobis: qu. d. Et quia Scribæ tantoperè Eliam inculcant, ne quis offendatur, quòd præſentem adventum meum Elias non præceſſiſſe videatur, DICO VOBIS, QUIA ELIAS IAM VENIT, id eſt, quòd ille, qui hunc meum adventum præcedere debet, juxta Malach. c. 3. v. 1. *jam venit*, jam eſt functus ſuo officio. Joannem Baptiſtam intelligit, quem vocat Eliam, quia, ut Angelus dixit Lucæ 1. *in ſpiritu & virtute Eliæ* præceſſit, hoc eſt, propter officii ſimilitudinem, prædicandi ſcilicet pœnitentiam, & revocandi tribus Jacob ad Deum, & præcurrendi Chriſtum. ET NON COGNOVERUNT EUM: id eſt, ſed noluerunt agnoſcere, ipſum eſſe alterum Eliam, & prænuntium Chriſti.

12. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic & Filius hominis paſſurus eſt ab eis.

Totus igitur error Scribarum in eo ſitus erat, quòd illos duos adventus non diſtinguerent, ſicut Chriſtus diſtinguit hîc, & proinde duos Elias non agnoſcerent. Hæretici noſtri è contrario ita Joannem Eliam eſſe volunt, ut veri Eliæ adventum negent, contra ſenſum unanimem totius antiquitatis, & apertiſſima verba Malachiæ, quæ ne quis ad Joannem detorqueret, evidentiſſimè loquitur de ſecundo adventu: & Eliam Prophetam vocat, prout iſta pondera Chryſoſt. de lunatico dicemus Marci 6. ubi accuratiùs narratur.

13. Tunc intellexerunt diſcipuli, quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis.

14. Et cùm veniſſet ad turbam, acceſſit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens: Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur: nam ſæpe cadit in ignem, & crebro in aquam.

15. Et obtuli eum diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum.

16. Reſpondens autem Ieſus, ait: O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum? uſquequo patiar vos? Afferte huc illum ad me.

17. Et increpavit illum Ieſus, & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt puer ex illa hora.

18. TUNC ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM SECRETO, Græcè κατ' ἰδίαν, privatim & ſeorſim à publico, verentes ſcilicet, ne qua ſua culpa poteſtatem patrandi miracula amiſiſſent. Unde cauſam Chriſtus eis profert, INCREDULITATEM, id eſt, fidei imperfectionem, quæ minor in eis erat, quàm Apoſtolos, tamdiu cum ipſo verſatos habere oportebat, & ad talem ſanationem erat neceſſarium: qua de cauſa toties eos vocat puſillæ & modicæ fidei. Eamdem incredulitatem reprehenderat palàm in parente pueri, & Judæis, v. 16. ſed hîc ſeorſim in Apoſtolis, ut eorum auctoritati conſuleret. Porrò fides hæc patratrix miraculorum fiduciam adjunctam habet, quaſi fides per fiduciam operans. Complectitur enim magnam firmitatem perſuaſionis de Dei omnipotentia, & immobilem fiduciam impetrandi: quarum utramque Deus inſpirat etiam nonnullis improbis, ſine vera charitate. Itaque

18. Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum?

19. SI HABUERITIS FIDEM SICUT GRANUM SINAPIS. Comparatio fit ſimul ratione quantitatis minimæ, & virtutis maximæ. Unde Apoſtolus, ad hunc locum alludens, talem fidem vocat *omnem fidem* id eſt, integerrimam, pleniſſimam, *ita ut montes transferam*, 1. ad Corinth. 13. v. 2. Itaque fides, ſicut granum ſinapis, eſt minima quidem ſpecie, humilis abſque oſtentatione, ſed viva, acris, ve-

19. Dixit illis Ieſus: Propter incredulitatem veſtram: Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſicut

granum ſinapis, dicetis monti huic : Tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.

hemens, fervida, efficax. Quid humilius, quid vehementius, quid ferventius? inquit Auguſtinus explicans granum ſinapis, tract. 40. in Joan. DICETIS MONTI HUIC, id eſt, dicere & jubere poteritis, ut mons iſte tranſeat de loco in locum, & fiet: multo ergò magis dæmones. Adfert hoc exemplum, tanquam rei humano judicio impoſſibilis, longèque difficilioris, quàm ſit ejectio dæmonum. Fecit hoc ad litteram Greg. Thaumaturgus, & alii nonnulli, & ipſi Apoſtoli etiam forſan antè cum ſuſcitarent mortuos, facere potuiſſent: ſed fides hominis etiam juſti, & fiducia non ſemper æque vigent, ut annotat hîc Chryſoſtom. & in Moyſe patuit, num. 20. v. 12. *Per montem* hîc intelligunt Hieron. Ambroſ. & ſubinde Auguſt. ipſum diabolum, propter ſuperbiam; ſed ſenſus videtur myſticus. ET NIHIL IMPOSSIBILE ERIT VOBIS, tali fide credentibus, cùm ſcilicet Dei gloria aut hominum ſalus poſtulaverit. Fides enim hujuſmodi à ſapientia divinitùs infuſa regitur, non autem à circulatoria hominibus placendi aut oſtentandi ſe cupiditate. Quæ cauſa fuit, cur Phariſæis, Herodi, & ſimilibus curioſis Chriſtus etiam poſtulantibus ſignum non exhibuerit.

20. Hoc autem genus non ejicitur niſi per orationem & jejunium.

21. Converſantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jeſus: Filius hominis tradendus eſt in manus hominum:

22. Et occident eum, & tertia die reſurget. Et contriſtati ſunt vehementer.

23. Et cùm veniſſent Capharnaum, acceſſerunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magiſter veſter non ſolvit didrachma?

20. Hoc AUTEM GENUS, dæmoniorum, nempe ferociſſimorum & obſtinatiſſimorum ab infantia poſſidentium, ita ut eorum poſſeſſio in naturam quodammodò hominis converſa videatur, NON EJICITUR NISI PER ORATIONEM, ET JEJUNIUM, quæ fidei ſupradictæ conjungantur, quia talis fides dictat, ut pro rei gravitate ſubſidium ardentis orationis & jejunii adhibeatur. Nam jejunio mens averſa à delitiis corporalibus ſpiritui ſubditur; oratione ſublevatur in Deum & ita naturæ ſpirituali divinæ fit propinquior, gratior, & idonea, quæ ſpiritibus immundis dominetur, ſicut contra per crapulam & mentis ignaviam iis ſubjicitur. Indicat ergo Chriſtus, non eis fidem illam tantummodò, ſed & alia duo media ejiciendo dæmoni neceſſaria, defuiſſe, orationem & jejunium.

Porrò cùm Chriſtus ex Galilæa, ubi omnia ſuperiora geſta ſunt, iter inſtitueret in Jeroſolymam, ACCESSERUNT AD PETRUM, tanquam diſcipulorum præcipuum (non enim audebant à magiſtro propter auctoritatem tale aliquid petere) QUI DIDRACHMA ACCIPIEBANT, Græcè pluraliter τὰ δίδραχμα, à ſingulari *Didrachmum*, quod propriè, ut nomen ſonat, eſt pondus duarum drachmarum, ſicut *Tetradrachmum* quatuor drachmarum. Transfertur autem ad nummum pondere didrachmi cuſum, ſive aureum ſive argenteum, hîc verò intelligitur nummus argenteus. Porrò octo drachmæ faciunt unciam, quatuor dimidiam: & hoc erat pondus ſicli, ut teſtis eſt Joſephus 3. Antiquit. c. 9. & Hieron. in c. 24. Tradit. Hebraïc. in Geneſin. Itaque Didrachmum erat medius ſiclus, ſeu medius ſtater, valens duos circiter Regales Hiſpanicos; hoc eſt, decem circiter ſtuferos noſtrates, & vocabatur vulgò Denarius vel Argenteus, ſcilicet major: nam minor argenteus non valebat niſi unam drachmam, ſeu Regalem Hiſpanicum, id eſt, quinque circiter ſtuferos. Theophyl. & Chryſoſt. putant hoc didrachmum petitum fuiſſe à Chriſto, ut primogenito ex Lege; ſed hoc pretium erat quinque ſiclorum, Num. 18. v. 16. & ſolvendum ſemel tantùm, idque

post mensem à nativitate. Hilarius & nonnulli recentiores putant esse didrachmum seu dimidium siclum, qui quotannis solvebatur capitatim in usum templi 2. Paralip. 24. v. 5. & 9. constitutum in casu numerationis populi à Moyse, Exodi 3. v. 12. & 13. Unde Josephus lib. 6. De bello Jud. cap. 26. testatur, Vespasianum illud pretium duarum drachmarum indixisse Judæis, & ubique locorum degentibus, quod antè solebant templo pendere. Sed quia v. 24. clarè indicat, fuisse indictum à Regibus, nempe Romanis, utiturque Græcâ voce κῆνσος, *Census*, quæ similiter Romana est, verisimilius videtur id, quod sentit hîc Hieron. fuisse censum à Romanis impositum, ad similitudinem census illius Judaici. Unde & cap. 22. v. 19. offertur Christo numisma census Cæsarei, denarius scilicet major jam dictus. An primò ab Augusto impositum fuerit, cùm describeretur universus orbis, an verò antè eum à Pompeio, qui Jerosolymam fecerit tributariam juxta Josephum 14. Antiq. cap. 8. non constat. Itaque exactores rogant Petrum, sive simulatè, ut viderent, num resisteret Cæsari sive simpliciter, MAGISTER VESTER NON SOLVIT DIDRACHMA, id est, non solet solvere: an verò est exemptus beneficio Principis?

24. AIT ETIAM, id est solet, solvere: quod dixit, vel præsumendo de Christi voluntate, vel conscius solutionis præcedentium annorum. Christus autem PRÆVENIT EUM, ut hoc ipso facto se cogitationum ejus & actionum conscium, & consequenter Deum à tributis immunem probaret; dicens, REGES TERRÆ A QUIBUS ACCIPIUNT TRIBUTUM, VEL CENSUM? A FILIIS TUIS? scilicet naturalibus, quos ex seipsis genuerunt; AN AB ALIENIS? id est, aliis subditis, qui non sint nati ex Regibus, ut exponit Chrysost. Illo respondente,

25. AB ALIENIS; infert Christus, & simul confirmat, ERGO LIBERI SUNT FILII, id est immunes à vectigali solvendo patribus suis, cùm potiùs Reges recondant tributa pro filiis suis. Relinquit Petro colligendum, à minori ad majus, ut August. lib. 1. Quæst. Evang. Ergò multò magis ego, qui Regis Regum filius naturalis sum, à tributis liber sum. Hoc igitur argumentum directè non concludit, nisi pro solo Christo: pro Petro verò & discipulis non nisi indirectè, nempe quia filii Regis familiares erant, ac domestici, qui etiam liberi esse solent: pro omnibus autem Christianis nullo modo.

26. UT AUTEM NON SCANDALIZEMUS EOS, id est, offendiculo simus, causam præbendo malè sentiendi de nobis, & loquendi, irascendi, & rixandi. Scandalum hoc futurum fuisse videtur, non tantùm acceptum, ut putat Maldonatus, sed datum, ut ipsa verba indicant. Publicanis enim non constabat causa libertatis, filiatio Dei. Docemur ergò, scandali vitandi causâ, etiam temporalium jacturam esse faciendam, etsi cedendum jure nostro. INVENIES STATEREM, qui, ut Hieron. hîc duo continet didrachma, hoc est, ut idem in cap. 4. Ezech. *Stater* idem est, quod siclus, continens drachmas quatuor, & proinde pretium erat

24. Ait: Etiã. Et cùm intrasset in domum, prævenit eum Iesus, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis?

25. Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Iesus: Ergo liberi sunt filii?

26. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eũ piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies, staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.

census pro duobus. Alterum divinitatis & libertatis suæ specimen dat, sive præscientiæ de statere in ore piscis, sive potiùs potentiæ creandi illum, & adducendi ad hamum. Utrumque notat Hieronym. DA EIS PRO ME ET TE, tanquam interpellato à Publicanis hac de re, & familiæ capite. De cæteris nihil addit, vel quia non aderat, vel relinquens intelligendum, ordinario modo ex loculis, vel subministrantium eleemosynis esse solvendum.

CAPUT XVIII.

1. In illa hora accesserũt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis putas, major est in regno cœlorum?

1. IN ILLA HORA, seu tempore, ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM, nempe vocati ab eo, cùm esset domi in Capharnao, & interrogati ab ipso, quid in via tractavissent; ibi enim de primatu contenderant. Videntes verò cogitationes suas esse detectas, verecundiæ causa sub alia persona proponunt quæstionem. QUIS PUTAS MAIOR: Græce τίς ἄρα, *Quisnam*, vel, *quis tandem* (nam, *putas*, usurpatur pro expletivo) erit maximus dignitate, auctoritate, honore proximus Regi Christo futurus IN REGNO CŒLORUM, quod à te explicatur, & à nobis creditur esse propinquum & præforibus? Occasionem sumpserat ista ambitiosa contentio in via, & hæc quæstio ex eo, quòd dixerat cap. superiori vers. 23. se morituru̇m, & tertiâ die resurrecturum. Nam eodem prorsus modo, cap. 20. vers. 21. filii Zebedæi, auditâ mentione resurrectionis ejus, petunt claudere latus dexterum & sinistrum Christi in regno ejus. Et Lucæ 22. cùm vers. 16. & 22. intellexissent traditionem Christi, & regnum instare, mox v. 24. cœperunt contendere, quis esset major. Valde enim carnaliter videntur de isto regno, & Rege, & dignitatibus, & præfecturis ejus more scilicet terrenorum regnorum cogitasse. Æmulationis autem causa erat, quòd alii essent Christo carne propinquiores, alii vocatione priores, alii ætate, alii eruditione majores, alii in secretis familiariores: denique quòd Petrus cæteris per clavium promissionem & nuperrimè per tributi solutionem insolitam præferri videretur, ut notat Chrysost & Hieron.

2. Et advocans Iesus parvulum statuit eum in medio eorum,

2. ET ADVOCANS JESUS PARVULUM: non tam staturâ, quam ætate: Græce παιδίον, quod *puerulum* significat, qualis videlicet jam advocari & accurrere posset. Unde & Marcus addit, quod Christus eum complexus sit, Græcè in ulnas susceperit, ἐναγκαλισάμενος παιδίον, quod parvulis fieri solet. STATUIT EUM IN MEDIO EORUM, ut oculi omnium in eum figerentur. Nempe docere voluit, non verbis tantùm, sed rebus ipsis, more Prophetarum, ut saluberrima humilitatis doctrina altiùs eorum animis imprimeretur.

3. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnũ cœlorum.

3. ET DIXIT: AMEN DICO VOBIS, NISI CONVERSI FUERITIS, ab ista ambitiosa primatus, honorisque intentione, ac desiderio, ET EFFICIAMINI, animi proposito, SICUT PARVULI sunt, staturâ, ætate, indole, nempe simplicitate, animi innocentiâ & humilitate; sic enim Christus ipse mox explicat vers. 4. Non ergò in omnibus nos vult imitari parvulos; habet enim & magnam insipientiam, &

alia vitia: sed in eo, quod mirificè sint modesti, simplices, candidi, ab omni ambitione, fastu, atque invidia alieni. Nullis se præferunt, omnibus cedunt, de aliis magna, de se parva æstimant. Plura addit Hilar. Patrem sequuntur, matrem amant, velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt, verum putant. Vera hæc, sed plerique non videntur hîc à Christo spectari. NON INTRABITIS IN REGNUM CŒLORUM: id est, non primi sed nulli in eo eritis, quia non intrabit in illud aliquid coinquinatum. Apocal. 21. v. ult. Non ergò significat mortali delicto illos adstrictos esse, sed ab illa primatus æmulatione, velut vitio corrigi omninò oportere.

4. QUICUMQUE ERGO HUMILIAVERIT, non caput, genua, verba, vestes; hoc enim & Hypocritæ præstant: sed SE, cor scilicet atque animum, ex quo verè quisque æstimandus est esse id, quod est, SICUT PARVULUS ISTE, scilicet est minimus, seu humillimus, tum corpore, tum animo, ab omni scilicet fastu, superbia, & prærogativæ appetentia alienissimus: hoc est: Quicunque igitur fuerit perfectè humilis, instar parvuli, qui tota constitutione corporis & animi, perfectæ humilitatis, seu parvitatis exemplar est. Hic MAIOR EST IN REGNO CŒLORUM, id est maximus: q. d. ille erit ibi maximus, qui hîc minimus.

4. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.

5. ET QUI SUSCEPERIT, hospitio scilicet quo tamen uno humilitatis officio omne beneficentiæ genus significatur: UNUM PARVULUM TALEM, qui videlicet se hic humiliaverit, sicut parvulus. Magis enim loquitur de figuratis per parvulos, quàm de figura, seu de ipsis parvulis, ut patet ex antithesi versus seq. IN NOMINE MEO, id est, mea causa, quia meus est, & propter me exinanitus: ME SUSCIPIT, id est, tanti facio, ac si meipsum susciperet, & ita remunerabor, quia mihi sunt simillimi.

5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

6. QUI AUTEM SCANDALIZAVERIT. Scandalizare non est idem quod contemnere, ut vult Chrysost. & Theophil. sed propriè & generaliter offendiculum ponere in via justitiæ: seu causam perditionis dare, ut patet ex sequentibus. Quod, quamvis maximè fieri soleat contemptu, ut insinuat versus decimus, fit tamen multis etiam aliis modis, erronea doctrina, vi, suasione, exemplo. UNUM DE PUSILLIS ISTIS. Non ætate parvulos intelligit, quia sequitur; QUI IN ME CREDUNT; nam illi neque credunt, neque scandalizantur: sed humiles intelligit, qui per tales parvulos significantur. EXPEDIT EI, UT SUSPENDATUR MOLA ASINARIA: supple, *quàm ut scandalizet unum de pusillis istis*, prout supplet Lucas cap. 17. v. 2. *Mola asinaria* dicitur lapis molaris prægrandis, qui ab asino circumagitur, ut Hilar. cap. 18. ad differentiam molæ levioris trusatilis. Nam quòd aliqui volunt, significatum esse lapidem inferiorem, qui Græcè ὄνος dicitur, minus verisimile est, eo quòd in Syriaco sermone, quo Christus loquebatur, non sit illa nominis proprietas. Itaque horribili illo supplicio, quod, ut Hieron. apud veteres Judæos majorum criminum pœna fuit, ut alligato ad collum

6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

saxo in profundum maris demergerentur, rudibus depingit magnitudinem criminis scandalizandi pusillos & pœnæ in altera vita repositæ.

7. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit.

7. VÆ MUNDO A SCANDALIS. Transit ad generalem doctrinam de scandalis: q. d. Ingentia mala impendent hominibus, in mundo viventibus, à peste scandalorum: nam scandalizantibus gravissima impendet ultio, omnibus verò summum periculum, ne à scandalis objectis lædantur. Necesse est enim ut veniant scandala, hoc est, tanta est enim dæmonum versutia, tanta hominum fragilitas, pronitas ad malum, cæcitas, ac malitia, ut NECESSE SIT INDE SCANDALA MULTA SEQUI. Necessitas ergò ista non absoluta est, sed præsuppositæ talis conditionis, quam ut significaret non tollere libertatem, vel excusare scandalorum auctores, addit; VERUNTAMEN VÆ HOMINI ILLI, PER QUEM SCANDALUM VENIT: nemo enim væ seu pœna dignus est, nisi culpâ suâ. Hæc ergò necessitas est pravæ voluntatis, neque aliud quàm certitudo rei futuræ. Versus 8. & 9. qui hîc per digressionem interponuntur, explicati sunt ad cap. 5. v. 29. & 30. Unde rediens ad commendationem humilium, qui à mundo sperni solent.

8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.

9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno quàm duos oculos habentem mitti in gehennâ ignis.

10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis quia angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.

10. VIDETE, inquit, NE CONTEMNATIS, non solùm eos scandalizando, ut suprà, sed vel factis, vel verbo, vel solo animo parvi faciendo, ex quo velut fonte scandala, injuriæ & irrisiones eorum sequi solent; UNUM EX HIS PUSILLIS, non infantibus, sed humilibus in me credentibus, ut vers. 6. hoc est, unum ex quibuslibet justis; nemo enim justus, nisi humilis. Ratio est: nam quamvis mundo videantur nullius esse pretii, & omnium injuriis patere: tamen ANGELI EORUM IN CŒLIS, id est, Angeli cælestes, ad eorum tutelam deputati à Deo, SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS: id est semper, etiam-tum, cùm pusillis adsunt & intendunt, nudam Dei essentiam contemplantur. *Facies* enim indicat claram Dei visionem, non in speculo, aut ænigmate, quæ videlicet nullis curis, actionibus, missionibus intercipi, aut turbari potest; tum quia Deus objectum ejus ubique præsens est; tum quia per ipsam, tamquam ipsius veritatis æternæ intuitum, in omnibus actionibus se regunt. Itaque significat humilium Angelos Deo esse præsentissimos, familiarissimos, intimos, velut honorarios principes Deo adstantes. Ex quo colligendum reliquit, & quanta dignitas pusillorum sit, & quanta de eis cura Deo, & quàm facilè sit talibus custodibus injurias eorum ulcisci. Colligunt ex hoc potissimùm loco, & ex Psalm. 33. v. 8. Act. 12. v. 15. aliisque nonnullis locis, veteres, ut Hieron Hilar. Chrysostom. Theophyl. & alii in hunc locum, omnes homines, maximè sanctos, Angelum habere custodem.

11. Venit enim

11. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS SALVARE, QUOD PERIERAT,

id est, homines, peccato scilicet perditos, ac damnationis reos. Hoc adfert immediatè quidem, ne cui mirum videatur Angelos jam beatos, eorum saluti promovendæ tuendæque deputatos, cùm ipse Filius Dei eadem de causa venerit: mediatè verò, ne scandalis & contemptu pusillos perdant, ad quos lucrandos ipsemet Filius Dei de cœlis descendit. Imitatus est idem argumentum Paulus ad Rom. 14. v. 15. & 1. ad Corinth. 8. v. 11. & 12. Illustrandæ autem rei gratiâ adjicit similitudinem, ne quis putaret, solùm generatim humani generis, & non particulatim Deum salutis singulorum accuratam habere curam.

filius hominis salvare quod perierat.

12. 13. QUID vobis videtur: q. d. Nonne vobis ipsis judicibus ita inter homines fieri solet, ut quamvis multarum ovium dives sit aliquis, si tamen una, vel à grege aberraverit, non eam perire sinat, sed magna sollicitudine requirat? Etsi invenerit, MAGIS GAUDET SUPER EAM. Non ait, *magis diligit*, vel *pluris facit eam*; dilectio enim & æstimatio cæterarum ovium, quàm istius unius, major est: sed *magis gaudet super eam*, seu de ea, actuali scilicet quodam lætitiæ præsentis motu, quo afficitur erga hanc, non alias. Quod ita fieri solet, tum quia singularis ratio lætandi de hac occurrit, quæ non de aliis: unde gaudium istud de hac actuale, de cæteris habituale est: ex quo fit, ut homines de novo rei minoris successu bono magis lætentur, quàm de bonis veteribus longè majoribus: tum verò, quòd gaudium propter oppositam tristitiam, quæ præcessit, magis sentiatur. Ubique enim in rebus humanis majus gaudium major molestia præcedit, prout hæc doctè & latè declarat Augustinus libr. 8. Confess. c. 3.

12. Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eã quæ non erravit?

13. Et si contigerit ut inveniat eam: Amen dico vobis, quia gaudet super eã magis quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt.

14. SIC NON EST VOLUNTAS ANTE PATREM: id est, Ita quoque non vult Pater vester, ut scandalis, vel alio quoquo modo deserendo justitiam, vel unus ex humilibus, Deum timentibus, pereat; sed potiùs, ut si periret, revocetur. Est enim tertium argumentum, à minori ad majus, quo declarat, quanti parvulos suprà explicatos faciat: ut ita gradatim efficaciùs à scandalo dando deterreat; primò, consideratione Angelorum, deinde sui-ipsius, denique Patris sui. Ex hac porrò conclusione liquet, convenienter tam unam ovem, quæ erravit, quàm illas nonaginta novem, quæ postquam ab errore reductæ fuerant, in justitia, velut in montibus, pascendo perseverant, de hominibus peccatoribus & justis intelligi. Quamvis plerique veteres, Hilarius Can. 18. Chrys. Cyril. Catech. 19. Greg. Homil. 34. in Evang. & alii, unam ovem intelligant genus humanum, quod peccando erravit: nonaginta verò novem Angelos justos, eo quòd, ut Cyril. incomparabiliter homines numero excedant.

14. Sic non est voluntas ante patrem vestrum: qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis.

15. SI AUTEM PECCAVERIT IN TE FRATER TUUS. Hactenùs de non scandalizandis, aut lædendis iis, qui neminem lædunt: nunc de iis, à quibus nos ipsi lædimur; tales enim aliquis putare posset vicissim impunè posse lædi. Itaque *si peccaverit in te*, id est si aliquà te injuria, sive ex errore, sive fragilitate, sive malitia affecerit. Quamvis Augustin. Serm. 16. de verbis Dom. cap. 7. simul

15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus erit fratem tuũ.

per hoc insinuatum velit, te solum istius injuriæ esse conscium; qui enim multis audientibus tibi fecit injuriam, inquit August. & in illos peccavit, quos testes suæ iniquitatis efficit. Sed generaliter intelligendum esse satis indicat versus 21. & Lucas, cap. 17. vers. 3. A paritate autem rationis ad quodlibet peccatum, etiam in alios, ipsumque Deum commissum, hæc doctrina extendi potest. Christus enim illic maximè frænum injicere voluit, ubi major vindictæ acerbitas & animi præcipitatio esse solet, & certior peccati notitia, & efficacior charitas læsi, videlicet apud eum, qui læsit. FRATER TUUS, id est, non Ethnicus, aut qui foris fuerit, sed ejusdem tecum religionis, ut patet ex vers. 17. VADE, id est, non exspectes, ut culpam agnoscat, veniam petat, sed ULTRO VADE ET CORRIPE EUM. Latet hîc tacita negatio: q. d. Noli, vel negligere peccatum ejus, vel prorumpere ad propalandum, ad accusandum apud judicem, ad te vindicandum, sed cum charitate, benignitateque corripe ad emendandum. Quod breviter Augustin. Serm. cit. cap. 4. Obliviscere, inquit, injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Non enim nocendi aviditate corripere debemus, sed studio corrigendi, idque, INTER TE ET IPSUM SOLUM, id est, sine ullis arbitris, ita scilicet studendo correctioni, ut parcas pudori, inquit August. Fortè enim præ verecundia inciperet defendere peccatum suum, & quem velles facere correctiorem, faceres pejorem. Viam itaque benignissimam primùm tentari cupit, sine ulla pudoris famæque læsione. Si enim fortasse solus nosti, & eum vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor: publica enim correctio in publicis peccatis locum habet, ut sic & cæteri timorem habeant. Efficacissimus est igitur iste corrigendi fratris modus, dum ipse, qui læsus est, ostendit se non inimicitiæ, non vindictæ, non infamiæ, sed solius salutis ejus esse studiosum. Quod si, hâc tuâ prudentiâ sinceràque dilectione motus, TE AUDIERIT, admittendo correctionem tuam, & agendo peccati sui pœnitentiam; non tem levem assequeris, sed LUCRATUS ERIS FRATREM TUUM; qui proinde peccando perierat, non solùm Deo & sibi, sed etiam tibi.

16. Si autem te non audierit, adhibe tecũ adhuc unum, vel duos ut in ore duorũ vel trium testiũ stet omne verbum.

16. SI AUTEM TE NON AUDIERIT, sive negando peccatum, sive tamquam justitiam defendendo, sive in peccato quoquo modo perseverando, ADHIBE TECUM UNUM, VEL DUOS: tum ut majoris ponderis & efficaciæ sit correptio; tum ut peccati fidem faciat, si neget, excuset, aut defendat; tum denique, ut coram Ecclesia convincatur contumaciæ. Nam ad ista duo respici suadet, id, quod adjicit ex Deuter. UT IN ORE DUORUM, AUT TRIUM TESTIUM STET OMNE VERBUM, id est, ut sermone ac testimonio duorum, aut trium totum hoc negotium fraternæ correctionis peragatur, ratumque, ac firmum habeatur. Hic est secundus correptionis gradus paulò severior; cum aliquo pudore, seu infamia. Non enim post irritam privatam monitionem vult statim salutem fratris abjici, vel continuò eum publicis remediis cogi: sed

17. Quod si non audierit eos

17. SI NON AUDIERIT EOS, DIC ECCLESIÆ, id est, refer rem totam ad Ecclesiam: non populi multitudinem, sed ad illam

Illam Ecclesiam, penes quam mox dicit esse potestatem ligandi & solvendi, id est, dic Præsuli Ecclesiæ. Nam quod ad ipsum velut publicam personam refertur, ad Ecclesiam refertur, quia totius Ecclesiæ, cui præest, curam & personam, & consensum gerit. Hic tertius est correptionis gradus, cum aliqua infamia conjunctus: sed majorem rationem haberi cupit Christus salutis ejus, quàm famæ & verecundiæ. SI AUTEM ECCLESIAM NON AUDIERIT, id est, si Pastori Ecclesiæ redarguenti, populòque ei consentienti non obedierit, sed præfractus perstiterit in peccato: SIT TIBI SICUT ETHNICUS ET PUBLICANUS, id est, non amplius eum habeas loco fratris, sed sicut hominem à communione ejusdem religionis alienum, & publicis peccatis infamem, à quo in divinis & humanis abstineas. Respicit enim ad consuetudinem Judæorum, qui ab Ethnicorum & Publicanorum, tamquam publicorum & insanabilium peccatorum, consortio & mensa abstinebant, ne polluerentur, ut patet Act. 10. vers. 28. ad Galatas 2. vers. 12. & de Publicanis in Evangelio passim patet. Hic est quartus correptionis gradus, ejectionem ex Ecclesia, seu excommunicationem adjunctam habens: quæ tamen etiam eo fine adhibenda est, ut lucremur fratrem, hoc est, ut ovis morbida per ipsam forsan separationis ignominiam sanetur; aut certè, ne suo contagio sanas oves inficiat. Quas causas tangit Augustin. De correct. & grat. cap. penult. & Apostolus 1. Corinth. 5. & 6. Hic est ergò ordo correptionis secretorum peccatorum, & quidem fraternæ, hoc est, quæ non spectat peccatum, prout, vel scandalizat alios, vel reipublicæ, aut multis nocet; sed prout soli peccanti, idque eo fine, ut ille corrigatur, vel saltem, ut alii à contagio præserventur. Cùm verò finis sit regula mediorum, tota correptio & ordo ejus ex eo moderanda sunt; ita scilicet, ut si non sit spes emendationis assequendæ, adhiberi non debeant: sin aliquid huic ordini addendum, aut detrahendum ex eadem illa fraterna charitate videatur, etiam addatur, vel detrahatur. Magis enim Christi mens spectanda, quàm verba: quæ modum quidem naturalem & convenientissimum tangunt, non tamen semper secundùm omnes apices observari debent, sed pro locorum, temporum, personarum exigentia, quando scilicet correptio & ille ordo ejus hoc loco præscriptus charitati & emendationi utilis fuerit, quemadmodum in præceptis affirmativis observandis ferè fieri solet.

dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

18. AMEN DICO VOBIS, id est, Verè tamquam rem certam & indubitatam dico vobis, Apostolis & vestris in Ecclesia mea successoribus: QUÆCUMQUE, sive hominem delinquentem, sive delicta, ALLIGAVERITIS SUPER TERRAM, peccata scilicet in foro pœnitentiæ retinendo, vel homines vinculo excommunicationis in foro externo innodando. Nam utramque potestatem, maximéque postremam, promittit ad terrorem eorum, qui ab Ecclesia seu Præsulibus ejus essent habendi sicut Ethnici & Publicani. Ne enim contemnerent sententiam eorum, immobile severitatis Apostolicæ judicium promisit, inquit Hilar. Can. 18. hoc est, scire voluit eos, qui à talibus, ut Hieronym. ait, condemnantur, humanam senten-

18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

tiam divinâ ſententiâ roborari ; ut ita frangeret eorum contumaciam, qui ipsâ infamiâ nondum frangerentur. Senſus autem totius ſententiæ latiùs ex c. 16. v. 19. petendus eſt. Eadem enim poteſtas hîc Apoſtolis, reſpectu eorum, quibus præeſſent, quæ illic Petro per claves, veluti ſignum plenæ & ordinariæ præfecturæ in univerſam Eccleſiam, adeóque in ipſos Apoſtolos promittitur.

19. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcũque petierint, fiet illis à patre meo qui in cœlis eſt.

19. ITERUM DICO VOBIS : qu. d. Imò amplius etiam hoc affirmo. Nam quamvis S. Hilar. Chryſoſtom. & Hieronym. velint hîc commendari concordiam, quam correptio ſpectabat, adjiciendo ſcilicet præmium ejus, præſentiam Chriſti : videtur tamen ſimul tacitum à minori ad majus argumentum ducere. SI DUO EX VOBIS, nempe, diſcipulis fide vivâ in me credentibus, & peculiariter præfectis Eccleſiæ meæ. Nam multi veteres hoc nimis reſtrictè intelligunt, ut Origen. Tractat. 6. in Matth. de viro & uxore : Ambroſ. De inſtit. virginis cap. 2. & lib. 7. in Luc. de anima & carne, quod Hieron. fatetur eſſe myſticum. CONSENSERINT SUPER TERRAM DE OMNI RE QUAMCUMQUE PETIERINT, id eſt, quicumque rem concordibus in divina dilectione votis & precibus poſtulaverint ; etiamſi per illam ligandi ſolvendique poteſtatem, quam promiſi, fieri fortè nequeat. FIET ILLIS A PATRE MEO. Quæ petendi & impetrandi generalitas ita intelligenda eſt, ut ſuprà c. 7. v. 8. expoſuimus illud, *Omnis, qui petit, accipit.* Relinquit enim hinc colligendum à minori, ſi vel duorum concors oratio tanti ſit à Deo, quantò efficacior erit & faciliùs impetrabit totius Eccleſiæ oratio, quidquid poſtulaverit, ad contumacem fratrem vel reprimendum, vel convertendum ? Cujus ratio generalis eſt :

20. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.

20. UBI ENIM SUNT DUO VEL TRES CONGREGATI, ad poſtulandum, ad judicandum, ad tractandum de negotiis, IN NOMINE MEO, id eſt, propter me, & cauſas ad me ſpectantes ; multóq; magis, ſi ſimul congregati fuerint auctoritate meâ, invocato auxilio meo : IBI SUM IN MEDIO EORUM, ut eos conſilio dirigam, preces eis aſpirem, & Patri gratias faciam, conatus adjuvem, decreta confirmem, & omnia ad proſperum eventum deducam. Non enim hoc dicit ratione divinæ præſentiæ, quâ ubique eſt, ſed gratiæ & aſſiſtentiæ. Quantò ergò magis in medio eſt, ubi legitimum Eccleſiæ conſilium congregatur, ut de fide, de religione, & de ſalute hominum tractent ? quemadmodum concludit S. Greg. lib. 7. Regiſt. Epiſt. 112. & Catholici pro Conciliorum auctoritate argumentantur.

21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei ? uſque ſepties ?

22. Dicit illi Jeſus : Non dico tibi uſq; ſep-

21. TUNC ACCEDENS PETRUS, auditis ſcilicet iis, quæ de fratris in nos peccantis correptione, vel etiam pœnitentis condonatione dixerat, ut videtur ex Luca colligi cap. 17. verſ. 4. Cùm ergò carnali ſenſu Petrus multum vel nimium eſſe judicaret, ſi USQUE SEPTIES peccanti ignoſceret, Chriſtus eum corrigens, clementiam penè in immenſum extendit, ac dimitti vult.

22. USQUE SEPTUAGESIES, SEPTIES. Quod dupliciter tam Græcè quàm latinè intelligi poteſt : vel ut *ſepties* ſit tantùm additio ad *ſeptuage-*

ſes, ut ſit idem quod *ſeptuageſies & ſepties*, prout accipit Auguſt. libro 2. De conſenſu Evang. capite 4. vel ut multiplicet primum numerum, ſcilicet *ſeptuageſies*, & ſimul efficiant quadringenta nonaginta, ſicut accipit Hieron. & magis videtur Græcum poſtulare. Utrovis modò acceperimus, ſignificatur, toties quoties peccaverit frater innumerabilibus vicibus, eſſe dimittendum peccatum ejus, nec ullâ peccatorum multitudine lenitatem animi nobis extorqueri debere. Ponitur enim numerus certus pro incerto; & quidem numerus, qui myſticè pertinet ad peccatorum remiſſionem, ut ibidem Auguſt. Non tamen jubet etiam pœnam ſimul remitti: ſæpè enim ordo diſciplinæ, juſtitiæ, ipſiúſque charitatis poſtulat, ut peccatum, ſive verbis, ſive verberibus corripiatur, ne vel peccantibus, vel aliis lenitas noceat. Itaq; præſcribitur tantùm, quo animo erga fratrem eſſe debeamus. Addit Lucas cap. 17. v. 3. & 4. *Si frater converſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me*, quia loquitur, non de interna tantùm offenſæ vindictæque remiſſione, ad quam ſemper animus paratus eſſe debet, ſed maximè de externa ſimul receptione in gratiam, quæ rogantibus fit, ut ex parabola ſequenti patet.

ties: ſed uſque ſeptuagies ſepties.

23. Ideo, ut ſcilicet intelligatis, quàm ſit æquum, ut fratri veniam roganti dimittatis, ASSIMILATUM EST REGNUM CŒLORUM HOMINI REGI: id eſt, Ita res ſe habet in Eccleſia & regno meo, ut ſi Rex quiſpiam inter homines rationes audiret ſervorum ſuorum, &c. More namque Palæſtinorum atque Syrorum, ut notat Hieron. parabolam adjungit, ut quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem atque exemplum facilius teneatur. Itaque

23. Ideo aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.

24. OBLATUS EST EI UNUS, QUI DEBEBAT II DECIM MILLIA TALENTA, id eſt, ingentem pecuniæ ſummam. Hoc enim tantùm ſpectat hîc Chriſtus, ut ſignificet ſummam, quam debebat ſervus Regi, incomparabiliter fuiſſe majorem câ, quæ ſervo à conſervo debebatur, id eſt *centum denariis*: quemadmodum gravitas criminum, quæ adverſùs Deum committimus, enormiter excedit omnes offenſas hominum adversùs homines. Eſt autem *Talentum* non tam nummi quàm ponderis genus, de quo non omninò conſentiunt auctores. Sed quidquid ſit de Talentis Atticis aut Romanis, clarè deduximus in cap. 38. Exodi v. 26. & 27. Talentum Hebræum, de quo Moyſes, & veriſimiliter hîc Chriſtus loquitur, continuiſſe tria millia ſiclorum, hoc eſt, florenorum noſtratium, loquendo de ſiclo argenteo. Nam aureus ſiclus duodecuplo circiter major eſt: proportio enim auri ad argentum eſt circiter duodecupla. Cùm autem Talentum Atticum, quo & Romani utebantur, fuerit circiter duplo minus, continuiſſet ſiclos mille quingentos; alii dicunt mille octingentos, ſeu ſexcenta ſcuta Gallicana. *Denarius* ſimiliter argenteus appendebat drachmam Atticam, id eſt, unum Regalem Hiſpanicum ſeu quinque circiter ſtuferos. Quamquam nonnulli velint, fuiſſe & alium Denarium, duplo majorem, qui valuiſſet proinde unâ drachmâ Judaïcâ, id eſt, decem ſtuferis. Drachma enim Judaïca

24. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta.

continebat duas Atticas seu Romanas. Itaque

25. Cùm autē non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus vænundari, & uxorem ejus, & filios: & omnia quæ habebat & reddi.

25. CUM NON HABERET SERVUS, UNDE REDDERET, IUSSIT EUM DOMINUS VENUNDARI, ET UXOREM, &c. hoc est, jussit extremo rigore cum ipso agi. [Alludit enim ad quorumdam locorum consuetudinem, ubi ad extorquendam solutionem, creditori licebat etiam vendere debitorem, & liberos ejus, vel in servitutem rapere, ut patet 4. Reg. 4. v. 1. Mox tamen cùm servus solummodò dilationem petiisset, dominus ultrò.

26. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me: & omnia reddam tibi.

27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.

27. DIMISIT EUM, liberum scilicet è captivitate; jam enim apprehensus tenebatur: ET OMNE DEBITUM DIMISIT EI, scilicet tam immensum, ad solas preces: Quo parabolicè describitur inhausta Dei miseratio ergà pœnitentes.

28. Egressus autem servus ille, invenit unũ de conservis suis qui debebat ei centũ denarios: & tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

28. EGRESSUS AUTEM INVENIT UNUM DE CONSERVIS, id est, de ejusdem domini servis, cui tanquam æquali debebat humanitatem, & ejus domino aliquam observantiam, QUI DEBEBAT EI CENTUM DENARIOS, id est, debitum incomparabiliter minus eo, quod ei dimissum fuerat, quales esse solent hominum in homines offensæ, si cum divinis comparentur: ET TENENS SUFFOCABAT EUM, id est, premebat fauces ejus, quasi jam jam strangulaturus, nisi solveret, id est, summâ in eum utebatur truculentiâ.

29. Et procidens conservus ejus rogabat eũ dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi:

29. ET PROCIDENS ROGABAT, id est, iisdem omninò utebatur verbis & supplicis animi officiis, quibus ipsemet usus fuerat. Hoc enim de industria inducit Salvator, ut acriùs condemnet indomitam hominum feroçiam in injuriis remittendis.

30. Ille autem noluit: sed abiit & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

30. ILLE AUTEM NOLUIT, nequidem habere patientiam, nedum dimittere, sicut sibi dimissum fuerat.

31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

31. VIDENTES AUTEM CONSERVI EIUS, tam qui affligebatur; quàm qui affligebat. Unde Syrus vertit, *eorum*; erant enim omnes ejusdem domini servi. CONTRISTATI SUNT VALDE, de tanta ingratitudine & crudelitate. Multam enim emphasin habet, quòd ipsimet conservi rei indignitatem ferre non poterant.

32. Tunc vocavit illum dominus suus: & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me.

32. TUNC VOCAVIT EUM DOMINUS, ET AIT ILLI: SERVE NEQUAM, quo nomine propter ipsum ingens debitum vocatus non fuerat, OMNE DEBITUM, tam enormis magnitudinis, DIMISI TIBI, QUONIAM ROGASTI, seu rogaveras ME, id est, tantummodò quòd mihi supplex factus fueras: non enim rogaverat debiti dimissionem, sed dilationem, eo quòd præ magnitud ne non auderet.

33. Nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?

33. NONNE ERGO OPORTUIT ET TE, servũ, non dico remittere debitũ, sed saltem MISERERI CONSERVI TUI, tibi æqualis, in re minima?

34. Et iratus dominus ejus

34. ET IRATUS DOMINUS TRADIDIT EUM TORTORIBUS, ut carcere aliisque pœnis affligeretur. Nam & hìc alludit Christus ad morem

quarumdam nationum, ut Romanorum, quibus jam Judæi subeerant, inter quos debitores à creditoribus tradebantur tortoribus, in ergastulum trudendi & verberibus flagellandi. Nam primus Constantinus Imperator dicitur debitores à plumbatarum ictibus exemisse. QUOADUSQUE REDDERET UNIVERSUM DEBITUM, prius remissum; ita scilicet ut, si solveret, liberaretur; si nunquam solveret, nunquam liberaretur. Unde perperàm colligebat Origenes pœnas etiam mortalium peccatorum aliquando expiandas & finiendas. Simile quid vide c. 5. v. 26. Non significat item, quód legibus humanis debita semel remissa repeti queant, sed quód Rex supremâ pollens potestate crudelitatem illam cum tanta ingratitudine conjunctam tam grave peccatum judicaret, ut eâdem pecuniæ summâ, cujus remissionem acceperat, mulctari mereretur. Unde cùm Christus applicando totam parabolam concludit.

tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.

35. SIC ET PATER MEUS CÆLESTIS FACIET VOBIS, &c. non significat propriè redire reatum præcedentium peccatorum semel dimissorum, sed impropriè, quatenùs inhumanitas illa & ingratitudo directè contra formam accepti priùs beneficii admissa tam grave peccatum reputatur, ut pro ea tam severè puniatur, ac si priora non fuissent dimissa, ut exponit S. Thom. 3. p. quæst. 88. artic. 1. & 2. SI NON REMISERITIS UNUSQUISQUE, non conservo tantùm, sed FRATRI SUO. Hæc est enim alia prægnans consideratio facultatis dandæ veniæ. DE CORDIBUS VESTRIS: ut scilicet non solùm ore remittatis, sed ex animo omnem scilicet vindictæ cupiditatem, iram, odiu, amaritudinem, & injuriæ recordationem ex animo deponendo. Unde, ut Hieron. omnem fictæ pacis simulationem evertit. Applicatio itaque totius parabolæ facilis est, eò spectans, ut remittendis injuriis, & raris & levibus, quas homo in hominem, æqualem sibi & conservum, subinde committit, faciles simus, non severi exactores; idque intuitu indulgentissimæ facilissimæque benignitatis Dei in remittendis tot tantisque peccatis nostris: ne alioqui vicissim severissimè ab eo tractemur.

35. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

CAPUT XIX.

1. ET VENIT IN FINES JUDÆÆ TRANS JORDANEM: hoc est, proficiscens per regionem, quæ est ultra Jordanem, venit circa fines Judææ, quæ ex sorte tribus Judæ & Benjamin constabat. Nam illud, *trans Jordanem*, referendum est ad *venit*, & non, *fines Judææ*, ut patet ex Marci 10. v. 1.

3. ET ACCESSERUNT AD EUM PHARISÆI: non discendi studio, sed TENTANTES EUM, ut scilicet in perplexa multumque controversa quæstione aliquid diceret, quod in calumniam raperent: SI LICET HOMINI DIMITTERE UXOREM, id est, repudiare à thoro ac domo, in perpetuum, cum potestate ducendi alteram, QUACUMQUE EX CAUSA, & consequenter pro arbitrio ac libitu suo. Nunquam enim volenti dimittere deest aliqua exigua causa vel prætextus. Videtur

1. Et factum est cùm consummasset Iesus sermones istos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ trans Jordanem.

2. Et secutæ sunt eum turbæ multæ, & curavit eos ibi.

3. Et accesserunt ad eũ Pharisæi, tentantes

eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?

autem ista quæstio tunc fuisse multùm disputata, aliis dicentibus quamlibet causam, vel minimam offensionem sufficere, juxta illud Deut. 24. v. 1. *Si non invenerit gratiam ante oculos ejus*; quomodo vulgò intelligebatur & praxis erat: aliis requirentibus justam causam, scilicet *fœditatem verbi*, ut Lex loquitur, id est, fœdam aliquam causam. Itaque utrumvis responderet, incidebat Christus in invidiam, tum alterius partis disputantium, tum verò ipsius populi: virorum quidem, si diceret, id non licere, quo jam tanquam lege utebantur: mulierum autem, si repudium virorum libidini permitteret. Ut verò solutio quæstionis minùs esset calumniæ obnoxia, respondet, ex Scriptura, proferens Dei ipsius in conjugio instituendo consilium.

4. Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit:

4. NON LEGISTIS VOS, qui de Legis scientia gloriamini, QUIA QUI FECIT HOMINEM AB INITIO, scil. mundi, seu in prima institutione rerum, MASCULUM ET FŒMINAM, non fœminas, FECIT EOS? Conjuges scilicet, de quibus disputatis, hoc est, in gemino sexu creavit eos, unum marem, alteram fœminam. Quibus verbis duo probat Christus: primum, conjugium in hominibus esse institutum à Deo: non ita in aliis animalibus, eo quòd disertè in sola creatione hominis fiat mentio maris & fœminæ: secundum, ita institutum, ut unus unam tantùm haberet uxorem: q. d. Si Deus virum plures uxores ducere voluisset, ut fit in polygamia & repudio, plures ei creasset & fœminas, ut unâ repudiatâ alteram posset ducere: filiam enim ducere non poterat. Nam in brutorum specie uni mari plures fœmellas creatas fuisse non absurdè quidam putant. ET DIXIT, Deus, per os scilicet Adami tamquam Prophetæ divinitùs inspirati, ut exponit August. 9. de Genesi ad litt. c. 19. quamquam possent & esse verba, quæ sequuntur, ipsius Dei complentis sermonem Adæ.

5. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

5. PROPTER HOC, id est, quia prima primi mariti uxor unica, & quidem ex ejus latere formata est, DIMITTET HOMO, masculus junctus matrimonio, PATREM ET MATREM, nempe quantum ad vitæ societatem, conversationem, cohabitationem familiarem, sicut videmus reipsa fieri, ET ADHÆREBIT UXORI SUÆ, non uxoribus, idq; tamquam carni suæ: Græcè est κολληθήσεται, *agglutinabitur*, scilicet modis oppositis dimissioni patris & matris. Ipsa verò dimissione parentum, quibus arctissimè proles jungitur, ipsâque glutinis mentione arctissimam conjunctionem cum uxore indicat, ipsa vi dictionis ostendens, inquit Chrysost. minimè illos esse separandos, & nefas esse maximum conjugalem conjunctionem per repudium velle solvere. ET ERUNT DUO, non plures, hoc est, illi, qui erant duo, non plures, ante conjugium, vir scilicet unus & mulier una, erunt IN CARNE UNA. Phrasi Hebraica illud, *in*, redundat, ut Genes. 2. *Factus est homo in animam viventem*, id est, anima vivens: item *Ædificavit in mulierem*, & alibi, *Ego ero illis in Deum*. Unde similiter est hîc Græcè, *Erunt in carnem unam*, id est, erunt (quomodo Syrus legit, & Christus ipse hîc explicat) caro una, seu, ut Apostolus 1. ad Corinth. 6. corpus unum, per conjuga-

lem ſcilicet commixtionem corporum ſeu carnium, quemadmodum Adam & uxor erant una caro. Nam idcircò Eva de eadem carne viri ſui ſumpta fuit, ut typus humani conjugii, quo vir & uxor fierent una caro: ſimili modo atque Adam & Eva erant una caro, non quidem jam origine unius ex altero, quod primis conjugibus peculiare fuerat, ſed commixtione. Unde Victor Antiochenus in Marcum: Ex una radice facti ambo, in unum rurſum corpus conveniunt ambo, ſcilicet ipsâ corporum commixtione & unione, per quam fiunt ex duabus carnibus una caro & unum principium unius prolis. Et hinc eſt, quòd Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. verſ. 16. etiam commixtione cum meretrice unam carnem fieri tradit. Sed in hoc præcellit unio conjugum, quòd hi fiant una caro non ſolùm facto, ſed etiam mutuo ipſorum corporum jure & poteſtate, idque ex Dei inſtitutione. Hinc ergò ex illa dimiſſione parentum, ex adhæſione, ſeu agglutinatione ad uxorem, ac denique ex eo, quòd ex Dei inſtitutione duo erunt in carne una, concludit interpretando Chriſtus.

6. Itaque jam non ſunt duo ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.

6. ITAQUE IAM, ſeu poſt hac, poſtquam fecerint, atque fuerint id, quod conjugum proprium eſt, NON SUNT DUO, ſcilicet carne, id eſt, deſinunt eſſe duo carne diviſi atque ſeparabiles, ſicuti antè duo erant, SED UNA CARO, id eſt, unum corpus, divina ordinatione compoſitum, alter alterius, quaſi membrum, tam indiſſolubiliter conjunctum, ac ſi eſſent prorſus unius omninò carnis duo magna membra, eo quòd copula unam faciat. Hic eſt proprius hujus loci ſenſus, quem tradunt Baſil. lib. de Virginit. Auguſt. lib. 2. operis imperf. contra Julian. & alibi paſſim, & ferè veteres ſancti Patres. Iſtam autem unitatem reſpiciunt aliæ quædam unitates, quarum iſta eſt in conjugibus effectus, ſignum & complementum, nempe unitas amoris mutui, unitas ſocietatis indiſſolubilis, unitas originis fœminæ ex viro, unitas juris & poteſtatis mutuæ: de quibus diximus Geneſ. 2. v. 24. Sed illæ propriè non indicantur hîc, ſed ſola ea, quam diximus. Unde non rectè etiam quidem explicant, ut una caro ſit unus homo: manent enim revera duo homines, non tamen duæ carnes, modo jam explicato. QUOD ERGO. Infert hîc Chriſtus ſecundam concluſionem, qua directè reſpondet Phariſæis: q. d. Cùm ergò ex Dei inſtituto duo ſint facti una caro, id quod DEUS CONIUNXIT, id eſt, unam carnem, quam Deus ſua auctoritate in unam coaleſcere fecit, HOMO, ſive uxor, ſive judex, ſive quilibet legiſlator ſua temeritate atque audacia NON SEPARET, id eſt, non dividat repudio aut divortio; non magis quàm corpus proprium ſua auctoritate diſcerpat aut mutilet. Nam his verbis, ut Chryſoſt. notat, oſtendit Chriſtus, repudium eſſe, & contra naturam, dum una caro in duo ſcinditur, perinde ac ſi homo ſuum ipſius corpus diſcerperet: & contra legem atque auctoritatem naturæ, quia quod ille junxit & ſeparari vetuit, divellitur.

7. Dicunt illi: Quid ergò Moiſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?

7. DICUNT ILLI: QUID ERGO, id eſt, Cur vel quomodo ergò MOYSES MANDAVIT DARE UXORI LIBELLUM REPUDII, ET DIMITTERE? ſupple, *mandavit*. Nam ut Moyſis auctoritate Chriſti reſponſum refellerent, utramque & libelli dationem & dimiſſionem

à Moyſe mandatam eſſe ſignificant. Unde Chriſtus cautè verbâ ſua moderans, loco, *mandavit*, ſubſtituit:

8. Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.

8. MOYSES PERMISIT VOBIS, id eſt, non ſeverè vetuit, non punivit, conceſſit nationi veſtræ dimittere à thoro & habitatione perpetua, cum poteſtate ducendi aliam, ſed conceſſit neceſſitate, non voluntate conſuetudinem jam inolitam, nempe AD DURITIAM CORDIS VESTRI, id eſt, propter duritiam cordis, ſeu cervicis, nempe propter obſtinatum & rebellem animum veſtrum, qui non ſinebat ſibi perſuaderi id, quod juſtum & rectum erat. Significat enim indulgentiâ Moyſem, & conſequenter Deum, uſum eſſe, permittendo dimiſſionem, videlicet ne majora mala perpetrarent per uxoricidium, veneficia, apoſtaſiam à cultu Dei repudium prohibentis. De libello nihil reſpondet, quia ille magis impediebat repudium quàm juvabat, ut potè efficiens, ne ſubitò vel facilè impræmediato ad repudiandum proſilirent, & ut eſſet teſtimonium duritiæ viri, & in favorem uxorum dimiſſarum, de quibus, & aliis, huc ſpectantibus, dictum eſt in Pentateucho. AB INITIO AUTEM, creationis, inſtitutique matrimonii cùm abeſſet omnis infirmitas & cordis duritia, NON FUIT SIC: id eſt, non fuit permiſſum Adæ aut cuiquam dimittere uxorem, ſed conjugium inſtitutum fuit omninò inſeparabile.

9. Dico autē vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.

9. DICO AUTEM VOBIS, renovando antiquam illam inſtitutionem, & Moſaicam tollendo permiſſionem: QUIA QUICUMQUE DIMISERIT UXOREM SUAM, id eſt, à thoro & habitatione abjecerit: NISI OB FORNICATIONEM: Græcè eſt μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *non ob fornicationem*, & Syriacè, *non adulteram*: ita ut non ſit illis exceptio, ſed ſimplex reſtrictio: q. d. Quicumque dimiſerit uxorem non fornicantem, ſeu non adulteram. Accipiendo verò tamquam exceptionem, ſenſus eſt, quaſi per parentheſin diceretur, quicumque dimiſeris uxorem (quod quidem tantummodò propter fornicationem licet.) Sed utrovis modo ſumas, nullo pacto referri debet ad id, quod ſequitur, ET ALIAM DUXERIT, quaſi in illo caſu non mœcharetur vir: ſed tantùm ad id, quod præceſſit, ſcilicet ad dimiſſionem. Et ita reſpondet Chriſtus tacitè ad Phariſæorum quæſtionem, Utrum liceret homini dimittere uxorem quacumque ex cauſa? Quaſi reſponderet, nequaquam, ſed propter fornicationem tantùm. Itaque SI ALIAM DUXERIT, dimiſſâ ſuperſtite, ſive ea fornicata fuerit, ſive non, MŒCHATUR, hoc eſt, non matrimonium init, ſed committit adulterium: quia, ut Auguſt. libr. 2. ad Pollentium cap. 13. vinculum cum priore conjuge, niſi morte alterius non ſolvitur, non adulterium ineuntis, ſed de corpore exeuntis. Quod ſi ille mœchatur, multò magis mœchatur ille, qui non dimiſſa prioris uxore, per polygamiam plures duxerit. ET QUI DIMISSAM, quacumque ex cauſa, etiam fornicationis DUXERIT, ſim liter MŒCHATUR, quamtumvis id Lex permiſerit. Hic eſt verus ſenſus hujus loci, quem nonnulli hæretici, imò & catholici olim ſic intellexerunt, quaſi aliquo caſu, ſaltem propter fornicationem, liceret non ſolùm uxorem dimittere, ſed & aliam ducere. Referebant enim illud, *Niſi*

ob

ob fornicationem, etiam ad id, quod sequitur, *& aliam duxerit*: sed post Concil. Trident. Sess. 24. Can. 7. non potest amplius hac de re dubitari; quamquam & Concil. Milevitanum Can. 17. idem apertè declarasset. Consule dicta suprà in v. 32. cap. 3.

10. Dicunt ei discipuli ejus, si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

10. DICUNT EI DISCIPULI, verisimiliter domi: nam Marcus narrat c. 10. v. 11. etiam præcedentem sententiam domi fuisse saltem repetitam: SI ITA EST CAUSA HOMINIS, id est, si vel quando quidem ita res se habet inter conjuges, hoc est, si ita indissolubile est vinculum, ut nullo omninò uxoris vitio solvi queat, atque alia duci: non enim dubitant de Christi sententia, sed admirantur: NON EXPEDIT NUBERE, Græcè γαμησαι, id est, *uxorem ducere*, quod viris, de quibus Apostoli loquuntur, competit: nam *Nubere* alioquin competit mulieribus, ut notat August. de gestis Pelagii c. 13. q. d. Apostoli, Non expedit in illam servitutem se conjicere, unde sola morte exire possis, quocumque tandem vitio, aut fœditate, aut malitia laboret uxor.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

11. QUI DIXIT ILLIS, NON OMNES CAPIUNT VERBUM ISTUD, quod scil. non expedit nubere, seu uxorem ducere: hoc est, non omnes admittunt hoc practicè in animum, sive non omnes tanta virtute voluntatis præditi sunt, ut affectum illum corporis omnium violentissimum superent, SED illi tantùm, QUIBUS DATUM EST, à Deo: quibus scilicet datum est à Deo, molestiis illis rebellantis cupiditatis non cedere, post concupiscentiam suam non ire, titillantes cogitationes mox opprimere, carnem cibo potuque castigare: talibus enim modis dat Deus donum istud, quibus dat. Inspirat quippe eis non solùm velle castum esse, sed etiam posse, hoc est, fortiter velle. Nam, ut optimè August. lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 4. Quibus non est datum, inquit, aut nolunt, aut non implent quod volunt: quibus autem datum est, sic volunt, ut impleant quod volunt. Proinde non rectè explicant hoc multi, quasi Christus significaret omnibus volentibus hoc dari: non quasi castitas non simul pendeat à voluntate, sed quia velle non sufficit. Nam, ut ex August. loco cit. & experientiâ patet, multi continere volunt, sed non implent quod volunt, quia non satis robustâ voluntate volunt. Robustæ autem voluntatis inspiratio maximum est donum Dei, nec omnibus datur. Unde idem lib. 5. contra Julianum c. ult. reprehendens hujusmodi explicationem: Posset, inquit, Christus dicere, non omnes capiunt verbum hoc, sed qui voluerit, si verum esset, quod vos dicitis. Tacitè ergò Christus approbat id, quod Apostoli dixerant, imò simul rei difficultatem exaggerando, attraxit magis & hortatus est, ut notat Chrysost. Hom. 63. q. d. inquit Ambros. de virginibus, non est communis pluribus, & vulgaris integritas, nec pro infirmitate permittitur (quemadmodum nubere) sed pro virtute conceditur.

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt, & sunt eunuchi, qui

12. SUNT ENIM EUNUCHI. Vox, *enim*, continuandi est, non probandi: vult enim declarare, allatis tribus eunuchorum generibus, quinam sint illi, qui capiant verbum hoc, quòd non expediat nubere, scilicet eunuchi, non primi vel secundi, sed tertii

facti sunt ab hominibus, & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.

generis. Sunt ergò eunuchi, QUI DE MATRIS UTERO SIC NATI SUNT, nempe testibus naturâ trunci, vel frigidi, ad nuptias inepti, qui per naturam non virtutem, corpore saltem casti sunt. ET SUNT, QUI FACTI SUNT AB HOMINIBUS, scilicet eunuchi, seu castrati, id est, quibus testes ab hominibus vel attriti, vel exsecti, vel unà cum veretro & scroto abscissi sunt, ut etiamnum fit apud Turcas: de quibus tribus generibus diximus ad cap. 23. Deutero. vers. 1. ET SUNT EUNUCHI QUI SEIPSOS CASTRAVERUNT. Hoc Valesii hæretici apud August. Hæresi 37. & Epiphan. Hæresi 58. exequebantur, ipsa membra mutilando, tam sua, quàm hospitum ad se divertentium. Imitatus est & Origenes, & meritò reprehensus. Est enim divina lege prohibitum tamquam opus homicidæ, ut Chrysost. Nam hujusmodi mutilatio fit cum magno vitæ periculo, & certissimo gravissimoque detrimento valetudinis. Non enim solùm potestas generandi, sed totus virilis vigor tollitur, qui inde in omnia membra, totumque hominem, adeoque & animum redundat. Totus enim homo fit frigidus, flaccessit, langescit, non solùm corpore, sed & animo, ita ut ex viro quodammodo fiat mulier: de quo Cælius Rhodigin. lib. 4. c. 7. Ita ut meritò quidam vocaverit cor principium vivendi, testes verò benè vivendi. Adde mutilationem illam etiam ad castitatem esse inutilem: tollitur enim facultas quidem generandi, non tamen coëundi, imò nec pruritus carnis, nec appetentia rei venereæ, multò minùs voluntas, ut clarè dicitur Eccles. 22. vers. 2. Unde Calliganus eunuchus Valentiniani gladio percussus fuit, à meretrice convictus, teste Aug. lib. 6. contra Julian. c. 14. Ergò qui seipsos castraverunt, non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice, ut idem lib. de virginit. c. 24. hoc est, qui præ castitatis proposito ab uxoribus continent, haud secus ac si virilia sibi amputassent, quod perfectissimè fit, cùm voto quasi castratione auferunt sibi non solùm voluntatem, sed & potestatem licitè amplectendi nuptias. Illos ergò naturâ eunuchos necessitas facit, hos voluntas. Sub viris autem comprehendit & fœminas, tamquam sub sexu potiori: nam & in illis repertæ fuerunt omnis generis eunuchæ, etiam secundi, ut testis est idem Cælius. PROPTER REGNUM CŒLORUM, id est, non propter præsentis vitæ commoditates, idololatriam, Philosophiam, laudem hominum, sed ut justitiæ ac Deo faciliùs, liberiùs, majori cum fructu vacent, & ad regni beatitudinem perveniant, quod exequitur Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 32. usque ad v. 36. Sed quia res ardua est, & sublimis, Angelicam istam puritatem in corruptibili corpore meditari, ipsâ rei magnitudine ac pulchritudine proposita, calcar addit. QUI POTEST CAPERE, ut scilicet se castret propter regnum cœlorum, CAPIAT, id est, castret ille se. Est enim, ut Hieronym. vox hortantis ad pudicitiæ præmium: qu. d. Qui potest pugnare, pugnet & expugnet, vincat ac triumphet. Nam verbo illo, *qui potest*, significat iterum, non omnes hoc posse, sed quibus datum est, hoc est quibus divinitùs ardens, firma, & constans voluntas aspirata est, ut fluctus illos comprimant, eáque adhibeant, quibus superentur, orationem, je-

junium, carnis macerationem, cordis custodiam, fugam. Verbo, *capiat*, significat rem pendere simul à libertate arbitrii. Proinde judicat quidem unicuique consulendas esse vires suas, ad rem tantam suscipiendam, simul tamen nuptiis castitatem præfert, animósque ipsâ rei magnitudine magis incendit, ut notat Chrys. quia, ut ait Ambr. lib. De viduis, non infirmitatem vinculis alligavit, sed præmiis virtutem provocavit.

13. Tunc oblati sunt ei parvuli. Lucæ cap. 18. &, seu etiam, *infantes*, qui scilicet necdum incedere possent. Ut MANUS EIS IMPONERET ET ORARET, id est, ut manibus impositis oraret pro salute ipsorum, seu ut benediceret ac benè precaretur eis. Mos enim ille offerendi viris virtute claris pueros benedicendos jam inde à temporibus, & exemplo Jacob, benedicentis Ephraïm & Manassæ, inter Judæos inoleverat. Hîc tamen simul moti fuisse videntur ex efficacia contactus Christi, ut, qui ægrotos sanabat, etiam præmuniret. DISCIPULI AUTEM INCREPABANT EOS, prohibendo simul offerentes, ut Marcus: nempe ut qui gravioribus negotiis occupato molestiam exhiberent, & rem auctoritate ac dignitate tanti viri indignam committerent, cùm ægroti non essent. Zelasse enim videntur pro quiete & reverentia magistri sui. Quibus ille respondet:

13. Tunc oblati sunt ei parvuli ut manus eis imponeret, & oraret. Discipuli autem increpabant eos.

14. SINITE PARVULOS VENIRE AD ME, sive per se, sive aliis offerentibus. TALIUM ENIM, si scilicet ad me venerint, & benedicti fuerint, EST REGNUM CÆLORUM, seu æterna fœlicitas. Non dicit autem, *istorum* seu *talium*, ut Hieron. notat, ut indicaret se non solos ætate parvulos, sed etiam parvulis similes quantùm ad mores comprehendere, quod ex Lucæ explicatione subjuncta patet. Humilitatis enim similitudinem, ut Augustinus lib. 1. de peccator. meritis cap. 19. in parva ætate posuit, commendans adultis mirificam illam animi simplicitatem & innocentiam, quæ in parvulis elucent, de qua plura diximus initio cap. 18. Itaque tacitè taxat fastum discipulorum, qui pueris istis dissimiles contemnerent eos, quòd pueri nequaquàm solent.

14. Jesus verò ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cœlorũ.

15. Et cùm imposuisset eis manus, abiit inde.

16. ET ECCE UNUS ACCEDENS, &c. Hieron. confundit istum cum eo, de quo Lucas c. 10. v. 25. cùm potiùs sit ille, de quo idem Lucas cap. 18. v. 18. Unde non est mirum, si deceptus Hieron. putaverit istum tentandi animo Christum interrogasse. Rectiùs enim Chrysost. ex circumstantiis omnibus colligit eum sincero corde accessisse. Nam Marcus flexisse genua, & à Christo dilectum esse dicit. Lucas addit fuisse principem, id est, præcipuæ dignitatis & potentiæ virum inter Judæos, nempe propter divitias. Quia autem præfatione honorificâ usus fuerat, & *bonum* appellaverat, & de bono faciendo interrogaverat: hinc notant plerique Christum quoque duo respondisse, primò, *Quid me dicis bonum?* ut Lucas & Marcus: deinde, QUID ME INTERROGAS DE BONO? ut hîc Matthæus. Sed quia etiam Græca hoc loco legunt, *Quid me dicis bonum?* hinc verisimile est illud, QUID ME INTERROGAS DE BONO? non sic explicandum esse, Quid me interrogas, quid boni facturus sis? sed

16. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam?

17. Qui dixit ei. Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

18 Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non

homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: Non falsum testimonium dices:

19. Honora patrem tuum, & matrem tuam: & diliges proximũ tuum sicut teipsum.

ita potiùs, ut cæteris consentiat hoc modo: Quid me interrogas; de bono mentionem faciens, seu me bonum dicens? Nam & hoc postulant verba statim subjuncta: UNUS EST BONUS DEUS, id est, solus Deus est per se, naturâque suâ bonus, & omnis fons bonitatis tam hominibus quàm operibus. Cùm enim de bono, quo beatus fieret, interrogasset adolescens, ludendo in verbo, *bonus*, corrigere seu altiùs erigere vult ejus animum, qui tamquam ad purum hominem accesserat, ut scilicet intelligeret id, quod loquebatur, & ita crederet, se esse Deum, qu. d. inquit August. libr. 3. contra Maximinum c. 23. Quando me nihil aliud quàm hominem putas, quid me dicis bonum? Rectè me appellabis bonum, si me noveris Deum. Non enim te facit bonum, nec beatum, nec boni operis factorem, nisi bonum immutabile, quod solus est Deus. In eumdem sensum exponit Hilar. l. 9. de Trin. Athanas. Dial. 2. de Trinit. Ambr. lib. 2. c. 1. De fide.

SI AUTEM VIS AD VITAM INGREDI, æternam intelligit & beatam, quasi aliud non sit vivere, quàm sine ullo fine & sine ulla miseria vivere. Nam illa sine ullo additamento dicitur vita, nec intelligitur nisi æterna, & beata, tamquam sola dicenda sit vita, in cujus comparatione ista, quam ducimus, mors est potiùs dicenda quàm vita, prout explicat August. in v. 77. Psalm. 118. SERVA MANDATA: procul dubio omnia, sive de credendis, sive de faciendis, & sive Deum sive hominem respiciant. Refellit enim hæc Christi responsio eos, qui solâ contenti fide opera contemnunt. Existimans autem adolescens à novo doctore nova mandata ferri, interrogat: QUÆ? nec alia Christus adfert quàm ea, quæ Moyses in tabulis scripserat, nec tamen omnia, sed sola secundæ tabulæ, sub illis tamquam notioribus & facilioribus synecdochicè comprehendens ea, quæ spectant ad primam, maximè quia hæc in illorum observatione includuntur. Qui enim secundam tabulam observat, necessariò observat & primam. Unde & Paulus ad Rom. 13. vers. 9. & 10. *plenitudinem legis* vocat, dilectionem scilicet proximi; sicut & hîc generali illo præcepto, DILIGES PROXIMUM TUUM, SICUT TEIPSUM, omnia mandata concludit.

20. Dicit illi adolescens: omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deest?

20. DICIT EI ADOLESCENS: OMNIA HÆC CUSTODIVI A IUVENTUTE MEA, id est, ab ineunte ætate, seu, ut Syrus vertit, à pueritia mea. Nam adolescentis juventus alia non potest esse nisi pueritia. Multi auctores graves volunt falsum dixisse istum adolescentem: sic enim sentit Hieronym. hîc Basil. Homil. in divites avaros, Clemens Alexandr. 4. Stromat. c. 3. Ambr. in Psalm. 1. Iren. l. 4. cap. 26. Imò & August. Epistol. 89. quæst. 4. dicit: Puto, quòd se mandata arrogantiùs quàm verius servasse respondit. Itaque adolescens iste multùm amans divitias suas, nec intelligens, quousque se extenderet in ista divitiarum affluentia præceptum de diligendo proximo, non fraudulento, ut putavit Hieron. sed simplici & candido animo videtur respondisse, se omnia præcepta observasse ut minimùm sicut Pharisæi servabant. Unde & Marc. ait, quòd Christus eum intuitus dilexerit. Nec mentitus propriè dici potest,

quamvis Basil. hoc dicat; sed, si accuratè veritas libretur, arrogantiùs quàm veriùs videtur hoc respondisse, ut Augustinus dixit, QUID ADHUC MIHI DEEST? qu. d. Paratus sum quidlibet suscipere, si quid mihi defuerit. Christus autem distinguens mandata Legis ab ista excellentiore consiliorum perfectione, non ait hîc, si vis ad vitam ingredi; ad hoc enim mandatorum observatio sufficit: sed

21. SI VIS PERFECTUS ESSE, in observandis scilicet ipsis mandatis, & assequenda vita æterna: quod fit amovendo non solùm charitati contraria, ut sunt peccata, sed etiam omnia impedimenta actus charitatis, ut sunt matrimonium, cura rerum sæcularium, & similia. Nam quamvis perfectio essentialiter consistat in perfecta mandatorum observatione, hoc est, in perfecta charitate, & sequela Christi: instrumentaliter tamen consistit in observatione consiliorum, quia per hæc ad observanda præcepta charitatis maximè homo promovetur, ut latiùs tradit D. Th. 2. 2. quæst. 184. art. 1. & seqq. Unde celebris illa sententia Abbatis Moysis, apud Cassianum Collat. 1. cap. 7. Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem, nempe cordis munditiem & charitatem. VADE, VENDE QUÆ HABES, id est facultates & bona tua: quæ non quidem mala, sed magno tibi impedimento sunt assequendi vitam æternam, tum cura, tum illecebris, tum amore sui & fiducia, quibus innectere solent animum. Unde Augustinus lib. 83. Quæstionum quæst. 36. Charitatis venenum est spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. ET DA PAUPERIBUS, simul & semel omnibus divitiarum oneribus, curis & affectibus expeditus. Iste est enim perfectissimus in hoc genere virtutis gradus: paulatim verò ex divitiis possessis eleemosynas dare secundus aut tertius, ut. Hier. adversùs Vigilant. cap. 5. Itaque ut divitiarum contemptum liberalitate cumulet, non vult abjici aut dissipari opes, sicut quidam Philosophi fecerunt, nec consanguineis aut retributoribus dari, sed pauperibus. Ne verò putaret sibi perire, quæ amabat, ET HABEBIS, inquit, THESAURUM IN CÆLO: ostendens tantò plura & majora reperturum, quantò cælum terra præstantius est. Nam, ut Chrysost. Hom. 64. retributionis præstantiam thesaurum appellat, simul præmii abundantiam, & stabilitatem, & incorruptibilitatem humano verbo signanter exprimens. Ne verò me putes tua, non teipsum quærere, VENI, scilicet jam pauper & nudus, jam terrenis rebus exutus, liber curis etiam spe sæculi abjectâ, ET SEQUERE ME: tum corporaliter discipulatui meo inhærendo, tum verò maximè vitam meam omnibus virtutibus & maximè charitate perfectam imitando. In hoc enim consistit summa perfectionis, cujus paupertas illa jam dicta magnum instrumentum & adjumentum est. Hunc perfectionis scopum cùm Philosophi ignoraverint, non mirum, quòd paupertas & nuditas quorumdam parvi momenti, imò prorsùs vana fuerit. Utiliùs enim terrena opulentia tenetur humiliter, quàm superbè relinquitur, in-

21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me.

quit Auguſt. Epiſtol. 34. ad Paulinum & Therasiam.

22. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones,

22. CUM AUDISSET ADOLESCENS VERBUM, ABIIT TRISTIS; quòd ſentiret ſibi deeſſe vires ad conſcendendum illum perfectionis gradum. ERAT ENIM HABENS MULTAS POSSESSIONES: quarum magno amore tenebatur, ex duplici ſcilicet capite, & quòd eas jam haberet, & quòd multas haberet. Nam & facilius paucæ quàm multæ deſeruntur, ut in Apoſtolis patuit; & ut Auguſtin. Epiſtol. citat. Neſcio, quo modo, cùm ſuperflua & terrena diliguntur, arctiùs adepta quàm concupita conſtringunt. Aliud eſt enim nolle incorporare quæ deſunt, aliud jam incorporata divellere: illa velut cibi repudiantur, iſta velut membra præſcinduntur.

23 Jeſus autē dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum.

23. JESUS AUTEM DIXIT DISCIPULIS SUIS, nempe circumſpiciens eos, ut Marcus capite 10. verſ. 13. Quo ſignificat poſtulaſſe attentionem eorum, tamquam rem eis valde neceſſariam dicturus. Qua de cauſa etiam non dicit ibi, ut Matth. *Dives difficilè intrabit*, &c. ſed cum admiratione, *quam difficilè*, &c. nempe quia cum magno labore; & propter illum laborem etiam valde rarum eſt, ut Hilar. & Hieron. notant. Non ergò impoſſibile, ut voluerunt Pelagiani, apud Auguſtin. Epiſt. 89. ſed *difficilè* dixit, quia quamvis plerumque non fiat, fit tamen aliquando, etſi cum labore. DIVES, id eſt, affluens terrenis opibus. Non enim quamlibet rerum neceſſariarum præſentiam, ſed affluentiam opum taxat: & ſic intelligendus Marcus, dicens, *qui pecunias habent*, nempe multas, ita ut divites ſint. Cauſa eſt, quia divitibus difficile eſt divitias relinquere, & adhuc difficilius divitiis retentis, mandata ſervare. Nam præterquam quòd luxuriæ, gulæ, luxûs omniúmque vitiorum inſtrumenta & incentiva eſſe ſolent & multas mordaces moleſtiaque coacervandi & conſervandi curas adferre; hoc habent peculiare, quòd poſſeſſoribus ſenſim ſine ſenſu ſuperbiam, ſui amorem, ſeu avaritiam & fiduciam in ſe inſpirent, eóque majorem, quo majores ſunt, quaſi Deo non ampliùs indigeant. Et hinc eſt, quòd Auguſt. dicere ſolet, proprium vernem divitiarum eſſe ſuperbiam. Unde aptiſſimè Apoſtolus illa jam dicta vitia divitum notans 1. ad Timoth. 6. v. 17. *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, facilè tribuere, communicare*, &c. Et ipſe Chriſtus apud Marcum d. c. 10. v. 24. quaſi explicans radicem difficultatis illius, quam adferre ſolent ſaluti, *Quàm difficilè eſt*, inquit, *confidentes in pecuniis intrare in regnum cælorum!*

24. Et iterum dico vobis: facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnū cęlorum.

24. Cum autem diſcipuli, ut Marc. teſtis eſt, obſtupeſcerent propter ſententiæ severitatem, Chriſtus non corrigens id, quod dixerat, ſed augens, longè ſeverius repetit: ITERUM DICO VOBIS: qu. d. Imò ampliùs dico: FACILIUS EST CAMELUM PER FORAMEN ACUS TRANSIRE, &c. Ut concinnior eſſet comparatio, nonnulli apud Theophyl. per *camelum*, intelligunt funem nauticum, quo alligatur anchora, ſed ille potiùs *Camelos* dicitur per Iota. Veteres & recentiores communiter intelligunt *Camelum*, animal gibboſum ac tortuoſum, quod dicitur facilius tranſire, nempe ho-

minis operâ, PER FORAMEN ACUS, minimum ſcilicet quod vel habet vel facit acus, QUAM DIVITEM, &c. Eſt autem locutio proverbialis, Judæis tunc temporis uſitata, & poſtea ſæpius uſurpata à Thalmudiſtis, qui de elephante hoc efferunt, quod Chriſtus de camelo, Syris notiore. Significat ergò, non ſolùm difficile, ſed impoſſibile eſſe, divitem intrare, &c. Et quidem ſi rei naturam tantùm ſpectes, impoſſibilius, quàm camelum tranſire per foramen acus, eo quòd divitiæ jam dicta certiſſima ſalutis impedimenta adferant, quæ nullis viribus humanis amoveri poſſunt, ſed tantùm magnâ gratiâ Dei, ut Auguſt. initio Epiſtol. 122. ad Probam & libro 2. Quæſt. Evangel. qu. 47. & hoc indicare videtur Chriſtus verſ. 26. Alii tamen volunt eſſe locutionem hyperbolicam, quâ non tam impoſſibilitas, quàm magna admodum difficultas ſignificetur. Cujuſmodi locutiones videre licet & Jeremiæ 13. verſu 23. & Eccleſ. 22. verſu 18. & Proverb. 17. verſu 12. & vulgò uſitatæ ſunt, cùm dicimus, *Facilius ignem aquæ miſceas, quàm illos concilies*; ſignificando utrumque eſſe valde difficile. Nam revera perdifficile eſt, ut divites avellantur ab amore, fiducia, & ab uſu divitiarum, à jactantia & ſuperbia naturaliter inde pullulante. Difficultatem ergò illam mirantes diſcipuli dicunt:

25. QUIS ERGO POTERIT SALVUS ESSE? Intrando in regnum cœlorum; hæc enim diſcipulis eadem ſunt. Aliqui de divitibus tantùm intelligunt quæſtionem generalem: quaſi dicerent, Quis divitum poteſt ſalvus eſſe? eo quòd & ipſi & alii plurimi eſſent pauperes. Sed præſtat generaliter quæri, ut verba ſonant, eo quòd diſcipuli intelligerent pleroſque incumbere divitiis, vel poſſidendis ſeu poſſeſſis, vel deſiderandis & acquirendis (idem enim eſt morbus, divitiis jam poſſeſſis niti, & inhiare parandis:) & ſi tantam difficultatem adferrent divitiæ, majorem adferre vitia notiſſima, quibus mundus plenus eſt.

25. Auditis autem his, diſcipuli mirabantur valde dicentes: Quis ergo poterit ſalvus eſſe?

26. ASPICIENS AUTEM JESUS, benigno ſcilicet vultu, minimum ad ſolandam eorum de ſalute hominum ſollicitudinem, ait: APUD HOMINES HOC IMPOSSIBILE EST, ſcilicet divitem intrare in regnum cœlorum, & ſalvum fieri. APUD DEUM AUTEM OMNIA POSSIBILIA SUNT: & proinde etiam iſtud, nempe, quia magnâ Dei gratâ fieri poteſt, ut mutetur animus divitum, & vel divitias proràs abjiciant, vel certè retinendo divitias, à cupiditate fiduciaque, ac tenacitate rerum temporalium ad charitatem æternorum, & à pernicioſa ſuperbia ad humilitatem ſalubernimam convertantur, inquit Auguſt. cit. quæſt. 47. lib. 2. Quæſt. Evang. Quamvis ergò & pauperi ſit impoſſibile ſalvari ſine gratia Dei, divitibus tamen propter cauſas jam dictas ſignificat eſſe longè difficilius, longéque ſingulariori opus eſſe auxilio Dei, quo pauper non indigeat.

26. Aſpiciens autem Jeſus, dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.

27. TUNC RESPONDENS PETRUS, nomine reliquorum tamquam omnium caput, DIXIT EI, ſollicitus videlicet, non tam de ſalute ſua, & collegarum ſuorum, ut qui manifeſtè non erant divites, quàm de præmio paupertatis ſuæ: ECCE NOS RELIQUIMUS OMNIA, nempe pauperibus, ſive jam vendita, ſive etiam integra

27. Tunc reſpondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?

in usum pauperis, uxoris, liberorum, aliorumque conversa. Et SECUTI SUMUS TE: hoc est, utrumque consilium, quod adolescenti præscripsisti, vel plenè ad litteram, vel certè maxima ex parte fecimus. QUID ERGO ERIT NOBIS? mercedis, aut præmii, an thesaurus in cœlo, an aliquid inferius? Dubitat enim, eo quòd vel non omnes sua vendidissent, vel certè non divitias, sed perpauca quædam, ut naviculam & retia pauperibus reliquissent. Magnâ tamen fiduciâ dicit, RELIQUIMUS OMNIA: quia, ut Augustinus Epist. 89. totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere, dimittit. Affectum enim, inquit Gregor. Homil. 5. in Evangel. debemus in hac re potiùs pensare, quàm censum. Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit, & qui quamlibet parum totum deseruit. A sequentibus enim tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Hoc attendens ergò Dominus respondet Petro:

28. Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël.

28. Vos, QUI SECUTI ESTIS ME, corporaliter relictis omnibus, ut comites individui & sectatores vitæ meæ. Sic enim hoc intellexit Petrus, & sic eos fecisse narraverat Matth. cap. 4. vers. 20. & 22. omnium enim derelictionem ista sequela comprehendit: IN REGENERATIONE: non baptismi, ut Hilar. qui hoc jungit cum verbis, *secuti estis*, sed mundi, quâ cœlum novum, & terra nova creabitur, vel in regeneratione hominis novissima, quæ juxta Augustin. libr. 3. ad Bonif. cap. 3. ambigente nullo est resurrectio mortuorum: & propterea regeneratio dicitur, ut Augustin. libr. 20. de Civit. cap. 5. quia per eam caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum est anima nostra regenerata per fidem. Per illam enim carnis incorruptionem ab omni corporeæ concretionis labe, & affectibus terrenis, veluti quadam regeneratione purificabimur, ut Ambros. apud eumdem Augustin. 4. ad Bonif. cap. 11. CUM SEDERIT FILIUS HOMINIS IN SEDE MAJESTATIS SUÆ, id est, cùm se palàm vivis & mortuis magnâ cum majestate & gloriâ judicem exhibuerit. Sessio enim tranquillitatem & auctoritatem judicis aptè significat: unde & hoc situ fortassis appariturus est in nubibus, veluti throno suo. SEDEBITIS ET VOS SUPER SEDES DUODECIM, id est, etiam vos cum simili gloria judices mihi proximi apparebitis, unusquisque in throno suo. Alludit enim ad morem humanum, ubi cum Rege judicante Consiliarij considunt, & simul ad numerum duodenarium Apostolorum. Præsentem enim justitiam & statum eorum respiciebat, quemadmodum Scriptura in promissionibus & minis solet, subintelligendo tacitam conditionem, si in justitia & statu illo perseveraverint, à quo Judas excidit. Et quia omnium Christum sequentium, relictis omnibus, eadem ratio est, hinc Augustin. lib. 20. de Civit. cap. 5. per duodenarium numerum significari tradit universam multitudinem judicantium, propter mysterium numeri ternarii & quaternarii, in se ductorum; quorum utroque quædam universitas in Scripturis indicari solet. Nam alioqui Paulus, qui se Angelos judicaturum dixit 1. ad Corinth. 6. sedem judicandi

dicandi non haberet. Simili modo illud, quod sequitur, JUDICANTES DUODECIM TRIBUS ISRAEL, intelligendum est. Sub illis enim universitas judicandorum, seu omnes gentes intelliguntur, alioquin tribus Levi tamquam decimatertia injudicata recederet, ut Augustin. ibidem. Duodecim tamen tribus tantùm nominat, eo quòd illarum peculiariter ipse esset Rex, ipsis Messias missus, illis denique ipsemet & Apostoli primò prædicare deberent. Porrò judicium istud non est solui comparationis, ut vult Hieron. nam hoc & malis quibusdam competit, ut Ninivitis, Matth. 12. vers. 41. neque etiam approbationis sententiæ, quod omnibus bonis erit commune, sed judicium potestatis & auctoritatis. Unde eis, tanquam principibus Regi proximis, primatus in regno cœlorum promittitur, & aliquid longè amplius, quàm illi adolescenti.

29. ET OMNIS, QUI RELIQUERIT, &c. His verbis putat Theophyl. extendi superiùs præmium ad alios quàm ad Apostolos. Sed rectiùs dixeris cum Origen. Tract. 9. in Matth. & Augustin. Epist. 89. hîc tangi inferius genus hominum, & inferius præmium: ita scilicet, ut priori sententia responderit Christus de iis, qui omnia reliquissent, & Christum secuti essent, sicut Apostoli: hac verò posteriori de iis, qui quamvis Christum non secuti fuerint corporaliter, omnia tamen, vel aliquid propter ipsum reliquerint: id est, deseruerint, etiamsi non vendiderint. Nam inter relinquenda ponitur etiam uxor, quæ vendi non potest: desertiamen potest, sive studio perfectionis, ad sequendum Christi consilium, si consenserit, sive ad servanda præcepta, etsi fuerit invita & non consenserit. Potest enim occurrere necessitatis articulus, ut aut uxor sit relinquenda Christiano, aut Christus: idemque judicium est de domo, parentibus, fratribus, & quibuslibet temporaliter bonis, ut latiùs tractat Augustin. illâ Epist. 89. in fine. PROPTER NOMEN MEUM, id est, propter me seu amore mei, videlicet potiùs quàm me; aut fidem meam, aut præcepta deserat. Non enim conjugia, aut cognationes dirimi Christus cupit, sed se uxori, parentibus, filiis, ipsique adeò vitæ præponi. CENTUPLUM ACCIPIET: supple ex Marco & Luca: *in hoc sæculo*, quod & postulat antithesis cum *vita æterna*, ut sequitur. *Centuplum* autem idem est, quod centies tantum, scilicet pro singulis relictis: ubi numerum certum poni pro incerto patet ex Luca, dicente, *Et non recipiat multò plura in hoc sæculo*: q. d. Non damno, sed lucro ei erit ista relictio: partim quia, ut Hieronym. loco carnalium bonorum recipiet spiritualia, nempe virtutes animi, pacem & consolationes, quæ comparatione & merito sui ita sunt, inquit, ut si parvo numero centenarius comparetur: partim quia loco unius fratris: sororis &c. centuplo plures erunt, qui ei castum & spiritualem affectum, ac solatium fratris, sororis, uxoris, &c. impendent, & suis domibus excipient, bonisque sustentabunt. Hoc enim potissimum hîc spectari ex Marco patet; qui dicit, *Qui non accipiat centies tantum, domos, fratres, sorores,*

29. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

matres, *&c.* Qui etiam adjicit, *cum persecutionibus*, hoc est in mediis persecutionibus: quando ad suos deserendos compellitur & omnium auxilio destitui videtur: ET VITAM ÆTERNAM POSSIDEBIT: supple ex Marco & Luca, *in futuro seculo*: item (quod in omnibus similibus intelligi debet) nisi aliunde impedimentum objiciatur. Summa igitur promissionis est, quòd qui sua propter Christum deseruerit, longè felicior erit, etiam in hoc sæculo, quàm si sua retinuisset, & maximè in futuro.

30. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

30. MULTI AUTEM ERUNT PRIMI NOVISSIMI. Ordo verborum est, Multi primi erunt novissimi, & contrà. Variè hoc accommodant ad Christi propositum: sed additum videtur, ne Apostoli mirarentur, quòd ipsi viles homines judicaturi essent Judæos, ac duodecim tribus, & qui persecutionibus pressi sua desererent, in vita æterna cæteris antecellerent. Nam, ut hanc inopinatam vicissitudinem ob oculos poneret, adducit generalem parabolam, in cujus fine concludit, *Sic erunt novissimi primi*, *&c.* quasi explicuisset id, quod hîc dixerat. Unde & hîc, ubi nos legimus.

CAPUT XX.

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.

4. Et dixit illis: Ite & vos in vineam meã, & quod justum fuerit dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter.

6. Circa undecimam verò

SIMILE EST REGNUM CŒLORUM, Græcè & Syriacè est, *Simile enim est regnum cælorum*, *&c.* ut sit ratio præcedentis sententiæ. SIMILE ergò est, &c. hoc est, similiter agitur in Ecclesia, quemadmodum si patersamilias aliquis conduceret operarios ad excolendam vineam suam, paciscendo cum eis,

2. DENARIO DIURNO, id est, denario argenteo, qui pro opera unius diei pendi solet. Intelligi enim videtur denarius minor, unius drachmæ pondere, unius circiter Regalis Hispanici valore, de quo alibi diximus.

3. ET EGRESSUS CIRCA HORAM TERTIAM. Pro horarum istarum intelligentia sciendum est, Judæis & Romanis diem divisum fuisse in horas duodecim, similiter & noctem: quarum quæque dividebatur in quatuor partes æquales: quæ respectu noctis dicebantur quatuor Custodiæ, seu Vigiliæ; respectu diei verò vocabantur istis usitatis nominibus Prima, Tertia, Sexta, Nona. Dies enim & hora prima incipiebant in exortu Solis, & primus quadrans diei complectebatur horam primam, secundam, & tertiam totam; secundus quartam, quintam & sextam, quæ terminabatur præcisè ipso meridie; tertius septimam, octavam & nonam; ultimus verò decimam, undecimam & duodecimam, quæ finiebatur ipso occasu Solis. Hinc est quòd horæ istæ diurnæ longiores essent in æstate, quàm in hyeme, & è contrario horæ nocturnæ longiores in hyeme, quàm in æstate. Neque ulla hora respondebat nostris adæquatè & semper; nisi solus finis sextæ, & initium septimæ, quæ semper incidebant in medium diem, vel mediam noctem. Ex his patet, primum quadrantem in se complexum fuisse totam ho-

ram primam & tertiam. Unde quia hîc dicitur *circa tertiam*, *circa sextam*, *circa nonam*, & *undecimam*, intelligi videtur finitam seu sub finem tertiæ, &c. ubi incipiebat secundus quadrans, & circa finem sextæ, ubi incipiebat tertius quadrans. Similiter ergò *circa undecimam*, id est circa finem undecimæ, cùm scilicet non nisi una hora diei tota, duodecima esset reliqua. Reliqua in litera parabolæ satis manifesta sunt. *Paterfamilias*, itaque iste est Deus in primis Pater, de quo Christus Joan. 15. *Pater meus agricola est*: quamvis Hilar. intelligat Christum Dominum. *Vinea* est Ecclesia, juxta Orig. in Matth. & Greg. Hom. 19. in Evang. *Operarii* homines sunt, qui per fidem in Ecclesiam vocantur: nemo enim in eam intrare potest nisi vocatus per gratiam, idque ad excolendam vineam, id est, ad opera justitiæ facienda, & quidem *conventione factâ*, id est, interveniente promissione mercedis. *Horæ* diversæ diversa tempora sunt vocationis, quæ tamen non eodem modo ab omnibus intelliguntur. Ambr. enim libr. 7. in Luc. Iren. lib. 4. cap. 70. Orig. Hilar. & alii intelligunt per *diem totam*, tempus, quod à mundi initio usque in finem interjectum est. Ita ut primum mane, seu hora prima sit mundi initium usque ad diluvium: tertia hinc usque ad Abraham: sexta ab Abraham usque ad Moysen: nona, inclinante jam sæculo, & pallescente luce virtutis, denotat tempus Legis, & decolores hominum mores, à Moyse usque ad Christum: undecima ab adventu Christi, usque ad finem mundi, quæ à Joanne *novissima hora* dicitur: quo tempore Gentiles in vineam excolendam vocati sunt, quibus etiam dictum, QUID HIC STATIS TOTA DIE OTIOSI? Eò quòd usque ad ultimam transacti mundi ætatem justitiam neglexerant: idque sicut aiunt, QUIA NEMO NOS CONDUXIT, id est, nullus Patriarcha, vel Propheta nobis veritatem & vitæ vias prædicavit. Alij intelligunt diversas ætates hominum, quibus ad fidem & justitiam faciendam in Ecclesiam vocantur, ita videlicet, ut qui pueri venerunt, horâ primâ adducti sint; qui adolescentuli, tertiâ; qui juvenes, sextâ; qui viri, & in senectutem vergentes, nonâ; qui decrepiti, vel in fine vitæ, ut latro, undecimâ: non enim omnes Deus primo mane vocat. Ita Augustin. Serm. 237. de tempore, cap. 1. Basil. reg. 224. inter breviores, Nazianzen. Orat. 40. & alij. Utramque expositionem complectitur Greg. Homil. illâ 19. jam citat. Hieronym. & Augustin. & sanè utrovis modo rectè intelligi potest. Et primo quidem modo scopus parabolæ erit, ostendere; quòd Gentiles sine injusia æquentur antiquis Patribus, ac Judæis, quamvis priùs vocatis: secundo verò, nihil interesse, qua sua ætate aliquis ad fidem vocetur; quòd sanè videtur parabolæ congruere. Ultimi enim dicuntur breviori tempore operati, & tamen parem recipere mercedem. Nihil autem interest, qua mundi ætate vocetur aliquis, ut diutiùs, vel minùs diu operatus dicatur, sed qua sua ætate. *Forum*, in quod paterfamilias exit, totus est mundus, in quo extra Ecclesiam non nisi otiosa & mundana tractantur. *Denarius*, qui æqualiter singulis

exiit, & invenit alios stantes, & dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi?

7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vinam meam.

8. Cùm sero autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos.

9. Cùm venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem & primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi; acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias,

12. Dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus.

13. At ille respondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi injuriâ: nonne ex denario convenisti mecum?

14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem

& huic novissimo dare sicut & tibi.

redditur, est vita æterna, seu regnum cœlorum, ubi erunt omnes, quos prædistinavit Deus, ut latè declarat August. libr. de sancta virginit. cap. 26 Nam quamvis stella à stella differat in claritate, & diversa sint Sanctorum merita, in vita tamen æterna & in regno cœlorum esse omnibus commune est, sicut in cœlo esse omnibus commune est sideribus. *Vespera diei* est finis mundi & novissimi judicii dies. Nam quamvis mors uniuscujusque sit ejus vespera, communis tamen omnibus vespera est illa dies. Procuratorem, seu œconomum Iren. libr. 4. cap. 70. vult esse Spiritum sanctum, qui dividit singulis, prout vult. Rectiùs cum Gregor. dixerimus esse Christum, qui judex vivorum & mortuorum constitutus suam singulis mercedem dabit; & quamvis omnibus simul tamen, INCIPIT A NOVISSIMIS USQUE AD PRIMOS; quia ut August. Serm. illo 59. cap. 4. qui post. unam tantùm horam laboris mercedem acceperunt, priores videntur accepisse, quia minùs diu dilati sunt. MURMUR significat Sanctorum admirationem, vel, ut Chrysost. ac Theophyl. indicat tantam esse Dei gratiam erga Gentes, vel eos, qui ultima vitæ ætate vocati sunt, ut humano more, si fieri posset, alios ad invidiam & murmur concitaret. Nam quamvis, ut vers. 4. dicitur omnibus etiam serò vocatis, quod justum fuerit, detur, si mercedem cum opere compares, tamen, quia opus illud est gratiæ & gratuitò datum, merito mirantur novissimis tantam gratiam esse collatam, ut magnitudine dilectionis compensantes laboris brevitatem, in mercede æquentur primis, QUI PORTAVERANT PONDUS DIEI, id est, continuum totius diei laborem, ET ÆSTUS, Solis: nempe propter graviores labores ante Christi adventum, cùm sæviret diabolus, vitaque esset diuturnior, & gratia minor; vel propter graviores per totam vitam carnis æstus, ac tentationes, quæ in horâ novissimâ, nempe sub Christi gratiâ, vel senectute, longè mitiores sunt. Et quia totum istud gratiæ Dei est, quam ipse, quibus vult, facit, hinc RESPONDET paterfamilias UNI, loco omnium, AMICE, NON FACIO TIBI INIURIAM, &c. id est, non fraudavi te pactâ mercede. VOLO AUTEM ET HUIC NOVISSIMO DARE, nempe ex liberalitate mea, quamvis brevissimo tempore laboraverit, SICUT ET TIBI.

15. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?

15. AUT NON LICET MIHI QUOD VOLO FACERE? Græcè & Syriacè additur, *in meis*, id est, in rebus meis, seu, ut Augustinus explicat Serm. cit. de meo. AN OCULUS TUUS NEQUAM EST, seu malus, QUIA EGO BONUS SUM? id est, An tu invidus es quia ego in alium liberalis sum? *Malus* enim *oculus* Hebræis significat invidiam, ut videre licet Marci 7. vers. 22. & clarè Proverb. 23. v. 6. ubi pro homine invido est Hebraicè רע עין, *Ragh ghaijn*, oculus malus, & Eccl. 31. v. 14. eo quòd ex oculis invidia potissimùm eluceat. Hæc videtur genuina parabolæ explicatio. Nam quòd plerique recentiores velint, per *primos* significari Judæos; per *novissimos* Christianos, eo quòd Judæi acceperint tantùm mercedem temporalium, Christiani verò vitam æternam, multis modis videtur parabolæ dissonare, ut pote in qua primi clarè dicunt,

noviſſimos ſibi pares eſſe factos, & paterfamilias dicit, *Volo huic noviſſimo dare ſicut & tibi.* Unde omnes etiam acceperunt ſingulos denarios, id eſt, parem mercedem.

16. Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

16. Sic, id eſt, quemadmodum in hac parabola, qui primi vocati fuerant, ultimò acceperunt mercedem; & qui longè diutiùs gravioreſque labores pertulerant, nihil otamen cæteris ampliorem, ſed potiùs minorem, quamvis laboribus parem mercedem acceperunt: ita etiam in regeneratione fiet, ut multi, qui NOVISSIMI, & abjectiſſimi in hoc mundo fuerant, relinquentes omnia, perſecutionibus preſſi, &c. fiant PRIMI: & è contrario, qui hîc PRIMI fuerant, ut Scribæ & Phariſæi, & ſimiles, fiant NOVISSIMI, & ab ipſa vita æterna excludantur. Eſt enim repetitio ſententiæ præcedentis, ad cujus probationem hæc parabola, quæ de ſolis in vitam æternam vocatis loquebatur, interpoſita fuerat. Unde id, quod ſequitur, MULTI ENIM SUNT VOCATI, &c. eſt ratio non ejus, quod in parabola contigiſſe dixerat, ubi omnes electi erant, ſed ſententiæ illius generalis, maximè quatenùs Apoſtolos, ac Iudæos, ſeu duodecim tribus reſpicit, ut dictum eſt in fine Cap. præcedentis. Itaque MULTI SUNT VOCATI, à Deo ad fidem, ad charitatem, ad perfectionem Evangelicam, & ad regnum cœlorum, PAUCI VERO ELECTI, ad id ſcilicet, ad quod vocati fuerant, maximè ad regnum cœlorum. Et ideò non eſt mirum, quod qui primi videntur vocatione & hominum judicio, fiant noviſſimi, & contra. Electio enim iſta occulta eſt & ſingulariſſimæ Dei gratiæ: ex qua fit, ut, quamvis omnes vocentur, alii tamen ex iis vocentur ſecundùm propoſitum ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ita vocentur à Deo, ut reipſa credant, ut juſtificentur, glorificentur, ut Deo eis dante perſeverantiam.

17. Et aſcendens Jeſus Jeroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò: & ait illis.

17. ET ASCENDENS, &c. ASSUMPSIT DUODECIM DISCIPULOS SECRETO: Græcè κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, ſeorſim ſcilicet ab aliis diſcipulis & turbis, ne ſequens prædictio nimis divulgaretur, & ita mors ejus, vel impediretur, vel procurata videretur. ET AIT ILLIS:

18. Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte.

18. ECCE ASCENDIMUS, &c. q. d. Ecce iam in hoc aſcenſu præſoribus eſt, quod aliquoties prædixi vobis de morte mea.

19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget.

19. ET TRADENT EUM GENTIBUS; Romanis ſcilicet & Præſidi Pilato, ſicut ipſe teſtatur Joan. 18. verſ. 35. *Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi.* Tradent autem, ut gravius crucietur nempe AD ILLUDENDUM, ET FLAGELLANDUM, ET CRUCIFIGENDUM. Ad crucifixionem ſolam expreſſè tradiderunt; ad reliqua tacitè, tum quia gratum eis fuit, quidquid ei ſupplicii inferretur: tum quia materiam illuſionis & flagellationis præbuerunt, accuſando eum tamquam affectatorem regni. Interim hæc prædicit, ut ad patientiam & animi conſtantiam præmuniret. Nam quod Lucas c. 18. v. 34. dicit *quod nihil horum intellexerint*, intellige, quod non intellexerint mortis iſtius tam ignominioſæ myſterium & fructum ad redemptionem generis humani: non quòd verba clariſſima non intellexerint. Alioquin enim non diceret Marcus c.

10. v. 32. quòd *discipuli stupebant*, nempe Christum tam alacriter nihilominus præcedentem, & quòd *sequentes timebant*, scilicet mortis prædictæ periculum.

20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis: adorans & petens aliquid ab eo.

20. TUNC, auditâ per filios mentione resurrectionis, & sessionis super duodecim sedes ad judicandas duodecim tribus. Putabant enim Christum jamjam proficisci ad capessendum regnum suum, quod more Judaico in terra Jerololymis exspectabant. ACCESSIT MATER FILIORUM ZEBEDÆI, Jacobi & Joannis, nomine Salome, ut colligitur ex Marci 15. vers. 40. juncto cum Matth. 27. vers. 57. PETENS ALIQUID AB EO, in genere, ut fidem ejus magis obstringeret, ne re statim intellectâ repelleretur. Marcus dicit ipsos filios petiisse, quia scilicet matrem ad petendum subornaverant, ut petitio esset honestior, & impetratio facilior, eò quòd mulier, & pro filiis, & Christo cognata (ut multi) & ipsi serviens, faciliùs flectere posse videretur: & ut repulsæ pudor, & cæterorum Apostolorum invidia esset minor. Unde notat Aug. lib. 2. de consensu Evang. c. 64. & Hieron. hîc, non tam matri quàm filiis instigantibus Christum v. 22. respondisse. Matrem autem ipsam pulchrè & latiùs excusat Ambros. in Luc. breviùs Hieron. quòd error esset muliebris, & effectus pietatis. Petebat enim pro filiis: DIC, UT SEDEANT, &c. jube statim tamquam Rex, ut filii mei cingant tibi utrumque latus, ac veluti proximi, & proceres regni sedeant. His enim verbis primas in regno petit, & clarè alludit ad sedes illas duodecim, de quibus cap. præced. v. 28. ut à filiis instructam fuisse liqueat.

21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram, in regno tuo.

22. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: possumus.

22. RESPONDENS AUTEM DIXIT ipsis filiis: NESCITIS QUID PETATIS, quia nescitis, quid sit regnum meum, nempe non carnale in hoc mundo, sed spirituale: nescitis, quid sit sedere mihi proximum, id est, nescitis, quàm magnum sit, & ipsas Angelicas excedens virtutes, ut Chrysost. Nescitis, quid faciat idoneum tali loco, scilicet non sanguinis nexus, sed potatio calicis: nescitis, quàm inordinatè petatis, triumphum scilicet ante victoriam: denique nescitis, quâ viâ impetretur, nempe non hujusmodi precibus, sed meritis. POTESTIS BIBERE CALICEM, ignominiæ, supplicii, & mortis, QUEM EGO BIBITURUS SUM? id est, Satisne virium habetis, ut eamdem quam ego sortem subeatis certaminis, passionis & mortis, quæ eos, qui primas in regno meo obtinere volunt, necesse est imitari? *Calix* enim in Scripturis uniuscujusque sortem, ei à Deo decretam, significare solet, sive bonam, ut Psal. 15. v. 3. & Psal. 22. vers. 3. *Calix meus inebrians, &c.* sive, quod frequentius est, malam, ut Psalm. 10. vers. 7. & Ps. 74. v. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*: quæ metaphora Prophetis valde usitata est, ut liquet Isaiæ 31. v. 17. & Jeremiæ 25. v. 15. & alibi. Desumptam autem volunt ab antiquo potantium ritu, quo convivii præses unicuique suum miscebat calicem seu portionem, quam biberet. Itaque his verbis docet eos Christus & exemplo suo modum, quo obtinerent id, quod petierant. Quod idem Græcus textus, & Syriacus hoc loco itemque Lati-

ans apud Marcum, aliâ explicat metaphorâ. *Et baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Eamdem enim passionem suam vocat *baptismum*, sicut & Lucæ 12. v. 50. qua ita undique obrutus & afflictus fuit, sicut homo undique aquis mergitur; per aquas enim inundantes tribulationes significare Scripturis familiaris tropus est, ut patet Ps. 8. v. 1. 2. 3. DICUNT EI, Possumus. Sentiebant enim se animo paratos in carcerem, & mortem cum Christo ire, sicut & Petrus postea; sed quemadmodum honoris, quem ambierant, magnitudinem, ita & necessarias ad bibendum hujusmodi calicem vires nesciebant: dulce enim martyrium, sicut & bellum, inexpertis.

23. AIT ILLIS: CALICEM QUIDEM MEUM, id est, meo similem BIBETIS, quia alter eorum mortem pro Christo Act. 12. alter exilium, fervens oleum, gravésque tribulationes passus est, Apocalyp. 1. vers. 9. quæ omnia ad calicem Domini pertinent. SEDERE AUTEM AD DEXTERAM, &c. id est, summum in regno meo honoris gradum, NON EST MEUM DARE VOBIS, id est, superbis: hoc enim adhuc estis, inquit August. Psal. 126. Unde illis verbis, *potestis bibere calicem*, &c. putat eos ad humilitatem passionum ab ambitione fuisse revocatos. Capite verò 12. libr. 1. de Trin. aliter exponit, *Non est meum*, id est, non est humanæ potestatis hoc dare, quia tamquam ab homine postulatis: sed paternæ, & proinde & meæ æternæ prædestinationis. Possent hæc verba appositè ad mentem petentium sic exponi: Primas regni sedes non est æquum, ut pro libitu meo humanoque beneplacito distribuam, amicorum, familiarium, consanguineorum cedendo affectibus aut votis: sed illis dandæ sunt quibus a Patre sunt decretæ, nempe certantibus & vincentibus: quibus enim certamen & victoriam, illis & coronam paravit. Ita ferè Chrysost. Hieron. & Theophyl. Nec ait ergò Christus, nec negat eos esse, quibus dandæ sint illæ sedes, sed ostendit non sic esse dandas, tacitéque eorum animos priùs ad labores cogitandos quàm ad coronas excitat. Græcè deest illud, *vobis*; & tunc iste sensus est, *Non est meum dare* ambitiosè petentibus, *sed quibus*, id est, nisi quibus *paratum est à Patre*, per æternum decretum: sic enim Græcum ἀλλ' ἢ aliquando vertitur, ut Marci. 9. v. 7.

23. Ait illis: Calicem quidē meum bibetis; sedēre autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

24. ET AUDIENTES DECEM, INDIGNATI SUNT, carnaliter æmulantes de petitione carnali. Ex eodem enim fonte indignatio & petitio prodiit; quia quisque sibi more aulicorum hujus mundi primatum ambiebat. Itaque omnibus ex æquo medicinam admovens, exemplo tum Regum tum suo eos ad modestiam revocat.

24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

25. SCITIS, QUIA PRINCIPES GENTIUM DOMINANTUR EORUM, id est, eis, quibus præsunt, seu Gentibus, ut Græcum sonat; id est, Scitis quòd Principes hujus mundi, ijque gentiles, à Dei cultu & religione alieni, dominantur in subditos, seu dominandi fastum & impetrandi ex principatu quærunt ut pote eum solo dominatu, non utilitate subitorum metientes. Nam Græcè verbum κατακυριεύειν, id est, *Dominari* propter additam præpositionem, κατὰ in malam partem sumitur: quod eodem verbo & sensu verat pastores Pe-

25. Iesus autem vocavit eos adse, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui majores sunt, potestatem exercent in eos.

trus, Epist. 1. c. 5. v. 3. dominari in clerum, id est, in gregem, qui eis sorte obtigit. ET QUI MAIORES SUNT, seu magnates Gentium, qui dignitate pollent inter eas, *potestatem exercent in eos*, id est, eò referunt dignitatem suam, ut jubeant, imperent, & alios imperiosâ potestatesua quo quo modo ad obsequiumimpellant: q. d. Christus, Scitis affectationem, quâ laboratis, esse Gentilium, amantium tolum dominatum, & potestate sua ad fastum & gloriam suam abutentium. Quæ sententia & assertivè, & majori emphasi interrogativè legi potest:

26. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos major fieri; sit vester minister:

27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus.

26. NON ITA ERIT INTER VOS, discipulos videlicet regni cælestis, quorum mores à Gentibus Dei ignaris differre debent. SED QUICUMQUE VOLUERIT INTER VOS MAIOR FIERI. Hieron. Chrysost. & Hilar. in Psalm. 118. intelligunt hîc præscribi modum parandi principatum in regno cœlorum scilicet, humilitate ministrandi & serviendi hîc omnibus, non fastu dominandi. Sed aptiùs dixerimusChristum ex onere incumbente primatui regni cælestis, seu Ecclesiæ, ab eodem affectando deterrere, hoc sensu: Qui voluerit major fieri, seu esse, ut sequitur vers. 27. id est, qui statuerit magnus esse & auctoritate eminere, suscipiendo principatum, ille jam major factus, SIT VESTER MINISTER, id [illegible] sciat ita se præesse debere, ut non honorem suum, commodum, aut imperandi fastum ex principatu quærat, sed ministerium aliorum: sive ita, ut se exhibeat ministrum, salutem tantùm eorum quærendo: quod idem repetit aliis verbis v. 27. sed cum quadam auxesi. Plus est enim *primum* esse, quàm *majorem*: & plus est esse, *servum*, quàm *ministrum*. q. d. Sciat se, quidquid bonorum habet corporis, animi, fortunarum, & vitam ipsam saluti vestræ procurandæ impendere debere, instar servi. Nam, ut præclarè August. 19. de civit. cap. 14. In domo justi viventis ex fide; & adhuc ab illa cælesti civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare. Neque etiam dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbia, sed providendi misericordia. Et sic exposita Matthæi sententia prorsus convenit cum ea, quæ est Lucæ 22. v. 26.

28. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis.

28. SICUT FILIUS HOMINIS, ego scilicet omnium citra controversiam major, primus, & princeps, NON VENIT in hunc mundum, MINISTRARI, id est, eo scopo, ut sibi ab aliis ministretur, sive ut hominum ministerio utatur, ad pompam magnificentiæ suæ, SED MINISTRARE, id est, sed ut hominum saluti, & utilitati, discurrendo, prædicando, sanando, moriendo serviat. Nam, hoc est, quod addit, DARE ANIMAM SUAM, id est, ut profundat ipsam vitam suam, sive ut tradat semetipsum Deo Patri, juxtà dicta Matth. 10. vers. 39. REDEMPTIONEM, Græcè λύτρον id est, pretium redemptionis, quo captivi redimuntur, PRO MULTIS, omnibus scilicet, qui simul multi sunt, redimendis ab ira Dei, captivitate diaboli. Maluit tamen, *multis*, quàm, *omnibus* dicere, ut non sufficientiam suæ redemptionis, sed fructum, exprimeret, qui non in omnes, sed multos redundabit, ut insinuat

nuat Hieron. quo modo & infrà c. 26. vers. 28. & Paulus ad Hebræos 9. v. 28. Christum oblatum dicit ad multorum exhaurienda peccata.

29. ET EGREDIENTIBUS ILLIS AB JERICHO. Ita Marcus cap. 10. v. 46. idem miraculum narrat factum in egressu à Jericho. Namquòd unum tantùm cæcum nominat, Math. verò duos, fieri potuit, ut significaret illum unum fuisse famosissimum, unde & pater ejus à Marco exprimitur: alterum ignotum, sicut hanc apparentem contradictionem solvit Augustin. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 48. & lib. 2. de consen. cap. 65. Majorem difficultatem habet, quod Lucas c. 18. v. 35. notat, hoc esse factum, *cùm appropinquaret Jericho*, id est, ante ingressum in Jericho. Et quamvis indicet Augustin. hoc intelligi posse cum esset propè Jericho, scilicet ingrediendo, magis tamen inclinat, sequendo proprietatem verbi, *appropinquaret*, hoc factum esse ante ingressum, & ita esse aliud miraculum, simile ei, quod narrant Matth. & Marcus. Sed tanta est omnium omninò cæterarum circumstantiarum similitudo, ut idem planè miraculum à tribus narrari videatur. Et ita dicendum est, Lucam exprimere locum, unde primò incœpit cæcus clamare, scilicet cùm appropinquaret Jesus Jericho: sed cùm esset dilata sanitas ejus, eum iterum obsedisse viam, cùm egrederetur Jericho, & tunc vocatum esse ac sanatum. De oratione verò ista, *Miserere nostri, fili David*, vide dicta Matth. 9. v. 27. & c. 15. v. 22.

29. Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa.

30. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret, & clamaverunt, dicentes: Domine miserere nostri, fili David.

31. TURBA AUTEM INCREPABAT EOS, UT TACERENT: putans eos vel stipem more mendicorum à Christo petere, vel importunis clamoribus Christo voces eorum dissimulanti, esse molestos: fortè & quòd ægrè ferrent nonnulli eum vocari Filium David. AT ILLI MAGIS CLAMABANT: ut strepitum turbæ superarent, nescii quantùm Christus abesset. Per quod indicatur ardor desiderii ipsorum. Allegoricè & pulcrè tractat hanc historiam Augustin. Serm. 18. de verbis Dom. c. 11. & seqq. Nam duo cæci sunt duo populi, Judaïcus & Gentilis, non oculis sed animo cæci: qui, *transeunte Jesu*, id est, dispensante nobis temporalia, ac transitoria adventus & incarnationis suæ opera & sacramenta, *clamant*, ut sanentur & operibus & vocibus, dùm gratiæ & Evangelicæ legi per opera congruere volunt. Quòd cùm facere incipiunt, *turba prohibet*, id est, consuetudo desideriorum carnalium, vel dilectores hujus mundi impediunt, sed perseverando vincunt strepitum, ut *stante Jesu*, id est per stabilem divinitatem ejus sanentur, ut videre possint, ac diligere incommutabilem luçem æternæ sapientiæ. Eodem ferè modo lib. 1. Quæst. Evang. qu. 28. Latiùs verò & magis tropologico sensu tractat hæc Gregor. Hom. 2. in Evang.

31. Turba autem increpabat eos ut tacerent: At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili David.

32. Et stetit Iesus, & vocavit eos, & ait: Quid vultis ut faciam vobis?

33. Dicunt illi, Domine, ut aperiantur oculi nostri.

34. Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

CAPUT XXI.

1. ET CUM APPROPINQUASSENT JEROSOLYMIS, ET VENISSENT BETHPHAGE IN MONTEM OLIVETI. *Mons Oliveti* dicitur,

1. Et cùm appropinquassent

Jerosolymis, & venissent Bethphage ad Montem Oliveti: tunc Iesus misit duos discipulos.

eo quòd esset locus olivis consitus. Unde Græcè vocatur mons ἐλαιῶν, *olivarum*. Distabat ad orientem à Jerusalem itinere sabbati; ut est Act. 1. vers. 12. hoc est, mille circiter passibus, si remotissimam ejus radicem spectes. Nam Josephus lib. 8. de bello Judaico c. 5. scribit sex stadiis distare, nempè spectando verticem Vallis Josaphat. Interjacet inter urbem & montem quam mediam secat torrens Cedron. *Bethphage* verò vicus est seu villula sacerdotum, ut Hieron. ad radicem orientalem illius montis sita. Unde quod Luc. & Marcus dicunt hoc factum esse, cùm Jesus appropinquasset Bethaniæ, quæ tamen Joan. 11. vers. 18. dicitur distare à Jerusalem stadiis quindecim, id est, passibus facilè 170. aut 180. intelligendum est, Evangelistas ruditer describere situm locorum istorum; q. d. Cùm essent propinqui Bethaniæ, unde venichant, Joan. 12. v. 1. & 12. Bethphage, monti olivarum, & Jerosolymis: TUNC MISIT DUOS DISCIPULOS. Quidam apud Auctorem operis imperf. Petrum & Philippum fuisse volunt, quod obscurè indicat Hilar. alii Petrum & Joannem, sed res incerta est.

2. Dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam & pullum cum ea: solvite & adducite mihi:

2. DICENS: ITE IN CASTELLUM: Græcè κώμην, id est, pagum seu vicum, QUOD CONTRA VOS EST, id est, è regione vestri. Ex quo quidam putant fuisse Bethphage, quò tendebant. ET STATIM, in ipso scilicet introitu pagi, INVENIETIS ASINAM ALLIGATAM, ET PULLUM CUM EA, asinum, tenerum quidem & necdum ad opera separatum, ut pote super quem, juxta Marc. & Lucam, nemo adhuc hominum sedisset equitationi tamen idoneum. Nam & Judic. 4. v. 4. filii Jain dicuntur sedisse super triginta pullos asinarum: & similiter Judic. 12. vers. 14. filii nepotes Abdon super septuaginta pullos asinarum.

3. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos.

3. ET SI QUIS VOBIS ALIQUID DIXERIT: nempe, *Quid facitis?* ut Marc. vel *Quare solvitis?* ut Lucas, vel simile quid: DICITE, QUIA DOMINUS, non noster vel vester, sed absolutè Dominus, scilicet omnium, & jumentorum istorum, & dominorum eorum, & totius creaturæ, HIS OPUS HABET. Non vult ergò vi tolli, sed duplici argumento dominii & necessitatis eos persuaderi, ut adduci sinant. ET CONFESTIM DIMITTET EOS, occultâ virtute meâ persuasus. Hæc ergo mandando Christus manifestavit & omniscientiam suam, & dominium supremum, & omnipotentiam in universa, ne fortè casu inventis asinâ & pullo, Zachariæ vaticinium sibi adaptasse videretur. Nam fiebat hoc totum non novitatis vel laboris levandi causâ, sed UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST PER PROPHETAM, &c. Ubi, *ut*, non solùm consequentiam significare potest, sicut aliàs sæpè exposuimus, sed etiam finalem causam, nempe ut ostenderet de se Zachariam prophetasse, & ita Judæi se Regem suum agnoscerent. Nam causa hujusmodi introitus in Jerusalem fuit, ut verus Rex Israël, quia hactenus Regium titulum & honorem fugerat, motti vicinus se palàm Regem profiteretur; sed ita tamen, ut simul regni sui in hoc mundo qualitatem & specimen exhiberet, à mundi regnis diversissimum. Humilia enim excelsis miscuit, regiam magnificentiam plebeiâ humi-

4. Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est, per Prophetam dicentem:

litate temperavit. Nam vectus est quidem jumento, & strato, & cum comitatu, & cum acclamationibus, quod solent Reges: sed illi superbis equis, hic asino; illi propriis, hic commodato; illi ephippiis phaleratis & gemmatis, hic vilibus vestimentis; illi armatis stipati, hic inermibus discipulis; illi cum acclamationibus totius civitatis, hic puerorum & pauperis vulgi. Mansuetudine enim & humilitate voluit subditos suos ad se trahere, & imitando regni sui consortes fieri. Et ne cui haec regia pompa ridicula videretur, vaticinii praemonitione eam revocat, hoc ipsum praedicentis. Citat autem non tam verba quàm sensum Zachariæ; nisi malis esse duo testimonia mixta, Zachariæ scilicet & Isaïæ 62. v. 11. ubi similiter legimus.

5. Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam & pullum filium subjugalis.

6. Euntes autem discipuli fecerunt sicut praecepit illis Jesus.

5. DICITE FILIÆ SION, id est, annunciate ei fructum laetissimumque hoc nuntium: qua de causa legitur in Zacharia *Exulta satis filia Sion.* Porrò *Sion* erat mons, à meridie ambiens Jerosolymam, in eminente & solida praerupta petra, unde arx ei imposita fuit, quam cepit David, 2. Reg. 5. v. 7. Et quia plateis atque aedificiis montem illum instruxit, dicta est ibidem *civitas David.* Est autem in *filia Sion* Hebraismus, quo civitas seu congregatio civium *filia* appellari solet, sicut Psalmo 44. *filia Tyri*, & 136. *filia Babylonis*; quod à Poëtis quoque Graecis usurpatum. Simul est & synecdoche, quâ à parte urbis, ubi Regia erat, tota civitas significatur. ECCE REX TUUS, verus, legitimus, è gente tua, tot vaticiniis promissus, tam diu exspectatus, ecce VENIT TIBI, id est, jam jam adest in salutem, non oppressionem tuam ut saepè Reges: quod pulchrè Propheta exprimit, etsi omittat Evangelista, addendo *Justus & salvator*: qu. d. Venit, ut te justificet & salvet, ne pereas: *Justus* enim regendis, *Salvator* tuendis subditis prodest; quae duo optima Regis officia sunt. MANSUETUS, Hebraicè עני, *Ghani*, *pauper*, pro quo LXX. videntur legisse ענו, *Ghanav*, *mansuetus*: nam uti vocum, ita & significationis est summa affinitas. Pauperes enim spiritu, qualis maximè Christus fuit, etiam mansueti esse solent. Hoc addit, maximi solatii loco. Reges enim tumentes opibus & fastu ferè dominantur in subditos, capite 20. versu. 25. & minimè mansueti sunt. Signum autem mansuetudinis SEDENS, Hebraicè *equitans*, SUPER ASINAM. Graecum & Hebraicum verti potest *super asinum*, quomodo plerique vertendum putant, ut repetitione Hebraeis usitatâ idem per *asinum & filium subjugalis* significaverit. Moventur eò, quòd tres reliqui Evangelistæ solius pulli mentionem fecerint, & nemo super duobus jumentis sedere potuerit; undè hoc Hieron. & Beda ad allegoriam transferunt. Sed quia ex versu 2. & 7. clarè patet asinam simul adductam fuisse, rectè vertitur etiam hîc *asinam*, maximè cùm vox ὄνος, & Hebraica אתון, *Athón*, etiam asinam significet, ut patet 2. Reg. 19. vers. 26. & quia nomina generum ac specierum utrumque sexum Hebraicè comprehendere soleant. Itaque juxta communiorem & verisimiliorem, cui S. August. favere videtur libro 2. De consensu c. 66. sedit Chri-

ſtus, & SUPER ASINAM, inaſcenſu fortallis ac deſcenſu montis, tamquam robuſtiorem: ac deinde in ingreſſu urbis ſuper PULLUM, FILIUM SUBIUGALIS, id eſt, animalis ſub iugo aſſueti, ſcilicet aſinæ: nam Heb. eſt בן אתנת *Ben athonóth*, *filium aſinarum*, id eſt alicujus ex aſinabus, quomodo vitulus in Scripturis dicitur filius bovis ſeu vaccæ. Intelligitur enim pullus hactenùs matrem ſequi ſolitus: unde LXX. dicunt *pullum nôvum*. Quia igitur Chriſtus expreſsè dixerat v. 3. *Dominus* non hoc, ſed *his opus habet*, ideò diſcipuli

7. Et adduxerunt aſinam, & pullum: impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.

7. ADDUXERUNT ASINAM ET PULLUM: & conſequenter illi duo diſcipuli, loco ephippiorum, IMPOSUERUNT: non ſuper unum ſolùm, ſed SUPER EOS VESTIMENTA SUA, exteriora, id eſt, pallia, ut Græcè, ut ita commodior & honeſtior eſſet equitatio: ET EUM DESUPER SEDERE FECERUNT, Græcè iterum ἐπάνω αὐτῶν, *ſuper eos*, id eſt, ſuper aſinam & pullum collocarunt, viciſſim ſcilicet, ut ſuprà dictum, quamvis & ad veſtimenta referri poſſit. Notant autem plerique veteres, ut Hieron. hîc, & Auguſt. 12. contra Fauſtum, capite 42. per *pullum*, ſuper quem nemo ſederat, ſignificatum eſſe populum gentilem, nullo legis jugo domitum, per *aſinam ſubiugalem* Judaïcum. Utrique inſedit Jeſus, utrumque ſibi ſubdidit, miſſis ad eos duobus diſcipulis, uno in circumciſionem, altero in Gentes.

8. Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via: alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via.

8. PLURIMA AUTEM TURBA, id eſt, plurimi ex turbâ, qui partim è Bethania ſecuti fuerant, partim ex Jeroſolymis, procedebant ei obviam, ut patet Ioan. 12. verſu 12. & ſeqq. STRAVERUNT VESTIMENTA SUA, exteriora, ut ſuprà, IN VIA, ut eſſet mollior & ornatior, & inceſſus honorificentior, cùm veſtimenta etiam ab aſina calcarentur. Maximi hoc honoris & obſervantiæ argumentum fuit, & vix umquam Regibus exhiberi ſolitum. ALII AUTEM CÆDEBANT RAMOS DE ARBORIBUS, oleis & palmis, quarum ibi copia: & eadem de cauſa STERNEBANT IN VIA. Addit Joan. eos accepiſſe ramos palmarum manibus. Fiebat hoc ex uſu Judaico, ubi moris fuit non ſolùm in feſto tabernaculorum, ſed etiam in aliis ſolemnibus gaudiis ramos virides maximè palmarum ferre manibus, ut videre licet in mundatione arcis Jeruſalem, Machab. 13. v. 51. & in purificatione Templi 2. Machab. 10. verſu 7.

9. Turbæ autem, quæ præcedebant & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini, hoſanna in altiſſimis.

9. TURBÆ AUTEM QUÆ PRÆCEDEBANT. Ingentem fuiſſe facilè ex eo colligitur, quòd ex ſolemnitate Paſchali Jeroſolymis affluxerant, ut ex Joan. 12. patet. Nam paucis annis pòſt teſtatur Joſephus occurriſſe Ceſtio Galſo, Syriæ Præſidi, facilè trigeſies centena millia. CLAMABANT, laudantes ſcilicet Deum præ lætitia. Cauſa fuit propter omnes, quas viderant, virtutes ſeu miracula, ut expreſſit Lucas c. 19. v. 37. ubi & locum notat ubi contigit, ſcilicet prope deſcenſum montis Oliveti. Maximè autem eos moverat miraculum ſuſcitati Lazari: nam propterea & obviam venerant, ut Joannes notat. OSANNA FILIO DAVID. De voce *Oſanna* multæ auctorum conjecturæ ſunt. Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. c. 5. dicit ſignificare lucem, gloriam, & laudem; Hilar. redemptionem: ad quos videtur reſpexiſſe Auctor operis imperf.

dum illas opiniones nonnullis tribuit. Quidam apud Theophyl. dicunt hymnum significare : apud Justin. quæst. 50. excellentem magnificentiam. Augustin. Tract. 31. in Joan. scribit ex Hebræo esse vocem obsecrantis, quæ magis affectum animæ indicet, quàm rem aliquam significet, quasi esset interjectio. Sed verissimum est id, quod tradit Hieronym. Epist. 145. ad Damasum & hîc in Comment. *Osanna* esse vocem compositam ex הושע, *Hoschágh*, seu הושיע; *Hoschiágh*, id est, *Salva*, & נא *Na*, id est, *quæso*. Contrahi verò & per syncopen pronuntiari, instar unius dictionis, docet Elias in Tisbi. Desumpta est autem ex Psalmo 117. vers. 25. sicut evidens facit id, quod hîc habetur, BENEDICTUS QUI VENIT IN NOMINE DOMINI. Nam ille totidem verbis est versus 26. immediatè sequens. Itaque quia Psalmus iste, ut inquit Hieron. manifestè de Messia prophetat, & in synagogis Judæorum creberrimè legebatur, hinc populis notior erat : ut proinde illum cœperint Jesu tam vero Messiæ acclamare, præsertim cùm divino instinctu res ista ageretur, ut patet ex vers. 16. de pueris, & Lucæ 19. 40. Accedit, quòd ex antiquis Hebræorum libris, ipsóque usu hodierno, constet *Osanna* fuisse solemnem acclamandi & benè precandi formulam, in festo tabernaculorum tam usitatam, ut etiam ipsi salicum rami, quos manibus ferebant, vulgo non intelligente linguam Hebraicam, eòdem nomine *Osanna* appellarentur, ut idem Elias in Thisbi testis est. Et hinc est quod in precibus Judæorum hodiernis, quæ quasi Litaniæ sunt, ex nominibus & beneficiis Dei conflatæ, vox illa *Osanna*, sexcenties, ad singula penè Dei nomina & beneficia, repetatur, sicut apud nos *Te rogamus audi nos*, vel *Libera nos Domine* vel *Ora pro nobis*. Fuit itaque à discipulis & populo usurpata vox illa, juxtà significationem Psalmi, cujus versus canebant, pro *Salva quæso*, ut esset acclamatio exultantium, quasi dicerent, *Salva quæso Regem nostrum* : non dissimilis illi apud nos usitatæ, *Vivat Rex*, vel *Io triumphe*. Patet hoc ex eo, quod in eodem versu ejusdem Psalmi sequitur, *O Domine bene prosperare*, sive, ut Hebraicè legitur, simili planè formâ הצליחה נא *Hatzlichàh na*, quasi diceres הצליחנא, *Hatzlichanna*, id est, *Prospera quæso*, seu *Prosperum da successum*. Unde quàmvis Hieron. velit sensum esse, *Osanna*, id est, *Salva quæso*, nos scilicet seu populum tuum, aptiùs tamen videtur dici, quòd petant salvari & prosperari Regem suum. Sequitur enim FILIO DAVID, quod Latinè diceremus *filium David*. Nam verbum illud Hebraicum construitur usitatè non tantùm cum accusativo, sed & dativo, ut patet Judic. 7. v. 2. & 2. Reg. 10. versu 11. quo modo etiam hîc habetur in Syriaco, qu. d. Salutem adfer, quæso, filio David : cujusmodi phrasis servata est etiam in Latino Psalmo 97. versu 1. *Salvavit sibi dextera ejus*. Quamquam appositè valde hic sensus esse possit : Solemne illud Osanna sit, seu acclametur filio David, regnum Davidicum auspicanti. Nam hæc videtur esse causa, cur cæteri Evangelistæ referant vocem illam acclamatam fuisse, sine ullo addito, & ab omnibus sine interpretatione servata sit, ut indicarent quasi ma-

terialiter novo Regi more solito acclamari. Nam ad regni inaugurationem eos respexisse, patet ex eo, quòd Marcus acclamatum dicit: *Benedictum quod venit regnum patris nostri David*: cujus scilicet restauratio per Messiam futura, & tamdiu expectata, jam tandem venit. Unde quod hîc addit Matth. *Benedictus qui venit*, &c. Lucas exprimit, *Benedictus qui venit Rex*, id est, omni benedictione & prosperitate repleatur Rex iste noster Messias. QUI VENIT, non tamquam seipsum ingerens, sed IN NOMINE DOMINI, id est missus à Deo, & personam gerens Dei, visitantis populum suum. OSANNA IN ALTISSIMIS, supple *audiatur*, ut sit quasi ardens populi exhortatio ad exclamandum magnis vocibus Osanna Regi suo. Vel, *in*, positum est pro, *ex*, hoc sensu: Osanna, seu salus ac prosperitas veniat Regi nostro divinitùs de cœlis altissimis. Similis phrasis est Psal. 148. v. 1. *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis*, id est, de excelsis: est enim repetitio Hebræis familiaris. Unde Lucas quasi interpretans cæteros, addit, *Pax in cœlo*, id est, salus ac prosperitas de cœlo *& gloria in*, id est, de *excelsis*, descendat scilicet super Regem nostrum. Quod ergò frequentissimè Osanna repetebant, in summi ardoris ac affectus argumentum erga Regem fiebat. Sic enim olim cùm populus Regibus atque Episcopis acclamabat, pro numero acclamationum æstimabatur affectus, ut patet ex gestis Ecclesiasticis apud Augustin. Epist. 110. ubi *Deo gratias, Christo laudes, fiat*, &c. acclamantur plusquam vigesies, imò trigesies sexies. Quod igitur in istas voces ergà Christum tunc erumperent; causa indicatur à Luca c. 19. v. 11. *Eo quod essent prope Ierusalem*, civitatem scilicet regiam, caput regni, & quia existimarent, quòd confestim regnum Dei manifestaretur.

10. Et cum intrasset Ierosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic?

10. CUM ERGO INTRASSET JEROSOLYMAM, Israëlitici regni metropolim, cum tanto applausu, COMMOTA EST UNIVERSA CIVITAS, id est, cives Jerosolymitani, maximéque sacerdotes, novitate scilicet spectaculi attoniti: nam qui clamabant, ferè erant exteri, & advenæ, ut indicatur Joan. 12. v. 12. DICENS, QUIS EST HIC? id est, quatenus est iste, ut cum tanto honore & applausu Rex Israël salutetur? Videntur enim invidiæ verba, quibus honore indignum significent.

11. Populus autem dicebat: Hic est Iesus Propheta à Nazareth Galilææ.

11. POPULUS autem simplex & candidus respondet: HIC EST JESUS PROPHETA, Græcè οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ προφήτης, *ille Propheta*, nempe à Moyse promissus, Deut. 18. v. 15. sicut hoc ponderant Hieron. & Theophyl.

12. Et intravit Iesus in templũ Dei: & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorũ & cathedras vendentium columbas everti:

12. ET INTRAVIT JESUS, scilicet eâdem hâc die: nam quæ sequuntur vers. 15. de pueris, adhuc Osanna clamantibus, videntur omninò ad hanc diem pertinere. Itaque Marc. qui ad secundum diem referre videtur, usus est recapitulatione ejus, quod pridie acciderat, ut exponit Augustin. lib. 2. De consensu Evangel. c. 68. etsi alii minùs aptè velint Matthæum hîc uti anticipatione. Intravit autem non in arcem Sion, eo quòd nollet hujus sæculi Regem agere, sed IN TEMPLUM, ut verus Filius Dei Patris. In-

telligit, autem atrium extremum, quod vocabatur Prophanum, & atrium Gentium, quia & gentilibus & immundis orationis causâ patebat. Erat enim & aliud atrium pro Israëlitis, ubi erat porticus dicta Salomonis: aliud denique ipsi templo proximum, solis Sacerdotibus pervium, ubi erat altare: de quibus Josephus libro 15. Antiquit. capite ult. & lib. 6. De bello Jud. cap. 6. ET EIICIEBAT, ex illo atrio extremo, OMNES VENDENTES ET EMENTES IN TEMPLO, nempe omnis generis hostias ad sacrificia necessarias, agnos Paschales, oves, boves, columbas, &c. quas peregrini non poterant domo adducere, sed emere cogebantur. Fiebat hoc commercium olim in ipsa urbe: sed vel commoditatis, vel lucri causa à Sacerdotibus: locum verisimiliter elocantibus, in atrium istud, quod orationis tantùm servire debebat, translatum fuerat. Erat enim istud atrium ingenti magnitudine, imò facilè quatuor stadiorum. Numerum quoque vendentium & ementium fuisse magnum his Paschalibus diebus, inde patet, quòd Josephus lib. 7. de bello Jud. cap. 17. testetur sub Cestio Præside fuisse cæsa hostiarum Paschalium ducenta quinquaginta millia & sexcentas. ET MENSAS NUMMULARIORUM EVERTIT, qui mutabant aurum argento, monetam majorem minore, peregrinam usitata, & in mensis numerabant, ut vel oblationibus votivis vel emptioni hostiarum commodè serviret, & inde lucrabantur. ET CATHEDRAS, seu sedilia, in quibus toto die commoditatis causa sederent, VENDENTIUM COLUMBAS EVERTIT: ne ad mensas vel sedes suas reverterentur. Unde & *nummulariorum effudit æs*, ut ait Joan. c. 3. in alia simili ejectione. Hoc igitur facto publica & verè Regia auctoritate usus est, se & Regem, & summum templi Pontificem, divinique cultus Præsidem ipso facto exhibens. Unde meritò Hieron. & alii factum istud summopere mirantur, velut maximum signorum, quòd unus tantam multitudinem, fretam auctoritate Sacerdotum, quibus invisus erat, & quidem præsentium, ignominiosè flagello expulerit. Igneum enim quiddam, inquit Hieron. & fidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.

13. ET DIXIT EIS: SCRIPTUM EST, DOMUS MEA, templum scilicet meum, in quo inhabito, DOMUS ORATIONIS VOCABITUR, id est, domus orationis erit, sub qua & gratiarum actio & omnis cultus Dei comprehenditur. Isaïas addit c. 56. *cunctis populis*. Et quo, & aliis loci circumstantiis, patet agi de Ecclesia novi Testamenti: cujus quia typus fuerat templum Judæorum, Christus ad illud prophetiam istam transfert, VOS AUTEM FECISTIS ILLAM, istis mercimoniis, SPELUNCAM LATRONUM: quia cum avaritia, mendaciis, fraudibus, & consequenter inopum despoliatione conjuncta esse solent; qui latronum insidiantium sanguini & vitæ mores sunt. Adde quòd loci sacri & sacrificiorum prætextu, quemadmodum latrones spelunca, sese tegerent.

13. Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.

14. Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanavit eos.

15. VIDENTES AUTEM PRINCIPES SACERDOTUM ET SCRIBÆ MIRABILIA, QUÆ FECIT: Regium scilicet ingressum, mirabilem il-

15. Videntes autem principes

Sacerdotum & Scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamãtes in templo, & dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt.

lam tantæ auctoritatis ejectionem, & salvationem ægrotorum: ET PUEROS CLAMANTES IN TEMPLO, id est, continuantes adhuc clamores, quos majores inchoaverant, quemadmodum ferè solent.

16. Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Utique, numquam legistis: Quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?

16. DIXERUNT EI: AUDIS QUID ISTI DICUNT? nempe quomodo te Regem vocitant isti, quorum testimonium futile ac puerile est, & quos verbo facilè compescere potes? Nam ex invidia taxant his verbis vanitatem in Christo, & inanem affectionem ac delectationem tituli Messiæ & Regis. Quibus dixit: UTIQUE: NUMQUAM LEGISTIS, QUIA EX ORE (illud, *quia*, ex Hebraica & Græca phrasi redundat) INFANTIUM ET LACTENTIUM PERFECISTI LAUDEM? id est, laudem tuam, ô Deus, quæ ab adultis canitur, aut cani deberet, omnibus numeris perfectam, expressisti ex ore, etsi non ex mente parvulorum: q. d. Vultis ut os claudam ætati parvulæ, cui Spiritus sanctus aperuit, & jam olim aperiendum prophetavit? Auctor Operis imperf. *infantes* intelligit, non ætate, sed simplicitate cordis: *lactentes* verò fide & sensu imperfectos & ineruditos. Et sanè tales videtur respexisse Prophetia Psalmi, generaliter prædicens, per infirma mundi, ut per Apostolos & Gentiles, Deum esse clarificandum: quòd Christus ad veros & ætate pueros, tamquam maximè simplices, & sensu ineruditos, transtulit & accommodavit. Ubi Hier. notat responsi dexteritatem, quod neque dicendo, *bene faciunt pueri*, Pharisæis ansam calumniæ apud Præsidem præbuerit, neque rursum dicendo, *errant, debetis ætati ignoscere*, veritatem læserit.

17. Et relictis illis abiit foras extra Civitatem in Bethaniam, ibique mansit.

17. ET RELICTIS ILLIS ABIIT: nempe, ut Marcus, cùm vespera facta esset, *in Bethaniam*, vicum, ut suprà ex Joan. 11. v. 18. quindecim stadiis distantem Jerosolymis, id est duobus circiter milliaribus Italicis. IBIQUE MANSIT, mansit noctu in domo ut verisimile est Mariæ & Marthæ, unde paulò ante venerat.

18. Mane autem revertens in Civitatem esuriit.

18. MANE AUTEM REVERTENS IN CIVITATEM ESURIIT: sive excitaverit in se famem illam, edendo miraculo opportunam, sive vesperi incænatus naturaliter mane esurierit: nam factam fuisse famè ut aliqui volunt miraculi patrandi causâ nulla dicendi necessitas est.

19. Et videns fici arborem unã secus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus nascetur in sempiternum. Et arefecta est continuò ficulnea.

19. ET VIDENS FICI ARBOREM, &c. VENIT AD EAM, quærens scilicet ut Marcus, si quid fortè inveniret in ea, nempe quo famem levare posset. ET NIHIL INVENIT IN EA NISI FOLIA TANTUM. Causam notat Marcus, quia non erat tempus ficorum, ut pote paulò ante passionem, circa finem mensis Martii. Cur ergò quæsivit? Quia secundùm hominem incognita ei fuit species arboris, inquit Calvinus, in Harmonia. Sed hoc ineptum. Quæsivit ergò, ut homines solent, id quod sciebat se non inventurum partim ad habendam miraculi patrandi occasionem, quo ille, qui semper benignitatis exempla in hominibus, nunc tandem semel etiam severitatis virtutisque puniendi, sed in re insensata, Judæis & Apostolis demonstraret, ut Chrys. & Hilar. partim & maximè ad mysterium figurandum, quod à plerisque veteribus observatum fuit, eodem scilicet Hilario, Hieronym. Theophyl. Orig. Tract. 17. in Matth. Non enim vel ex inediæ impatientia, vel ex iracundia maledixit ficui, sicut rebus inanimatis

nimatis iracundi homines solent (puerilis enim & ridicula fuisset ultio) sed ejusdem mysterij causâ. Ficus enim typus est synagogæ, cui datum est tempus pœnitendi inter discessum Christi & reditum ad judicium. *Venit*, esuriens ejus salutem : sed *invenit* infœcundam, foliis dumtaxat vestitam, id est, verbis inanibus legis, templi, cæremoniarum, traditionum, jactantiâ nudâque religionis specie ; fructibus verò justitiæ vacuam, bonis operibus sterilem : ideò plectitur populus ille maledictione & ariditate, quia à Deo & gratiæ humanæ derelictus & reprobatus est, ut, qui ante fructus ferre noluit, jam obduratus & exsiccatus nec possit. Idque IN SEMPITERNUM, Græcè εἰς τὸν αἰῶνα, *in sæculum*, hoc est, ut Hieron. in longum tempus, quia Judæi saltem in fine mundi conversi, scilicet cùm plenitudo gentium intraverit, fructum ferent.

20. ET VIDENTES DISCIPULI, non tunc, sed postridie mane cùm illac præterirent, ut Marc. notat, MIRATI SUNT, de tanta virtute maledictionis : ideo enim aiunt : QUOMODO CONTINUO ARUIT ? scilicet ad illius sententiæ pronuntiationem. Nam ad hunc sensum respondet Christus :

20. Et videntes discipuli mirati sunt, dicentes : Quomodo continuò aruit ?

21. SI HABUERITIS FIDEM, nempe præstantissimam illam, quam comparavit alibi grano sinapis : ET NON HÆSITAVERITIS, operis difficultate territi, & diffidendo. Græcè est μὴ διακριθῆτε, *non dijudicaveritis*, id est, non discreveritis inter opus facile, ac difficile, quemadmodum diffidentes solent, sed æqualiter Deum bonum & omnipotentem facturum confidatis id, quod expedire judicaveritis : & non solùm DE FICULNEA FACIETIS, id quod scilicet in ficu factum est, SED ET SI MONTI HUIC, &c. de quo vide dicta Matth. 4. v. 19.

21. Respondens autem Jesus, ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaveritis, non solùm de ficulneâ facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & jacta te in mare, fiet.

22. ET OMNIA QUÆCUMQUE PETIERITIS : nempe secundùm voluntatem ejus, ut est 1. Joan. 5. vers. 14. IN ORATIONE, sæpè enim fideles adhibendas etiam preces indicat ad impetrandum, CREDENTES ACCIPIETIS, fide scilicet non hæsitante. Fides enim & fiducia requiruntur.

22. Et omnia quæcunque petieritis, in oratione credentes, accipietis.

23. ET ACCESSERUNT AD EUM PRINCIPES SACERDOTUM : de quibus dictum cap. 2. ET SENIORES POPULI, id est, judices ejus, ac magistratus. Addunt alij *Scribas*, id est, Legis doctores, adeóque totum concilium, cui in religionem & civilia erat auctoritas penes Judæos, ut scilicet Jesum tali pompâ, numero, auctoritate terrerent inquirentes EX EO, IN QUA POTESTATE HÆC FACIS ? id est, quâ auctoritate, ut Græcè est, populum doces, venditores victimarum ejicis, Regis & Christi voces tibi acclamari finis ? ET QUIS DEDIT TIBI HANC POTESTATEM ? Tune tibi à teipso privatim arrogas, an de cœlo data est, &c ? Nos enim penes quos, utpote legitimos successores Moysis, omnis in templum, vel religionem & doctrinam auctoritas est, hanc tibi non dedimus. Quam quæstionem ipse non vult solvere ; sed ita respondet, ut ipsimet solvant, interrogando UNUM SERMONEM, id est, unam rem alliquam, seu unum aliquod more Hebraico ; ubi verbum generalissimè pro re usurpatur.

23. Et cùm venisset in templũ, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum, & seniores populi, dicentes : In qua potestate hæc facis ; Et quis tibi dedit hanc potestatem ?

24. Respondens Jesus dixit eis : Interrogabo vos & ego unum sermonem : quẽ si dixeritis mihi & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio.

25. Baptismus Joannis unde erat? è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se dicentes:

25. BAPTISMUS JOANNIS, sub quo tota ejus prædicatio & functio intelligitur, sicut sub circumcisione subinde tota lex, UNDE ERAT? È CŒLO, AN EX HOMINIBUS? id est, quis ei dederat potestatem baptizandi? Deusne immediatè de cælo, an homines committendo, vel ipse usurpando?

26. Si dixerimus, è cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem sicut propheram.

26. SI DIXERIMUS è cœlo, id est, quòd auctoritate divinitùs acceptâ officium suum exercuerit, DICET NOBIS: QUARE ERGO NON CREDIDISTIS ILLI? Prædicanti, ac testificanti, me esse Filium Dei & Christum, ut patet Joan. 1. SI AUTEM DIXERIMUS, EX HOMINIBUS, id est, humanam esse adinventionem, & consequenter potestatem usurpatam, TIMEMUS TURBAM, id est, populum gregatim à Joanne baptizatum. Lucas clariùs, *Plebs universa lapidabit nos*, scilicet tamquam palam blasphemos. OMNES ENIM HABEBANT JOANNEM SICUT PROPHETAM, id est, tamquam verè Prophetam, cujus auctoritas non est ab hominibus, sed immediatè à Deo. Illud enim, *sicut*, non est similitudinis, sed veritatis nota, quod Marcus expressit, dicendo, *Omnes enim habebant Joannem, quia verè Propheta esset*: & Lucas, *verti sunt Prophetam esse*. Itaque utrinque constricti perplexitate quæstionis, ac discriminis vitæ amittendæ, & veritatis confitendæ,

27. Et respondentes Iesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

27. DIXERUNT: NESCIMUS, nempe id quod ipsis etiam fatentibus totus populus noverat, quod ex ore Joannis audiverant, Joan. 1. v. 32. unde multis modis mentiuntur. DICO VOBIS, &c. id est; Quemadmodum vos non vultis mihi disertè respondere de potestate Joannis, ita nec ego vobis, nequitiâ plenis, de mea. Sed sicut ipsi in cogitationibus suis responderant, Joannis auctoritatem esse à Deo, ita & Christus tacitè ipsis indicat suam esse à Deo, insinuando scilicet, eâ se potestate hæc facere, quam Joannes ei prædicatione & testificatione suâ tribuerat.

28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit, fili vade hodie, operare in vinea mea.

28. QUID AUTEM VOBIS VIDETUR, de hoc quod adjicio, quod non potestis dicere vos etiam nescire, uter scilicet EX DUOBUS illis filiis, FECIT VOLUNTATEM, seu præceptum, PATRIS, de operando in vinea;

29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus, abiit.

30. Accedens autem ad alterum dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, & non ivit.

31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.

31. DICUNT EI: PRIMUS, quia illi verba tantùm, non facta defuerant, alteri verò facta non verba. Quis autem non malit verbis negari sibi id, quod poscit, dummodò quod poposcerit fiat, quàm non fieri, quod spondetur ut fiat? cùm facti effectus ex desperatione sit gratior, spes autem destituta plus doleat. Ex hoc autem ipso arctissimè concludit eos Christus, QUIA PUBLICANI ET MERETRICES, &c. homines antea præ cæteris in utroque sexu vitâ infames, PRÆCEDENT VOS, Græcè, προάγουσιν ὑμᾶς, *præcedunt vos*, id est, vobis, qui religionem profitemini, & justitiam verbis promittitis, exemplum & ducatum præbent, ut imitemini: quod. Si prior filius fecit voluntatem Patris, ergò Publicani & meretrices eam faciunt, antè nolendo rectè vivere, postea pœnitendo, exemploque vos præcedendo; vos verò nequaquam eam facitis. Rationem explicat versus sequens.

32. Venit enim

32. VENIT ENIM AD VOS JOANNES IN VIA JUSTITIÆ, scilicet

incedens, id est, justitiam & pœnitentiam, prædicatione, conversatione, totâque vitâ irreprehensibili præ se ferens, ut nihil dubium esse posset, quin missus esset à Deo: ET NON CREDIDISTIS EI, obtemperando ei, de pœnitentia, de Christo, de regno cœlorum annuntianti. Credere enim medico est ejus præcepta sequi. Sic namque PUBLICANI ET MERETRICES CREDIDERUNT EI, mente scilicet, & factis fidei consonis, pœnitentes, baptismum suscipientes, Christo prædicato adhærentes, regnum propositum vi factâ rapientes. VOS AUTEM VIDENTES, hujusmodi pœnitentiam & vitæ correctionem Publicanis & meretricibus, NEC PŒNITENTIAM HABUISTIS POSTEA, UT CREDERETIS EI, hoc est, non estis saltem eorum exemplum secuti, quos præcedere debebatis, sed permansistis obstinati in incredulitate. Hinc patet, juxta scopum Christi, per *primum filium* intelligi Publicanos, & meretrices: per *secundum* verò Scribas & Pharisæos, ut exprimit Hilar. Can. 21. Illi primò noluerunt operari justitiam, sed postea pœnitentiâ ducti sunt; hi verbis eam prætulerunt, factis non præstiterunt. Sed quia ista duo hominum genera typus fuerunt Gentium & Judæorum, hinc per *primum filium* Gentes, per *secundum* Judæos magno consensu intelligunt veteres, Orig. Tract. 18. in Matth. Athan. disput. cum Ario in Conc. Nicæno, Chrysost. Theophil. Auctor operis imperf. Hieronym. hîc, & alii. Gentes enim acceptâ naturali lege eam servare noluerunt, sed postea per pœnitentiam & Christi fidem se correxerunt: Judaïcus populus magnificè spondens, Exodi 19. v. 8. *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*, in vineam non ivit, id est, legem non observavit, sed insuper hæredem occidit, quod alia parabola ob oculos ponit, ad plebem quidem loquens, ut ex Luca patet, sed in Pharisæos.

ad vos Ioannes in via justitiæ, & non credidistis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autē videntes, nec pœnitentiā habuistis postea ut crederetis ei.

33. HOMO ERAT PATERFAMILIAS. Iste Deum Patrem significat, universæ creaturæ velut magnæ familiæ maximéque rationalis natura Dominum, benevolentia patrem. QUI PLANTAVIT VINEAM. Vineam istam Iren. lib. 4. cap. 7. intelligit humanum genus: sed rectiùs Origen. Tract. 18. in Matth. Hieron. & alii, populum Judaicum, de quo Isaïas cap. 5. v. 7. *Vinea Domini exercituum domus Israël est*: quam ex Ægypto silvescentem transtulit Canaam, ut est Psalm. 79. v. 9. Tunc autem eam plantavit, quando ei Deus sui notitiam inseruit, ut indicat Augustinus Serm. 59. de verbis Dom. cap. 2. hoc est quando eam in formam Ecclesiæ redegit, ut ferret fructus justitiæ. ET SEPEM CIRCUMDEDIT EI, dum eam per Angelos & homines providentiæ suæ custodia & munitione vallavit; quam minatur se detracturum, ut sit in direptionem & conculcationem, Isaiæ 5. vers. 5. FODIT IN EA TORCULAR. Quod alii intelligunt altare, holocaustorum sanguine quasi musto redundans, alii aliud: non ineptè intelligi posset lex urgens & premens, ut unusquisque fructum edat. ET ÆDIFICAVIT TURRIM, sive templum, ut Hieron. & Orig. sive Jerosol. ex quorum utroque speculatores ad custodiam vineæ prospectabant, quod officium hîc maximè indicatur. Quamquam fortasse, per *turrim*, *torcular* ac *sepem*

'33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineā & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus est.

nihil aliud velit, nisi Deum omnium necessariis vineam instruxisse, nihilque ultrà debuisse ei facere, quod non fecerit, ut indicatur in simili planè parabola, Isaiæ 5. v. 4. ET LOCAVIT EAM, id est, non dedit, aut vendidit, aut alienavit, sed gubernandam & excolendam tradidit, pactus se daturum fructuum portionem, & æternæ vitæ mercedem AGRICOLIS, Regibus scilicet, sacerdotibus, Scribis, seu doctoribus, judicibus, ut quisque eorum juxta functionem suam vineam excoleret. ET PERGERE PROFECTUS EST, quando subtractis illis mirabilibus præsentiæ suæ signis, tamquam absentem se gessit, qui nusquam aberat.

34. Cùm autē tempus fructuū appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus.

34. CUM AUTEM TEMPUS FRUCTUUM APPROPINQUASSET. Fructus sunt vita bona, justitia, & obedientia mandatorum. Tempus reddendi fuit quidem semper, ex quo lex data fuit, sed maximè post datos populo judices, Reges ac Duces, quia tunc nulla suberat excusatio. MISIT SERVOS, nempe Prophetas, ut Augustin. Serm. 59. de verbis Dom. & alii consentiunt; imò ipse Christus satis explicat, qui misit illos, UT FRUCTUS ACCIPERENT, id est, eos monendo exigerent. Ex quibus ALIUM CECIDERUNT, ut Jeremiam, c. 20. vers. 2. Micheam 3. Reg. 22. v. 24. ALIUM OCCIDERUNT, ut eundem Jeremiam, Isaiam, Ezechielem, & alios: ALIUM LAPIDAVERUNT, Zachariam filium Joiadæ, 2. Paral. 24. v. 21.

35. Et agricolæ apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, aliū occiderunt, alium verò lapidaverunt.

36. Iterum misit alios servos plures prioribus & fecerunt illis similiter.

36. ITERUM MISIT ALIOS PLURES PRIORIBUS: ut hæc Dei longanimitas eos adduceret ad pœnitentiam, & sollicitudo ad officium. Unde Jerem. c. 7. v. 25. *Misi ad vos omnes servos meos Prophetas per diem consurgens diluculo*, &c. ET FECERUNT ILLIS SIMILITER, de quo generatim testantur S. Stephanus, Act. 7. v. 52. & Apostolus, ad Heb. 11. v. 36. & seqq.

37. Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum.

37. NOVISSIMÈ AUTEM, tanquam Prophetarum finem, MISIT AD EOS FILIUM SUUM, unigenitum. Seipsum significat, ut distinguat à filiis adoptivis, quos servos vocaverat. DICENS, VEREBUNTUR FILIUM MEUM, id est, æquitas postulat, ut revereantur: magis enim indicatum vult officium eorum, quàm rei eventum. Unde Lucas dixit, *forsitan verebuntur*, attribuens Deo id, quod homo paterfamilias, rerum incertus, meritò de colonis cogitasset ac dixisset: sic tamen ut simul eorum libertas arbitrii indicetur.

38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus.

38. AGRICOLÆ AUTEM VIDENTES FILIUM, id est, agnoscentes eum esse filium, ex testimonio scilicet Joannis, ex signis mirabilibus ut Joan. 15. vers. 24. DIXERUNT INTRA SE, id est, in animo suo, vel etiam inter se, unus ad alterum: hoc enim videtur postulare colloquium sequens, quod latiùs prophetatur, & pulchrè describitur Sap. 2. v. 12. usque ad 21. prout veteres unanimiter explicant, HIC EST HERES, regni scilicet, & dominii in populum Israël; heres, inquam, non qui patri morienti succederet, sed cum vivente & regnum donante regnaret. VENITE, OCCIDAMUS EUM. Quod ab eis dictum esse & concluſum, præeunte Caïpha, testatur Joan. c. 11. v. 50. & 53. idque paucis diebus ante prolatam hanc parabolam. ET HABEBIMUS HEREDITATEM EJUS, id est, li-

berè pro arbitratu nostro dominabimur in populo ejus, liberati ab ejus exprobatione, opprobriis, & ignominia. Nam causæ occidendi fuerunt, partim asperitas reprehensionum Christi, & inde nata confusio coràm populo, ut indicatur illo loco Sap. 2. partim ambitio liberè dominandi in populo, ut insinuatur Joan. 11. v. 48. ubi timet, ne à Romanis expellantur, nempe si intelligerent alium Regem, Messiam scilicet esse susceptum à Judæis.

39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt.

39. ET APPREHENSUM EUM EIECERUNT EXTRA VINEAM: protestando per hoc, quòd non agnoscerent eum esse vineæ dominum: ET OCCIDERUNT, importunitate extorquendo à Romanis mortis sententiam. Prædicit itaque hîc & mortem, & mortis locum: nam extra Jerusalem, quæ erat vineæ caput, seu, ut Apost ab. Hebr. 13. extrà portam passus est Dominus.

40. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

40. CUM ERGO VENERIT DOMINUS VINEÆ, QUID FACIET AGRICOLIS ILLIS? Eos ipsos agricolas heredicidas, ad quos loquebatur, facit judices, ut appareat sententiæ æquitas, simili planè modo, ut in eadem parabola Isaïæ. 5. v. 3.

41. Aiunt illi, Malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

41. AIUNT ILLI, Christo est enim dativus: MALOS MALE PERDET, id est, malos malè mulctatos seu malis affectos perdet: ET VINEAM SUAM, scilicet reliquias Israël, quibus Gentes inserentur, non excîdet, nec donabit aliis, sed LOCABIT ALIIS AGRICOLIS, id est, regendam committet aliis, Apostolis scilicet & successoribus eorum, QUI REDDANT EI FRUCTUM TEMPORIBUS SUIS, statutis & opportunis, id est, qui sic excolant vineam Dei, ut uberes bonorum operum fructus ferat Deo, ut magis indicatur v. 43. Porrò verba ista tribuuntur à Marco & Luca ipsi Christo, & eis auditis narrantur Sacerdotes dixisse *Absit*. Quare ne hæc sibi repugnare videantur, alterutrum dicendum est, vel cum August. lib. 2. de cons. Evang. cap. 70. quòd quidam Sacerdotes responderint hæc verba, quæ tamen etiam Christo tribuantur, quia Christus est veritas, cui omnis veritas tribuenda est, per quemcumque dicatur: vel faciliùs, ut Chrysost. quòd primò responderint Sacerdotes hæc verba, ut Matth. narrat: deinde Christus ea approbaverit, ut Marcus & Lucas, sed ita tamen, ut significaret se in ipsos Sacerdotes præsentes collimare: quo audito contradixerint Christo, dicentes, *Absit*, scilicet ut nos juxta parabolam tuam necem hæredi paremus, & consequenter nobis ista contingant, ut malè perdamur, & vinea à nobis auferatur. Quamvis ergò Matthæus non posuerit, quod isti parabolæ contradixerint, apertè tamen contradictionem respicit, dum subjungit Jesum illis dixisse:

42. Dicit illis Jesus: nunquàm legistis in Scripturis? Lapidem quem reprobraverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino fac-

42. NUNQUAM LEGISTIS IN SCRIPTURIS. Est enim modus refellendi id quod præcesserat tamquam contrarium, ut observavit Augustinus loco cit. Idem namque valet atque id, quod significantiùs Lucas dicit, *Quid est ergo quod scriptum est?* q. d. Si vos rectè dicitis, *Absit* quasi non esset verum id, quod dixi in parabola: quid ergò dicit Scriptura illius Psalmi, quem de messia scriptum canitis? LAPIDEM, QUEM REPROBAVERUNT ÆDIFICANTES, id est, lapis ille, quem

tum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

architecti, qui præsunt ædificandæ synagogæ ac domui Dei, tamquam structuræ inutilem abjecerunt, HIC FACTUS EST IN CAPUT ANGULI, id est, caput anguli, quem Paulus ad Ephes. 2. v. 20. uno verbo Græco vocat ἀκρογωνιαῖον, id est, summum angularem seu in extremo & supremo angulo positum: qui est præcipuus in structura: ut potè supernè continens totam juncturam duorum parietum sicut infernè lapis fundamentalis. Itaque hîc alio sermone parabolico iidem sunt ædificantes, qui in parabola erant agricolæ: idem ædificium, quod vinea; idem lapis reprobatus, qui filius seu hæres occisus, ut annotavit Hieron. Ædificantes ergò hoc loco sunt Sacerdotes & Principes populi, ut exponit S. Petrus Act. 4. vers. 11. quia docendo regendoque synagogam in domum Dei ædificabant. Qua de causa & Apostolus se *sapientem architectum* vocat, 1. ad Corinth. 3. vers. 10. ipsum verò populum ibidem vocat *Dei agriculturam*, ac *Dei ædificationem*, hoc est, juxtà has parabolas, Dei vineam, Dei domum. *Lapis* verò dicitur Christus, propter soliditatem ac firmitatem seu stabilitatem, quam tribuit Ecclesiæ suæ, tamquam in fundamento ejus positus, cui tota structura innititur. Vocatur verò *angularis* propter indissolubilem juncturam, quam tribuit ædificatio. In angulo enim ingentes lapides ponuntur, qui utrumque parietem ex diverso venientem complectantur & jungant. Unde per hoc indicatur, Christum in uno ædificio suo juncturum duos populos de Circumcisione & præputio venientes, id est, Judaïcum & Gentilem, ut August. 18. de verbis Dom. cap. 10. & alibi sæpiùs, & ab omnibus penè veteribus hujus loci Interpretibus annotatum est, Orig. Hilar. Hieron. Theoph. & insinuatum à Paulo, ad Ephes. 2. vers. 14. & 15. *Caput* autem *anguli* dicitur honoris causa, ut opponatur hoc reprobationi ejus: q. d. quem reprobarunt ipsi, tamquam ineptissimum ædificio, *hic factus est*, id est, fiet, phrasi Propheticâ futura tanquam præterita vaticinantium, summus in angulo, id est, dux & caput Ecclesiæ, & quidem ex duobus jam populis conflatæ. DOMINO, id est, non ab hominibus, seu humanâ industriâ, sed divinâ omnipotentiâ. Est enim tacita oppositio Dei, eligentis illum lapidem in caput anguli, contrà homines reprobantes, ut clarè indicatur 1. Pet. 2. vers. 4. FACTUM EST ISTUD, Græcè hîc, & Hebraicè in Psal. 117. legitur: *Facta est hæc, & est mirabilis*: sed mansit phrasis in Græco ex Hebraico, ubi carentes neutro ponunt pro eo fœmininum: sicut quando dicunt, *Unam petii à Domino, & hanc requiram*, id est, unum factum est ergò istud à Domino, quòd scilicet lapis ille, seu Jesus reprobatus, renitentibus inimicis factus sit per resurrectionem princeps Ecclesiæ, & quidem ita, ut duos parietes istos sub se conjunxerit. ET EST MIRABILE IN OCULIS NOSTRIS, id est, est nobis mirabile visu, seu mirabile videtur nobis, qui adhæremus lapidi illi per fidem: loquitur enim Psalmus ex persona crediturorum tempore Christi.

43. Ideo dico

43. IDEO, quia scilicet juxta Scripturam istam, reprobando lapi-

dem à structura vestra, impleturi estis id, quod in parabola de hærede vineæ occidendo attuli. DICO VOBIS, omnibus, tam principibus, tamquam mali totius auctoribus, quàm plebi eis adhærenti, QUIA AUFERETUR A VOBIS REGNUM DEI, ut scilicet non regnet amplius Deus, seu Christus in vobis: id est, fiet, ut non sitis amplius synagoga, populus & hæreditas, & regnum ejus, quem reprobastis. ET DABITUR, per gratuitam gratiam, & misericordiam, & bonitatem vocationis, quam erga Gentes peculiariter prædicat Apostolus ad Romanos 15. v. 9. & 11. GENTI FACIENTI FRUCTUS EIUS, id est, Gentibus edituris fructus dignos regno Dei, nempe fructus justitiæ. Itaque prædicit hîc reprobationem Judæorum, cum ablatione veri cultus Dei, & Gentes occasione reprobationis eorum ad fidem & regnum Dei esse vocandas, ut clarè docet Paulus Act. 13. v. 46. & latiùs ad Rom. 11. v. 25. & seqq.

vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

44. ET QUI CECIDERIT SUPER LAPIDEM, &c. Certum est, *cadere super lapidem*, & *lapidem cadere super aliquem*, hîc distingui, illud minùs, hoc majus esse. Unde diversis modis hoc exponitur. Verisimilius videtur id, quod dicunt Chrysost. hom. 96. & August. lib. 10. quæst. Evang. q. 30. *cadere super lapidem* sit offendere seu impingere in lapidem, adhuc in terris positum, quemadmodum ambulantes solent, hoc est, *scandalizari in Christo* ut est c. 11. v. 6. nam hac de causa vocatus est Christus *lapis offensionis & petra scandali*: quod fit, dum Christus vel non creditur, vel creditus deseritur, vel malè vivendo contemnitur, ut explicatur optimè 1. Petri 2. v. 8. Qui ergò sic offenderit in lapidem, CONFRINGETUR Græcè συνθλασθήσεται, *conquassabitur*, sicut & apud Lucam vertitur, hoc est lapidem non lædet, sed ipsemet ita collidetur, ut quidem penitùs intereat, sed tamen toto corpore afflictus, & quasi fractus doleat. SUPER QUEM VERO, pondere suo ex alto, CECIDIT, lapis iste, CONTERET EUM, Græcè λικμήσει, *ventilabit*, id est, ita conteret, ut in minutas partes, in auras dispergatur, nullaque reparationis sit spes. Primâ igitur parte significatur pœna præsentis vitæ: quæ peccantes in Christum sequitur, sive in anima, sive in corpore: secunda verò pœna damnationis futuræ, cùm lapis ille de cælo super impios totâ mole casurus est. Unde aliqui allusionem ad vasa fictilia fieri putant, quæ si ceciderint in magnum lapidem, franguntur quidem, ita tamen, ut nonnumquam propter magna fragmenta aliquo modo reparari possint: sin lapis in ipsa ex alto ceciderit, penitùs in minutissimas partes conteruntur.

44. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

45. Et cùm audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret.

46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniâ sicut prophetam eum habebant.

CAPUT XXII.

1. SIMILE FACTUM EST REGNUM CŒLORUM, seu Ecclesia, hoc est, simile quid accidit in colligenda ex hominibus Ecclesia, in qua Deus regnum suum inchoat, ut postea compleat, ac si Rex

1. Et respondens Jesus, dixit iterum in par-

rábolis eis, dicens:

2. Simile factũ est regnum cælorũ homini regi, qui fecit nuptias filio suo.

quispiam pararet nuptias filio, ad quas propinqui venire detrectarent, &c. Rex enim iste Deus pater est, QUI FECIT NUPTIAS FILIO SUO, unigenito, uxorem ducenti. Uxor ista, seu sponsa est Ecclesia, juxtà Apost. ad Ephes. 5. vers. 25. & seqq. & Apocal. cap. 21. v. 2. & 9. Unde *Nuptiæ* non significant hìc ipsam matrimonialem conjunctionem, vel incarnationem Christi, per quam Ecclesia ei sponsa facta est, sed nuptiale convivium, splendidum, & magnificum, unde ad ipsum dicuntur homines invitari. Hoc autem non est aliud, nisi illæ doctrinæ, Sacramentorum, gratiarum apparatus, quo Deus tamquam diversis forculis hominum animas, per fidem sibi copulatas pascit, & in æternum gaudiis beatæ vitæ pastus est.

3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.

3. ET MISIT SERVOS suos, Joannem Baptistam, imò & ipsum Christum Dominum, qui formam servi accepit. VOCARE INVITATOS AD NUPTIAS, id est, ut eos, qui jam olim invitati fuerant ad nuptias, suo tempore celebrandas, ad diem nuptiis præfinitum vocarent. Invitati illi sunt Judæi, qui jam olim per Moysen & Prophetas de tali convivio Messiæ exhibendo certiores facti, & invitati, & ad credendum persuasi fuerant. Hi ergò, jam jam instante convivii die, vocati sunt per servos illos, prædicantes, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, ut ad convivium venirent, id est, ut Ecclesiæ credendo in Christum inserere ntur. Fit alluſio ad morem humanum, quo, decreto jam matrimonio, futuræ nuptiæ consanguineis plerumque denuntiantur, sed sic tamen, ut, cùm dies instat, denuò vocentur, ut ad præstitutam veniant. ET NOLEBANT VENIRE, id est, noluerunt in Christum credere, Ecclesiæ ejus inseri, & participes convivii fieri.

4. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.

4. ITERUM, semel jam contemptus, MISIT, post mortem ac resurrectionem filii sui, ALIOS SERVOS, Apostolos duodecim, Paulum, Barnabam, Stephanum & alios, qui præscriptis verbis hæc denuntiarent invitatis: ECCE PRANDIUM PARAVI, id est non jam dies prandii nuptialis instar, sed advenit, & omnia omninò ad refectionem mentis in hac vita necessaria præparata sunt. Prandium enim spiritualia vitæ præsentis bona respicit, cœna verò futuræ gaudia, de qua Lucæ 14. Hac ergò prædicatione jubet Rex, & quidem ultimò, annuntiari Judæis; Messiam, agnum sine macula, jam esse mortuum, crucifixum, resurrexisse, & ad epulandum propositum, omniaque jam consummata esse, quæ ad plenissimam redemptionem, salutem, & refectionem desiderantur; hoc enim per *tauros* & *altilia* videtur significari. Quamquam sigillatim Christus per *taurum* significari possit, ad exhibendam, & ad sustentationẽ rudiorum, ut robusti fiant; idem verò per *altilia*, ad præbendas delitias sublimis contemplationis spiritualibus. VENITE AD NUPTIAS, id est, nihil jam supereſt, nisi ut veniatis, & mensæ accumbentes, convivii illius magnifici honore, deliciis, gaudiis, reipsa perfruamini, credendo in Christum.

5. Illi autem neglexerunt, &

5. ILLI AUTEM, aliis rebus occupati & præpediti, NEGLEXERUNT, seu non curarunt venire, & Evangelicæ veritati credere,

&

ET ABIERUNT, ad ſua quiſque negotia, nempe ALIUS IN VILLAM SUAM, ALIUS VERO AD NEGOTIATIONEM SUAM, diverſis ſcilicet terrenarum rerum amoribus, ſtudiis ac lucris abſtracti.

abierunt; alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationē ſuā;

6. RELIQUI VERO, longè magis impii & ingrati humaniſſimæ invitationi ad inæſtimabilem tanti convivii fœlicitatem, TENUERUNT SERVOS EIUS, &c. prout in Actibus Apoctolorum de Jacobi & Stephani occiſione, & Pauli, aliorumque contumeliis narratur.

6. Reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.

7. REX AUTEM CUM AUDISSET, tantum contemptum gratiæ, ſervorum contumeliam ac cædem, IRATUS EST, id eſt, ultionem tandem decrevit, poſt tantam ſcilicet diſſimulationem, ET MISSIS EXERCITIBUS suis (Romanos intelligit ſub Tito & Veſpaſiano) PERDIDIT HOMICIDAS ILLOS, gladio, fame, & peſte: uſque adeò, ut Joſephus lib. 7. de bello Judaïco c. 17. teſtis ſit, periiſſe ſolâ ultimâ Jeroſolymæ obſidione undecies centena millia, præter innumeras clades, quibus &antè, & poſtea alibi affecti ſunt. Quamvis autem textus hoc factum dicat propter cæſos ſervos Regis, non negat tamen ipſius Chriſti occiſionem præcipuam fuiſſe cauſam. ET CIVITATEM ILLORUM SUCCENDIT: quod ad literam etiam contigiſſe idem Joſephus eodem libro teſtatur.

7. Rex autem cùm audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit.

8. TUNC AIT SERVIS SUIS: non poſt perditos homicidas ſuccenſamque civitatem, ſed tunc, cùm pervicaciter ad nuptias venire, ſeu Chriſti fidem recipere detrectarent, NUPTIÆ QUIDEM PARATÆ SUNT, durat enim ac celebratur nuptiale iſtud prandium à morte Chriſti, uſque ad veſperam mundi, quando æterna cœna incipiet: SED QUI INVITATI ERANT, NON FUERUNT DIGNI. Plus ſignificat, quàm dicit, nempe Judæos, non tantùm fuiſſe dignos nuptiis, ſed per tantam pervicaciam, ingratitudinem, & impietatem etiam indignos: non ita gentes. Hinc ergò, ut Apoſt. ad Rom. 11. v. 11. Judæorum delicto ſalus facta eſt Gentibus, quiâ cùm ſe judicaſſent indignos æternâ vitâ, & nuptiis iſtis, prædicatores ad Gentes convérſi ſunt, Act. 13. v. 46. ut qui numquam invitati fuerant, in Chriſtum credendo, ad nuptias venirent; hoc eſt, enim, quod addit:

8. Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni.

9. ITE ERGO AD EXITUS VIARUM, id eſt, quia Judæi venire nolunt, percurrite omnes vias, uſque ad omnes earum angulos, atque exitus, id eſt, per univerſum mundum omnibus Gentibus uſque in fines orbis terræ, prædicate Evangelium. ET QUOSCUMQUE INVENERITIS, VOCATE AD NUPTIAS, nemine cujuſcumque conditionis, quantumvis barbaro, excluſo: nempe ut æmulatione vel zelotypiâ ſtimulati Judæi ægrè ferendo ſibi ſalutem à barbaris præripi, convertantur.

9. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcumque inveneritis, vocate ad nuptias.

10. ET EGRESSI CONGREGAVERUNT OMNES, id eſt, ex omni hominum genere, ſeu ex omni tribu, & lingua, & populo & natione, & ſexu, & profeſſione, MALOS ET BONOS: non qui ſe malos perſeveraturos profiterentur: ſed *malos*, ſive qui laterent, dum ingrediendo probitatem ſimularent: *bonos* autem, qui ſæculo uti verbis, ita factis renuntiabant: ſive *malos & bonos*, quo ſcilicet

10. Et egreſſi ſervi ejus in vias congregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ ſunt nu-

priæ discumbentium.

jam adducti ad nuptias mali & boni apparerent : sive denique *malos & bonos* dictum est secundùm quandam humanam conversationem, in qua etiam ij, qui nondum crediderunt, vel laudari, vel vituperari solent : quas interpretationes dat Aug. libr. de fide & operib. c. 17. Nemo enim propriè loquendo bonus est ante fidem. ET IMPLETÆ SUNT NUPTIÆ, locus scil. nuptialis, seu, ut Syrus, domus convivii, DISCUMBENTIUM : q. d. Ita non perierunt impensæ convivii, & mortis Christi, propter Judæos venire detrectantes : sed multò pluribus adductis, domus, hoc est Ecclesia, impleta est. Nam ut Apost. ad Rom. 11. delictum eorum divitiæ sunt mundi, &, diminutio eorum divitiæ gentium.

11. Intravit autem rex ut videret' discumbentes, & vidit ibi hominē non vestitum veste nuptiali.

11. INTRAVIT AUTEM REX, convivii cœnaculum, UT VIDERET, seu spectaret, DISCUMBENTES, convivas, utrùm scilicet omnia dignè tantis nuptiis, tanto sponso & sponsâ agerentur. Significatur autem visitatio Dei, in die judicii facienda. Addit hoc, ne sibi unusquisque ex gentilibus satis esse putaret, quòd vocatus venire voluisset, etiamsi indignè se gereret vocatione suâ. ET VIDIT IBI HOMINEM, id est, unum quemdam, NON INDUTUM VESTE NUPTIALI, id est, decente nuptias & festum diem : lacera enim & sordida veste dehonestari solent nuptiæ, & sponsus contemni. Hanc vestem parabolicè Calvinus intelligit fidem ; sed malè, quia per eam ad nuptias venerat, August. 22. contra Faustum cap. 19. gloriam sponsi, quam quisque, non suam, quærere debet. Quid hoc sit, exponit ipse lib. ad Donatistas post Collat. cap. 20. & latiùs quodam Sermone de nuptiis in appendice, videlicet fidissima sponsi Christi charitas. Vestis enim nuptialis accipitur in honorem conjunctionis sponsi & sponsæ : ac talis est, inquit, ut eam non habeant, nisi boni, in convivio relinquendi. Quæ sanè vestis sola charitas est, quâ maximè sponsus honoratur : & hic est communis antiquorum sensus, Gregorii, Ambrosii, & aliorum. Nam quòd Chrysost. hanc exponit esse vitam immaculatam, seu virtutibus splendidam, à peccatorum sordibus alienam ; Auctor imperf. & Hieron. opera bona seu novi hominis ; Hilarius candorem habitus cælestis & Spiritus sancti gloriam ; in idem prorsus redeunt : charitas enim sine illis esse non potest, nec illa sine charitate.

12. Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit.

12. ET AIT ILLI : AMICE. *Amicum* vocat, quia ad nuptias amico animo invitatus fuerat, inquit Hieronym. & ut zelo justitiæ, non autem odio se increpari intelligeret. QUOMODO HUC INTRASTI, id est, quâ fronte & audaciâ te in tantas nuptias intrusisti, & cum cæteris versaris, NON HABENS VESTEM NUPTIALEM, id est, legibus nuptiarum requisitam, quæ in sponsi & sponsæ gloriam cedat ? Arguitur autem in eo solus defectus charitatis, tametsi de cætero se modestè gessisset, neque convivas perturbasset. Quod ergò judicium eorum erit, qui sordidè & flagitiosè vivunt, omniáque tumultibus miscent, quibus convivas in Ecclesia perturbent ? AT ILLE OBMUTUIT, quia ubi veritas ipsa judex erit, cessabit omnis excusatio, palliatio ac defensio. Unde, illo per ipsum silentium se condemnante,

13. Dixit rex ministris, justitiæ suæ, Angelis scilicet, Ligatis manibus, ne se defendere queat, et pedibus, nec fugere: quibus significat inevitabilem ejus pœnam absque ulla spe liberationis, aut præsidio defensionis, mittite eum, Græcè ἄρατε, *ejicite*, scilicet foras ex nuptiis & ex cœtu Sanctorum, qui charitate velut veste immaculatâ amicti sunt, In tenebras exteriores, carcerem inferni: de quibus tenebris & stridore & fletu, vide dicta in cap. 8. versu 12. Delabitur hîc Christus à cortice parabolæ ad rem significatam; in quam collimans etiam mox concludit:

13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.

14. Multi enim sunt vocati, ad nuptias Filij Dei, ad consortium regni cœlorum: sub quibus vocatis comprehendit etiam invitatos vocatósque, qui venire detrectaverant, scilicet Judæos, maximè tamen eos, qui venerant quidem, sed vestis, id est, probæ conversationis defectu ejecti fuerant. Pauci vero electi, à Deo, ut in cœna æterna, ad quam ex prandio nuptiali perducendi sunt, salute potiantur. Tangit enim radicem primam; ex qua oritur diversitas, ut vocati vel veniant, vel decenti veste nuptiali induantur, vel in ea perseverent, ne convivio ejiciantur. Ex hoc autem, quòd unus tantùm ejectus dicitur, multiq; remanserunt in convivio, cùm tamen è contrario multi dicantur vocati, & pauci electi: concludit Aug. Serm. cit. & lib. De gestis Pelagii c. 3. per ejectum parabolicè significari universum malorum cœtum, qui in Ecclesia bonis permixti vivunt, & multitudine suâ electos longè superant.

14. Multi enim sunt vocati: pauci verò electi.

15. Tunc, cùm irritati essent tot parabolis Pharisæi, præ cæteris infensi Christo, Concilium inierunt, ut caperent eum in sermone: Græcè, παγιδεύσωσιν, *ut illaquearent*, seu verbis velut laqueo, caperent, ut, quem vi non audebant capere, operibus tamen videbant irreprehensibilem, ipsi jam toties suis verbis capti, vicissim propositâ captiosâ quæstione eum verbis in periculum adducerent.

15. Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone.

16. Et mittunt eis discipulos suos, quasi ipsi ignotos, quos tamen ipsos fuisse Pharisæos notat Marcus. Cum Herodianis. Gentiles eos fuisse sentit Auctor operis imperfect. Chrysost. verò & Hieron. milites Herodis: Theophyl. eos, qui Herodem Christum putarent. Verisimile est fuisse Herodis, non primi illius, sed filii ejus Tetrarchæ, qui Antipas dictus est, domesticos. Ille enim tempore passionis Christi jam instantis erat Jerosolymis, Lucæ 23. versu 7. Unde Syrus vertit, *Cum iis, qui de domo Herodis*, seu *cum domesticis Herodis*, & Evangelium Hebræum Eliæ Hutteri & aliorum legit, *cum servis Herodis*. Herodes enim magnus impensè faverat Romanorum tributis, quibus olim præfuerat; quem & filium ejus imitatum fuisse non est dubium. Pharisæi contrà favebant Judaicæ libertati, & Herodis erant adversarii. Testis est enim Joseph. l. 18. Antiq. c. 2. fuisse quosdam ex Juda Galilæo ortos, sed eadem planè cum Pharisæis sentientes, qui neminem præter Deum, Dominum ac Principem haberi aut nominari vellent, adeoque Romanis ac tributis erant infensissimi.

16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum.

DICENTES, Græcè rectus casus est: unde Syrus. *Et dicunt ei*, scilicet Pharisæi, per os discipulorum. Quod indicatur præscriptis verbis quæstionem à Pharisæis mittentibus fuisse propositam. MAGISTER, SCIMUS QUIA VERAX ES, id est quòd amas veritatem, nec solum amas in te, sed etiam alios VIAM DEI IN VERITATE DOCES, id est, doces verè, sincerè, absque fuco & respectu viam, quam Deus ab hominibus ambulari cupit, hoc est, quid Deus velit fieri, & non fieri. ET NON EST TIBI CURA DE ALIQUO, id est, non curas quemquam, quò minùs liberrimè absque odio, aut metu, aut gratia veritatem dicas. Veracitas enim reddit hominem incommutabili veritati similem? veritas autem neminem curat, palpat, aut metuit. NON ENIM RESPICIS PERSONAM HOMINUM: Marcus, *Non vides in faciem hominum*, utrumque Lucas breviter explicat, dicendo, *Non accipis personam*, hoc est, solius causæ merita intueris, nihil curans quascunque extraneas personarum conditiones, ad causam non pertinentes, divitias, honores, potentiam, &c. Verissima est ista sinceri Doctoris, maximéque Christi, laus, nullo hominum respectu, gratiâ, aut metu ab officio & libertate asserendæ veritatis deflectere. Sed in Pharisæis erat ista pestilentissima adulatio, eò tendens, ut Chrysost. notat, ut Christum inflarent, & audacem redderent, atque ita in ancipiti constitutus aliquid diceret, vel contra religionem & libertatem Judaïcam, ut sic Pharisæi præsentes eum plebi invisum redderent, vel contra præsentem Reipublicæ statum, ut sic eum Herodiani comprehenderent, & apud præsidem Pilatum accusarent: nam de hac ipsa tributi causa apud Pilatum mentiti sunt, Lucæ 23. v. 2. Et hoc est, quod Lucas apertè dicit, eos fuisse insidiatores, qui se justos simularent, quæstionemque proposuisse, ut traderent illum principatui & potestati Præsidis.

17. Dic ergo nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari, an non?

17. Quandoquidem igitur tam incorruptus sis Doctor veritatis, DIC NOBIS: QUID TIBI VIDETUR, de hujus quæstionis veritate; quæ conscientiam nostram torquet & perplexam facit? LICET CENSUM DARE CÆSARI, AN NON? Salva scilicet religione & absque offensa Dei. Pompeïus enim primò universam Judæam vectigalem populo Romano fecerat: deinde Augustus cùm circa tempus nascentis Christi toti nationi censum seu tributum annuum imposuisset, Judas Galilæus hoc indignum ratus, populum ad rebellionem incitaverat, ut multis locis indicat Josephus & Gamaliel Actorum 5. v. 37. Hinc orta quæstio, tempore Christi maximè controversa, utrum liceret tributum Cæsari solvere? Pars affirmativa tenebatur ab Herode & Herodianis, & Romanorum fautoribus: negativa à Juda Galilæo, atque ejus discipulis, & maximè grata erat populo ac Pharisæis.

18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ?

18. COGNITA AUTEM JESUS NEQUITIA EORUM, id est, fraudulenta hypocrisi, AIT: QUID ME TENTATIS, seu experiri scientiam meam cupitis, HYPOCRITÆ? aliud enim voce, aliud opere proferebant: nam benevolentiam erga Jesum, magnam æstimationem ejus, studium veritatis & justitiæ & religionis simulabant, cùm nihil eorum esset ipsis cordi.

19. OSTENDITE MIHI NUMISMA CENSUS, id est, speciem monetæ qua census Judæis imperari solitus à Romanis, solvi debet. Constat enim Ælio Lampridio, moris fuisse Romanis Imperatoribus, ut numismata, pro ratione tributi vel censûs, magna vel parva conderentur. AT ILLI OBTULERUNT EI DENARIUM: quod fuit numisma Romanum; intelligit autem argenteum. Testatur enim & miratur Plinius lib. 23. c. 3. populum Romanum victis gentibus in tributo semper argentum imperasse, non aurum. Putatur autem hîc fuisse denarius minor, unius Atticæ drachmæ pondere, hoc est, valoris circiter Regalis Hispanici, qui olim quinque, nunc sex stuferos valet. Cùm autem constet ex cap. 17. v. ult. Censum illum fuisse didrachmum, hinc sequi videtur, eum vel denario duplicato debuisse ab omnibus solvi, vel certè pro ratione facultatum uniuscujusque, uno vel duobus.

19. Ostendite mihi numisma censûs. At illi obtulerunt ei denarium.

20. ET AIT ILLIS: CUIUS EST IMAGO HÆC, ET SUPERSCRIPTIO? Nam ut nunc, ita & olim tempore Christi, signabantur nummi imagine Principis, vel Reipublicæ & caracteribus limbum ambientibus, ut ex multis vetustis nummis constat. Quamvis initio apud Romanos pecude, unde pecunia dicta, signarentur; deinde aliis notis, Jano, bigis, quadrigis, victoriâ, &c. ut videre licet apud Plin. loco citato. Interrogat hæc Christus, non quod ignoraret, sed partim ut ex propriis eorum verbis quæstionem solveret, partim ut significaret non sibi terrena esse curæ, sed cælestia.

20. Et ait illis Jesus: Cujus est imago hæc, & superscriptio?

21. DICUNT EI: CÆSARIS, verisimiliter Tiberii, ut pote jam decimum-octavum imperantis annum. TUNC AIT: REDDITE ERGO QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI. Quibus verbis tacitè significatum esse à Domino plerique volunt, tributum illud esse Cæsari, in recognitionem dominii, solvendum, ut pote cui se subjectos usu numismatis ejus profiterentur. Sed meritò dubites, utrum hoc sequatur: nam & Abraham, Gen. 23. v. 16. usus est moneta publica, scilicet Heteorum, inter quos vivebat, quibus tamen non erat subjectus: & Judæos verisimile est pecuniâ Græcâ & Romanâ propter commercii commoditatem ante subjectionem esse usos; & tyrannis etiam census qui non debetur, solvi soleat. Itaque verisimile est, Christum, sicut ancipiti & lubrica quæstione pulsatus fuerat, ita & lubricè atque ambidextrè respondisse, ut nihil decideret, sed eos incertos relinqueret, quid Cæsari deberet solvi, an census, an honor, an obedientia? sicut eos etiam de solvendis Deo incertos reliquit, cùm dicit, EA QUÆ SUNT DEI DEO. Hoc tamen duabus de causis adjecit; primò ut indicaret, quòd etsi, quæ sunt Cæsaris, Cæsari solverentur, neminem ex eo impediri, quin redderet ea, quæ sunt Dei Deo, ut Origenes; illud enim pauperiorem forsan redder, non tamen impium. Ita docens, nihil obstare religioni, sicut ipsi putabant, quò minùs, salva pietate, & Cæsari pareretur in iis, quæ ad ipsum spectabant, scilicet terrenis, & simul Deo, in rebus divinis. Secundò, ut simul eorum negligentiam perstringeret, in iis solvendis,

21. Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

quæ ſunt Deo obedientia, ſcilicet mandatorum ejus : q. d. De ſolvendis debitis Cæſari, avaritia ſtimulante, eſtis anxii, cùm de ſolvendis debitis Deo nihil curetis : hoc oportet facere, & illud non omittere, cùm res poſtulat.

22. Et audientes mirati ſunt, & relictoeo abierunt.

22. ET AUDIENTES MIRATI SUNT, reſponſum tam cautum, in quo nihil reperiri poſſet, quo vel in populi, vel in Cæſaris offenſam caderet, ut ſperaverant. Lucas hoc exprimit, *Et non poterant verbum ejus reprehendere coram plebe.*

23. In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum.

23 IN ILLO DIE ACCESSERUNT AD EUM SADDUCÆI. De hac ſecta diximus alibi, ſicut & de lege ſuſcitantium ſemen, id eſt, filium & poſteritatem fratri, id eſt proximo cognato ſuo, ſine liberis defuncto. Primogenitus enim filius ex uxore fratris nomine defuncti appellabatur, ut Lex ait, hoc eſt, habebatur filius & heres defuncti, non viventis. Proponunt Sadducæi hanc quæſtionem, ut abſurditate, quæ ex ea ſequi videbatur, (quod ſcilicet vel plures eamdem haberent poſtea ſimul uxorem, vel unus præ cæteris quibus erat par jus) expugnarent reſurrectionem, & conſequenter regnum cœlorum & vitam æternam, quam Chriſtus prædicabat. Neque enim ſuſpicari poterant carnales homines, vitam ibi cælibem eſſe ducendam. Proponunt autem ex ipſa lege Moyſis, quam ſolam recipiebant, ut teſtatur Joſephus 18. Antiquitatum cap. 2. Quibus reſpondet :

24. Dicentes : Magiſter Moyſes dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filiũ ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo.

25. Erant autem apud nos ſeptem fratres : & primus, uxore ducta defunctus eſt : & non habens ſemen, reliquit uxorem ſuã fratri ſuo.

26. Similiter ſecundus & tertius uſque ad ſeptimum.

27. Noviſſimè autem omnium & mulier defuncta eſt.

28. In reſurrectione ergo cujus erit de ſeptem uxor? omnes enim habuerunt eam.

29. Reſpondens autem Jeſus, ait illis: Erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei.

29. ERRATIS, negando reſurrectionem, & ignorando modum ejus, dum ſcilicet putatis vitam, quæ futura eſt, fore vitæ præſenti ſimilem. NESCIENTES SCRIPTURAS, quia non intelligitis eas, quæ de hac re loquuntur : NEQUE VIRTUTEM, ſeu omnipotentiam Dei, cujus poteſtate corpus redactum in cineres ad vitam, eamque longè aliam, ac jam vivimus, revocabitur. Tangit igitur duplicem radicem erroris iſtius, ignorantiam Scripturarum & omnipotentiæ Dei : quibus de cauſis ab omnibus olim, tum Judæis, tum Philoſophis, tum hæreticis, reſurrectio ſublata fuit, & etiam-num hæreſes contra pleroſque arduos fidei articulos excitantur. Primò igitur docet eos errare in modo futuræ vitæ intelligendo convellens totius erroris fundamentum.

30. In reſurrectione enim, neque nubent, neq; nubentur: ſed erunt ſicut angeli Dei in cœlo.

30. IN RESURRECTIONE ENIM, id eſt, tempore reſurrectionis, ad quam omnis vita p[illegible] eam ducenda, ſpectat, NEQUE NUBENT, viri, *neque nubentur*, fœminæ : nam Græcè eſt, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, *neque uxores ducunt, neque dantur ad nuptias*; quo modo eadem Græca verba verſa ſunt Lucæ 17. v. 27. Itaque hîc, contra Latinorum conſuetudinem, *Nubere* tributum eſt viris, & *Nubentur*, uſurpatum eſt perſonaliter. Colligit autem hinc Hieron. tum hîc, tum Epiſt. 27. ad Euſtochium, in reſurrectione futuram ſexuum diverſitatem. Neque enim rectè de lapidibus,

vel rebus quæ non possunt nubere, dixeris, *non nubent*, &c. Quamvis Tertullianus lib. de habitu muliebri, cap. 2. Origenes & alii nonnulli, eumdem sexum, qui viris, videantur tribuisse fœminis: sed rectè August. 22. de Civit. cap. 17. corporibus vitia detrahentur, natura servabitur. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed naturâ erunt membra non accommodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit, & liberavit à corruptione, quod fecit. SED ERUNT SICUT ANGELI DEI IN CŒLO: seu qui in cœlo sunt, ad differentiam dæmonum, hoc est vivent absque nuptiis, cibo, potu cæterisque mortalitati sustentandæ & propagandæ necessariis, sicut Angeli, quod Augustin. loco citat. dicit: Erunt sicut Angeli, seu æquales Angelis immortalitate, atque felicitate, non carne. Non enim hîc natura Angelica, sed similitudo spiritualis conversationis promittitur, ut Hieron. locis citatis: qui ad Eustochium rectè notat, sicut & Basil. libr. de vera virginit. Virgines istam Angelicam similitudinem resurrectionis in hac vita prævenire, quorum puritatem in corruptibili carne circumferunt.

31. DE RESURRECTIONE AUTEM MORTUORUM NON LEGISTIS. Hîc eos probat nescire Scripturas, retundens ex ipso Moyse argumentantes ex Moyse, cùm alioqui longè clariora ex Prophetis testimonia suppeterent.

32. EGO SUM: id est, non solùm olim fui, sed etiam nunc sum, DEUS ABRAHAM, DEUS ISAAC, &c. Sub hac propositione quodammodò subsumit Christus: atqui NON EST DEUS MORTUORUM, id est, eorum, qui corpore & animâ extincti sunt, SED VIVENTIUM. Unde concludendum relinquit; ergò Abraham, Isaac, & Jacob non sunt mortui, sed vivunt, & consequenter mortui resurgunt.

Contra quam argumentationem moveri difficultas potest, quia, quamvis animæ Patriarcharum solæ vivèrent, nec resurgerent corpora, Deus posset vocari eorum Deus. Sed duobus modis responderi potest: Primò, ut omnia verba in suo rigore accipiantur, & immediatè corporum resurrectio probetur. Nam Abraham, Isaac, & Jacob non sunt nomina animarum, sed personarum, seu suppositorum, corpore & animâ constantium, ut notavit Theophyl. in cap. 12. Marci: & viventes, cùm de hominibus sermo est, dicuntur, qui corpore & animâ unitis vivunt. Itaque cùm dicatur Deus Abraham, & Isaac, & quidem dicatur Deus tantùm esse viventium, quos pridem corpore defunctos esse constat: necesse est Abraham & Isaac suis corporibus adhuc vivere, sed Deo. Nam hunc sensum indicat Lucas, cùm addit, *Omnes enim vivunt ei*, nimirum quia morte brevissimo tempore velut somno intercurrente tantùm dormiunt, non mortui sunt Deo, utpote quos ad vitam corporis mox revocaturus est. Hac enim de causa mortui vocantur ab Apostolo *dormientes*, sicut & Lazarus Joan. 11. v. 11. & puella Matth. 9. vers. 25. *dormire* dicuntur. Declarat hoc Chrysost. appositâ similitudine Adami, quia sicut pomo co-

31. De resurrectione autem mortuorum, non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis:

32. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium.

33. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus.

mesto, decretaque mortis sententiâ, statim mortuus dicitur, tametsi diu postea supervixerit: ita vicissim mortui, propter decretam à Deo resurrectionem, dicuntur ei vivere. Et hoc modo Christus immediatè probasset resurrectionem. Secundò & fortasse faciliùs responderi posset, Christum in verbis suis spectasse mentem Sadducæorum. Sadducæi autem teste Josepho 18. Antiquit. cap. 2. cum corpore extinguebant simul & animas. Itaque immediatè Christus probat animas permanere post mortem corporis, ex eo, quod vocetur Deus Abraham, & Deus non sit Deus mortuorum, id est, penitus extinctorum, etiam quantum ad animam, sed viventium. Quod si anima non extincta, sed immortalis permanet, ergo resurgent & corpora. Anima quippe ex naturali quodam pondere requirit conjungi corpori, & per quam justum est, ut quod particeps fuit operum, ac laborum, pœnæ quoque & præmii particeps fiat. Et hinc est, quod non tantùm Sadducæi, sed & olim Philosophi, & hodie Athei, cum animæ immortalitate etiam corporum resurrectionem sustulerunt, & è contrario qui immortalitatem animæ, iidem & corporibus resurrectionem tribuerunt. Unde & Paulus 1. ad Corinth. 15. v. 18. & 32. ex negata corporum resurrectione infert dormientes perire scilicet etiam quantum ad animam, & pios labores nihil prodesse: & 2. Machab. 12. v. 44. concluditur, orationes pro defunctis nihil profuturas esse, nisi resurgant & corpora.

34. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum:

34. PHARISÆI AUTEM AUDIENTES, &c. ne scilicet etiam sibi videretur silentium impositum ut deprimerent Christi gloriam, coram turbis admirantibus, CONVENERUNT IN UNUM, ad proponendam novam quæstionem, qua ille, qui Sadducæos superaverat, à se superaretur.

35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum.

35. ET INTERROGAVIT EUM UNUS EX EIS, nempe Pharisæis, LEGIS DOCTOR: Marcus *Scribam* vocat, Syrus *Legis peritum*; ex quo patet, Legis doctorem etiam Scribam esse, & eosdem Scribas esse, potuisse & Pharisæos, ut potè cùm hoc sectæ esset nomen, istud officii. TENTANS EUM, id est, ut experiretur ignotum, inquit August. 2. de consensu cap. 73. hoc est, ut amplius experimentum caperet peritiæ Scripturarum ejus. Hic enim quamvis Pharisæis invidiâ stimulatis se obtulerit, qui quæstionem ex intimis Legis arcanis petitam Jesu proponeret, bono tamen animo ad sciendam scilicet sententiam Christi hoc fecisse colligi videtur ex Marci 12. vers. 28. & seqq. Interrogavit ergò:

36. Magister, quod est mandatum magnum in lege?

36. QUOD EST MANDATUM MAGNUM IN LEGE? id est, maximum inter omnia Legis Moysis mandata, ut ex Marco patet, qui dicit, quod esset *primum omnium mandatum*? Carent enim Hebræi superlativo. Videtur ista quæstio tunc fuisse controversa, ut notavit Beda in Marcum, aliis mandatum de sacrificiis, aliis aliud præferentibus. Ait illi Jesus:

37. Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deũ tuum ex toto

37. DILIGES DOMINUM DEUM TUUM. Apud Marcum præmittitur etiam illa præfatio, quæ habetur Deuter. 6. *Audi Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est*: quâ manifestè præmitttitur dilectioni,

dilectioni, & fundatur in animo fides unitatis essentiæ divinæ; occultiùs autem Trinitatis personarum, ut observavit Euthymius, in eo quòd ter nomen Domini, ac Dei repetitur. Cui præfationi mox subjungitur apud Marcum, *Et diliges Dominum*, &c. q. d. Itaque quia unus est, totum amorem in illum Dominum Deum tuum converte. Pro quo Hebraicè est nomen πεζαγράμματον, id est, quatuor litterarum, יהוה, quòd Deum sub omnis essentiæ pelago exprimit, & ita tacitè rationem continet ejus, quod sequitur, cur scilicet ex toto corde, toto animo, totâ mente &c. sit diligendus, nimirum quia est primum ens, summum bonum, abyssus, fons ac principium omnis entis & boni, ac proinde primum & summum, quod mereatur diligi. DEUM TUUM, qui te sibi in populum peculiarem elegit, in filium adoptavit; diligit, & ex dilectione innumeris cumulavit beneficiis. Nam in prima parte summa ratio diligendi suggeritur, ipsa divinæ naturæ excellentia: hîc verò proxima, ipsius scilicet in nos amor, ac beneficentia; ut, si in amando tardiores fuerimus, saltem amantem redamemus. EX TOTO CORDE. Hoc additur, ut distinctiùs intelligamus, quomodo totus amor noster in unum Deum nostrum converti debeat. Rectè itaque observat Basil. in Psalm. 44. & Theodoret. quæst. 3. in Deuteron. per istud, *ex toto*, seu *omni corde*, præcipi nobis, ut non scindamus dilectionem in dilectionem Dei, & rerum inferiorum Deo: quantùm enim in eas dilectionis impenderis, tantùm Deo subtrahi necesse. Sed quia jam fundatâ in animo dilectione Dei, unicuique rei, parentibus, liberis, cæterisque omnibus utilia ex ejusdem illius divinæ dilectionis legibus procuranda sunt (sic enim Deus ipse, quem diligis, jubet:) hinc fit, quidquid aliud justo genere amoris, qui longè inferior est, in animum venerit, illuc rapi, & referri debeat, quò totius dilectionis illius impetus currit. Tota enim illa dilectio proximorum in illam dilectionem Dei referenda est, quæ nullum à se rivulum extra se duci patitur, cujus derivatione minuatur, ut Augustinus libr. 1. de doctrina Christiana, cap. 22. Sic ergò *cor totum* opponitur cordi in plures amores diversos, diviso, quod hîc fieri verat. Opponitur etiam *cor totum* cordi remisso, ac languido, ut significetur nihil nobis magis, aut æquè diligendum esse, ac Deum; nihil illius amori præferendum, aut æquandum: qui sensus ex primo sequitur. Sed magna est sententiarum diversitas in assignando discrimine *cordis*, *animæ*, *mentis*, *fortitudinis*, *virium*, quibus nominibus hoc præceptum diversis locis exprimitur. Juxtà August. loco citato. *cor* significat cogitationes, *anima* vitam, *mens* intellectum: juxta Nyssenum libr. de creat. hominis, *cor* designat animam vegetabilem, *anima* sensitivam, *mens* intellectivam. Alii, maximè recentiores, putant hæc omnia unum idemque significare, & ad majorem tantùm energiam repeti, ejusque signum esse, quòd aliquando aliquid eorum omittatur. Sed hoc nihil aliud probat, nisi vel præceptum istud subinde non plenè exprimi, vel certè unum eorum ex alio intelligi pos-

corde tuo & in tota anima tua, & in tota mente tua.

ſe. Rectiùs igitur & veriſimiliùs videtur dici, ſicut alibi diximus, & hic locus poſtulat, ut iterum dicatur, quod cùm dilectio ſit voluntatis actus, voluntas ipſa per *cor* ſignificetur. Nam ſicut cor eſt principium omnium corporalium motuum, ita voluntas: maximè quantum ad intentionem finis ultimi, qui eſt objectum charitatis, eſt principium omnium motuum ſpiritualium. Et ideò ubicumque præceptum iſtud ponitur, ſemper *cor* ponitur primo loco, tamquam fons iſtius dilectionis. Tria ſunt autem principia actuum, quæ moventur à voluntate, intellectus ſcilicet ſignificatus hoc loco per *mentem*, & vis appetitiva interior deſignata per *animam*, & vis executiva exterior omnium actionum, quæ exprimitur Deuter. 6. per *fortitudinem*, & Marci 12. verſ. 30. per *virtutem*, & Lucæ 10. verſ. 27. per *vires*: eadem enim iſta tria ſunt. Præcipitur igitur, ut tota noſtra intentio feratur in Deum, quod eſt EX TOTO CORDE; &, ut noſter intellectus ſubdatur Deo maximè per fidem, quod eſt EX TOTA MENTE; & ut appetitus noſter inferior regatur ſecundùm Deum, quod eſt EX TOTA ANIMA; &, ut exteriores actus noſtri obediant Deo, quod eſt EX TOTA FORTITUDINE, ſeu virtute, ſeu viribus. Ita ferè S. Tomas 2. 2. quæſt. 44. art. 5. Ex quo patet, quàm verè Auguſtin. dicat loco ſuperiùs allegato, nullam vitæ noſtræ partem hoc præcepto relinqui, quæ vacare debeat, & quaſi locum dare, ut aliâ re præter Deum velit frui. Cui conformiter Victor Antiochenus in Marcum ait, idcircò in iſta Lege repeti *cor*, *animam*, *mentem*, *virtutem*, quò hominem tanto Dei amore flagrare debere demonſtret, ut nihil prorſus in ullam omninò animæ facultatem irrepere ſinat, quod ejus erga Deum dilectionem excludat, aut diminuat, aut aliò transferat.

38. Hoc eſt maximum, & primum mandatum,

38. HOC EST MAXIMUM MANDATUM, id eſt, præcipuum, quia maximè ab homine requiſitum, omnia ſecum trahens mandata; plenitudo enim legis eſt dilectio, ad Rom. 13. item omnium mandatorum finis & ſcopus; finis enim præcepti eſt charitas, 1. ad Timoth. 1. v. 5. ET PRIMUM, dignitate, tanquam de fine ultimo, de ente primo, de ſummo bono, atque ita neceſſariò eſt finis aliorum mandatorum, & in intentione tam Legiſlatoris, quàm factoris primum.

39. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

39. SECUNDUM AUTEM SIMILE EST HUIC; officio; quia ſimiliter dilectionem præcipit; & amplitudine, quia univerſa ſecundæ tabulæ præcepta continet, ſicut alterum primæ. DILIGES PROXIMUM, nempe quemlibet hominem; nam ut Iren. lib. 4. cap. 27. homo homini proximus. Hinc illa laudatiſſima ſententia cujuſdam apud Comicum qui reprehenſus fuerat, quòd aliena curaret negotia. Homo, inquit, ſum, humani à me nihil alienum puto; cui tota aliquando theatra plauſiſſe ferunt. Utitur autem nomine *Proximi*, ut tacitè ſuggerat rationem legis, ſeu dilectionis iſtius, nempe ſocietatem, fundatam in proximitate, hoc eſt in conjunctione naturali, non ſanguinis, ſed animorum, id eſt, rationis & imaginis Dei, & conſequenter præcipuè in capacitate

ſummi boni, in qua ſocij & proximi ſunt omnes homines. Si enim pecuniæ ratio ſocios facit, quantò magis ratio naturæ, non negotiandi, ſed naſcendi lege communis? inquit Auguſt. Epiſt. 52. SICUT TEIPSUM, id eſt, ſimiliter atque te diligis, etſi non æqualiter. Similitudo autem iſta dilectionis attenditur primò & maximè in fine diligendi proximum, ſcilicet propter Deum. Hinc Auguſt. lib. 10. de Civit. cap. 4. Cùm mandatur de proximo diligendo, ſicut ſeipſum quid aliud mandatur, niſi ut ei quantum poteſt, commendet diligendum Deum? Dilectio quippe ſui, non propter Deum, non eſt vera ſui dilectio. Cùm enim ſe diligere ſit ſibi velle ſummum bonum, tunc veriſſimè & propriiſſimè homo ſeipſum diligit, cùm Deum diligit; nam hoc ipſum eſt ſibi velle ſummum bonum. Unde idem Auguſt. lib. de morib. Eccleſ. cap. 26. Solus ſe novit diligere, qui Deum diligit: ſicut ille ſe ſatis diligit, qui ſedulò agit, ut ſummo & vero perfruatur bono. Quod ſi nihil eſt aliud, quàm Deus, quis cunctari poteſt, quin ſeſe amet, qui amator eſt Dei? Et iſta cauſa eſt, cur nullum præceptum ſit, ut homo diligat ſe, quia in dilectione Dei perfectiſſimè involvitur. Secundò, attenditur iſta ſimilitudo in rebus, quas proximo velle debemus, ſeu in officiis quæ ei præſtare debemus, nempe bona, non mala, ſive corporis, ſive animæ: omnia enim officia ſocietatis humanæ ex illo unico præcepto naſcuntur, &, ut ibid. Auguſt. ad duo revocantur: nempe, ut in nullo lædamus proximum, ſecundùm illud Apoſtolicum, ad Rom. 13. v. 10. *Dilectio proximi malum non operatur:* deinde ut eum, cùm poſſumus, adjuvemus. Unde utrumque complectens Auguſt. lib. de vera relig. cap. 46. Ea eſt regula dilectionis, inquit, ut quæ homo vult ſibi bona provenire, & proximo velit; & quæ accidere ſibi mala non vult, & illi nolit. Quorum affirmativum indicatur ſup. Matth. 7. v. 12. *Omnia, quæcumque vultis, vobis faciant, &c.* negativum verò Tobiæ 4. verſ. 16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, &c.* Ex his patet, non eſſe neceſſe addere, ut proximus non diligatur, propter propriam utilitatem, aut delectationem. Nam & hoc includitur in eo, quòd debeat eum diligere propter Deum, ſicut & ſeipſum. Nam, ut optimè Auguſt. loco de morib. Eccleſiæ citato: Quod agis tecum, hoc agendum cum proximo, id eſt, ut ipſe etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligitis tamquam teipſum, ſi non ad id bonum, ad quod ipſe tendis, adducere ſatagis.

40. IN HIS DUOBUS MANDATIS UNIVERSA LEX, Moyſis, & non tantùm Decalogus ejus, PENDET ET PROPHETÆ, ſeu Prophetarum doctrina: hoc eſt, inquit Auguſt. libro 2. quæſtionæ Evangelica qu. 33. & latiùs lib. de perfect. juſtitiæ cap. 5. in his duobus habent finem, & ad hæc duo referenda ſunt: quidquid enim Dei lege prohibemur, & quidquid jubemur facere, ad hoc prohibemur & jubemur, ut duo iſta compleamus. Imò tota Scriptura, adeóque Dei cum hominibus providentia non aliud ſpectat. Unde Auguſt. ubi Scriptura aperta eſt, charitas patet: ubi obſ-

40. In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & prophetæ.

cura est, charitas latet: de quo vide & in Psal. 140. Rectè autem observat Epist. 52. idem August. dici, *In his duobus mandatis, non in his tribus*, quasi tertium esset de diligendo seipso ut intelligeretur, inquit, nullam esse aliam dilectionem, quâ quisque diligit seipsum, nisi quòd diligit Deum, qui enim aliter se diligit, potiùs se odisse dicendus est. Cùm ergò summam agendorum Pharisæos Christus docuisset, nunc etiam summam credendorum novæ Legis eos ex Scripturis docere volens & omnem prætextum se persequendi ad necem tollere:

41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus.

41. CONGREGATIS PHARISÆIS, nempe contra se, ut supra vidimus v. 34. INTERROGAVIT EOS, suo jam jure & vice: ut potè jam toties ab eis interrogatus ac tentatus.

42. Dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David.

42. QUID VOBIS VIDETUR DE CHRISTO? CUIUS FILIUS EST? Hanc quæstionem clarè de seipso proposuerat Apostolis, Matth. 16. v. 13. & 15. Hic verò proponit in genere abstrahendo à persona sua. Statim enim, ut Chrysost. eum seductorem & perditum esse respondissent. DICUNT EI, DAVID: quod ita tritum tunc erat, ut etiam vulgò esset notissimum: sicut aliquoties suprà vidimus. Sed ita hoc intelligebant, ut nihil ampliùs de Christo suo sentirent, nisi Regem de stirpe David terrenum fore Dei adoptione filium charissimum, qui Judæos dispersos in terrenam libertatem assereret, regnum David collapsum multò augustiùs restitueret, & usque ad fines terræ subactis gentibus dilataret: cujusmodi etiamnum expectant Judæi. Hanc opinionem ergò ut corrigeret Dominus, ait:

43. Ait illis: Quo modo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens:

43. QUOMODO ERGO, si scilicet nihil aliud est, nisi Davidis filius, DAVID IN SPIRITU, nempe sancto, id est, per Spiritum sanctum actus & impulsus, qui mentiri, aut errare non potest, VOCAT EUM DOMINUM, scilicet suum? Pater enim non vocat filium Dominum suum. Locus autem, quem citat, est ex Psalmo 109.

44. Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

44. DIXIT DOMINUS, nempe Deus; est enim hîc Hebraïcè nomen illud ineffabile, quod soli Deo competit, & ferè verti solet, *Dominus*, eò quòd Hebraïcè legi soleat per אדני, *Adonai*, quod *Dominum* significat. DOMINO MEO, Messiæ scilicet, seu Christo: Hebraïcè est לאדני, *Ladoni*, quod hominibus tribui solet. Unde vis argumenti non est sita in eo, quod vocet simpliciter *Dominum*, sed *Dominum meum*, cujus scilicet ipse sit servus. SEDE A DEXTRIS MEIS, id est, habeas & habere agnoscaris æqualem mecum gloriam, majestatem, imperium. Unde urgens hanc phrasis istius prærogativam Apostolus ad Hebr. 1. v. 17. ait: *Ad quem enim hominum aut Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis?* Et 1. ad Corinth. 15. v. 25. hunc locum paraphrasticè citans ait: *Oportet illum regnare; donec ponat*, &c. & ad Ephes. 1. v. 20. clariùs explicans effectum istius sessionis, *Suscitans*, inquit, *illum à mortuis & constituens ad dexteram suam in cœlestibus supra omnem principatum, & virtutem, & dominationem*, &c. Eodemque modo ad Philippenses 2. v. 9. Ex quibus patet, Apostolo interpretante, Deum Patrem hoc dixisse, id est, tradidisse Christo hanc sessionem à dextris tempore glorificationis ejus post resurrectionem. Tunc enim

res fieri dicitur, quando innotescit, & ipse Christus hoc satis declarat infrà c. 26. v. 64. tametsi ab initio incarnationis Christus, cùm accepit esse Deum, accepit & æqualem Patri gloriam, quæ postea manifestata est. Est autem locutio metaphorica, ab humano more sumpta, ubi ad dexteram est locus maximè honorificus. Nec tamen hâc phrasi Pater ad sinistram esse, Filioque postponi significatur: nam mox eodem Psal. v. 5. Pater dicitur esse à dextris Filii. Quamvis enim in sermone proprio dextera inferat respectum ad sinistram, non tamen necesse est hoc etiam sermone metaphorico indicari: Verbis ergò, ut Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 6. honorificis, & præsidentiam declarantibus significatur summi honoris æqualitas; plus videlicet cuique personæ quodammodo tribuendo, ne minus habere credantur, ut ait Ambros. de Filio lib. 2. de Spiritu sancto c. 12. DONEC, id est, etiam donec: exprimit enim illud tempus, quo maximè videri poterat non sedere ad dexteram; relinquens intelligendum maximè sessurum postea. Non enim præsentium promissio est futurorum exceptio: ut Basil. hom. 25. vide dicta c. 1. v. ult. Unde Apostolus ad Hebr. 10. v. 12. *In sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum*, &c. Ex quo Apostoli loco intelligitur tempus novissimi judicii significari quando dicit, DONEC PONAM INIMICOS, seu adversarios tuos omnes, Reges, populos, imperia, &c. SCABELLUM PEDUM TUORUM, id est, ita subjectos tibi, ut instar scabelli sub pedibus tuis eos conculces & proteras: quo absolutissimum imperium Christi significatur.

45. SI ERGO DAVID VOCAT EUM DOMINUM, QUOMODO FILIUS EIUS EST? id est, quomodo ista duo consistunt? Non enim negat eum esse filium David; nam, ut Augustinus Serm. 234. de tempore, *quomodò*, verbum quærentis est, non negantis: sed eò collimat, ista difficultate objecta, ut cogerentur aliam sublimiorem in eo naturam agnoscere. Illi verò præoccupati cùm essent ista falsa opinione,

45. Si ergo David vocat eũ Dominum, quomodo filius ejus est?

46. NEMO POTERAT EI RESPONDERE VERBUM, seu quidquam, quod nondum illum solveret. Ex quo silentio manifestè constat & sequitur: primò, certum fuisse apud Judæos illius temporis, quòd iste Psalmus à Davide scriptus fuerit contra cavillationes recentiorum Judæorum, qui putant scriptum esse, vel à Melchisedech, vel ab Eliezer servo Abraham, vel aliis tempore Davidis viventibus: secundò certum item fuisse Pharisæis, quod ille idem Psalmus de Christo scriptus esset contra alias recentiorum Judæorum tergiversationes, qui volunt scriptum, vel de Abrahamo, ut testis est hîc Hier. vel de Davide, ut Aben Ezra, & Rabbi David putant, aut de Ezechia, ut Judæi olim exponebant, teste Justino contra Triphonem, & Tertull. lib. 5. contra Marcionem c. 9. nam alioqui facilè respondissent Pharisæi, utroque modo difficultatem eludendo.

46. Et nemo poterat ei respondere verbũ: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

CAPUT XXIII.

1. Tunc Jesus locutus est ad turbas: & ad discipulos suos,

1. TUNC, cùm arrogantiam Pharisæorum de scientia repressisset, ut iisdem quoque tanquam incorrigibilibus palam pietatis ac sanctimoniæ larvam detraheret, LOCUTUS EST AD TURBAS ET DISCIPULOS ne imitationis contagio corrumperentur. Et quia gravissimè Scribas & Pharisæos volebat perstringere, ne officii auctoritatem lædere voluisse, vel eorum principatum affectare, vel odio eorum, & inimicitiis moveri videretur, prudenter præmittit:

2. Dicens: super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi.

2. SUPER CATHEDRAM MOYSI, id est, quam Moyses instituit, Dei auctoritate. Significatur autem non suggestus, in quo docuit Moyses, quasi ea duntaxat servanda juberentur, quæ ex tali cathedra docerent, ut quidam nimis materialiter acceperunt: sed auctoritas Moysis in rebus divinis, nempe docendi & interpretandi Legem Dei, præcipiendi regendique populum in iis, quæ spectant cultum Dei: sic enim & cathedram Petri, auctoritatem Petri dicimus. Respicitur enim ad usum, quo docentes, ac judicantes plerumque sedent, ut fecit Christus, docens Matth. 5. vers. 1. & Lucæ 4. v. 20. & judicantes sessuri significantur, Matth. 25. v. 31. SEDERUNT SCRIBÆ ET PHARISÆI, per legitimam in officio successionem. Pharisæi enim & Scribæ videntur plerique fuisse simul ex ordine Levitico ac sacerdotali: ita ut Pharisæis ferè incumberet gubernare populum, & magistratum gerere, ut testatur Josephus 18. Antiq. c. 2. Scribis, legem interpretari, Sadducæis ab utroque exclusis, vel in instituta Pharisæorum transeuntibus, si magistratum capesserent, ut ibid. Josephus, & ideo nulla hîc de Sadducæis fit mentio, nec etiam de sacerdotibus ac Pontificibus sub illis nominibus, nimirum ut auctoritati parceretur. Quia verò Moyses Christi personam, & figuram gessit, consequenter August. Serm. 49. de verbis Domini c. 5. per Scribas & Pharisæos vult figurari Episcopos illos, doctoresque Christianos, qui sua quærunt, quique dicunt, & non faciunt, nempe quia Moysis, hoc est, Christi, auctoritatem & locum tenent.

3. Omnia ergò quæcúque dixerint vobis, servate, & facite: secúdum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt.

3. OMNIA ERGO QUÆCUMQUE (quibus universalibus signis absolutissima sine exceptione obedientia indicatur) DIXERINT VOBIS, sive docendo, sive jubendo. Intellige autem quamdiu non constiterit esse apertè contraria cathedræ, in qua sedent, seu doctrinæ Moysis & Legis Dei. Sic enim & Apostolus jubet filios obedire parentibus per omnia, ad Colossi. 3. v. 20. cùm tamen notum sit, Deo magis obediendum esse quàm hominibus, si contraria tradant. Et hinc est, quòd ipse Christus hoc ipso cap. v. 16. & seqq. doctrinæ quædam capita in Mosaicæ corruptelam inducta, reprobat, & cap. 16. v. 6. & 12. monet à fermento, id est doctrina Pharisæorum, cavendum. SERVATE ET FACITE, id est, omninò facite, quia scilicet non eorum, sed Dei sunt, quæ docent: nam ut Au-

gust. 4. de doctr. Christiana cap. 27. Cathedra non ipsorum, sed Moysis, cogit eos docere etiam bona facientes. Agunt sua in vita sua, docere autem sua, cathedra illos non permittit aliena. Unde lib. 16. contra Faustum c. 29. advertere jubet, quantus honor hic deferatur doctrinæ Moysi, in cujus cathedra etiam mali sedentes bona docere cogebantur. SECUNDUM OPERA VERO EORUM NOLITE FACERE, id est, ne auctoritas, quæ vos ad obedientiam doctrinæ movit: etiam ad vitæ imitationem moveat: quod cautissimè idcirco monet, quia, ut Aug. abundant in plebe, qui malæ vitæ defensionem ex ipsis præpositis, & doctoribus, quærunt, respondentes in corde suo: Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Atque ita ex vitiorum eorum moribus sibi vivendi legem fingunt. DICUNT ENIM, seu præcipiunt optima quæque, juxtà legem Dei, ET NON FACIUNT: vita enim verbis dissidet. Atque ita consequenter fieri solet, ut quod verbo in animis auditorum struunt, vitâ destruant. Ut enim quis obedienter audiatur quantacunque granditate dictionis, majus habet pondus vita dicentis, inquit August. loco de doctrina Christiana citato. Unde idem præclarè monet auditores talium doctorum; tract. 46. in Joan. Botrum inter spinas cautè lege, ne dum quæris fructum (audiendo scilicet malos doctores) laceres manum, & cùm surdis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.

4. ALLIGANT ENIM (metaphora à jumentis sumpta, quibus imponi & alligari solent sarcinæ) ONERA GRAVIA ET IMPORTABILIA, Græcè, δυσβάστακτα, *portatu difficilia*, nempe traditiones, tum seniorum, tum proprias, tum ipsius quoque præcepta divinæ legis. Datur enim ratio istius sententiæ generalis, *Dicunt, & non faciunt*. Hæc ergò omnia dicuntur *onera gravia*, &c. tum multitudine, tum gravitate, tum interpretationis duritiâ, tum accuratissimæ observationis rigore, quem postulabant. Quod verbo *alligandi* significatur: sicut fastus imperandi, & leges cudendi, per id, quod sequitur, ET IMPONUNT IN HUMEROS HOMINUM, ut ea ferant. Ipsi autem cùm exemplo deberent præcedere gregem, DIGITO SUO, opponitur humeris, NOLUNT EA MOVERE, id est, ne minimum quidem observandi conatum adhibere, ut saltem exemplo suo ea reddant leviora. Duplex igitur notatur hîc perversitas, ut Chrysost. notat, quòd sine venia exquisitissimè vellent vivere multitudinem, & quòd nimium sibi ipsis indulgendo, magnam assumerent licentiam: cùm bonus Princeps in se sævus, in alios benignus esse debeat.

4. Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere.

5. OMNIA VERO OPERA SUA, si quæ faciunt, quæ speciem boni præ se ferant, FACIUNT, UT VIDEANTUR AB HOMINIBUS, id est, ut gloriam hominum aucupentur, sicut latè & sigillatim declaratum est cap. 6. Præcedenti ergò versu taxabatur eorum aperta improbitas, hîc verò simulata probitas, ostentatione & vanitate plena. Hanc ergò per partes explicat.

DILATANT ENIM PHYLACTERIA SUA, id est, ampliotibus quàm cæteri utuntur phylacteriis, ut videlicet in se convertant oculos

5. Omnia verò opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.

hominum, & eis tantò religioſiores videantur. Erant enim *Phylacteria* membranæ, ut Hieron. in quibus erant ſcripta Legis mandata, quas & Phariſæi & Scribæ ab aure ad aurem fronti alligabant & brachio. Sic enim carnaliter intelligebant mandatum illud, Deuter. 6. v. 8. quo nihil aliud jubebatur, niſi ut jugiter eſſent memores mandatorum Dei. Hinc ergò dictæ ſunt illæ membranulæ Judæis תפלין, *Tephilim*, quaſi alligamenta, Græcè φυλακτήρια, quaſi conſervatoria, ad conſervandam memoriam Legis Dei. ET MAGNIFICANT FIMBRIAS, id eſt, magnas faciunt fimbrias ſuas, ſcilicet palliorum ſuorum, ut additur Græcè & Syriacè, nimirum ut magis viderentur memores Legis Dei, præferentes eam veſtibus, cùm vitâ ſpernerent. Erant enim illæ *Fimbriæ* fila quædam non texta, in extremitate veſtis dependentia, quibus inſtar limbi impoſita erat vitta coloris hyacinthini: quas & Chriſtum geſſiſſe patet Lucæ 8. v. 44. qua de re diximus num 15. in fine. Jusſerat hoc Deus, ut eis viſis veluti oblivioſi pueri, divinæ Legis recordarentur. Addit Hieron. ſolitos Phariſæos in illis fimbriis acutiſſimas ligare ſpinas, ut interdum pungerentur, & hac quaſi admonitione ad officium revocarentur.

6. Amant autem primos recubitus in cœnis & primas cathedras in ſynagogis.

6. AMANT AUTEM PRIMOS RECUBITUS IN CŒNIS, id eſt, affectant locum honoratiorem in ſolemnibus conviviis: quæ antiquis magis eſſe ſolebant cænæ, quam prandia, ut liberiùs poſſent ſine curarum interpellatione protrahi. Unde illud Apoſt. 1. ad Theſſal. 5. v. 7. *Qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt.* ET PRIMAS CATHEDRAS IN SYNAGOGIS, id eſt, primos conſeſſus in publicis conventibus, audiendæ legis cauſa, ubi humilitas regnare deberet: ET SALUTATIONES IN FORO. Submiſſionis iſtud genus eſt, quod per modum officii quotidiani præſtari etiamnum quibuſdam in locis ſolet magnatibus, quos clientes ita colunt, vel domi eos viſitando, vel foris ſalutando.

7. Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

ET VOCARI AB HOMINIBUS RABBI. Nomen eſt, quod dignitate, in primis eruditione præſtantibus apud Judæos tribuitur, q. d. *Domine mi*, vel *Magiſter mi*. In his autem omnibus taxat non tam factum quàm affectum eorum, quòd ſcilicet amarent, id eſt, affectarent, & ſtudioſè appeterent hujuſmodi vanitatis lenocinia: Nam talibus præcellentiæ nominibus vel ſignis, ſæpè nos affici decet, amare & affectare non decet.

8. Vos autem nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.

8. VOS AUTEM, diſcipuli mei, quos à Phariſæorum vitiis alienos eſſe decet, NOLITE VOCARI RABBI, id eſt, ne ametis vocari, ſive ne affectetis hujuſmodi glorioſæ appellationis titulos, placendo vobis in illis, ſed potiùs, quantum in vobis eſt, declinate: hoc prohibens in diſcipulis, quod in Phariſæis reprehenderat: actio enim aliena non prohibetur, ſed propria. UNUS, ſeu unicus, EST ENIM MAGISTER, ſeu doctor, VESTER: qui ſcilicet vos omnes docet, & à quo habetis quidquid magiſterii in alios exercetis. Unde tacitè eodem modo factum magiſterii reprimit, quo Apoſt. 1. ad Corinth. 4. *Quid habes* (in magiſterio) *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Græcè additur, hîc *Chriſtus* ſicut & Latinè infrà verſ. 10. Explicat autem

tem nomine *Magiſtri*, quod ſuprà dixerat *Rabbi*, unde Syrus eadem voce utitur. Hac ergo conſideratione reprimit faſtum gloriandi in illo titulo, eo quòd ille ſoli Chriſto tanquam Deo verè, abſolutè & perfectè competat, à quo nos accepimus, quidquid habemus. Ipſe eſt enim prima veritas, fons omnis veritatis & ſcientiæ, omniſcius, apud quem omnis docendi auctoritas reſidet, & à quo in omnes defluit, qui ſolus verè docet hominem ſcientiam, ſive naturale lumen cordibus ingerendo, ſive tenebras iſtius luminis ſuâ luce illuſtrando. Cæteri auribus vel oculis nuda ſigna ſuggerunt, quæ admonent tantùm, ut naturali lumine quæramus veritatem, non autem exhibent, ut eam noverimus. Nam veritas ſeu ſcientia veritatis aliundè hauriенda eſt, ut ſubtiliter, fusè, & pulchrè docet Auguſt. tum alibi ſæpè, tum libro ferè toto de Magiſtro, maximè à capite 10. uſque ad finem. OMNES AUTEM VOS FRATRES ESTIS: ſicut in natura, ita & in doctrina, unius Chriſti magiſterio acceptâ, quaſi condiſcipuli; eſt enim oppoſitum ſuperiori membro. Unde concluſum vult, neminem gloriari, aut ſibi placere debere in titulis *Magiſtri* aut *Rabbi*; multò minùs aliis ſe inde ſuperbè præferre, ſed omnem gloriam Deo & Chriſto tranſcribendam, cujus omnes diſcipuli ac miniſtri ſunt. Ex quo patet, hæc non obſtare, quo minùs ſub magiſterio, & ut Hieron. loquitur, ſub conſortio hujus veri magiſtri, aliquis ad utilitatem aliorum, & ſit & vocetur *Magiſter*, ſicut & *Pater*, prout Apoſtolus ſe *Patrem Corinthiorum & Magiſtrum Gentium* vocat. Et quia *Fratrum* nomine uſus fuerat, arreptâ occaſione tranſit ad titulum *Patris*.

9. ET PATREM NOLITE VOBIS VOCARE SUPER TERRAM: q. d. Quin etiam ne quidem *Patrem* vocet aliquis quemquam ex mortalibus in terra degentibus, nempe ſic, ut illi vitam & eſſe ſuum præcipuè acceptum referat, atque ab ejus providentia maximè pendeat, & hæreditatem expectet, ſicut gentiles *Patres* vocant. Hoc enim vult ſubjuncta ratio: UNUS EST ENIM PATER VESTER, QUI IN cœlis EST, ſcilicet Deus; omnium quidem ratione regenerationis, cui univerſa vita, corpus, anima, ſenſus, ratio, mens, victus, ſanctificatio, adoptio, hæreditas accepta ferenda eſt; ita ut ab eo omnis paternitas in cœlo & in terra nominetur. Cùm ergo impium ſit, Patris honore privare eum, qui nos genuit, hoc tantùm doceri cupit, ut noverimus, inquit Chryſoſt. Hom. 37. quem propriè & principaliter Patrem vocare oporteat. Nam, ut notat Hieron. quemadmodum unus per naturam Deus, & unus filius non præjudicat, ne per adoptionem Dii vocentur & filii: ita & unus Pater & magiſter non præjudicat aliis, ne abuſivè appellentur Patres & Magiſtri. Porrò ſicut non vult, ut eo ſenſu, quem diximus, aliquem vocemus Patrem, ita nec, ut ipſi nos vocemus; quemadmodum ſuprà vetando, ne vocemur Magiſtri, vetat etiam ne alios eo ſenſu vocemus. Et quia illa præcellentiæ affectatio veris diſcipulis Chriſti maximè pernitioſa eſt, eamdem doctrinam iiſdem verbis repetit, ut altiſſimæ memoriæ imprimatur.

9 Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt.

10. Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est Christus.

10. NEC VOCEMINI MAGISTRI: ubi simul explicat, quid sibi suprà voluerit illud, *Rabbi*. Et quia scopus istius saluberrimæ doctrinæ est humilitas, hinc addit:

11. Qui major est vestrum, erit minister vester.

11. QUI MAIOR EST VESTRUM, id est, Qui ex vobis Magistri vel Patris, seu docendi regendive officio aut dignitate præcelluerit, non se existimet cæteris præstantiorem: sed potiùs ille, ERIT MINISTER VESTER: Futurum pro Imperativo, id est, ille sit minister, seu gerat se pro ministro: q. d. Nihil inde in se agnoscat, aut vindicet, præter humilis ministerii obligationem & sedulitatem, gloriam omnem adscribens Deo, quia vir bonus non dominandi cupiditate imperat, sed officio consulendi. Atque ita ut August. ait lib. 19. de Civit. cap. 16. magis debent patres, quòd dominantur, quàm servi, quòd serviunt, tolerare, id est, tamquam durum quid sustinere.

12. Qui autē se exaltaverit, humiliabitur: & qui se humiliaverit, exaltabitur.

12. QUI AUTEM SE EXALTAVERIT, in hujusmodi dignitatum ac titulorum ambitu & jactantia, sibi in iis complacendo, sibi aliquid tribuendo, inde aliis superbè præferendo, HUMILIABITUR, à Deo deprimetur. ET QUI SE HUMILIAVERIT, id est, demissè de se senserit, ac se gesserit, nihil adscribens sibi ex donis Dei, non inde se aliis præferens, sed in fontem suum refundens omnia, EXALTABITUR, à Deo, sive per ipsum in futura gloria, sive per homines in hac vita. Nam & hîc verissimum esse solet, quòd honor sequatur fugientem, fugiat sequentem, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sententia autem ista generalis est, sæpiùs à Christo in diversis propositis usurpata, ut liqueat vel fuisse tritum tunc proverbium, vel apophthegma ipsi proprium. Ex quo etiam patet scopus totius doctrinæ superioris, nempe Christum non de vocabulis, *Magistri*, *Rabbi*, *Patris*, sed de re ipsa & fastus affectatione contendisse.

13. Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia claditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

13. VÆ AUTEM VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ. Hîc jam orationem in Scribas ipsos & Pharisæos convertit, mira spiritus, verborumque libertate & acrimonia, octies ingeminans VÆ, hoc est, minas impendentis à Deo supplicii, sicut alibi octo beatitudines inculcaverat. IN faciem autem, nihil veritus jamjam impendentem ab eis mortem, exprobrat eis scelera sua, & præcipuè hypocrisin, id est, simulationem sanctitatis & religionis; per frequentem illius vocis repetitionem indicans fictum ac simulatum fuisse, quidquid in negotio religionis gererent. Id autem facit præsentibus turbis, ut ita, si non ipsi Pharisæi pudore vel terrore corrigerentur, saltem alii, detractâ simulatæ sanctitatis larvâ, ab eorum admiratione & imitatione revocarentur. QUIA CLAUDITIS REGNUM CŒLORUM, id est, impedimentum præstatis, ne introëant homines in regnum cœlorum, nempe non solùm gravia illa onera, de quibus suprà, hominibus imponendo, quæ ipsi digito non tangitis, sed maximè eos à fide in Christum avocando, doctrinam ejus damnando, miraculis calumniando, ipsum ut seductorem persequendo. Utitur autem metaphora ab eo, qui clavem auferendo, ostium claudit, ne quis introëat, & idcirco

dicit, ANTE HOMINES: qu. d. Iam parantibus ingressum occluditis ostium ante faciem. Lucas verò idem significans dixit, *Tulistis clavem scientiæ*, id est, abstuliſtis, & vobis ipsam vindicastis, & per illam ipsam modis jam dictis claudítis. VOS ENIM NON INTRATIS, quia onera quæ imponitis, digito non tangitis, & in eum, qui Evangelium prædicando dissipat, ea non vultis credere. NEC INTROEUNTES, id est, paratos credere in me, & pedem quasi habentes in limine, SINITIS INTRARE, doctrina vestra, exemplo, consilio, jussu, calumniis, terroribus eos à fide revocando.

14. VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUIA COMEDITIS DOMOS VIDUARUM, id est, exhauritis ac devoratis facultates viduarum: quæ quia mulieres etiam minùs cautæ, & magis ad pietatem pronæ esse solent, & quia viro destitutæ, consiliario carent, & bonorum suorum dominæ sunt. Unde circa viduas semper hypocritæ negotiari solent, & feliciùs aucupantur, ORATIONES LONGAS ORANTES: Græcè προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι, *sub obtentu prolixæ orationis*, sicut vertitur Marci 12. versu 40. id est, sub specie longæ orationis, seu obtendentes tam crudeli avaritiæ adversùs imbecillem sexum prolixas orationes, quibus earum salutem commendetis Deo. Obtentus enim iste veritati opponitur, & significat eos magis orationes simulasse, quàm orasse, ut pote qui non viduarum salutem, sed prædam captarent, cor non in cœlo habentes, sed in loculis. PROPTER HOC, id est, duplicem istam iniquitatem, scilicet propter immisericordiam in destitutas patrono mulierculas, & hypocrisin, AMPLIUS ACCIPIETIS IUDICIUM, id est graviorem condemnationem.

14. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarũ, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judiciũ.

15. VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUIA CIRCUITIS MARE, ET ARIDAM, id est, percurritis mare ac terram. Adagialis est locutio, quam Latinè exprimunt, Omnem movetis lapidem, & adhibetis diligentiam, UT FACIATIS UNUM PROSELYTUM, id est, ut unum advenam ad Judaïcam religionem adducatis. *Proselytus* enim Latinè advena dicitur, qui scilicet à Gentilismo ad Judaïsmum transfertur, quasi diceres adventitium religionis, qui opponitur Judæo nato. Etiam hac de causa vocantur *Hypocritæ*, eo quòd ista sollicitudine, quæ in se bona erat, hoc spectarent, ut vel sanctiores inde viderentur, vel, ut Autor operis imperfecti, ut lucra sua è sacrificiis augerentur. ET CUM FUERIT FACTUS, FACITIS EUM FILIUM GEHENNÆ DUPLO QUAM VOS, id est, multò magis obnoxium æternæ condemnationi, quàm vos estis, quia facitis eum longè sceleratiorem, nempe partim doctrinâ traditionum, quibus corrumpitis legem, partim & maximè exemplo vestro, idque sive quia offensus redit ad vomitum, id est, idololatriam, sive ut Chrysost. quia comparatum est, ut probos magistros vix imitemur, improbos etiam improbitate superemus. Quamquam Augustin. contra Faustum ideò *duplò* dictum putat, quia hoc implere negligebat, quod propriâ voluntate susceperat.

15. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

16. VÆ VOBIS DUCES CÆCI, id est, qui duces doctoréſque aliorum vos profitemini, & tamen ignorantiâ pleni estis. Paulò antè hypocrisin, hîc verò ignorantiam eorum supinam perstringit, in

16. Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Qui-

cumque iuraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet.

eo, quòd dicerent QUICUMQUE IURAVERIT PER TEMPLUM, ET IN ALTARI, id est, per altare, NIHIL EST, id est, non debet, ut patet ex oppositio, quod sequitur, hoc est, non tenetur hoc jurejurando, nec reus est perjurii. QUI AUTEM IURAVERIT IN AURO TEMPLI, id est, per aurum, sive pecuniam, quæ in templo offertur, & cui gazophylacia serviebant.

17. Stulti & cœci: Quid enim majus est: aurum, an templũ quod sanctificat aurum?

17. ET QUICUMQUE IURAVERIT IN DONO, seu per donum QUOD EST SUPER ILLUD, videlicet per victimam ovis, bovis, similæ, &c. Hoc juramenti genus Judæis, eisque solis erat familiare, dicebaturque *juramentum Corban*, id est, *donum* seu *doni*, ut testis est Josephus libro primo contra Appionem, paulò post medium, his verbis: Inter peregrina sacramenta, etiam juramentum, quod *Corban* appellatur, enumerat Theophrastus. Apud nullos autem hoc reperitur juramentum, nisi apud solos Judæos, quod interpretatur ex Hebraïca lingua *Donum Dei*. Hæc ille. DEBET, persolvere, quod juravit, seu tenetur jurejurando. Itaque Pharisæi, quamvis contempsisse videantur juramenta per creaturas, tanquam in quibus non interponeretur nomen Dei, ut diximus etiam cap. 5. v. 34. excipiebant tamen juramenta per aurum templi, ac sacrificia, tamquam nihil esset illis post Deum majus, aut sanctius, ut pote quæ immediatè referrentur ad Deum, propter quæ templum & altare fuissent condita. Nimirum ut ita populus, intelligens singularum oblationum sanctitatem, promptior fieret ad illa frequentanda, quorum pars maxima in sacerdotum lucrum cederet. Ita avaritia cæcitatis istius & stultitiæ inde secutæ causa fuit. Hinc Christus:

18. Et quicunq; juraverit in altari, nihil est: quicumque autẽ juraverit in dono, quod est super illud, debet.

18. STULTI ET Cœci, QUID ENIM MAIUS, id est, sanctius atque dignius, EST, AURUM, AN TEMPLUM, QUOD SANCTIFICET AURUM? id est, à quo sanctitas aliqua communicatur auro? NAM ante oblationem templo factam profanum est: templum verò non propter aurum, sed propter Deum, domui suæ inhabitantem, sanctum est. Idem judicium de hostia & altari. Hoc enim per se ex institutione sua Deo dedicatum est: hostia verò antequam altari imponatur, profana est, atque ipsa impositione fit sacra. Itaque destruit Christus præsuppositam eorum opinionem, qua putabant oblationes templo & altari esse sanctiores unde error iste de juramento fluxerat, argumentans ex illo principio: Propter quod unumquodque est tale, illud majus: atque ita istud, *enim*, rationem reddit, cur cœcos appellaverit. Ex his ergò infert jam Christus conclusionem Pharisaïcæ doctrinæ contrariam.

19. Cœci: quid enim majus est donum, an altare, quod sanctificat donum?

20. Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt:

20. QUI ERGO IURAT IN ALTARI, id est, per altare; Hebraïsmo, quo utuntur præpositione, *in*, cum verbis jurandi, ut patet Hebraïcè Isaiæ 65. 16. Genes. 20. v. 16. & alibi sæpissimè. JURANT IN EO, quatenus majus est victimis impositis, quæ ratio versu 19. indicabatur. ET IN OMNIBUS, sacrificiis ac donis, QUÆ SUPER ILLUD SUNT, quæ vos majora esse dicitis: ac proinde omni modo tale juramentum vel æquè vel magis obligat.

21. Et quicun-

21. ET QUICUMQUE IURAVERIT IN TEMPLO, seu per templum

IURAT IN ILLO, id est, non tantùm jurat per illud, sed etiam IN EO, QUI HABITAT IN IPSO, id est, per Deum ipsum, cujus domus est templum. Domus enim cum inhabitatore suo, cujus majestas ibi relucet, qui in eo invocatur & colitur, qui effectu exaudiendi præsens est, simul consideratur, etsi non exprimatur.

que juraverit in templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso.

22. ET QUI IURAT IN CŒLO, id est, quemadmodum etiam qui jurat per cœlum (adfertur enim hoc ad explicandum id, quod dixerat, quod scilicet juramentum per templum esset per Deum ipsum inhabitantem) JURAT IN THRONO DEI, id est, per cœlum tamquam thronum gloriæ Dei: ET IN EO, Deo scilicet QUI SEDET SUPER EUM, vide dicta c. 5. v. 34. hoc ergò docet, quòd, cùm jurare non sit aliud, nisi Deum testem invocare, creaturæ verò mutæ non possint esse testes veritatis, quicunque jurat per quamcumque creaturam juret, hoc ipso etiam per eam tamquam divinam, id est, tamquam ad Deum relatam, veluti creatorem ejus, vel præsidem, vel gubernatorem jurat, ac proinde Deum ipsum testem citat.

22. Et qui jurat in cœlo, jurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum.

23. VÆ VOBIS SCRIBÆ ET PHARISÆI HYPOCRITÆ, QUI DECIMATIS MENTHAM, ET ANETHUM, ET CIMINUM, id est, studiosè decimas exigitis, inquit Hieron. vilissimorum olerum, ut avaritiæ vestræ consulatis. Sed rectiùs Auctor operis imperfecti, exponit *decimas*, id est, decimas scrupulosè offertis omnium. Hinc enim est ista gloriatio Pharisæi, apud Lucam: *Decimas do omnium*, scilicet etiam vilissimorum, quæ possideo, ubi Græcè est idem verbum quod hîc. Et hinc est quòd eos vocat hîc Hypocritas, videlicet quia minutias illas observabant, ut minimo dispendio exactissimi viderentur legis observatores, cùm tamen negligerent, & relinquerent, QUÆ GRAVIORA SUNT LEGIS, id est, quæ lex præcipuè postulat, tanquam ipsum animum, internamque Dei ac proximi dilectionem spectantia, sine quibus pietas consistere non potest, & quorum comparatione omnes externæ observantiæ, de sacrificiis, de decimis, de cæremoniis leviora sunt, & velut media respectu finis de quo suprà c. 12. v. 7. & Michææ 6. v. 8. JUDICIUM, id est, justitiam, qua cui suum redditur: ET MISERICORDIAM, qua ex benignitate proximo succurrimus consilio, operâ, operibus, etsi non debeatur ex justitia. Itaque duo illa complectuntur universa officia erga proximum, quibus eum diligimus, sicut nos ipsos. ET FIDEM, in Deum, qua tamquam radice indicatur etiam spes & charitas: seu intelligitur fides in Deum, quæ per dilectionem operatur. & proinde id, quod respondet illi proximo præcepto, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. Hæc, scil. graviora legis, quæ spectant duo illa maxima præcepta, in quibus universa Lex pendet & Prophetæ, OPORTUIT FACERE, scil. summa cura præ cæteris omnibus; ET ILLA, de decimis menthæ, anethi, &c. NON OMITTERE. Ex quo quidam inferunt, illas vilissimorum olerum decimas verè fuisse debitas Levitis, quia dicitur, *oportuit*. Sed facilè responderi potest, vel illud, *oportuit*, poni pro, convenie-

23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, judiciũ, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.

bat: vel Christum loqui juxta mentem Pharisæorum, scilicet si putarent ea ex lege deberi. Quamvis autem superficies Legis ea non videatur excludere, dum dicit Levit. *Omnes decimæ terræ*, sive de frugibus, Hebr. *de semine Domini sunt*: videtur tamen rigor ille non fuisse intentus à Legislatore. Et idcirco quando illa eadem generalis sententia, quæ habetur Deut. 14. v. 22. mox ibidem per partes explicatur, solùm exprimuntur decimæ frumenti, vineæ & olei, quæ alibi dicuntur communiter decimæ de area ac torculari. Unde S. Hilar. dicit citra culpam præterire licuisse. Itaque Christus vehementiùs taxans præposteram eorum diligentiam, addit:

24. Duces cœci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

24. DUCES CŒCI, EXCOLANTES, seu qui excolatis, CULICEM, è potu vestro, ne strangulet bibentes, CAMELUM AUTEM GLUTIENTES, id est, securè sine periculi metu transmittitis. Adagialis est sententia, in cujus posteriori parte hyperbole est, sed non abhorrens ab usu loquendi Hebræorum, apud quos *Culex* & *Camelus*, animal ipsis notum, pro minimæ & maximæ rei symbolis usurpabantur: qu. d. Nonne cœci estis, qui tam anxiè & superstitiosè servatis minima, cùm gravissima Legis capita, sine ullo conscientiæ remorsu, prætereatis; instar eorum, qui scrupulosè culicem excolarent ex potu, & integra animalia majora deglutirent? Unde August. lib. 1. Quæst. Evang. quæst. 56. refert hoc ad factum eorum, quo latronem seditiosum dimiserunt, quia scil. non solverat sabbatum, & Christum occiderunt, qui allegoricè significati fuerunt per culicem & camelum.

25. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina, & immunditia.

25. VÆ VOBIS, &c. QUIA MUNDATIS QUOD DEFORIS EST, seu exteriorem superficiem, CALICIS, id est, vasis, ex quo sumitur potus ET PAROPSIDIS, seu lancis, ex qua cibus. Per quæ significat, quòd exteriori munditiei corporis, & sanctitatis coram hominibus studerent. Nam ut intelligerent sermonem esse parabolicum, statim transit ad proprium. INTUS AUTEM, id est, in anima & conscientia, PLENI ESTIS RAPINA, id est, injustitiis, pauperum scilicet & viduarum oppressionibus, ET IMMUNDITIA, peccatorum. Quamquam Græcè persistatur in eadem metaphora, *Pleni sunt*, scil. calix & paropsis, *rapinâ & injustitiâ*; significando id, quod bibebant, & comedebant, per rapinas & injustitiam esse partum. Et sic perpetua esset allegoria, significans eos in animo plenos esse fraudibus & injustitiâ, exteriùs innocentes & sanctos.

26. Pharisæe cœce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id quod deforis est, mundum.

26. PHARISÆE CŒCE, qui non intelligis, quæ sit vera mundities coram Deo, MUNDA PRIUS, QUOD INTUS EST CALICIS, id est, ea quæ continentur calice & paropside, seu ipsum potum ac cibum, ne fraude & injustitia parti sint: UT FIAT, QUOD DEFORIS EST MUNDUM, id est, ut postea ordine suo mundes ipsum calicem ac paropsidem, quibus illi sumuntur. Quo allegorico sermone indicat studendum esse ante omnia munditiei animæ & conscientiæ; tum deinde etiam per se corpus & actiones omnes externas futuras mundas. Nam, ut August. in quodam Sermone, animi munditiam sequitur corporis munditia. Non enim potest esse mundus animus in corpore immundo: nam qui mundus est ani-

mo, operari corpore flagitia non potest; & qui corpore flagitia operatur, mundus animo esse non potest. Itaque sicut animus naturaliter secum rapit corpus, ita animi integritas mater est omnis sanctitatis corporis, & honestatis coram hominibus. Qua in re quia enormiter hallucinabantur Pharisæi, pleni hyppocrisi, pergit in eodem proposito, alia similitudine illam exprobrando.

27. VÆ VOBIS, &c. QUIA SIMILES ESTIS SEPULCHRIS DEALBATIS, id est, calce aut gypso illitis. Judæorum enim sepulchra pleráque erant super terram, è saxis excisa, instar cubiculorum: QUÆ A FORIS PARENT HOMINIBUS SPECIOSA, quia forinsecus opere humano splendebant calce lita, & marmore vestita, auro coloribúsque distincta, quibus nihil proinde ad speciem venustius; INTUS VERO PLENA SUNT OMNI SPURCITIA, abominandâ scilicet immunditiâ cadaverum & vermium.

27. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.

28. SIC ET VOS A FORIS QUIDEM PARETIS, seu apparetis, HOMINIBUS IUSTI, phylacteriorum dilatatione, fimbriarum amplitudine, precum prolixitate, zelo faciendi proselitos, anxiâ illâ decimandi curâ, externâ iteratáque sæpiùs corporis lotione, cæteráque externâ morum gravitate: INTUS AUTEM, in animis vestris, PLENI ESTIS HYPOCRISI; quia cùm hæc per se mala non sint, sed potiùs bona, studio tantummodò simulandæ sanctitatis ea facitis, ut videamini scilicet ab hominibus, ut est versu ϛ. ET INIQUITATE, leges illas, quarum observatione gloriamini, prævaricando.

18. Sic & vos à foris quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi: & iniquitate.

29. VÆ VOBIS, &c. QUI ÆDIFICATIS SEPULCHRA PROPHETARUM, ET ORNATIS MONUMENTA IUSTORUM, id est, ædificatis & ornatis sepulchra Prophetarum, aliorumque justorum, à patribus vestris innocenter occisorum (non enim aliquid distinctum vult dicere de Prophetis, quod non de justis, neque contrâ) nempe magnificis structuris, picturis, sculpturisque monumenta eorum illustrando: ut scilicet per hoc testemini vulgo imperito vos occisorum virtutes animo colere, scelera majorum occidentium detestari, eisque longè vos esse sanctiores. Hoc enim eos isto facto voluisse probat id quod sequitur.

29. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis monumenta justorum,

30. ET DICITIS: SI FUISSEMUS IN DIEBUS, seu ætate, PATRUM NOSTRORUM, qui illos occiderunt, NON ESSEMUS SOCII EORUM IN SANGUINE PROPHETARUM, effundendo scilicet, id est, non conspiraßemus cum eis in eorum innocentium necem.

30. Et dicitis: Si fuisses in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorũ in sanguine Prophetarum.

31. ITAQUE TESTIMONIO ESTIS, per istam gloriationem, quâ patribus vos jactatis esse dissimiles: QUIA, seu quòd, FILII ESTIS EORUM, & proinde quòd sitis potiùs similes. Lucas cap. 11. v. 48. addit, *Testificamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorum.* Causam addit: *quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra*: q. d. vos jactatis vos improbare patrum vestrorum scelera: ego dico vos potiùs approbare, quia tanta est vestra in me discipulosque meos impietas, ut videamini sepelire, quos patres vestri occiderunt, ut plenum fiat homicidium: nempe quasi latronum filii, qui non humanitate, sed alio homicidii

31. Itaque testimonium estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt.

genere terræ ſuffodiunt, quos patres jugularunt. Videtur enim Chriſtus factum de ſe indifferens, ſpectatâ in eis morum perverſitate, in ſiniſtrum ſenſum trahere. Unde alii ſic accipiunt, quaſi Chriſtus ſignificare vellet: Patres veſtri occiderunt, vos autem ædificando occiſorum ſepulchra, quaſi trophæum victoriæ parentum erigere videmini, nempe ſi non animi veſtri ſcopus, ſed mores ſpectentur. Hinc addit:

32. Et vos implete menſuram patrum veſtorũ.

32. ET vos, id eſt, Itaque vos, quemadmodum filios decet & filii ſolent, IMPLETE MENSURAM PATRUM VESTRORUM, id eſt, abſolvite menſuram illam impietatis, ac ſcelerum, à patribus veſtris inchoatam, quæ toti genti veſtræ ita præſtituta eſt, ut ea impleta excidenda ſit. Deus enim non ſinit impietatem, ac ſcelera in immenſum creſcere, ſed ſingulis non tantùm hominibus, ſed & nationibus, certum limitem ſtatuit, quem non excedat, & quò cùm pervenerit, turbinem indignationis ſuæ, vel exciſionis effundit. Ita ſatis clarè colligitur ex Geneſ. 15. verſ. 16. *Nondum completæ ſunt iniquitates Amorrheorum.* Hæc autem menſura Judæis fuit, ut ſinerentur uſque ad occiſionem Meſſiæ inſoleſcere, tum demùm à Romanis occiderentur. Imperativus igitur hîc pro Futuro prophetico more ſumitur, ut diximus in caput 13. verſ. 14. vel potiùs eſt acerba ironia minis conjuncta; q. d. Eia igitur pergite, abſolvite patrum veſtrorum cœpta, ſicut filios decet, ut ira Dei in vos deſæviat. Ironiam enim hanc explicat id quod adjicit ſine ironiâ.

33. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?

33. SERPENTES propter nocendi acerbitatem cum calliditate conjunctam, GENIMINA VIPERARUM, quod alibi dixerat, *progenies viperarum*, id eſt, peſſimorum parentum peſſimi filii, homicidarum homicidæ: QUOMODO FUGIETIS, A IUDICIO GEHENNÆ, id eſt, quo pacto fieri poteſt ut judicium Dei, quo gehennæ adjici meremini, effugiatis? inveterata enim & in naturam verſa impietas difficillimè exuitur. Vide dicta cap. 3. verſ. 7.

34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, & ſapientes & ſcribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris & perſequimini de civitate in civitatẽ:

34. IDEO, ſcilicet, quia genimina, ſeu filii eſtis viperarum, & ita menſuram patrum impleturi; non enim hîc redditur cauſa miſſionis, quæ ſequitur: ECCE EGO MITTO AD VOS PROPHETAS: illud, *ego*, emphaſim habet, q. d. Ego, ad quem tamquam Deum, Deique ſapientiam pertinet mittere Prophetas, *mitto*, &c. Explicat hanc energiam Lucas, quando dicit ſuis, non Chriſti verbis, *Propterea & ſapientia Dei*, nempe ipſe Jeſus, dixit, *Mittam ad illos Prophetas*, id eſt, jam-jam ſtatim à reſurrectione mea mittam Prophetas, prophetiæ ſcilicet dono illuſtres, ſicut probant Apocalypſis Joannis, & multæ prædictiones Pauli & Petri, & Agabi, Act. 11. verſ. 72. & Act. 21. verſ. 10. ET SAPIENTES, id eſt, illâ præditos ſapientiâ, de qua Luc. cap. 21. verſ. 15. cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarii; qualem fuiſſe Stephanum idem teſtis eſt, Act. 6. verſ. 10. ET SCRIBAS, doctos ſcilicet in regno cœlorum, hoc eſt doctores & interpretes Scripturarum, divinæque Legis peritiſſimos. Pro Sapientibus & Scribis Lucas nudè dicit Apoſtolos, nempe, quia, ut Hilar. Can.

14. Apoſtoli totum ſimul erant, & de futurorum revelatione Prophetæ, & de Chriſti agnitione Sapientes, & de Legis intelligentia Scribæ: vide alios Act. 13. verſ. 1. ET EX ILLIS, id eſt, alios ex eis, OCCIDETIS, Stephanum, Jacobum, alios, ET CRUCIFIGETIS, Simeonem filium Cleophæ, ſecundum Hieroſolymorum Epiſcopum, teſte Hegeſippo, apud Euſeb. lib. 3. Hiſtoriæ cap. 16. ET FLAGELLABITIS IN SYNAGOGIS, ut Paulus quinquies ſibi contigiſſe teſtatur, 2. ad Corinthios 11. v. 24.

35. UT VENIAT SUPER VOS OMNIS SANGUIS IUSTUS, id eſt, ut ita juxta meritum ſcelerum veſtrorum redundet in caput veſtrum omnis ſanguis juſtorum, qui injuſtè EFFUSUS EST A SANGUINE ABEL IUSTI, qui primus propter juſtitiam celebris & necatus fuit. USQUE AD SANGUINEM ZACHARIÆ FILII BARACHIÆ. Quis ille ſit magna contentio eſt. Plerique Græci, ut Baſil. in ſerm. de nativitate Chriſti, Orig. hom. 16. in Matth. & alii, itemque Baronius putant eſſe Zachariam patrem Joannis Baptiſtæ, quem ex traditione quadam dicunt ab Herode occiſum inter templum & altare, eo quod cùm pueros occideret, filium non prodidiſſet, vel ut alii, quod B. Mariam Virginem prædicarit. Favet huic ſententiæ, quod Chriſtus primum & ultimum juſtum ab Judæis occiſum exprimere voluiſſe videatur. Sed hanc traditionem ex apocryphorum ſomniis manaſſe dicit hic Hieron. Nonnulli & olim, & nunc volunt eſſe Zachariam, unum ex minoribus Prophetis, qui filius Barachiæ dicitur, Zachar. 1. v. 1. Sed minus veriſimiliter, cùm nihil de occiſione ejus, multò minus de loco occiſionis conſtet. Communior ſententia eſt à S. Hieron. aſſerta, eſſe Zachariam filium Joiadæ, ſummi pontificis, quem conſtat occiſum à Rege Joas *in atrio domus Domini*, ut eſt 2. Paralip. 24. v. 21. hoc eſt, ut hic dicitur, *inter templum & altare*, ſcilicet holocauſtorum, quod in atrio ante templum ſub dio ſtabat. Filius Barachiæ dicitur, vel quod Joiada Pontifex binominis fuerit, ut in Scripturis frequens eſt; vel quòd tamquam vir ſanctus *Barachias*, id eſt, *Benedictus Domini* dicatur: unde Hieron. teſtatur in Evangelio Hebraico, quo Nazareni utebantur, filium Joiadæ vocari. Exprimitur ergò Abel & Zacharias, non quòd iſte ultimus à Judæis occiſus fuerit, ſed quia ultimus, de quo ex Scripturis canonicis conſtet; & quia, cùm de vindicta ſanguinis innocenter fuſi Chriſtus agat, illam Scriptura diſertis verbis in Abel & Zacharia annotet, Geneſ. 3. *Ecce vox ſanguinis, &c.* & 2. Paralip. 24. *Videat Dominus & requirat.* Porrò obſervatione digna eſt hiſtoria mirum in modum affinis huic loco, quam narrat Joſephus lib. 5. de bello Jud. cap. 1. ubi ſcribit Zachariam quemdam virum probum, filium Baruch (idem hoc quod Barachias) fuiſſe paulò ante noviſſimam obſidionem Jeroſolymitanam à Judæis zelotis in templo, id eſt, in atrio occiſum, cùm à ſeptuaginta judicibus unanimiter fuiſſet abſolutus. Ex quo factum, ut quidam ſuſpicatus fuerit Chriſtum propheticè id, quod futurum erat, veluti præteritum narraſſe. Sed quidquid ſit de hac hiſtoria, in omni ſen-

35. Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare.

36. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.

tentia tres naſcuntur difficultates: Prima, quomodo dicat Chriſtus, *occidiſtis*, cùm præſentes Phariſæi nullum Zachariam ex iſtis occidiſſe videantur. Secunda, quomodo de Judæis iſtis vindicta capiatur cædis juſtorum præcedentium. Tertia, quâ juſtitiâ omnis ſanguis, etiam à majoribus effuſus, ſuper iſtos veniat. Ad primam dicitur, totam nationem, ut unum populum conſiderari, in quo facta majorum tribuuntur filiis, & contrà. Sic enim Abrahæ promiſſa, ac data eſt terra Chanaam, ſed in poſteris ejus; & populo Judaïco tempore Judith viventi tribuitur habitatio in Meſopotamia, deſcenſus in Ægyptum, tranſitus per mare, ac deſertum, quæ in majoribus contigerant. Ex hoc oritur ſolutio etiam ſecundæ quæſtionis: nam ratione unitatis iſtius, quâ unus eſt populus, & in quo poſteri ſunt aliquid majorum & majores aliquid poſterorum, fit ut facta majorum filiis imputentur: imò in illis quoque, non ſolùm à Deo, ſed & ab hominibus compenſentur, ſive in bonum, ſive in malum. Et hinc eſt, quòd Amalecitæ exciduntur propter facta parentum à quadringentis annis perpetrata, 1. Reg. 15. v. 2. & 3. tunc enim ſcelus patrum punitur in filiis qui aliquid eorum ſunt. Hoc autem non ſemper, ſed tunc ſolet fieri, quando filii peccata majorum imitantur, ut Auguſtin. libr. contra Adimantum cap. 7. & ita complent menſuram ab illis inchoatam: tunc enim excidium à perverſa natione promeritum in illum quidem cadit, ſed in poſtremis iſtius nationis exercetur & ſentitur, quod juſtum eſt, ut ſicuti menſuram peccatorum parentum, ita etiam pœnarum impleant. Sic igitur, quâ juſtitiâ hoc fiat, quæ erat tertia quæſtio, facilè apparebit, ſi conſideres vindictam illam eſſe quidem peccatorum, quæ parentes perpetrarunt, quia ſine illis præcendentibus non fuiſſet illata, multò minus tam acerba, ſed tamen eam non excedere magnitudinem ſceleris à ſolis filiis perpetrati, ſicut hoc de atrociſſimis Judæorum facinoribus, Chriſtum & Apoſtolos occidentium, & Eccleſiam perſequentium, evidens eſt. Vide dicta Exodi 20. verſ. 5.

37. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas & noluiſti?

37. JERUSALEM, JERUSALEM. Amantis & ex intimis viſceribus commiſerantis eſt iſta ingeminatio. QUOTIES VOLUI CONGREGARE FILIOS TUOS, id eſt, quoties volui per Prophetas, aliósque ſervos meos, ac denique per me ipſum conatus ſum cives in varia ſtudia diſtractos prædicatione, præceptis, promiſſis, minis ad me convertere, ſinu gratiæ meæ fovendos, & alis providentiæ protegendos, QUEMADMODUM GALLINA CONGREGAT PULLOS SUB ALIS: ut partim calore foveat, roborentur & creſcant, partim adverſus milvum protegat, ne rapiantur: quod, ut illa affectu, ita Chriſtus poteſtate erga parvulos ſuos perficit, ut notat Auguſtin. qu. 36. lib. 1. Quæſt. Evang. Optimè autem ſe comparat gallinæ: nam, ut ibidem & Tractat. 15. in Joan. notat, hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affectâ, & ipſa infirmetur, alis demiſſis, plumis hiſpida, voce rauca, omnibus membris demiſſa & abjecta, ut,

etsi filios non videas, matrem tamen intelligas: ita æterna Sapientia mater nostra per carnis susceptionem, affectiones & labores infirmata est, ut pullis suis congrueret: ET NOLUISTI, filios tuos congregari, id est non permisisti & omnibus modis impedivisti, maximè per primates tuos. Voluntatem istam congregandi, plerique intelligunt voluntatem signi per prædicationem, minas &c. nam illi voluntati resisti solet ab hominibus, non autem efficacem, quæ semper impletur. Quamquam etiam de illa verba Christi vera sunt: nam per illam filios suos sæpè Christus congregare voluit, & reipsa etiam invitâ Jerusalem, & nolente, & resistente congregavit quoscumque ipse congregatos efficaciter voluit, ut exponit August. lib. 1. operis imperfecti, contra Julianum. Sed quia ille resistendi conatus pœnâ dignissimus fuit, & plures ibi erant, quos obduratione & desertione dignos judicaverat, hinc addit:

38. ECCE, jam in proximo, RELINQUETUR VOBIS DOMUS VESTRA DESERTA. Templum intelligit Hieronymus à Christo deserendum: rectiùs intelligas ipsam civitatem, adeóque totam regionem, quam prædicit in vastitatem esse redigendam per excidium urbis & gentis juxtà illud Psal. *Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui inhabitet.* Et quia causa illius vastitatis ac desertionis fuit, quòd à præsentia & protectione Christi, & gratiæ ipsius deserti fuerunt (quam etiam nonnulli prædictis verbis significatam fuisse volunt) hinc addit,

38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

39. DICO ENIM VOBIS: NON ME VIDEBITIS AMODO, id est, ab hoc tempore, seu post breve tempus subtrahetur vobis præsentia, tutela, & gratia mea, ita ut neque corporis, neque animi oculis incredulitate & cæcitate percussis, me amplius videatis: DONEC DICATIS, id est, donec mutatis iam animis celebrem illum versiculum de Messia, quem indignamini esse mihi acclamatum, tribuatis mihi, & me Messiam agnoscatis. Indicat autem tempus, quo sub finem mundi ad se Messiam convertendi sunt: nam de tota natione loquens, præsentibus tribuit, quod in posteris implebitur. BENEDICTUS, QUI VENIT IN NOMINE DOMINI, id est, omnium hominum benedictione, & laude cumuletur ille, qui jam jam venit, seu venturus est judicare orbem terrarum in justitia, jussu, & auctoritate Dei Patris sui. Est enim acclamatio, quâ gratissimum ejus adventum sibi esse Judæi testabuntur, quem majores eorum tantâ contumeliâ repudiaverant. Unde non poterat Christus acriori epilogo præsentes Pharisæos pungere, vel honorificentiori se accommodare.

39. Dico enim vobis: non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAPUT XXIV.

1. ET EGRESSUS JESUS DE TEMPLO, nempe sub vesperam post labores docendi & prædicandi, IBAT, è civitate versus montem Oliveti, ubi noctibus morari solebat, ut Lucas testis c. 21.

1. Et egressus Iesus de templo ibat. Et accesse-

runt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi.

v. penult. ET ACCESSERUNT DISCIPULI, UT OSTENDERENT EI ÆDIFICATIONES TEMPLI, id est, structuræ raram pulchritudinem, pretium, firmitatem, magnificentiam. Marc. enim & Lucas hoc explicant, dum ille quidem dicit, Magister, *aspice quales lapides, & quales structuræ:* hic verò addit, quòd *bonis lapidibus, & donis ornatum esse:* quæ dona Græcè anathemata dicuntur, quæ scilicet Deo dedicata è parietibus, vel columnis suspendi solent. Erat enim templi istius novi ab Herode excitati structura tota ad miraculum stupenda, sive artem, sive pretium, sive materiam, sive ornatum spectes. Aperit omnia latiùs Josephus lib. 6. de bello Jud. cap. 6. ubi dicit. Exterior templi facies nihil quod animus & oculi mirarentur, non habebat: crustis enim aureis gravissimis undique tecta, sub ortum primum solis igneo splendore lucebat, & intueri conantium oculos, quasi Solis radiis avertebat. De lapidibus verò dicit lib. 15. Antiq. c. ult. Constabat è lapidibus candidis, firmissimis, magnitudine viginti quinque cubitorum in longum, octo in altum, latitudine verò duodecim. Quibus addit libr. 6. de bello nonnullorum saxorum longitudinem fuisse quadraginta quinque cubitorum. De donis verò dicit, circa templum affixa fuisse spolia barbarica, nempe ex victoriis aliquot sæculorum, quæ omnia Herodes denuò dedicaverat, additis etiam recentibus Arabicis. Hæc ergò omnia ostendebant Christo discipuli, non tam curiositate, quam commiseratione moti, ut quia tum aliàs, tum paulò ante Jerosolymis interitum minatus fuerat, ambitione & magnificentia structuræ Deo dedicatæ flecteretur, ut observat Hilarius. Sed iram Dei peccatis provocatam saxa, nec lapides placant. Itaque respondet:

2. Ipse autem respondens dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.

2. VIDETIS HÆC OMNIA? q. d. Considerate etiam atque etiam magnificentiam istam, ut magis Dei de ea sententiam admiremini: nam AMEN DICO VOBIS, id est, tamquam certissimum vobis asserо: NON RELINQUETUR HIC LAPIS SUPER LAPIDEM, id est, lapidi adhærens, QUI NON DESTRUATUR: Græcè κατα λυθησεται, *dissolvatur.* Quâ vulgari hyperbole quamvis tantùm significari videatur, structuram illam universam penitùs destruendam, atque æquandam solo, tamen etiam ad litteram divina providentia sententiam hanc Christi impleri voluit. Nam cùm Romani, teste Josepho libr. 7. de bello Judaïco cap. 18. templum quidem, imò civitatem totam subvertissent, fundamenta verò terræ infossa remansissent, sub Juliano Apostata, cùm ea nudassent Judæi, ut novum templum imponerent, terræ motus excitatus lapides veterum fundamentorum concussit, ac longè latéque disturbavit, ut testis est Socrates libr. 3. Historiæ cap. 17. & Ruffinus lib. 7. c. 38.

3. Sedente autem eo super montem Oliveti accesserunt ad eum discipuli secretò: dicentes

3. SEDENTE AUTEM EO SUPER MONTEM OLIVETI: ut quiesceret nonnihil à totius diei labore. Contigit hoc sub vesperam, dum tenderet in Bethaniam, vel, ut alij, inde rediens, ut noctem in hoc monte orando consumeret, ut suprà ex Luca dictum. Marcus addit sedisse *contra templum*, id est, è regione, & facie in tem-

plum versâ, unde videntur occasionem sumpsisse interrogandi. Accesserunt ad eum discipuli secreto. Idem tantùm quatuor nominat, Petrum, Jacobum, Joannem, Andream, & pro, *seorsùm*, dicit eos *separatim*, scilicet à cæteris Apostolis (nullæ enim hîc turbæ aderant) Christum interrogasse, ut scilicet tamquam familiarioribus faciliùs ea arcana de futuro templi & urbis excidio communicaret, præsertim cùm non esset tutum de rebus illis palàm loqui; hoc enim postea S. Stephano crimini datum fuit, Act. 6. vers. 14. Itaque dicunt: Dic nobis, quando hæc erunt? quòd scilicet non relinquetur hîc lapis super lapidem, quod recentissimè fixum eis adhærebat: Et quod signum adventus tui? Glorioſi ad judicium, de quo jam aliàs audivimus, cap. 13. vers. 41. cap. 16. vers. 21. et consummationis sæculi? id est, finis mundi, de quo ibidem cap. 13. Tria igitur diversa quærunt & jungunt simul, quòd reipsa quoque excidium urbis illius & orbis, & secundum adventum Christi ad regendum in mundo jam innovato discipuli conjungendum putarent. Et illa causa est, cur Marcus & Luc. confusè tamquam de una re dicant, *Quando ista fient?* scilicet de templo prædicta, *& quod signum, quando hæc omnia incipient consummari?* Sed quia idem tempus erit consummationis sæculi & adventus Christi, diversum verò eversionis Jerusalem: hinc tamquam ad duas quæstiones distinctas, distinctè respondet suis locis, ut infrà dicturi sumus. Quia verò discipuli omnia confusè interrogasse videntur, juxtà Marc. & Lucam, vel saltem confusè intellexisse; hinc Christus quoque in initio confusè respondet, revocans eos à curiositate futurorum, & à cogitatione regni Messiæ ad sollicitudinem de seipsis. Præmittit enim generalia quædam monita usque ad vers. 15. excluſivè, de iis, quæ mixtim, tam excidium urbis illius, quàm totius orbis (quia unum erat typus alterius, tam quantùm ad ipsum excidium quàm quantùm ad signa, quæ præcesserunt) præcessura sunt: neque tam ad urbis aut orbis finem, quàm ad ipsos Apostolos, eorumque successores instruendos pertinent, ut è periculis sibi caveant. Itaque respondet Christus:

Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?

4. Videte, ne quis vos seducat, abstrahendo vos à mea fide in aliquem errorem; q. d. Vos de templo & novissimis mundi rebus estis curioſi & anxij, sed ante omnia de vobis ipsis curam gerite, ne seducamini.

4. Et respondens Jesus, dixit: Videte ne quis vos seducat.

5. Multi enim venient, post discessum meum à vobis, in nomine meo, id est, nomen dignitatemque meam usurpantes, dicentes: Ego sum Christus, seu Messias promissus, quos ideò v. 24. *Pseudochristos* vocat: et multos seducent, qui mendaciis istis fidem dabunt. Cavete igitur, ne inter illos sitis: nam ut Hilar. ut fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit. Tales impostores fuerunt Theodas, de quo Act. 5. v. 36. & Josephus in fine c. 2. lib. 20. Antiq. Itemque Simon Magus, qui se *virtutem Dei magnam* dixit, Act. 8. v. 9. & se pro Christo venditavit, ut August. hæresi 1. necnon Menander apud

5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent.

Tertull. de præſcript. cap. 4. Similes plures præceſſerunt everſionem etiam Jeroſolymæ, ſed multò plures conſummationem ſæculi. Hoc ergò primum eſt ſignum utrique excidio commune. Secundum eſt id, quod ſequitur.

6. Audituri enim eſtis prælia, & opiniones prælíorum. Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis.

6. AUDITURI ENIM ESTIS PRÆLIA, ET OPINIONES PRÆLIORUM, id eſt, bella varia, & rumores bellorum, qui ſæpè magis turbant ac terrent homines, quàm ipſa bella. Lucas addit *ſeditiones* quas multas & miras narrat Joſephus præceſſiſſe everſionem Jeroſolymæ per totam Judæam: vide lib. 4. de bello Judaïco c. 5. & aliis pluribus locis. Itaque rectè præmonet: VIDETE, ſeu cavete, NE TURBEMINI, plus æquo, ut idcircò vel à fidei meæ retinendæ vel aliis prædicandæ conſtantiâ diſcedatis. Duplex ergò bellum, ut Chryſoſt. eis prædixit; alterum ſpirituale à ſeductoribus: alterum corporale ab hoſtibus & ſeditioſis: nempe ut ad omnia adamantini fierent, & ſi fractus illaberetur orbis, impavidos ferient ruinæ: idque cò magis, quòd illa evitari non poſſent. Oportet enim hæc fieri, ſuppoſitis ſcilicet hominum corruptiſſimis moribus, & conſequenter juſtiſſimo decreto Dei, quo illos per bella conterere & emendare ſolet, ut Auguſtinus in præfat. librorum de civitate Dei. Unde meritò virum prudentem æquo & imperturbato animo eſſe decet, ad illa mala toleranda, quæ ita OPORTET FIERI. SED NONDUM, id eſt, *non ſtatim*, ut Lucas, cùm ſcilicet iſta fient, EST FINIS, nempe ſive Jeruſalem, ſive mundi: q. d. Adhuc illa graviora præceſſura ſunt, quorum iſta tantùm ſunt præludia.

7. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ, & fames, & terræ motus per loca:

7. CONSURGET ENIM GENS IN GENTEM. Magis explicat id, quod prælia futura dixerat ante conſummationem, tam urbis quàm orbis totius. Nam ante excidium Jeroſolymæ narrat Joſephus lib. 2. de bello Jud. cap. 11. 18. 19. Judæos conſurrexiſſe in Samaritanos, Romanos, Syros: rurſum Cæſarienſes, Scytopolitas, Aſcalonitas, Ptolomenſes, Alexandrinos, Damaſcenos in Judæos, cap. 19. 20. 21. 25. totiuſque Syriæ regna in gentem Judaïcam. ET ERUNT PESTILENTIÆ ET FAMES: Græcè inverſo modo, λιμοὶ καὶ λοιμοὶ, *fames & peſtilentiæ*, videlicet juxta proverbium λοιμὸς μὴ λιμὸς, *Peſtis poſt famem*, & utraque belli filia eſſe ſolet. De ingenti fame ante vaſtatam Jeruſalem fit mentio Act. 11. v. 28. de qua latiùs Joſeph. 20. Antiquit. c. 2. & 3. ET TERRÆ MOTUS PER LOCA, id eſt, in diverſis locis. Teſtis eſt Euſebius in Chronico ſub Nerone tres urbes terræ motu in Aſia concidiſſe: teſtis & Joſeph. lib. 4. c. 7. de bello Jud. ubi de alio terræ motu dicit: Orta crebra fulgura, horrendaque tonitrua, concuſſæque terræ vaſti mugitus: certumque erat apud omnes, hominum exitio mundi ſtatum eſſe turbatum.

8. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.

8. HÆC AUTEM OMNIA, ſcilicet errores, ſeu ſeductiones, bella, rumores bellorum, peſtes, fames, terræ motus, quamvis per ſe graviſſima, tamen tantummodo INITIA SUNT DOLORUM, qui mox Jeruſalem, & poſtea totum orbem invadent: Græcè expreſſiùs ἀρχὴ τῶν ὠδίνων, *initia parturitionum*, ſeu dolorum, quibus

parturientes affliguntur: hoc eſt, exigua ſunt & ſimilia primis doloribus, partus inſtantis prænuntiis, qui doloribus in ipſo partu irruentibus longè leviores, & quaſi præludia tantum ſunt.

9. Tunc tradent vos in tribulationem: & occident vos & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

9. TUNC TRADENT VOS: Lucas, *ante hæc omnia*: q. d. Neverò vos ipſos putetis ab omnibus malis immunes futuros, interim dum ita affliguntur improbi. Per *Apoſtolos* autem omnium fidelium perſonam ſignificari notat Hieronymus.

10. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent & odio habebunt invicem.

10. ET TUNC SCANDALIZABUNTUR MULTI, id eſt, ſcandalum patientur, deficiendo à fide mea & juſtitia, ad vitandas tribulationes iſtas, mortes, & odia. Neque hoc tantum, ſed qui jam ita ſcandalizati fuerint, falſi fratres facti, INVICEM TRADENT, id eſt, alii alios fideles prodent perſecutoribus, imò ET ODIO HABEBUNT: gravius enim Apoſtatarum & hæreticorum eſt odium, quàm infidelium. Hoc tertium bellum eſt à falſis fratribus.

11. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent multos.

11. ET MULTI PSEUDOPROPHETÆ SURGENT, id eſt, ut notat Chryſoſt. qui ſe Prophetas, hoc eſt, Evangelicæ veritatis doctores venditabunt: ET SEDUCENT, à fide per vos prædicatâ & plantatâ, MULTOS, qui hanc crediderunt. Hîc deſignantur omnes hæretici, qui partim ante exciſam Jeruſalem, ut Nicolaitæ, Hymænæus & Philetus, & alij, partim ante mundi finem exorituri erant.

12. Et quoniâ abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.

12. ET QUONIAM ABUNDAVIT foris, INIQUITAS ſcil. crudelitas perſequentium, ſcandala deficientium, errores malè docentium, hinc intùs, REFRIGESCET CHARITAS MULTORUM, qua antea erga Deum & proximum fervebant: videtur enim eſſe quaſi epilogus eorum, quæ v. 10. & 11. præmiſerat.

13. Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

13. QUI AUTEM PERSEVERAVERIT, Græcè ὁ δὲ ὑπομείνας, *qui ſuſtinuerit*, ſeu *pertulerit*, ſcil. iſta mala, perſecutiones, ſcandala, odia, errores, USQUE IN FINEM, ita ut nullis malis irruentibus dejiciatur, SALVUS ERIT. Vide dicta cap. 12. v. 22. Et quia meritò ſuſpicari poterant Apoſtoli tantam calamitatum abundantiam impedimento futuram Evangelio à ſe prædicando, & fruſtrà futuros labores ſuos, præoccupat Chriſtus:

14. Et prædicabitur hoc Evãgelium regni in univerſo orbe. in teſtimonium omnibus gentibus: & tunc veniet conſummatio.

14. ET PRÆDICABITUR: q. d. Quantumvis tot malis mundus perturbandus, & adversùs concitandus ſit, certiſſimum habete, quòd non obſtantibus omnibus; PRÆDICABITUR per vos & alios, HOC EVANGELIUM REGNI, ſeu de regno cœlorum, omnibus patefacto atque propoſito, IN UNIVERSO ORBE, antequam ſcil. finis veniat. Nec vero nudam tantum prædicationem, ſed etiam fructum prædicationis ſecuturum per hoc inſinuat, ſcilicet Gentium converſionem ad Deum vivum. Fiet autem iſta prædicatio, IN TESTIMONIUM OMNIBUS GENTIBUS, id eſt, ut ſit illis loco teſtimonii, quo Deus teſtetur omnibus gentibus regnum cœlorum, æternamque ſalutem eſſe eis à Deo per Filium paratam, ſi amplecti velint: eſſe inexcuſabiles, ſi nolint. ET TUNC, ſcilicet poſtquam prædicatum & creditum fuerit in omnibus gentibus, & non antè, ac proinde non tam citò ac vos putatis, VENIET CONSUMMATIO, Græcè τὸ τέλος, *finis* ſcilicet eorum, de quo vos quæſiviſtis. Hoc

autem Hieron. & alij intelligunt de consummatione sæculi, antequam tandem prædicatum erit Evangelium in omnibus gentibus. Hilar. verò Can. 25. etiam de consummatione Jerosolymæ: cui consentit Chrysost. ac discipuli ejus. Nam Apostolus Paulus testatur sæpiùs suo jam tempore, nempè ante eversam Jerusalem hoc esse factum, ad Rom. 1. vers. 8. & c. 10. vers. 18. & ad Colos. 1. vers. 6. & 23. nimirum, quia in maxima orbis noti parte factum fuerat, quamvis perfectius ante mundi finem complendum sit. Quia igitur nihil eorum, quæ hactenus dicta sunt, non contigerit, juxtà Scripturæ phrases, etiam ante consummationem Jerosolymæ: hinc malim, ut suprà dixi, omnia ad hunc versum usque indistinctè de utriusque consummatione intelligere: atque ita utrorumque Patrum sententia erit vera.

15. Cum ergo videritis abominationē desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat;

15. CUM ERGO VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS, &c. Post monita generalia delabitur Christus ad primam Apostolorum quæstionem de excidio Jerusalem, eamque perducit usque ad versum 23. ut sentit August. epist. 80. Nam quamvis Iren. lib. 5. v. 25. & Hilar. hæc omnia ad Antichristum referant, tamen ad occasum Jerusalem litterali sensu pertinere perspicuum est ex Lucæ 21. v. 20. ut mox patebit, Sed quænam sit ista *abominatio desolationis*, magna quæstio est Iren Hilar. & alii nonnulli acceperunt ipsum Antichristum. Citat hanc opinionem & Hieron. qui tamen duas alias suggerit, ut sit vel statua Cæsaris, quam Pilatus in templo posuit; aut equestris statua Imperatoris Adriani, quæ ibi usque in præsentem diem, inquit, stetit. Sed factum Pilati contigerat initio præfecturæ ejus: & consequenter, antequam Christus hæc prædiceret; erantque sola signa militaria, quæ in Jerosolymam clam illata sunt, & ad paucos dies hæserant; Adrianus verò diu post excisam Jerusalem vixit, cujus tamen excidendæ hîc signa dantur. Lucem adfert huic obscuritati Lucas, qui post Marcum & Matth. scripsit: nam id quod Matth. dixerat, CUM VIDERITIS ABOMINATIONEM DESOLATIONIS STANTEM IN LOCO SANCTO, & id quod Marcus, *ubi non debet*, quia scilicet in loco sancto stare non debet (per quem sine dubio templum intelligitur, sicut apertissimè in Daniele legitur:) Lucas hoc modo exprimit, *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem.* Utrumque Christum dixisse est verisimile. An autem ipse exercitus Romanorum Judæis propter idololatriam; & vexilla imaginibus Deorum plena, vocetur *abominatio desolationis*, sicut multi recentiores volunt: an verò aliquid aliud, quod eodem tempore, cùm Jerusalem ab exercitu circumdata fuit, concurrerit, non ita liquet. Et mihi quidem ipse exercitus Romanus nullo modo videtur esse illa abominatio, quæ à Daniele prædicta est, propter multas causas. Primò, quia jam bis fuerant, & civitas & templum à Romano exercitu circumdata, & multis cædibus expugnata, semel per Pompeium, & iterum per Sosium atque Herodem, ut testis est Josephus libr. 14. Antiquit. cap. 8. & ult. nec tamen ullus intellexit fuisse illam abominationem Danielis impletam

pletam. Secundò, jam à temporibus Pompeij, etiam ætate Christi, semper erat Jerosolymis præsidium Romanorum in arce Antonia, quæ adhærebat templo, ut auctor Joseph. lib. 6. de bello Jud. cap. 6. & ita copiosum, ut multas myriades civium contineret, maximè diebus festis, in officio, & aliquando vi profligaret: nec tamen quisquam imaginatur ibi fuisse illam abominationem desolationis. Tertiò, quia Marcus dicit abominationem illam staturam *in loco, ubi non debet*, id est, ut Matth. *in loco sancto.* Nulla autem est ratio, cur tunc peculiariter non deberet stare Jerosolymis, cùm ibi sæpiùs steterit antè, & semper stare poterat, quandocumque libuisset. Quartò, quia Daniel juxta LXX. & textum vulgatum expressè dicit, illam abominationem staturam in templo: & sic plerique veteres etiam intellexerunt. Romanus autem exercitus non stetit in templo, neque in obsidione Cestii Galli, de qua Lucas videtur loqui: neque in ultima Vespasiani, nisi templo jam incenso. Agitur autem de abominatione præcedente eversionem, quia datur tamquam signum eversionis brevi futuræ, & fugæ capessendæ ex Judæa, quod sine dubio in ultima obsidione seriùs factum erat. Hinc ulteriùs videtur quòd non possit etiam per illam abominationem intelligi occupatio templi, quæ facta est per Judæos repugnantes Cestio oppugnanti. Illi enim tunc non occupaverunt, nisi exteriores partes templi, non interiores: textus enim Græcus Josephi qui tale quid videtur dicere, malè translatus est. In exteriores autem partes licebat Judæis laïcis semper intrare, etiam cum armis, illudque defendere: sicut jam bis, terve cum magnis etiam Judæorum cladibus defensum fuerat, & contra Pompeium, & contra Sosium ut ex Josepho citatis locis patet. Nec tamen quisquam unquam existimavit abominationem illam desolationis, quam Daniel prophetavit, fuisse toties in templo positam; imò ibidem Josephus satis indicat non per expugnationes illas, sed per solum introitum Pompeii in aditum sancti Sanctorum aliquam profanationem contigisse. Unde & Herodes, templo iterum expugnato, studiosissimè cavit, ne milites in aditum irruerent. Quare nihil verisimiliùs dici puto, quàm illam à Daniele prædictam ABOMINATIONEM DESOLATIONIS, id est, quæ desolationem secum trahit, seu ejus causa fuit, esse sceleſtissimam illam profanationem totius templi, quæ facta est paulò post circumdatam ab exercitu Cestij & liberatam Jerusalem, duravitque usque ad eversionem ejus, per tres circiter annos cum dimidio. Cestius enim obsedit eam sub finem anni Christi 68. & solutâ mox obsidione Titus evertit eam anno 72. Facta est autem ista profanatio per ingentem latronum manum, qui erumpentes in Jerosolymam, pollutis pedibus, inquit Josephus lib. 4. cap. 5. sanctum locum intrare cœperunt, ac templo uti loco castri ac domicilii tyrannidis adversùs populum. Tot verò cædibus innocentium & nocentium toto illo tempore, tum inter se pugnantes, tum cum po-

pulo, illud repleverunt, ut Josephus testetur libro 6. capite 2. per atria divina diversorum sanguinem cadaverum feciſſe ſtagnum, nec potuiſſe ampliùs manere Dei locum, qui domeſticorum funerum erat ſepulchrum. Hinc neque Judæis neque Romanis in tota obſidione intolerabilius vel horribilius quidquam viſum eſt, quàm illa immanis templi profanatio, ut propter iſta ſacrilegia Joſephus lib. 6. cap. ult. dicat: Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terræ devorandam fuiſſe civitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum aut Sodomæ incendia paſſuram: imò ut etiam Titus ipſe ſeditioſos aliquoties rogaret, ut à tanta profanatione diſcederent, ſe quoque teſtaretur non eſſe cauſam ejus, ut videre licet libro 7. cap. 4. & aliis locis. Hinc idem teſtis eſt lib. 5. cap. 2. veterem fuiſſe ſermonem tunc demùm civitatem captam iri, Sancta quoque flammis exurenda lege belli, cùm ſeditio fuiſſet exorta, templumque Dei propriæ manus antè violaſſent: quibus, inquit, zelotæ, nihil de eorum fide dubitantes, miniſtros ſe præbuerunt. Qui ſermo ex Danielis prophetia vel Chriſti prædictione fortaſſis ortum habuit: quæ enim verior & magis propriè dicta *abominatio* in templo ſtare potuiſſet? Jure merito vocatur *deſolationis*, quia illius deſolationis templi ac Jeruſalem, quam ſtatim Daniel adjungit uſque in finem perſeveraturam, vera cauſa fuit. Nam illam ſeditionem zelotarum, & aliorum ſceleratorum in templo, cauſam perditionis Jeroſolymæ, ac templi exuſti fuiſſe, ex Joſephi atteſtatione manifeſtiſſimum eſt. Itaque quòd Lucas dicit, *Cùm videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem*, ſcilicet ſub Ceſtio (tunc enim erat fugæ locus, non ſub Tito:) non deſignat ipſam abominationem deſolationis, ſed potiùs tempus, quo illa mox erat apparitura, & quo deberent de fuga cogitare ex Jeruſalem & Judæa, eo quòd brevi inſtaret ejus conſummatio. Unde Joſephus lib. 2. cap. 25. dicit: Poſt Ceſtii caſus adverſos, nobilium Judæorum multi, tamquam è navi peſſum itura, ex civitate enatarunt. Inter quos & Chriſtianos eum comprehendiſſe veriſimile eſt ex Euſebio, de quo ſtatim.

Qui legit, intelligat; nempe obſcurum illum Danielis locum: & ſic erunt hæc verba Chriſti. Sed quia Marcus eadem ponit, qui tamen nullam Danielis mentionem facit; hinc fortaſſe convenientiùs acciperentur non verba Chriſti loquentis, ſed Evangeliſtæ, poſtea ſcribentis verba Chriſti, & exhortantis, ut, qui illa legerit, intelligat, id eſt, det operam, ut intelligat, tamquam obſcuriùs quidem dicta, ſed tamen maximi momenti, ad ſciendum ſignum inſtantis everſionis Jeruſalem ac templi. Et ideò Lucas, qui poſt Evangeliſtas ſcribens clariùs explicuit, ea prætermiſit.

16. Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes;

16. Tunc, cùm ſcilicet, viderint iſta (pendet enim huc uſque ſententia) Qui in Judæa sunt, id eſt, in univerſa terra Iſrael; generaliter enim accipitur. Nam ſtatim poſt illam obſidionem Jeruſalem, ſeu potiùs templi, quæ per Ceſtium facta fuerat, iiſ-

dem calamitatibus involutæ sunt Galilæa, ceteræque provinciæ & urbes, quæ debellatæ & miserrimum in modum vastatæ sunt à Vespasiano, ante obsidionem ultimam Jerosolymorum. FUGIANT AD MONTES, id est, in loca invia ac tuta: nam qui fugerunt in urbes Judaïcas, plerique miserrimè perierunt. Obediverunt huic monito Christi Christiani, qui ex Jerusalem, totaque regione migrarunt trans fluvium in urbem Pellam, quæ parebat Regi Agrippæ, amico & coadiutori Romanorum, ut Euseb. testis est libr. 3. Hist. cap. 5. & Epiph. Hæresi 29. num 7.

17. ET QUI IN TECTO: Græcè ἐπὶ τῦ δώματος, *super tectum*, ut vertitur Marci 13. Agitur enim de tectis illis planis Orientalium ubi ambulare & negotia tractare licebat. NON DESCENDAT TOLLERE, seu ut tollat, ALIQUID DE DOMO SUA: supellectilem, pecuniam, aut aliud subsidium itineris aut fugæ, sed nudus cum omnium rerum jacturâ fugiat. Est enim locutio hyperbolica, quâ ut August. epist. 80. festinatio fugæ præcipitur: cujusmodi est ista phrasis, quæ sequitur.

17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua:

18. ET QUI IN AGRO, id est, foris fuerit ambulandi, aut operandi causâ, NON REVERTATUR domum, TOLLERE TUNICAM SUAM, quâ se tegat in fuga ad peregrinandum. Marcus ait *vestimentum*, nempe exterius; sine tunica enim non exitur in agrum. Unde Græcum ἱμάτιον, aptè verteretur *pallium*, sicut vertitur supra cap. 5. v. 40. Pallium enim servit fugientibus contra injurias aëris, & noctis. Lucas generaliùs hoc exprimit, *Qui in regionibus fuerint*, scilicet extra Jerusalem, *non intrent in eam*. Et causam addit, *quia dies ultionis hi sunt*: ut sumatur scilicet ultio de tota illa rebelli & pertinacissima natione. Unde ad calamitatis istius acerbitatem respiciens Matthæus.

18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

19. VÆ AUTEM PRÆGNANTIBUS ET NUTRIENTIBUS: quia illæ uteri, hæ infantium sarcinâ gravatæ fugere non potuerunt, naturæ vinculo præpeditæ, ne illam abjiciant. De fuga enim adhuc subnectit.

19. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

20. ORATE, UT NON FIAT FUGA VESTRA, id est, non occurrat ista fugæ necessitas, HYEME: quâ viæ ad fugiendum velociter sunt difficiles, dies breves, noctes intolerabiles: VEL SABBATO, quo exiguum itinerandi spatium præscriptum erat. Unde Act. 1. v. 12. mons Oliveti dicitur sabbati habere iter. Generaliter itaque significatum voluit juxta Augustin. 37. lib. 1. quæst. Evang. orandum esse, ne aliquo impedimento fugæ detineantur. Non quod fuga esset etiam sabbatis illicita: sed loquitur juxta opinionem vulgarem Judæorum, qui ad superstitionem usque sabbatum etiam in necessitate observabant, ut Josephus diversis locis testatur. Plerumque autem solet August. ista omnia exponere moraliter, cavendum scilicet esse in tribulationibus, ne quisque invictus *de tecto in domum*, id est, de spirituali sublimitate descendat ad carnalem vitam: nec *ex agro revertatur*, id est, nec deficiendo in posteriora respiciat. Væ enim *prægnantibus, & lactantibus*, qui jam adepti sunt, quod concupierant. Orandum enim esse, *ne*

20. Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbato.

hieme vel ſabbato fugiamus, id eſt, ne in triſtitia aut lætitia; & conſequenter amore rerum temporalium, quiſquam inveniatur in die illa. Ita ille in fine Pſalm. 39. & quæſt. 37. citat. & Epiſtola 80.

21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque fiet.

21. ERIT ENIM TUNC, poſtquam abominatio deſolationis ſteterit in loco ſancto, TRIBULATIO MAGNA, ſcilicet in Judæa & Jeruſalem. Nam etiam iſta ad excidium iſtius gentis pertinere, patet ex Luca, qui cùm dixiſſet, *Erit enim preſſura magna ſuper terram*, ut oſtenderet ſe terram Judææ intelligere, explicando adjicit, *& ira populo huic*. Species autem tribulationis exprimit ibid. *Cadent enim in ore gladii, & captivi ducentur in omnes gentes.* Porrò tribulatio talis erit, QUALIS NON FUIT AB INITIO MUNDI USQUE MODO, NEQUE FIET: nempe in illo populo Judaïco, inquit Auguſt. Epiſt. illa 80. Nam, ut ibidem ait, Joſephus talia mala dicit illi populo tunc accidiſſe, ut vix credibilia videantur. Unde, meritò poſſet generaliùs intelligi, quòd nec fuit, nec erit talis tribulatio in ulla omninò particulari gente aut regione totius mundi; quia videlicet extremum ſcelus occiſi Filij Dei extremis tribulationibus vindicandum erat. Unde & ipſe Joſephus palam aſſerit libro 6. c. 11. Ut breviter dicam, inquit, neque aliam civitatem umquam talia perpeſſam puto, neque ullam nationem poſt hominum memoriam malitiâ ferociorem fuiſſe.

22. Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro: ſed propter electos breviabuntur dies illi.

22. ET NISI BREVIATI DIES ILLI, æterno ſcilicet Dei decreto: agitur enim de re futura. Quod quidam apud Auguſtin. epiſt. citata intelligunt factum eo modo, quo ſub Joſuë dies fuit longior. Ipſe Auguſt. intelligit per *dies breviatos* ipſa mala breviata: ſed non incommodè intelligi poteſt, *niſi dies*, id eſt, niſi tempus iſtius belli ac tribulationis Judaïcæ fuiſſet à Deo brevius decretum, quàm illorum impietas & juſtitiæ divinæ ſeveritas exigebat, NON FIERET SALVA OMNIS CARO, ſcilicet Judaïca, inquit Chryſoſt. Duplex Hebraïſmus, *Caro*, pro homine, & *Non omnis* pro nulla, ſicut Lucæ 1. verſu 37. & alibi ſæpiùs. Senſus eſt igitur, nullus Judæorum evaſiſſet mortem temporalem, ſed tota natio fuiſſet deleta per Romanos. SED PROPTER ELECTOS, ad æternam beatitudinem ex illa natione, qui ſcilicet vel tunc vivebant, vel ex illis uſque ad finem mundi naſcituri erant. Non enim debemus ambigere, inquit Auguſt. ibidem, illo Judaïcæ calamitatis tempore fuiſſe in populo illo electos Dei, quorum alii jam in Chriſtum crediderant, alii crediturí erant. Propter electos ergò illos, ne ſimul cum reprobis vel jam nati antequam nati pereant, BREVIABUNTUR, reipſa, DIES ILLI, ſicut ab æterno breviores conſtituti fuerant: hoc eſt, citiùs divina providentia bello & calamitatibus illis finem imponet, efficiendo, ut Romani celeriùs ſuperent. Quod ita evidens fuit tam ipſis Judæis quàm gentilibus, ut Joſephus crebrò inopinatas Romanorum victorias Deo adſcribat; & ipſe Titus, captis Jeroſolymis & inſpectis munitionibus, dixerit, *Planè Deo adjuvante pugnavimus, & Deus erat, qui detraxit ab iſtis munitionibus Judæos.* Nam

quæ hominum manus aut machinæ ad istas valerent? ut est apud eumdem Josephum lib. 7. cap. 16. Unde idem Titus, rejecta corona sibi oblata, fatebatur non se talium operum auctorem fuisse, sed Deo iracundiam contra Judæos demonstranti manus præbuisse, ut narratur apud Philostratum. Quamvis ergò multi ista omnia de abominatione desolationis, dierumque breviatione retulerint ad ultima & Antichristi tempora, certum tamen videtur, omnia hæc usque ad expugnationem Jerusalem & calamitates gentis Judaïcæ pertinere, sicut intellexit Chrysost. & Theophyl. & ex professo August. epist. 80.

23. Tunc si quis vobis dixerit, post excidium scilicet Jerusalem, quo, defunctis pleriſque Apostolis, Pseudochristi & pseudoprophetæ, id est, hæretici potissimum pullulare cœperunt. Transit enim hîc Christus ad tertiam quæstionem, à Jerusalem scilicet ad finem mundi: nam vastatio Jerusalem vastationis & finis mundi typus fuit. Itaque illud, *Tunc*, omne tempus, quod ab illa excisa usque ad finem mundi labitur, comprehendit, & maximè tempus Antichristi. Si quis vobis dixerit, discipulis scilicet meis: nam sub Apostolis omnes fideles intelligit: Ecce hic est Christus aut illic, id est, hoc aut illo loco apparuit Messias, promissus à Deo, qui Judæos aut vos à calamitatibus liberet, fœlicitatemque largiatur: nolite credere, quia non nisi unus est Christus, qui jam venit. Tales fuerunt non pauci, ut olim Barchochebas tempore Adriani Imperatoris de quo Euseb. lib. 4. cap. 6. & nuper David Georgius Basileæ, & alius ex Anabaptistis, qui se Regem Sion finxit: & ipse Antichristus tota professione hoc acturus est.

23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere.

24. Surgent enim Pseudochristi, qui se Christos me reprobato mentientur, et pseudoprophetæ: nam sicut Christus veros Propheras habuit, qui de illo prædicaverunt: ita Pseudo-Christi suos habebunt Pseudoprophetas: & quia pseudoprophetæ olim erant falsi doctores rerum sacrarum, ideo sub hoc nomine comprehenduntur etiam hæretici, qui pseudoprophetis antiquis in nova lege succedunt. Et dabunt, seu edent, signa magna et prodigia, non vera, sed mendacia, ut vocantur ab Apostolo 2. ad Thessal. 2. ut sic verum Christum veroſque Propheras imitentur, qui illis veluti sigillis Dei doctrinam suam & missionem confirmarunt. Edent illa virtute dæmonum, qui pro sublimitate sua semina rerum istarum, id est, prodigiorum, nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occasiones, ut August. 3. de Trinit. cap. 8. Rectè autem dicit, *præbent occasiones*, quia tota actio fit ab illis causis naturalibus, quas adhibent. Ita ut in errorem inducantur, id est, tam plausibilia, tam verisimilia, tam efficacia ad persuadendum, ut fallendi essent errore finali, etiam electi ad salutem, per æternum prædestinationis divinæ decretum: Si fieri potest, id est, si esset possibile, ut creata vis

24. Surgent enim pseudochristi: & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.

creatoris decreto, beneplacito, ac viribus protegentibus prævaleret. Significat enim, si tales electi suæ prudentiæ & viribus relinquerentur, omninò esse fallendos. Unde rectissimè Augustin. de corrip. & grat. cap. 7. Horum si quisquam perit fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur Deus. Et Christus ipse de talibus ovibus: *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Joan. 10. versu 28.

25. Ecce prædixi vobis.

25. ECCE PRÆDIXI VOBIS, periculi magnitudinem, ut scilicet illud sollicitè magis caveatis. Non enim electio, aut prædestinatio, etiam cognita est, aut esse debet causa socordiæ, sed sollicitudinis, ac diligentiæ, ut per illam ipsam diligentiam, hoc est, sollicitam ardentemque voluntatem, id quod constitutum est, impleatur, & ex illa ipsa discant homines se ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere, ut loquitur Augustin. de dono perseverantiæ cap. 22.

26. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere.

26. SI ERGO DIXERINT VOBIS: ECCE IN DESERTO EST, Christus, NOLITE EXIRE, id est, non modò non credere, sed nec exire dignemini, ut quid rei sit videatis. ECCE IN PENETRALIBUS, id est, in conclavibus, seu locis ædium abstrusioribus: NOLITE CREDERE. Explicat itaque magis particulatim id, quòd antè dixerat, *Ecce hîc est Christus, aut illic*; idque pro omnibus, ponendo duo loca contraria, desertum foris, & penetralia domi.

27. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit & adventus filii hominis.

27. SICUT ENIM FULGUR EXIT AB ORIENTE, id est, promicat è nubibus in oriente positis, ET PARET, id est, apparet & subito conspicitur, non tantùm in meridie & Aquilone, sed, usque IN OCCIDENTEM, hoc est, per universum undequaque orbem spargitur, & undique cernitur; nam per duas illas partes oppositas totum mundum significat: ITA ERIT ET ADVENTUS FILII HOMINIS, id est, subitus, inexpectatus, non incerto, abstruso, & abdito loco, sed toti mundo illustris & conspicuus: q. d. Tametsi vos, ac fideles mei sciatis, me Christum secundò esse venturum, nolite tamen credere quibuscumque prædicantibus, *Ecce hîc, aut illic Christus apparuit, & regnum suum auspicatur*: quia adventus meus, qui adhuc exspectatur, non erit occultus, & per homines præcones hominibus nuntiandus, ut fuit in Bethleem, sed subitus & instar fulguris, quod non indiget præcone, aut nuntio, per se toti orbi ita manifestus, ut neminem latere possit. Sensus iste Chrysostomi est & verè genuinus. Augustin. verò qu. 38. lib. 1. Quæst. Evang. & aliis locis omnia præcedentia à vers. 23. de quibuslibet hæreticis & schismaticis intelligit, qui non sunt audiendi à populo Christiano, dum prædicant, *Ecce hîc Christus, aut illic*, id est, dum particulas terrarum, atque provinciarum, ubi vigent, demonstrant, dicentes, apud se solos esse Christum & Ecclesiam, aut *in deserto, ac penetralibus*, id est, in obscuris occultisque conventiculis, ubi curiositatem hominum decipiunt. Nam quòd ait, Filium hominis apparitorum sicut FULGUR, in-

quit, contra illos valet, qui occultè congregant, tamquam in penetralibus, & paucos, tamquam in deserto, cùm *Orientis & Occidentis* nomine Ecclesia per totum orbem futura significetur: & ad manifestationem claritatemque Ecclesiæ pertinet fulguris nomen. Sensus iste videtur magis mysticus.

28. Ubicumq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.

28. UBICUMQUE FUERIT CORPUS, Græcè τὸ πτῶμα, *cadaver*, ILLIC CONGREGABUNTUR ET AQUILÆ, quia naturali sensu illud etiam trans maria sentire dicuntur, & advolare, ut inde pascantur, hîc Hieron. Desumptum videtur ex Job 39. v. 30. ac transtulisse in proverbium, quo significetur non opus esse magno studio, ut ea jungantur, quæ naturâ ad invicem geruntur. Se ergò comparat cadaveri, propter mortem corporis, Sanctos suos aquilis, quòd aquilarum instar in altis super terrena volent, oculatissimi in Christum velut Solem oculos figant, senectutem renovent; q. d. Ubicumque fuero, cùm instar fulguris in nubibus apparuero, eò Sancti mei, nemine indicante, sentientes præsentiæ meæ virtutem, tamquam ad escam suam, ex omnibus orbis partibus summo desiderio rapti in nubibus obviam Christo in aëra convolabunt. Quamquam Hilarius locum passionis, ubi judicium futurum sit, indicari putet, scilicet Vallem Josaphat.

29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorũ commovebuntur:

29. STATIM AUTEM POST TRIBULATIONEM ILLORUM DIERUM; nempe quibus Pseudo-christi & Pseudo-prophetæ dixerint, *Ecce hîc est Christus, &c.* Per quod in primis tempora Antichristi significari dixi & eò referunt Chrysost. ac Theophyl. Quamvis referri etiam possit ad dies tribulationis Jerosolymitanæ, de qua vers. 21. postquàm secutura significetur alia rerum omnium perturbatio. Dicit autem, *statim post*, etsi jam tot annorum centuriæ transierint; partim quia divino judicio tempus istud est momentaneum: apud quem, ut dicitur 2. Petri 5. mille anni sicut unus dies: partim quia etiam hominum æstimatione perexiguum est, cùm unicuique dies illo ultimus: seu ultima tribulatio tam propinqua sit, quàm est dies mortis. Nam, ut August. epist. 80. in quo statu quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendit mundi novissimus dies. Itaque, ut unusquisque semper ad illum diem ultimum esset paratus, semper eum isto loquendi modo Christus expectari voluit: quem postea eadem de causa Apostoli imitati sunt, dum 1. Joan. 2. dicitur, *Nunc esse novissima hora*; & 1. Petri 4. *Omnium finis appropinquasse*. Unde & Deuter. 32. versu 35. *Juxta est dies perditionis*: SOL OBSCURABITUR ET LUNA, &c. August. loco cit. per *Solem* intelligit Christum, per *Lunam* Ecclesiam, qui persecutionis acerbitate, sub Antichristo ita sint obscurandi, ut hominibus non appareant: per *stellas cadentes* eos, qui, cùm gratiâ fulgere viderentur, persequentibus cedent & cadent. *Virtutes* autem *cœlorum movebuntur*, quia quidam firmissimi turbabuntur. Sed ex Lucæ 2. versu 25. & 26. satis apparet, litteraliter hæc in Sole & Luna & stellis eventura, quemadmodum passim etiam à Prophetis prædictum est, Isaiæ 13. versu 10. & in primis Joëlis 2. v. 31. ut proinde moralis, vel mystica sit August.

interpretatio. Itaque SOL OBSCURABITUR, ut ſicut prima lux naſcentem: ita poſtremæ tenebræ morientem mundum loquantur. Unde Apocal. 6. v. 12. Sol dicitur futurus niger tamquam ſaccus cilicinus: non propter ſplendorem Chriſti præſentis, ut vult Hieronym. & Chryſoſt. (Lucas enim indicat hanc obſcurationem præceſſuram adventum judicis) ſed luminis defectu. ET LUNA NON DABIT LUMEN SUUM, propter defectum ſcilicet Solis, à quo lumen ſuum mutuatur: Unde Apocal. dicit, *Fiet ſicut ſanguis.* ET STELLÆ CADENT: quia propter defectum luminis eadem ex cauſa cecidiſſe videbuntur, cœlo quaſi luminibus privato. Quamvis non deſint, qui intelligant hoc de exhalationibus ignitis, quæ ſtellis ſimiles de cœlo cadent, multò ſcilicet mirabiliùs, quàm nunc fit, ut inquit Auguſtinus 20. de civitate cap. 24. ET VIRTUTES CŒLORUM COMMOVEBUNTUR. Quod Græci de virtutibus Angelicis ferè intelligunt, quæ ad tantam rerum perturbationem admiratione concutientur: recentiores de aſtris, quæ *militia cœli* vocari ſolent: ſed illa jam cecidiſſe dicta ſunt. Itaque videtur eſſe generalis expreſſio & complexio eorum, quæ particulatim de Sole & Luna, & ſtellis dixerat: q. d. Et omnes vires cœlorum commovebuntur, Græcè eſt enim δυνάμεις, id eſt, *poteſtates, vires*, ut non incongruè ſignificari poſſet idem, quod Job 26. v. 11. dicitur, *Columnæ cœli contremiſcent* Unde Proverbiorum 8. v. 26. ſimili ferè phraſi vocantur etiam *cardines orbis terræ*, & alibi *cardines maris*, quaſi dicere hîc vellet: Ipſum omne robur & firmamentum, & quaſi cardines cœlorum commovebuntur, Græcè σαλευθήσονται, *agitabuntur.* Proinde idem hîc dici videtur, quod 2. Petri 3. v. 10. *Cœli magno impetu tranſibunt.* Hæc igitur tam inuſitata ægrotantis mundi ſymptomata inſtantis ejus occaſus, & quaſi mortis indicia ſunt, & ſimul adventantis judicis. Unde ſequitur:

30. Et tunc parebit ſignum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ: & videbũt filiũ hominis, venientem in nubibus cœli cũ virtute multa, & majeſtate.

30. ET TUNC, Sole, LUNA, ſtellis obſcuratis, PAREBIT, Græcè φανήσεται, *apparebit*, SIGNUM FILII HOMINIS, id eſt, id, quo Filius hominis mundo & hominibus, fidelibus & infidelibus notus, ac celebris eſt, quod non eſt aliud, niſi ſignum Crucis, Sole fulgentioris, ut inquit Chryſoſtom. & conſentiunt antiqui, Hilarius, Hieronym. Theophyl. & alij. Unde canit Eccleſia: *Hoc ſignum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit:* nempe ad ſolatium fidelium, videntium vexillum adventantis Domini, ac trophæum redemptoris ſui; ad terrorem infidelium, maximè Judæorum. Undè etiam TUNC, illo ſcilicet viſu, PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ, id eſt, omnes nationes pectoris tunſione (quod propriè, præſertim Græcè, eſt plangere) lamentabuntur, doloremque ſuum teſtabuntur, nimirum quòd judicem talem crucifixerint, vel crucifixum contempſerint: nam de impiis loquitur, pii enim diligent adventum ejus. ET VIDEBUNT, corporeis oculis FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBIBUS CŒLI: quaſi curru triumphali ad judicandum veheretur, & in throno ſuo ſederet. Ita contigit & in transfiguratione, hujuſce gloriæ typo,

talem adventum in nubibus promiserunt Angeli in ascensione. Servient nubes istæ ad temperandam omnium aspectui claritatem ejus, & ad augendam gloriam. Unde addit CUM VIRTUTE MULTA, seu magna, ET MAJESTATE, Græcè, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς, *cum potestate & gloria multa*, non scilicet cum illa infirmitate & humilitate, quâ nunc. Virtus, seu potestas apparebit in illa momentanea mortuorum omnium resuscitatione totiusque mundi restauratione; majestas in corporis claritate, nubis amictu, stipantium multitudine, gloriâ & reverentiâ.

31. ET MITTET ANGELOS suos: qui, ut putat Gregor. Hom. 1. in Evang. visibiliter hominum oculis apparebunt, CUM TUBA ET VOCE MAGNA. *Et* expositivè, seu exegeticè accipi videtur pro, *id est*: q. d. cum tuba, quæ est vox magna, sicut Apocal. 1. v. 10. & ibid. c. 4. v. 1. dicitur. *Audivi vocem magnam tamquam tubæ loquentis mecum*, articulatis scilicet sonis. Unde & Paulus, cùm 1. ad Corinth. 15. versu 25. de sola tuba dixisset, *in novissima tuba; canet enim tuba:* magis se declarasse videtur 1. ad Thessal. 4. v. 15. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo.* Ita ut omnia ista non aliud declarent, quàm vocem magnam, quasi tubalem instar tubæ, toto mundo personantem ministerio Archangeli & Angelorum, jussu Christi Domini editam. Unde Joan. 3. versu 25. vocatur *Vox Filii Dei*, quam mortui audient, quia jussu ejus vox illa edetur. Ita ferè August. Epist. 120. cap. 34. qui tubæ nomine evidentissimum & præclarissimum aliquod signum vult intelligi. Adhibebitur autem partim, ut ejus ministerio excitentur mortui, sicut Lazarus voce Christi, partim ut per eam ad tribunal convocentur. Unde August. ibid. putat esse istum clamorem, qui cap. seq. v. 6. mediâ nocte factus dicitur, *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Et hîc statim adjungitur effectus tubæ: ET CONGREGABUNT ELECTOS EIUS A QUATUOR VENTIS, id est, à quatuor mundi plagis, Oriente, Occidente, Meridie & Aquilone, unde spirant præcipui quatuor venti. Sub quibus, ut significaret universas mundi partes intelligi, addit, efficacioris expressionis causâ, idem quasi repetendo, A SUMMIS CŒLORUM USQUE AD TERMINOS EORUM. Similis phrasis est Deuter. 4. vers. 32. & Psalm. 19. versu 7. & 8. sed tam ibi Hebraicè quàm hîc Græcè est, *ab extremis cœlorum usque ad extrema eorum*: & ideo eadem vox אפס, hoc loco nunc *summum*, nunc *terminus* transfertur; summum enim rei etiam est terminus, seu extremum ejus. Sensus est ergò, ab uno *cœli* extremo usque ad alterum. Per *cœli* autem *extremum* intelligitur locus cœli extremo subjectus, & ideo eandem rem expressit Marc. *A summo*, id est, extremo *terræ usque ad summum cœli.*

31. Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorū usque ad terminos eorum.

32. AB ARBORE AUTEM FICI, quæ eis erat in illis locis notissima. Alioquin Lucas addit, *Videte ficulneam & omnes arbores*; utrumque enim videtur Christus dixisse. DISCITE PARABOLAM, id est, accipite ex ea similitudinem. CUM IAM RAMUS EIUS TENER, id est, mollis, FUERIT, quasi propter appropinquantem So-

32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cùm jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata,

scitis quia prope est æstas:

lem succo plenus, ET FOLIA NATA: apud Lucam, *Cùm produxerint jam ex se fructum.* Sed *Fructus* ibi significat quidquid ex re pullulat, ut gemmæ & folia: undè Græcè est προβαλωσι, *cùm jam protruserint*, scilicet gemmas & folia. SCITIS QUIA EST PROPE ÆSTAS.

33. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis.

33. ITA ET VOS CUM VIDERITIS HÆC OMNIA, incipere & fieri, quæ huc usque dicta sunt, etiam de adventu Filij Dei in nubibus, Angelorumque missione. Nam quamvis Apostoli, ad quos loquitur, non essent ea omnia visuri, voluit, tamen & ipsos & omnes, qui hæc ab illis discerent, semper esse suspensos. SCITOTE QUIA PROPE EST IN IANUIS, id est, quòd omninò jam jam adest præ foribus, nempe non adventus Filii Dei; ille enim jam apparuisse dictus est: sed, ut supplet Lucas, regnum Dei, illud plenum & pacatissimum, quod judicium in Sanctis revelabitur. Hæc ergò verba consolationem electorum continent à tot tribulationibus, quibus in mundo pressi fuerant, suggerendo illis spem proximam beatissimæ tranquillitatis, sicut clarè colligitur ex Lucæ 21. versu 28. *Respicite & levate capita vestra, quia appropinquat redemptio vestra.* Ut autem certa esset fides futurorum istorum quæ prædixerat, graviter ea confirmat.

34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

34. AMEN DICO VOBIS, QUIA NON PRÆTERIBIT, id est, interibit & abolebitur, GENERATIO HÆC. Alii generationem credentium, alii humanum genus, alii hanc ætatem, alii aliter intelligunt. Nihil convenientiùs videtur posse accipi, quàm hæc generatio Judæorum; illam enim sæpè solet nomine hujus generationis designare, ut patuit cap. præcedenti versu 36. & c. 12. v. 41. & 42. DONEC OMNIA FIANT, id est, impleta fuerint. Ideo autem illam generationem, seu nationem permansuram asserit, quia pleraque potissimùm in illa natione complenda erant, ut quæ de excidio Jerusalem, & ejus calamitatibus, de Pseudochristis & planctu tribuum prædixerat.

35. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

35. CŒLUM ET TERRA, quibus nihil est in rebus creatis firmius & immobilius, tamen TRANSIBUNT, à statu suo, id est, mutabuntur: VERBA AUTEM MEA, quæ vobis hactenus locutus sum, NON PRÆTERIBUNT; quantum ad rem scilicet significatam, hoc est, non mutabuntur, & non aliter aliquid continget, quàm illa sonant & significant, sed certissimè habebunt effectum suum, quia ab incommutabili veritate prolata. Deducta enim, inquit Hilar. ex æternitate, id in se continent virtutis, ut maneant. Hoc ergò addit, ne quis futurarum rerum incertitudine, vel nimia dilatione de veritate inciperet fluctuare. Ut verò etiam curiositas reprimeretur, adjicit:

36. De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cœlorũ, nisi solus pater.

36. DE DIE AUTEM ILLA ET HORA, quâ cœlum & terra transibunt, & Filius hominis cum Angelis venturus est, id est, de tempore certo & determinato consummationis mundi, & adventu judicis, sive dies, sive hora, sive mensis, sive annus fuerit, NEMO SCIT, NEQUE ANGELI CŒLORUM, hoc est nemo in cœlo, neque in terra, neque naturali scientiâ, neque revelatione. Repressit igitur eos,

inquit Chryſoſt. ne diſcere vellent, quod Angeli neſciunt. Ut autem efficaciùs occurreret curioſitati, neque moleſtè ferrent, quaſi contempti à Chriſto, quod nec ipſis ſecretum iſtud Chriſtus committeret, addit, juxta Marcum, *neque Filius*: cujus ſententiæ obſcuritas, ne faveret Arianis, diverſas interpretationes peperit. Hieronym. hîc & Ambroſ. libr. 5. de fide, cap. 8. locum corruptum eſſe voluerunt. Alij, ut Origen. Tractat. 30. in Matth. putant Chriſtum ignoraſſe tunc diem judicii; poſt reſurrectionem verò ſciviſſe. Inter varias interpretationes antiquorum duæ ſimiliores videntur. Prima eſt Athanaſii libr. 4. contra Arianos & Ambr. lib. 8. in Luc. & Nazianzen. ex profeſſo Orat. 36. ut neque Filius, ſupple hominis, illum diem ſciat, hoc eſt, ut non ſciat eum diem ex eo, quòd eſt homo, ſed ex eo tantùm, quòd ſimul eſt Filius Dei. In quem ſenſum ſcribit Auguſt. 1. de Trinit. cap. 12. Chriſtum dixiſſe alibi, Non eſt meum dare vobis, quia non eſt ſuæ poteſtatis humanæ, ſed divinæ. Hinc Gregorius libr. 8. Epiſt. 42. In natura quidem humanitatis novit diem & horam, non ex natura humanitatis novit: ideò ſcientiam, quam ex natura humana non habuit, in qua cum Angelis creatura fuit, hanc ſe cum Angelis habere denegavit. Secunda eſt quam ibidem Gregor. tradit, & eſt Auguſtini multis locis, præcipuè loco illo de Trinit. citat. & libr. 83. Quæſt. Evang. qu. 60. & alibi, ut Filius hoc neſcire ſe dicat, quod neſcientes nos facit, id eſt, inquit Auguſtinus, quod non ita ſciebat, ut tunc diſcipulis indicaret. Quo ſenſu dicit Apoſtolus: *Neque enim indicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum*, nempe hoc Apoſtolus inter illos neſciebat, quod per illum ſcire non poterant, cùm tamen loqueretur ſapientiam inter perfectos. Simili modo Chriſtus dicit Joan. 15. ſe *Apoſtolis omnia nota feciſſe, quæ audiverat à Patre ſuo*, ſcilicet quæ communicare deberet, cùm plurima divinitatis ſecreta non feciſſet nota. Itaque juxtà hunc ſenſum loquitur Chriſtus tamquam legatus à Deo, qui non ſic à Patre diem illum didicerat, ut cuiquam eorum, ad quos legatus fuerat, eum aperire deberet, ita ut illum ſibi ſoli ſciret, non aliis. Nam alioqui quomodo diem & horam ignorat, qui omnia ad diem illum & horam prædixit? Cauſa verò celandi fuit, quia, ut Chryſoſt. hîc & Baſil. libr. 4. contra Eunomium ſcientia ejus non expediebat nobis: exſpectatio enim perpetua ferventiores ad pietatem facit, cognitio negligentes. Et hinc addit, NISI SOLUS PATER; ad quem, velut principium creationis, ita & reſolutionis mundi, pertinet ſcientia horæ illius. Non tamen excluditur Filius, in quantum Deus, aut Spiritus ſanctus, ſed illa ſola, quæ naturâ à Patre differunt. Unde perinde eſt, ac ſi diceret, Nullus homo, nullus Angelus, nullus legatus ad homines, ſed ſolus Deus. Hinc Act. 1. de illo die interrogatus ſimiliter refert ad Patrem: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Dicendo autem, *Non eſt veſtrum*, ſatis indicat, ſuum eſſe ſcire.

37. 38. SICUT AUTEM IN DIEBUS NOE, ſupple accidit, ITA ET 37. Sicut au-

tem in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis.

RIT ET ADVENTUS FILII HOMINIS, id est, ita tempore ejus adventus continget. Sic expressit hoc Lucas clarius c. 17. v. 26. nimirum erunt homines COMEDENTES ET BIBENTES, id est, genio & conviviis indulgentes: NUBENTES ET NUPTUI TRADENTES Græcè γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες, *ducentes uxores, & ad nuptias dantes*, hoc est, rebus jucundis hujus vitæ, & voluptatibus, more solito vacantes, sine ulla sollicitudine, ac timore futurorum. Non enim hîc arguit scelera, sed supinam illam suæ salutis securitatem: nam hoc postulat id, quod sequitur.

38. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam.

39. ET NON COGNOVERUNT, imminens sibi exitium diluvii, quod TULIT, seu abstulit & occidit, OMNES: quamvis esset à Noë prædictum & prædicatum; culpabilis enim eorum ignorantia & incredulitas taxatur: ITA ERIT ET ADVENTUS FILII HOMINIS, id est, similiter inexspectatus, quia vacabunt epulis, voluptatibus, lucris & negotiis hujus mundi. Unde Lucæ 19. additur in alia similitudine de diebus Loth, *Emebant & vendebant, plantabant & ædificabant*, id est, rebus terrenis toti immersi erant. Unde Apostolus: *Cùm dixerint pax*, scilicet præteritis malis, *& securitas*, scilicet à futuris, *tunc repentinus eis superveniet interitus*. Sed hîc meritò quærat aliquis, quomodo poterit esse tanta securitas hominũ, cùm tot mala præcessura dicantur: fames, bella, pestes, & maximè Sol obscurandus, &c. Resp. de impiis potissimùm hîc sermonem esse, qui inter medias afflictiones piorum vacabunt deliciis, sicut milites, dum alii vastantur. Addit Hier. mundum ante consummationem ab omnibus illis malis aliquandiu fore pacatum. Quæ verò v. 29. de obscuratione Solis & Lunæ, &c. dicuntur ea ipsa jam pertinent ad ipsum adventum Judicis.

39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis.

40. TUNC, in adventu Filii hominis, DUO ERUNT IN AGRO, nihil minùs quàm de die judicii cogitantes; DUÆ scilicet ancillæ ERUNT IN MOLA, id est, loco, in quo molitur, seu pistrino: hoc enim vilissimum servitii genus ad ancillas olim pertinebat, ut patet Exodi 11. versu 5. UNUS ASSUMETUR, scilicet sursum rapietur ad Filium hominis, ut indicat Lucas c. 17. v. 36. & 37. ET UNUS RELINQUETUR, id est, non rapietur. Significatur igitur in quacumque hominum conditione, sive liberorum, sive servorum, sive divitum, sive pauperum, sive vitæ contemplativæ, sive activæ, fore bonos & malos, alios salvandos, alios damnandos, nullam cujuscumque societatis habendam esse rationem, sed à se mutuò esse divellendos utrisque diem & horam fore prorsus incognitam. Unde concludit:

40. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur & unus relinquetur.

41. Duæ molentes in mola: una assumetur, & una relinquetur.

42. VIGILATE ERGO, id est proinde, si vobis consultum cupitis, diem illum semper præ oculis habete; ita vivendo, ne imparatos opprimat. Præcipitur enim hîc non vigilia corporalis, nec nuda memoria illius diei, sed memoria cum sollicitudine, inde nata, ut per vitæ probitatem ad illum parati simus. QUIA NESCITIS, QUA HORA, seu quo tempore, DOMINUS VESTER, Filius scilicet hominis, VENTURUS SIT, ad vos judicandos, ut præmium vel supplicium reddat. Itaque cùm dicit, *ergò*, insinuatum vo-

42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.

43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua

fuit, ut suprà annotavimus, & plerique veteres observant, hanc esse causam, cur dies, & hora illa nobis occulta maneant, ut scilicet perpetuò ad subeundum illud judicium parati maneamus: quod sine dubio non fieret, si præsciremus. Ne autem Apostoli putarent hoc solis hominibus, tunc victuris, dici, addit apud Marcum, *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate.* Nam eadem est ratio de die mortis uniuscujusque, in quo quisque à Deo judicatur: tempora enim diversa sunt, sed causa eadem, status idem. Unde ad eum, sicut ad diem judicii, omnis Christianus paratus esse debet, quia, ut Aug. Epist. 80. Imparatum inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies. Hanc porrò perpetuam vigilantiam exemplo boni patrisfamilias declarat, qui, SI SCIRET, QUA HORA, Græcè ποίᾳ φυλακῇ, *quâ custodiâ*, hoc est, quâ vigiliâ nocturnâ, quas olim quatuor à militibus excubantibus observatas fuisse alibi diximus, FUR VENTURUS ESSET, VIGILARET UTIQUE. Manca est ista similitudo, & supplenda, juxtà versum sequentem; hoc modo: Sed quia non potest hoc scire, quia furis conditio est, ut captet horam, quâ minimè exspectatur: hinc quoad fieri potest, ei semper vigilandum est. Unde concludit, applicando similitudinem.

hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domũ suam.

44. IDEO ET VOS ESTOTE PARATI. Quibus verbis explicat, quid sibi voluerit metaphora vigilandi. Vigilat autem, seu paratus est, qui eo semper statu est, ut placeat Deo & ipsi Deus: sic enim adventum Judicis non timebit, sed diliget, quacumque hora venerit. QUIA QUA NESCITIS HORA, Græcè efficaciùs ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε *quâ non putatis*, id est, non exspectatis, *horâ*, FILIUS HOMINIS, instar furis, VENIET, ad vos judicandos, sive in particulari judicio, sive universali. Hanc Christi parabolam alludendo imitati sunt & explicuerunt Apostoli: ut cùm Petrus Epist. 2. c. 3. dixit, *Adveniet dies Domini, ut fur*; & Paulus 1. ad Thessal. 5. v. 2. *Ipsi diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet:* & ipse Christus, Apocal. 16. v. 15. *Ecce venio sicut fur:* nimirum quia adventus ejus incertus, inopinatus, & plerisque inexspectatus est: ut sic, inquit Hier. pendulæ exspectationis incerto semper credant esse venturum, quem nesciunt, quando venturus sit. Quamvis autem in commune omnes ad indefessam vigilantiæ curam adhortatus fuerit, speciatim tamen Apostolis, hoc est, inquit Hilarius, populi Principibus, seu Episcopis, in exspectatione adventus sui sollicitudinem mandans addit,

44. Ideo & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est.

45. Quis putas, &c. Unde Ambros. in Præfat. lib. 5. de fide exponit hæc de Petro. Pro *Quis putas*, Græcè est, τίς ἄρα, id est, *Quisnam?* sic enim subjunde noster Interpres illud ἄρα, per *putas* reddit. EST FIDELIS SERVUS ET PRUDENS, &c. Ordo verborum est: Quis servus, quem constituit Dominus super familiam, &c. est fidelis & prudens, &c. Alludit autem ad divitem patremfamilias (cui se taciè hîc Christus comparat) qui peregrè proficiscens unum ex famulis præficit toti familiæ, Græcè ἐπὶ τῆς θεραπείας, *famulitio*, id est, famulis reliquis, quibus IN TEMPORE, scilicet

45. Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore?

opportuno, ſingulis ſive diebus, ſive ſeptimanis, DAT CIBUM, id eſt, alimentum congruum, quod eis debetur. Pro, *cibum*, Lucas c. 12. v. 42. dicit *tritici*, id eſt, frumenti, *menſuram*, Græcè uno verbo σιτομέτριον, quaſi diceres frumenti demenſum. Ubi alluditur ad antiquum morem, quo ſervis dabatur in ſingulos menſes certa frumenti menſura ad victum, quod vel à menſe, vel metiendo demenſum dicebatur, ex quo aliquid parcentes poterant augere peculium ſuum. Hic ergò œconomus, ſeu famulitio præpoſitus, quem Lucas *diſpenſatorem* vocat, debet eſſe *Fidelis & prudens*: fidelis ut non fallat: prudens, ut non fallatur: fidelis ut non ſua, ſed lucrum Domini, hoc eſt ſalutem familiæ ejus quærat: prudens, ut cum judicio illud faciat, id eſt, mediis utatur idoneis. Dicit igitur, *Quis putas*? q. d. quàm rarus eſt! Et ideò etiam.

46. Beatus ille ſervus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit ſic faciétem.

46. BEATUS ILLE SERVUS, quiſquis ille fuerit præfectus familiæ, id eſt, Eccleſiæ Chriſti, QUEM CUM VENERIT DOMINUS EJUS in fine ſive vitæ, ſive mundi, INVENERIT SIC FACIENTEM, ſcil. fideliter & prudenter incumbentem officio ſuo. Unde Auguſtin. Epiſt. 148. Nihil in hac vita difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Preſbyteri, aut Diaconi officio (qui omnes in populum officium habebant) ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator jubet.

47. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

47. AMEN DICO VOBIS: SUPER OMNIA BONA SUA, id eſt, non ſolùm ſuper famulitium, ſed quia fidelitatem ejus expertus eſt, ſuper omnes divitias ſuas, CONSTITUET EUM, penè parem ſibi. Quo ſignificatur præcellens beatitudinis gradus, qui fidelibus præfectis Eccleſiæ à DEO tribuendus eſt.

48. Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo: Moram facit dominus meus venire:

48. SI AUTEM MALUS ILLE SERVUS, ſuper familiam conſtitutus, DIXERIT IN CORDE SUO: MORAM FACIT DOMINUS, &c. id eſt, ex longa mora & abſentia Chriſti Domini longos vitæ annos, & impunitatem ſibi pollicendo.

49. Et cœperit percutere conſervos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis.

49. ET CŒPERIT PERCUTERE CONSERVOS, id eſt, cœperit non tantùm non fungi officio, ſed dominari velle in clero, abutendo poteſtate ſuâ in aliorum injurias ac tyrannidem; MANDUCET AUTEM AC BIBAT CUM EBRIOSIS, id eſt, commeſſationibus ac voluptatibus ſuis indulgeat, & ita Chriſti patrimonium prodigat. Ubi ad duo capita vitiorum revocantur omnia prætectorum crimina, ad voluptates & injurias, id eſt, ad flagitia & facinora: illa ad corrumpendum ſe, hæc ad nocendum aliis committuntur. Sed, ut Auguſt. lib. 3. de doctrina Chriſtiana c. 10. flagitia priora ſunt, & facinorum fontes: facinora enim committuntur, ut removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur.

50. Veniet dominus ſervi illius, in die qua non ſperat, & hora qua ignorat:

50. VENIET DOMINUS SERVI ILLIUS, ad judicium. Adhuc enim perſeverat Chriſtus in inculcanda incertitudine adventus ſui noviſſimi: ſub quo adventum ſuum ad judicandum unumquemque in hora mortis intelligit. IN DIE, QUA NON SPERAT, Græcè ἡ οὐ προσδοκᾷ, *quâ non exſpectat*: imò longè adhuc abeſſe putat.

51. ET DIVIDET EUM, à conſervis, id eſt, ſeparabit ab officio, & de familia ſua ejiciet. Idem enim ſupplicium ei infligitur, quod ſuprà c. 22. v. 13. invento ſine veſte nuptiali, qui è convivio ejectus fuit. PARTEMQUE EIUS PONET CUM HYPOCRITIS, id eſt, conditionem, ſortem, ac hereditatem ei talem dabit, qualem habent & merentur omnes impii, qui Hebraicâ proprietate *Hypocrita* vocari ſolent, ut patet Job 8. verſu 13. & alibi. *Pars* autem ſignificat ſortem ſtabilem alicujus, & conſequenter æternam, quam quaſi hereditatem ſibi aſſignatam poſſidet. Unde ſimili phraſi dicitur Job 20. verſu 29. & Job 27. verſu 26. *Hæc eſt pars hominis impii apud Deum:* & Pſal. 10. *Ignis, ſulphur pars calicis eorum.* Unde ſubito tranſitu à figura ſignificante ad rem ſignificatam, aperiens parabolam addit: ILLIC, in parte hypocritarum, ſeu impiorum, ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM, de quibus diximus cap. 13. v. 42.

51. Et dividet eum partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus & ſtridor dentium.

CAPUT XXV.

1. TUNC, nempe in illo meo adventu ad judicium. Nam ex concluſione, quæ hîc habetur verſu 13. patet eum proſequi idem omninò argumentum, quod cap. ſuperiori, verſu 42. inchoaverat: quo adhortatur tribus diverſis parabolis, furis, ſervi mali, ac decem virginum, ad perpetuam vigilantiam. SIMILE ERIT REGNUM CŒLORUM, Eccleſia mea, quæ ex hoc mundo collecta fuerat, DECEM VIRGINIBUS. Deſumptus eſt exterior cortex parabolæ ab antiquo ritu, quo ſicuti ſponſo juvenes, ut Judic. 14. verſu 11. ita ſponſæ honoris cauſa virgines addebantur, quæ ipsâ nocte nuptiarum in ſponſæ ædibus adventum ſponſi expectabant, & accenſo lumine prodibant obviam ſponſo venienti in domum ſponſæ, ut ipſe eam inde, cum virginibus lumen præferentibus, in ædes ſuas vel aliam convivii domum duceret, ubi noctu, ſicut moris erat, nuptiarum pompa celebraretur. Hinc fluxit Latina phraſis *ducere uxorem.* Itaque ad rem ſignificatam tranſeundo virginum decem nomine (quo nomine univerſitas exprimitur) ſignificantur non ſolæ, quæ continentiam profitentur, ut Chryſoſt. & alii voluerunt, ſed omnes animæ Chriſtianorum; non tamen qualeſcumque, ſed, ut Auguſt. Serm. 23. de verbis Domini, tales animæ, quæ habent Catholicam fidem, & habere videntur opera bona in Eccleſia Dei, id eſt, non apertè rebelles, ſed quæ profitentur aliquo modo bonis operibus ſeparare velle ad adventum ſponſi ad judicium. *Virgines* vocantur, ſive propter integritatem fidei, juxtà Apoſt. 2. ad Corinth. 11. v. 2. & 3. ſive propter continentiam à quibuſcumque corporis illecebris quam omnes profitentur. QUÆ ACCIPIENTES LAMPADES SUAS, nempe accenſas: infrà enim verſ. 8. conqueruntur eas extingui; ergò ardebant, ut obſervat Origen. & Hieron. Per *Lampades* ſignificatur fides, iiſdem auctoribus & Nazianzeno in fine Orat.

1. Tunc ſimile erit regnum cœlorum decem Virginibus: quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo & ſponſæ.

40. & Cyrillo Catech. 15. quæ accenditur, cùm operibus quo quo modo lucet: alioquin sine operibus extinguitur, hoc est, ut est Jacobi 2. versu 26. mortua est. EXIERUNT OBVIAM, id est, comparârunt se, ut occurrerent SPONSO, hoc est, corde expectaverunt adventum ejus, inquit August. Serm. cit. Ubi autem nos legimus, SPONSO ET SPONSÆ: Græcè tantum est τῷ νυμφίῳ, *sponso*, & aptiùs ad parabolam, ut ex supra dictis liquet, itémque ad rem significatam. Certum est enim per sponsum istum significari Christum. Eatenus tamen & sponsæ ibatur obviam, quia illa per virgines ad ædes sponsi deducenda erat.

2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes:

3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.

4. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

2. & 3. QUINQUE AUTEM EX EIS ERANT FATUÆ, &c. pars earum erant imprudentes, quæ scilicet rebus necessariis ad occursum sponsi non se instruxerant sicut prudentes. Fatuitas verò ista seu imprudentia in eo sita erat, quòd FATUÆ ACCEPTIS LAMPADIBUS, NON SUMPSERUNT OLEUM SECUM, scilicet in vasis suis, ut est versu seq. nempe distinctis à lampadibus: hoc est contentæ lampades suas quoquo modo lucere, non sibi providerunt de oleo, quod lampadibus, moram faciente sponso, infundi posset. *Oleum* istud est vera charitas, qua Deus & proximus diliguntur, quia ut oleum universis liquoribus, ita charitas reliquis virtutibus supereminet, eadémque nutrit & accendit fidem, & quasi, lampadem ardere facit. A quo non discrepat id, quod August. dicit *oleum* esse lætitiam conscientiæ, seu intentionem, quâ quis bonum facit: sola enim charitas est, quæ vero bono non laudibus hominum delectatur. Et quia charitas est mater operum verè bonorum, hinc eadem est ista interpretatio cum ea, quam dat Hieron. Hilar. Origen. Cyril. Nazianz. locis cit. quòd *oleum* sint opera bona. Hoc ergò oleo caruerunt fatuæ in vasis, quia cùm eis sufficeret lampades aliquo modo lucere coram hominibus, per externam pietatis speciem, operaque quædam sive ex timore, sive ex cupiditate rerum temporalium, aut laudis humanæ facta, non fecerunt provisionem IN VASIS suis, id est, in cordibus aut conscientia; provisionem, inquam, veræ & solidæ pietatis ac charitatis, ex qua benè operarentur, sicut prudentes fecerunt.

5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt.

5. MORAM AUTEM FACIENTE SPONSO, Christo scilicet differente adventum suum, ut Augustin. & Chrysostom. unde & Hieron. atque Hilar. moram istam volunt esse tempus pœnitentiæ, quod conceditur: DORMIERUNT OMNES, quòd sit nictando; ET DORMIERUNT, id est, prorsùs tandem in somnum inciderunt. *Dormitatio* sunt ægritudines, quibus redditur ad dormitionem: *Dormitio* verò seu somnus est ipsa mors fidelium. Unde Apostolus, *Nolo vos ignorare de dormientibus.* Omnes ergò & prudentes & imprudentes virgines hoc jam dicto intervallo moriantur.

6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.

6. MEDIA AUTEM NOCTE, quâ summa quies homines occupat: id est, eo tempore, quo minimè exspectabatur. Unde August. tam Serm. illo cit. 22. quàm lib. 83. Quæst. Evang. qu. 79. & Epist. 120. quibus omnibus locis hanc parabolam ex professo explicat, indicari simul putat obscuritatem illius diei, de qua antedixerat,

quòd de die illa & hora nemo sciret: Hieron. verò & Chrysost. indicatum volunt, Christum mediâ & intempestâ nocte ad judicium venturum. CLAMOR FACTUS EST, à præcedentibus sponsi comitibus Angelis, nempe clamor tubæ ac vocis illius magnæ, de qua Cap. præced. v. 31. ut sentit August. Epistol. illa citat. Significatur enim signum aliquod evidentissimum, & præclarissimum quod ante Domini adventum per totam mundi machinam personabit, & omnes è somno, hoc est, à mortuis excitabit. ECCE SPONSUS, quem tamdiu desideràstis & exspectàstis, VENIT: præsentis temporis est, id est, jam adest. EXITE OBVIAM ei, ut eum excipiatis, sicut decet.

7. TUNC SURREXERUNT OMNES VIRGINES ILLÆ, per corporum resurrectionem, ET ORNAVERUNT LAMPADES SUAS, seu composuerunt & aptarunt illas, ut quæque potuit: hoc est, inquit August. Serm. 22. citat. pararunt se, ut Deo redderent operum suorum rationem. Discutiet enim tunc quisque, ait ut Auctor Operis imperf. fidem suam, considerabit opera sua, interrogabit conscientiam suam. In quo examine cùm fatuæ se deficere sentirent, ad aliorum auxilium confugerunt, dicentes:

7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades suas.

8. DATE NOBIS DE OLEO VESTRO, quod scilicet in vasculis vobiscum tulistis, QUIA LAMPADES NOSTRÆ EXTINGUUNTUR, deficientibus videlicet jam laudibus hominum, cæterisque causis, propter quas antea operibus nonnullis bonis lucere videbantur. Nam, ut August. citat. quæst. 83. quorum facta alienâ laude (& judicio) fulciuntur, eadem subtracta deficiunt, & de consuetudine id semper inquirit animus, unde gaudere solet. Itaque hominum adjutorium implorant, eorúmque, qui corda non vident, testimonium habere volunt apud Deum, qui cordis inspector est. Sed

8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur.

9. RESPONDERUNT PRUDENTES: NE FORTE NON SUFFICIAT NOBIS ET VOBIS: nam in illo judicio trepidat etiam ipsa bona conscientia; vix enim sibi sufficit, ut sibi testimonium perhibeat, inquit August. Quis enim gloriabitur mundum se habere cor? Unde non desperationis, sed piæ humilitatis ista prudentium vox fuit. Ista verò, ITE POTIUS AD VENDENTES ET EMITE VOBIS, non consulentium, sed irridentium est responsio: ut etiam hoc August. notat: quasi dicerent, Antè tempus fuit & parandi olei, & juvandi vos, nunc est seriùs: ite nunc ad eos, quorum vel lampades, vel gratiam, vel judicium, vel aliud quid quærebatis, ut coram hominibus lucere videremini.

9. Responderunt prudentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis: ite potius ad vendentes, & emite vobis.

10. DUM AUTEM IRENT EMERE, id est, dum anxiæ sunt de remedio, VENIT SPONSUS, ad domum sponsæ, ET QUÆ PARATÆ ERANT, quantùm ad lampades & oleum, id est, quibus bonum coràm Deo testimonium perhibebat conscientia de fide non ficta & charitate sincera, seu operibus bonis, INTRAVERUNT CUM EO AD NUPTIAS, id est, domum & convivium nuptiale, gaudia scilicet æterna: & receptis omnibus, CLAUSA EST IANUA, numquam scilicet in æternum aperienda: non enim, ut inquit August. ibidem

10. Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.

post judicium patet precum aut meritorum locus.

11. Novissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

11. NOVISSIME VERO, &c. cùm jàm emendi olei tempus præteriisset, in magnis angustiis & afflictionibus constitutæ, redeunt ad implorationem Dei, dicentes: DOMINE, DOMINE, APERI NOBIS. Quæ ingeminatio magni affectus & anxietatis & pœnitentiæ, quamvis seræ, indicium est: nam tales fore tunc reproborum animos & affectus, testatur liber Sapientiæ cap. 5. vers. 3. & seqq. sicut & hîc infrà v. 44. Sed quia magna est ejus severitas post judicium, cujus antè ineffabilis misericordia prærogata fuit hinc respondens ait:

12. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.

12. NESCIO VOS, id est, non habebo vos pro meis. Non enim quasi ignoret, hoc dicit, sed ex illa regula, inquit Augustin. quæst. illa 49. qua non habet ars Dei, hoc est sapientia Dei, ut intrent in gaudium ejus, qui non coram Deo, ex sincera scilicet charitate, sed vel ut placerent hominibus, vel ex timore, vel cupiditate rerum temporalium, visi sunt aliquid secundùm ejus præcepta operari. Concludit igitur sicut cap. præced. v. 42.

13. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.

13. VIGILATE ITAQUE, scilicet in omnem diem & horam, hoc est, ut ibid. v. 44. ideo & vos estote parati semper, scilicet instructi lampade fidei, & oleo sinceræ charitatis, ex qua opera bona pullulent, ne fortè idem vobis contingat: QUIA NESCITIS DIEM NEQUE HORAM, qua venturus est sponsus ad judicandum & consequenter ad nuptias celebrandum: quod quia unicuique à morte incipit, hinc & illius diem & horam perinde nescimus. Quisquis igitur, inquit August. cit. qu. 59. paratus fuerit usque ad somnum, id est, usque ad mortem, paratus etiam invenietur cùm mediâ nocte clamor factus fuerit, quod omnes evigilaturi sumus. Ut autem Apostoli, & omnes intelligerent, quo pacto vigilare & separare deberent ad illum novissimum diem, subjungit aliam parabolam.

14. Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua.

14. SICUT ENIM HOMO PEREGRE PROFICISCENS, &c. nam illa causalis particula indicat hanc parabolam eodem omninò spectare. Quia verò pendet oratio imperfecta, & nihil respondet illi voci, *sicut*, hinc tali modo supplenda est: Sic enim se habet regnum Dei, *sicut homo peregrè*, &c. vel sic agètur cum hominibus, cùm judex ille venerit, sicut si homo distribueret servis ad negotiandum bona sua, & peregrè profectus postea rationem ab eis repeteret, &c. *Homo* igitur iste sine dubio Christus est, qui *peregrè profectus* dicitur, propter visibilem præsentiam subtractam Ecclesiæ, & in primis propter diuturnam quasi susceptæ alicujus peregrinationis absentiam. ET TRADIDIT ILLIS, servis, BONA SUA; non ut ea sibi servarent, sed ut ex eis negotiarentur, hoc est lucrum facerent, videlicet profectum & augmentum regni Domini sui. Per *Bona*, quæ inferiùs vocantur *Talenta*, quidam intelligunt etiam naturale ingenium, cæteráque naturalia dona, ut August. lib. De vera relig. c. 54. & Ambr. in Luc. sed ut appareret, nimis diffusè; nam agi videtur hîc de bonis, quæ Christus propriè dat servis, id est, fidelibus suis: neque illa naturalia dan-

tur secundùm propriam virtutem, ut est, versu 15. Alij etiam intelligunt gratias gratum facientes, & comprehendunt charitatem cum fide & spe, dona timoris, fortitudinis, &c. Sed nec illa dantur secundùm propriam virtutem; & versus 27. convincit agi de donis, quæ in alios expenduntur. Itaque quamvis ad quælibet hujusmodi dona quadam affinitate hæc parabola extendi possit, propriè tamen & directè per *Bona* & *Talenta* intelligi videntur ea dona, quas gratias gratis datas vocamus, quæ in utilitatem aliorum conferuntur, ut sunt auctoritas, præfectura, sacerdotium: cujusmodi enumerat Apostolus ad Ephes. 4. v. 11. ut esse Apostolum, Prophetam, Evangelistam, &c. & 1. ad Corinth. 12. sermo sapientiæ, scientiæ, fides, operatio virtutum, &c. ita Chrysost. & Hier. hîc, & indicat Just. contra Thiphonem & Nazianz. Orat. 26.

15. ET UNI DEDIT QUINQUE TALENTA, scilicet auri vel argenti, de quo vide dicta cap. 18. v. 24. ALII AUTEM DUO, ALII UNUM. Super quâ numeri diversitate multi diversa philosophati sunt; sed revera nihil aliud significari videtur, nisi varia esse dona Christi, nec omnibus æqualia committi, sed uni plurima, aliis pauciora, aliis paucissima & minima. UNICUIQUE SECUNDUM PROPRIAM VIRTUTEM, Græcè δύναμιν, id est, juxtà potestatem seu vires, ut Hier. nempe naturales vel supernaturales: hoc est, non temerè ea dedit, sed prout videt quem que esse idoneum, peritum & industrium ad utendum per quod non meritum donorum illorum, sed capacitas tantùm significatur, quam plerumque Christus attendere solet, ut conferendo autoritatem prædicandi, regendi, &c. illis, qui per aliud ejus donum præstant prudentiâ, eloquentiâ, vel scientiâ, &c. Nam si qui fortè inepti in Ecclesia similem auctoritatem obtinent, non tam eis Christus illam sua voluntate dedit, quam ipsi sibi eam importunitate rapuerunt. ET PROFECTUS EST STATIM, ut absente Domino magis uniuscujusque libertas ac diligentia quali extrà oculos Domini probaretur.

15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim:

16. ABIIT AUTEM QUI QUINQUE ACCEPERAT, ET OPERATUS EST IN EIS, id est, negotiari cœpit per ea, seu expendere dona Christi in salutem proximorum, & gloriam Domini sui, ET LUCRATUS EST ALIA QUINQUE, id est, duplum, quod in rationibus mercatoris maximum lucrum est, qu. d. insigni diligentiæ atque industria donis usus est, ita ut fructum proferret uberrimum.

16. Abiit autē qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.

17. SIMILITER ET QUI DUO ACCEPERAT: nam & mediocribus donis præditi, imò & minimis, possunt summum fructum facere, pro modulo doni sibi concessi:

17. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

18. QUI TANTUM UNUM ACCEPERAT, ABIENS FODIT IN TERRAM. Apud Luc. dicitur ligasse in sudario, per quæ duo August. loco citat. intelligit terrenis voluptatibus vel delicatis ac superfluis rebus involutum gerere; quod videtur ad allegoriam accedere: nam ex exprobratione Domini versu 27. colligitur, nihil aliud esse, quàm ex pusillanimitate vel inertiâ otiosum hærere, seu gratiam Dei in vacuum accipere, ut loquitur Paulus 2. Corinth. 6. nempe donum Dei ad negotiationem salutis aliorum, &

18. Qui autē unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

gloriæ Domini promovendæ non producere, cùm deberent. Quamquam enim etiam lucrari duplum posſit, qui unum talentum accepit, & otiari ille, qui quinque; exempli tamen causâ ista ponuntur, ut inde intelligatur, quantò magis improbandus sit, si ille, qui quinque talenta, vel duo acceperit, defodiat, & probandus, qui unum, id est, minima accepit, illud tamen lucrando duplicaverit.

19. Post multum verò temporis venit dominus illorum, & posuit rationem cum eis.

19. POST MULTUM VERO TEMPORIS, præsentis videlicet totius sæculi decursum: insinuatur enim tempus à Christi ascensione, inquit Hieron. usque ad judicium, & simul longanimitas Domini expectantis. VENIT DOMINUS ET POSUIT RATIONEM CUM EIS: nam, ut Gregr. Hom. 29. in Evang. cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Cui enim multum datum est, multum petetur ab eo. Eâ quippe lege data esse indicat hîc apertè Christus, ut non sint simpliciter nostra, sed ut eorum reddenda sit ratio.

20. Et accedens qui quinq; talenta acceperat obtulit alia quinque talenta dicens: Domine: quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinq; superlucratus su.

21. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

20. & 21. ET ACCEDENS, &c. AIT DOMINUS, tam ei, qui alia duo quàm qui alia quinque, præter accepta, superlucratus fuerat: EUGE SERVE BONE: Græcè εὖ, *Benè & Rectè*: unde Latinum *Euge* formatum est, vox laudantis & congratulantis de bene functo officio: ET FIDELIS, (*Et*) exegeticum est, q. d. bone in eo, quia fuisti fidelis, non tua scilicet, sed domini lucrum quærens, SUPER PAUCA, quæ tuæ fidei concredita fuerant. Nam dona quamvis maxima sint & plurima hujus vitæ, comparatione futurorum, inquit Hieronym. parva & pauca sunt. SUPER MULTA TE CONSTITUAM, quod suprà c. 24. v. 47. dixerat, *super omnia bona sua constituet eum*, administranda scilicet & possidenda: erit enim coheres Christi, & heres Dei, id est, infiniti boni & gaudii ejus. Unde explicans id quod dixerat, addidit: INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI, id est, sis ejusdem gaudii particeps cum Domino tuo, & consequenter ejusdem possessor regni, gloriæ & affluentiæ; nam gaudium est quies animi de possesso bono: unde hoc verbo, ut vult Chrysost. universam beatitudinem significat. Observat autem August. Tract. 25. in Joann. dictum esse, *intrà*, quia intùs in animo est magnum penetrale, & dulce secretum, sine tædio, sine amaritudine multarum cogitationum, sine interpellatione tentationum ac dolorum, ubi de isto intimo secretissimóque bono gaudetur. Adde, intrari, quia Deus major est corde nostro. Qui autem unum acceperat, ait:

22. Accessit autem & qui duo talenta acceperat & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

23. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem & qui unũ talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti & con-

24. DOMINE SCIO, QUIA HOMO DURUS ES: id est, noveram te esse severissimum in exigendis iis, quæ tibi quoquo modo deberi putas, imò quasi raptorem eorum, quæ non debentur, quia METIS, UBI NON SEMINASTI, &c. & consequenter ubi nihil tuum est. Videtur enim adagium fuisse, de hominibus avarissimis, quibus bonus est odor lucri ex re qualibet. Depingitur autem hîc symbolicè excusatio multorum, qui pigritiæ suæ causam tum hîc, tum in futuro judicio in Deum conjicient, ut quod Deus nimis severus & intractabilis sit, cui sit servire dif-

ficile; qui reprobet, quos voluerit; qui graviora jubeat, quàm imbecilla hominis natura ferat; qui gratiam obediendi neget, & ita vult metere ubi non seminavit, & similia.

25. Hâc itaque indole tuâ considerata, TIMENS, varios negotiandi casus, ne fortè scilicet vel nihil assequendo lucri, vel minùs, quàm speres, vel ipsam sortem amittendo te offenderem. ABSCONDI TALENTUM TUUM IN TERRA, ut tibi sine periculis totam sortem tuam salvam servarem, id est, nolui mihi rem esse cum tua negotiatione tam periculosa. ECCE HABES QUOD TUUM EST; q. d. Non habes quòd de me conqueraris, aut ampliùs postules.

25. Et timens abii, & abscondi talentum tuũ in terra: ecce habes quod tuũ est.

26. RESPONDENS AUTEM DOMINUS, DIXIT EI: SERVE MALE, in calumniando & accusando Domino tuo, ut te excuses, ET PIGER, in negotiando, SCIEBAS QUIA METO UBI NON SEMINO, &c. id est, si noveras duritiam & avaritiam illam meam, ut metam ubi non seminavi, quare non istiusmodi cogitatio, inquit Hieronymus, tibi incussit timorem, ut scires & vereris, me meâ multò diligentiùs repetiturum, nempe exigendo id à te, quod tibi ad erogandum aliis, id est, ad negotiandum, dederam? Loquitur enim non quasi concederet, calumniam esse veram, sed juxta opinionem servi retorquet argumentum. Unde in simili parabola apud Luc. cap. 19. v. 22. dicitur, *De ore tuo te judico, serve nequam.*

26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male & piger, sciebas quia meto ubi non semino, & congrego ubi non sparsi:

27. OPORTUIT ERGO: q. d. Si meto, ubi non semino, quantò magis metere volo, ubi seminavi, dando tibi pecuniam meam, ut per te cresceret. OPORTUIT ERGO TE COMMITTERE PECUNIAM MEAM NUMMULARIIS, id est, fœneratoribus, qui nummos accipiunt ab hominibus pecuniosis, promisso certo lucro, ut eos aliis mutuando multò plura lucrentur. Est autem via ista lucrandi tutissima & facillima: unde taxatur hîc servus, quòd ne tantillum quidem industriam adhibuerit ac tentaverit, ad afferendum aliquid lucri v. g. proximos monendo, consulendo, fraternè corripiendo, &c. Sed quia homines dicere solent, non obtemperassent mihi, nihil profecissem, & similia, respondet Dominus: Nihil hoc ad te, tuum erat pecuniam meam aliis credere. ET VENIENS EGO, reversus scilicet peregrè ad audiendas omnium rationes; RECEPISSEM UTIQUE, seu recuperassem à fœneratoribus id, QUOD MEUM ERAT, CUM USURA, hoc est, lucro.

27. Oportuit ergo te committere pecuniam meã nummulariis, & veniens ego recepissem utiq; quod meũ est cum usura.

28. TOLLITE ITAQUE AB EO TALENTUM, omnibus Spiritus sancti donis eum spoliando: ET DATE, similia dona, non jam ad fructificandum in aliis, sed ad gaudii, honoris & gloriæ cumulum, EI, QUI HABET DECEM TALENTA: sic enim Sancti in cœlo omnis generis dotibus fulgebunt, ut omnia reproborum dona in ipsos transfusa videantur. Hic ergo non tam verbis quàm rebus ipsis refutat calumniam servi pigri, dum neque talentum seu sortem, neque lucrum cujusquam servi in suam, sed in ipsorum salutem & gloriam vertit.

28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta:

29. OMNI ENIM HABENTI, id, quod debet habere; sub quo hîc propriè usus bonus donorum Dei intelligitur. Unde August. *Omni habenti*, inquit, id est, benè utenti, id, quod habet,

29. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non

habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

DABITUR adhuc ampliùs remunerationis loco, ET ABUNDABIT, &c. Vide dicta cap. 13 v. 12. De tenebris verò exterioribus, fletu, & ſtridore ſervi inutilis ſeu otioſi, id eſt, qui propter ſolam inertiam, ſeu negligentiam utendi donis Dei ſibi conceſſis, reprobatus eſt. Vide c. 8. v. 12.

30. Et inutilẽ ſervum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & ſtridor dentium.

31. CUM AUTEM VENERIT FILIUS HOMINIS. Hîc jam incipit gratificè & magnificè depingere ipſam formam, quâ cùm ſervis ſupradictis rationem poſiturus eſt, hoc eſt, ipſum illum adventum & judicium deſcribere, ad cujus perpetuam exſpectationem variis parabolis vigilantiam noſtram excitaverat. *Cùm ergò venerit*, ſeu apparuerit mundo, *Filius hominis*; eadem ſcilicet hominis forma, qua nunc apparet contemptibilis, ſed tunc IN MAIESTATE SUA, Græcè ἐν τῇ δόξῃ, *in gloria*, quæ ei tamquam Filio debetur: ET OMNES ANGELI, omnes omninò cœlis evacuatis, inquit Chryſoſt. idque viſibili formâ, ut ſuprà ex Greg. audivimus, CUM EO, partim honoris, partim miniſterii, partim teſtimonii causâ de geſtis hominum, quibus adminiſtratorii ſpiritus fuerunt. Poſt biduum ergò Paſcha facturus & paſſurus præmittit gloriam triumphantis, ut animos diſcipulorum tacitè præmuniret & ſcandalum crucis compenſaret, ut notat Hieron. TUNC, referendum hoc ad omnia ſequentia, *ſedebit, congregabuntur, ſeparabit, ſtatuet*, &c. SEDEBIT SUPER SEDEM MAIESTATIS SUÆ: Græcè ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, *ſuper thronum gloriæ ſuæ*, id eſt, glorioſum & regium tribunal, quod jam nemo contemnat. Hanc ſedem Orig. vult eſſe Sanctorum virtutes: Auctor Operis imperf. & Beda Eccleſiam jam glorificatam: alii Angelos, qui peculiariter dicuntur *Throni*; quæ omnia ad allegoriam videntur accedere. Rectiùs fortaſſe nubes illuſtriſſima & gloria, cum qua venturus promiſſus eſt, & per quam olim Deus majeſtatem ſuam declarare ſolebat.

31. Cum autẽ venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cũ eo, tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ:

32. ET CONGREGABUNTUR ANTE EUM: in locum ergò definitum, contra Orig. nam ſi ſparſi per mundum remanent, Can. 23. putat eſſe paſſionis, alii aſcenſionis, montem ſcilicet Olivarum, ex Zachar. 14. v. 4. qui fortè de alia re loquitur: alij Vallem Joſaphat, ex Joëlis 10. v. 2. & 12. ubi certum eſt de judicio agi. Sed revera omnes iſti conveniunt: non inter montem Olivarum & Calvariæ Vallis Joſaphat & antiqua Jeruſalem interjecta eſt; ita ut judice ſuper montem Olivarum, unde deſcendit, iterum aſcendente, Vallis iſta Joſaphat, & Jeruſalem, mons Calvariæ in conſpectu ſint; Vallis autem Gehennon, quæ inferni eſt typus, ad ſiniſtram. Neque quemquam anguſtia loci moveat: electi enim rapientur obviam Chriſto in aëra, reliqui erunt in illa valle in circuitu, ut dicitur citat. cap. 3. Joëlis verſu 12. ut Jeruſalem ſit teſtis prædicationis, mons Calvariæ paſſionis, Oliveti aſcenſionis, loca in circuitu laborioſæ converſationis. OMNES GENTES, ita ut comprehendat etiam omnium gentium & ætatum homines; contra aliquos, qui ſolos Chriſtianos judicandos putarunt. ET SEPARABIT EOS AB INVICEM; non gentes integras, quod præceſſit, ſed homines ſingularum gentium, miniſterio ſcilicet An-

32. Et congregabuntur ante eũ omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hœdis:

gelorum, ut capite 13. versu 49. SICUT PASTOR, vesperi reversus ab agro, SEGREGAT OVES AB HŒDIS; qui mixtim toto die in agro, sicut boni & mali in mundo, pasti fuerant, ut tunc tandem in diversis stabulis collocentur.

33. ET STATUET, OVES QUIDEM A DEXTRIS, ET HŒDOS A SINISTRIS: id est, illos loco honoratiori, hos abjectiori, quicumque ille locus fuerit. Nam cùm Paulus sit testis, electos in aëra piendos, verisimile est, reprobos in terra mansuros. Porrò *Oves* vocantur boni seu electi, propter mansuetudinem, patientiam, simplicitatem, & innocentiam, ut Chrysost. item propter fructum, quem adferunt, ut Hilar. & Theophyl. *Hœdi* verò reprobi, ut idem Chrysost. propter libidinem, qua fervent, præ cæteris animalibus, propter rixas, itémque gulam, ob quam non recta via, sed per præcipitia solent incedere: adde in primis propter fœtorem & immunditiam vitæ.

33. Et statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

34. TUNC DICET REX. Ante descriptam majestatem se Filium hominis dixerat, nunc Regem, quia Regis est regnum donare, & ab eo proscribere, salvare ac damnare. Ac primò quidem dicet, HIS, QUI A DEXTRIS EIUS ERUNT, quia sponte benefacit, invitus punit; ideo pronior ad salvandum, quàm ad damnandum. VENITE, id est, mihi vos jungite, æterni regni jam possessori; invitatio est enim teneri affectus & favoris. BENEDICTI PATRIS MEI, seu à Patre meo, ad quem omnia sua Christus referre solet, hoc est quibus, benedixit Pater meus, cujus benedicere non est aliud quàm benefacere. Datur enim tacita ratio, cur ad se venire, & ad regnum possidendum invitentur, nempe amor & favor Dei Patris, qui auctor fuit & electionis & prædestinationis, & beneficæ benedictionis ipsorum, sive omnium beneficiorum, quibus ad salutem perducti sunt. POSSIDETE, Græcè κληρονομήσατε, hereditate, seu hereditario jure & stabiliter accipite: nempe, ut Chrysostom. quasi proprium, quasi paternum, quasi vestrum, ut filii patris, heredes ejus, coheredes mei, qui titulus hereditatis in filiis adoptivis nullo modo excludit merita. PARATUM VOBIS, seu præparatum, id est, prædestinatum, non quodlibet bonum, sed REGNUM cœlorum, cujus complexu tota beatitudo comprehenditur: regnum, inquam, non nuper paratum, sed A CONSTITUTIONE MUNDI. Apostolus nos electos dicit, ad Ephes. 1. ante constitutionem mundi: plus ergò significat quàm dicit, ut scilicet per longissimum rei creatæ spatium æternitatem captui hominis infirmo insinuet.

34. Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratũ vobis regnum à constitutione mundi.

35. ESURIVI ENIM. Causa datur non verbi, *paratum* sed *possidete*, id est, non præparati, seu prædestinati regni; neque enim propter opera eis prædestinatum fuit: sed jam jam possidendi, quia propter opera velut merita electis reipsa regnum conferetur. Quem esse hujus loci sensum probat manifestè versu 41. & 42. ubi similiter propter opera reipsa reprobi damnabuntur. Cùm ergò præparatio regni, seu prædestinatio sit causa benedictionis divinæ, & bonorum operum, seu meritorum, sensus videtur huc redire: Regnum

35. Esurivi enim & dediſtis mihi manducare: ſitivi & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & collegiſtis me:

quod vobis ab æterno prædestinatum fuit, reipsa jam occupate, eo quòd curaveritis, ut isti prædestinationi divinæ, bonis moribus & operibus responderetis, & aptaremini, seu, ut S. Petrus dicit, quia satis egistis, ut per bona opera certam vestram electionem faceretis. Itaque *Esurivi*, in membris meis. Tota enim Ecclesia, & Christus tamquam caput ejus, unum est completum corpus, in quo fit capiti, quod corpori fit, & contrà. Quod Augustin. explicat similitudine corporis humani, ubi si pes calcatur, lingua clamat, calcas me. Hinc Paulo Christus, Ecclesiam, seu corpus ejus persequenti, *Quid me persequeris?* ET DEDISTIS MIHI, Regi vestro fame presso, MANDUCARE: tacitè enim datur ratio, cur hujusmodi opera tantum præmium, regnum scilicet, mereantur, quia tanto Regi istius regni facta sunt: nempe non solùm, quia intuitu ejus facta sunt, sed ipsimet in membris ejus: in quo mirabilis elucet benignitas Dei. Exprimit enim hîc Christus unam tantùm speciem bonorum operum scilicet misericordiæ, loco omnium, quemadmodum in exemplis fieri solet. Non enim erit una omninò causa salutis, vel perditionis omnium, quemadmodum jam suprà patuit ex parabola de talentorum usu, vel neglectu; sed diversa diversorum, quæ Christo sive pronuntiante, sive revelante ab omnibus respectu singulorum cognoscetur. Fiet enim, inquit August. lib. 20. de Civit. cap. 14. virtute divinâ, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur, & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur, ut accuset, vel excuset, scientia conscientiam. Et hoc sensu Apocal. 20. v. 12. dicuntur libri aperti. Sed quare ista species operum præ cæteris hîc exprimuntur? Partim, quia opera dilectionis proximi & facilia sunt, & obvia, & ad omnes omninò fideles spectant, quibus inculcanda erant; nam hac etiam de causa solorum fidelium judicium descriptum est: partim ut inde colligeremus, quanto præmio opera sublimiora remuneranda sint: partim denique, juxta August. in quodam Serm. de Eleemos. quia, ut Scriptura dicit, *Judicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.* Nulli enim ibunt in regnum, inquit, quia non peccarunt, sed quia peccata sua redemerunt eleemosynis.

36. Nudus, & cooperuistis me: infirmus & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes Domine, quando te vidimus esurientem, & pavimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?

38. Quando autem te vidimus hospitem, & colligimus te: aut nudum, & cooperimus te;

39. Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

HOSPES ERAM, id est, peregrinus sine domicilio in terra aliena, ET COLLEGISTIS ME, id est, in hospitium induxistis.

36. IN CARCERE ERAM, ET VENISTIS AD ME, sive ad redimendum, sive saltem ad consolandum. Ad hæc dilectionis opera reducenda sunt alia multa, quæ Christus non expressit, sive corporalia, ut sepelire mortuos, sive spiritualia.

37. TUNC RESPONDEBUNT EI IUSTI: illi maximè, qui Christum numquam in carne viderunt. Respondebunt autem non tam ore, quàm animo, quia visâ tanta judicis humanitate, quem nisi his verbis edocti numquam fuissent ausi sibi arrogare, incidet eis in mentem cogitatio de rei tam insolitæ veritate. Similiter quoque uniuscujusque cogitationi

40. RESPONDENS REX DICET, &c. QUAMDIU, Græcè ἐφ' ὅσον, *in quantum*, seu quatenus, FECISTIS UNI EX FRATRIBUS MEIS, utpote filiis quoque Dei licet adoptatis, MINIMIS, utpote pauperibus, & qui propter inopiam, atque afflictionem tali subsidio indiguerunt. Quos *minimos* vocat, ut Origen. notat, tum quòd in oculis suis essent humilitate minimi; tum quòd mundo etiam Christiano despecti. Ubi meritò ponderat Auctor Operis imperfecti extremam Christi benevolentiam, qui etiam in throno suæ majestatis sedens contra mores hujus mundi non erubescit pauperes non modò pro suis, sed & pro fratribus agnoscere. MIHI FECISTIS, id est, perinde habeo, ac si mihi esset factum indigenti; imò *mihi*, quia intuitu meo & membro meo. Decet enim his verbis tacitè, quâ consideratione eleemosynæ nostræ fieri debeant pauperi, & animus ad eas excitari, nempe considerando afflictum non modò tamquam pauperem, sed tamquam Christianum, filium Dei, fratrem & membrum Christi sicut suprà diximus c. 18. v. 5. *in nomine meo*, & cap. 10. versu 42. *in nomine discipuli*, & hîc *mihi*.

40. Et respondens rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41. TUNC DICET ET HIS, QUI A SINISTRIS ERUNT: post absolutam pro electis sententiam, quibus dixerat, VENITE, dicet reprobis: DISCEDITE A ME, qui sum justitia, vita, salus, beatitudo, summum bonum, discedite videlicet tamquam mihi prorsus dissimiles: quos, ut Auctor Operis imperf. propter immunditiam & horrorem vix tamdiu sustineam, quamdiu in judicio meo statis. His ergò verbis pœna damni infligitur; sequentibus pœna sensus. MALEDICTI: non addit PATRIS MEI, sicut justis dixerat, quia maledictionis, ut Chrysost. & Orig. notant, auctor non est Deus, sed uniuscujusque improbitas, IN IGNEM ÆTERNUM, id est, supplicium ignis nullo fine terminandum, prout fides habet, & Augustin. defendit adversùs errorem Origenis & Priscillianistarum, libro adversùs illos scripto cap. 5. & 6. & patet hîc ex v. ult. Nomine *Ignis*, tamquam efficacissimæ & summopere penetrantis activitatis, omnes omninò pœnæ sensibiles comprehenduntur. QUI PARATUS EST, non hominibus, aut vobis, sed DIABOLO, omnium reproborum spirituum principi Lucifero puniendo, ET ANGELIS EJUS, dæmonibus cæteris, qui Angeli ejus vocantur, tum quòd ab eo seducti apostatanti à Deo inhæserunt, tum quòd in eos veluti naturâ & improbitate subditos, imperium tenet, eis utens velut ministris ad hominum perditionem. Diabolo autem & Angelis ejus, non hominibus, paratum ignem dicit, quia ante peccatum, imò creationem hominis, diabolo puniendo paratus fuit: homini verò non nisi consequenter, & post contemptam pœnitentiam, quia se perseveranter diaboli consortem fecit. Itaque continetur his verbis gravis exprobratio, quòd scilicet contemptâ salute, per Evangelium suum oblatâ, diabolo ad ignem damnato potiùs, quàm sibi adhærere maluerint, cùm tamen ipsis licet peccantibus iterum regnum suum obtulisset.

41. Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

42. ESURIVI ENIM ET NON DEDISTIS, &c. Sola peccata omissionis, & quidem operum charitatis eis imputat: idque partim,

42. Esurivi enim & non de-

distis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi potum:

quia illa à plerisque parvi fieri, imò nec peccata haberi solent. Unde, ut August. in quodam Serm. de eleemosynâ, tacitè sensus est: Non pro criminibus tantùm, quæ & vos agnoscitis, vos condemno, sed etiam quia *esurivi, & non dedistis mihi manducare*: partim quia, ut ibidem notat, per illa opera multi liberari potuissent, aliorum peccatorum rei, si eleemosynis ea redemissent: partim denique, quia sub illis facilè graviora commissionis peccata, & judicium eorum intelligi potest. Quam enim spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt? ut August. Serm. 38. de Sanctis.

43. Hospes eram, & non collegistis me; nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.

44. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitantẽ, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministravimus tibi?

44. TUNC, cùm longè aliter sentient sua opera ponderari, quàm cogitaverant, & se etiam contempti ipsius judicis argui, RESPONDEBUNT ET IPSI, DOMINE, QUANDO TE VIDIMUS, &c. Respondebunt hoc ex inveteratâ illâ superbiâ videlicet non tam discendi, quàm negandi causâ; neque tam se excusando, quàm judicem accusando, quasi immeritò hoc scelus illis imputantem. Unde Auctor. imperf. In judicio stant, & adhuc peccare non cessant. Utrique ergò & electi & reprobi dicunt eadem verba, sed dispari affectu. Utraque enim & humilitas & arrogantia putat se fecisse, quod fecit: illa enim bonorum suorum ignara est, hæc malorum.

45. Tunc respondebit illis dicens: Amen dico vobis: quamdiu non fecistis uni de minoribus his: nec mihi fecistis.

46. Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.

46. ET, id est, itaque, IBUNT HI: q. d. Itaque istæ sententiæ judicis non inanes erunt, sed nullâ pœnitentiâ mutandæ, nulla appellatione suspendendæ, mox sortientur effectum suum, ut hi eant IN SUPPLICIUM ÆTERNUM: Græcè κόλασιν; quod propriè non ignem, vel rem affligentem, sed ipsam afflictionem, pœnam aut cruciatum denotat: Unde August. serm. 14. de verbis Apostoli, & lib. de spiritu & littera cap. 33. legit *ambustionem*. Significatur ergò isto verbo, ut idem notat lib. de fide & operibus cap. 15. ubi legit *combustionem*, non solùm locum supplicii, vel ignem, sed ipsam operationem ignis æternam in eos futuram, quotquot à sinistris fuerint. Unde sicut ille refutat illos, qui putabant aliquos v. g. parvulos in ignem quidem, vel locum ignis æterni ituros, ita tamen ut ab illo non affligantur, ut ita æternitas ipsius cruciatus enervetur. JUSTI AUTEM IN VITAM ÆTERNAM, sine fine fœlicem, ut exponit August. lib. 6. de civit. cap. ult. Nam si anima vivit in pœnis æternis, mors potiùs illa est dicenda, quàm vita: nulla quippe major & pejor est mors, quàm ubi non moritur mors. Cùm autem anima, quia immortalis, sine qualicumque vita etiam in pœnis esse non possit, summa mors ejus est alienatio à vitâ Dei in æternitate supplicii, prout ibidem explicat Augustinus. Unde ipsa beatitudo æterna creaturæ rationalis, vocatur Vita æterna, phrasi Scripturis propriâ, ut idem tradit 14. de civit. cap. 11. Hac ergò sententia, sicut explicat, quid sit regnum illud Sanctis paratum, scilicet vita æterna, ita & quid sit ignis diabolo paratus, scilicet supplicium seu cruciatus. Utrumque autem perinde æternum dici, notat Augustinus cap. 6. contra Priscillianistas, & Origenistas erga diabolum mi-

ſericordes, ne, inquit, cùm diaboli pœnas dolemus, etiam de regno Chriſti dubitemus. Si enim falſa minatus eſt Chriſtus, ut ab injuſtitia corrigeret, etiam falſa pollicitus eſt, ut ad juſtitiã provocaret, ſicut addit Greg. 4. dialog. cap. 44. Quomodo autem poſſint damnati eſſe in perpetuis ignis pœnis, & tamen ſemper vivere, vide Auguſt. explicantem lib. 21. de civit. c. 3.

CAPUT XXVI.

1. CUM CONSUMMASSET JESUS SERMONES HOS OMNES, de excidio templi, urbis, orbis ſuoque adventu & judicio: quamquàm non deſint, qui omnes ſermones hactenus in hoc libro ſcriptos intelligant, ut indicetur Chriſtum hactenus egiſſe doctoris officium nunc aggredi redemptoris. Dixit: SCITIS QUIA POST BIDUUM PASCHA FIET, ſcilicet prima dies azymorum, ut ex Marco patet, tamquam feſtum omnibus publicè notum. Dixerat autem Chriſtus præcedentes ſermones jam egreſſus Jeroſolymis ſub veſperam; igitur in fine feriæ tertiæ. Poſt illam ſequitur biduum ante Paſcha, feria ſcilicet quarta & quinta, in cujus fine agnus immolabatur, & ſequebatur eam feria ſexta, ſolemniſſimus Paſchatis dies. *Paſcha* vox eſt Chaldaïca, quæ Hebraïcè פסח, *Pésach* dicitur, id eſt, *Tranſitus*, ſeu potiùs *Tranſultus*, à פסח *Paſách*, *Tranſilire*. Hinc illa vox propriè, & ante omnia ſignificat illum tranſitum, ſeu tranſultum, quo Angelus percutiens primogenita, domos Hebræorum ſparſim poſitas, & illitas agni ſanguine, tranſiliebat, & irruebat in domos Ægyptiorum, iſta enim ratio redditur Exodi 12. v. 23. Inde transfertur ad ſignificandum ipſum agnum Paſchalem, veluti victimam illius tranſitus, ut ibidem v. 31. & 34. & Lucæ 22. v. 7. diem, in qua neceſſe erat occidi Paſcha, & ulterius diem feſtum in memoriam tranſitus inſtitutum, ut hoc loco, ſicut patet ex Lucæ 22. v. 1. denique ſignificat varias hoſtias, illo & ſequentibus diebus immolandas, ut patet Deuteron. 16. v. 2. ET FILIUS HOMINIS, illo die, TRADETUR Gentibus, à Judæis, ſicut jam aliquoties prædixerat, ut cap. 20. v. 19. quamvis & traditio Judæ hîc intelligi poſſit. In primo ſenſu illud, UT CRUCIFIGATUR, ſignificat finem, in ſecundo tantùm eventum. Hac ergò prædictione etiam diei paſſionis ſuæ præmunit diſcipulos, ne ſcandalo crucis turbarentur; ne putarent eum rerum remotiſſimarum eſſe conſcium, & ſibi impendentium ignarum; ne ſuſpicarentur eum invitum pati, ſed potiùs ſcirent eo ſe occidendum die, quo ipſemet vellet, non quo Judæi vellent, cùm ipſi diem iſtum ſtudiosè vitarent, ut ſequitur v. 5.

1. Et factum eſt: cùm conſummaſſet Jeſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis:

2. Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur.

3. Tunc, nempe ſub idem tempus, quo mortem prædixit: hoc enim concilium ſacerdotum congregatum fuiſſe contra Chriſtum poſtridie manè, ſeu feriâ quartâ ſequente tradit Auguſt. epiſt. 86. in fine. Itaque tunc vehementiùs irritati præcedentibus ejus

3. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſe-

niores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caïphas:

concionibus, CONGREGATI SUNT PRINCIPES SACERDOTUM, id est, primarii sacerdotum, de quibus diximus cap. 2. v. 4. ET SENIORES POPULI, qui populum judicabant, & regebant in civilibus. Marcus & Lucas addunt, *Scribas*, id est, Legis peritos ac doctores. Ex quibus omnibus constitisse videtur magnum illud synedrion, penes quod erat summum judicium apud eos de religione, præsidente summo Pontifice. Unde hîc additur, IN ATRIUM, Græcè εἰς τὴν αὐλὴν, *in aulam*. Atrium tamen propriè significat locum subdialem, Latini *Cortem* dicunt in ipso aditu domus, ut patet v. 69. quamvis hic synecdochicè posset pro ipsis ædibus sumi. PRINCIPIS SACERDOTUM, id est, summi Pontificis: QUI DICEBATUR, cognomine, CAIPHAS vel *Caiaphas*, ut eum nominat Josephus lib. 18. Antiq. cap. 3. ubi dicit nomen ejus fuisse vocatum Josephum Caïapham, qui Pontificatum acceperat à Valerio Grato Judeæ præside.

4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, & occiderent.

4. ET CONSILIUM FECERUNT, seu cœperunt unanimi consensu, UT JESUM DOLO TENERENT, id est, per insidias & fraudulenter atque inscio populo caperent. Causam dat Lucas, *quia timebant plebem*, ne, si apertâ vi eum caperent, seditio populi Jesu faventis contra se oriretur. Jam enim aliquoties conati fuerant eum palam apprehendere, imò mandatum dederant, Joan. 11. v. 46. sed res non successerat. ET OCCIDERENT; etiam palam tempore opportuno.

5. Dicebatur autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

5. Eodem itaque timore plebis, DICEBANT, id est, statuebant, & concludebant etiam hoc; NON IN DIE FESTO, supple, occidatur: nam de clancularia captione non ita erant solliciti: Græcè est μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, *Non in festo*, scilicet Paschæ jam instante, sub quo potissimũ intelligitur primadies azymorum, tum quia solemnissima; tũ quia maximè à populo frequentata. Cæteri dies usque ad septimam non erant populo festi: quamquam non malè intelligi possunt omnes dies Paschales, quòd erat unum festum septem diebus durans, ultra quod volebant rem totam differri. Simili modo servavit Herodes Petrum, volens post Pascha producere eum populo, Act. 12. v. 3. & 4. NE FORTE TUMULTUS FIERET, Græcè γένηται, *fiat*, & sic appositè sunt verba Judæorum. Noster vertendo, *fieret*, accepit tanquam verba Evangelistæ. IN POPULO, adversum se concitato: sciebant enim multos in eum credere, multos ut prophetam, ut benefactorem venerari, vix quemquam ei adversari, multos ex Galilæa ejus patria confluxuros; denique verebantur, ne facinoris istius sordidas die illo festo commissa, quo noxii solebant dimitti, populo displiceret. Adde tantam fuisse pronitatem Judæorum ad seditiones in festo Paschatis, ut Josephus testetur in hujusmodi solemnitatibus Romanos fuisse militarem manum adhibere solitos, ut tumultus populares impedirent. Itaque his verbis indicant nisi timuissent populum, nihil veritos fuisse etiam in eundem diem Paschatis cædem ejus decernere, sicut & paulò pòst, oblata opportunitate Judæ proditoris, & metu populi, velut inani evanescente, reipsa factum est; Deo vi-

delicet, non ipsis, eligente diem, horam, locum, modum quibus illa victima debebat cædi.

6. CUM AUTEM JESUS ESSET IN BETHANIA, vico Mariæ Magdalenæ & Lazari, ubi hospitari solebat, ultra montem Oliveti, ad radices ejus, ut suprà, IN DOMO SIMONIS LEPROSI: ita cognominati non à lepra, qua jam tum laboraret; quia propter immunditiam non potuisset cum populo versari, nec populus cum ipso: sed quia fortassis lepra sanatus fuerat, vel ea ipse vel aliquis ex majoribus laboraverat. Nam hujusmodi nomina, ut *Rufus*, *Niger*, *Barbatus*, &c. imponi solent etiam posteris familiæ ab aliquo progenitore. Porrò Matthæus non sequitur hîc ordinem temporis & historiæ: constat enim ex Joan. 12. ubi eadem historia narratur, contigisse hoc ante triduum, hoc est, quinque vel sex diebus ante Pascha. Redit igitur Matthæus ad id, quod prætermiserat, ut ita pateret, qua ex occasione Jesus per Judam avarissimum proditus, ac dolo tentus, & consilio mutato in die festo occisus fuerit: liquet hoc ex v. 14.

6. Cùm autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi,

7. ACCESSIT AD EUM MULIER: Joan. cap. 12. *Mariam* vocat, scilicet Magdalenam, sororem Lazari, qui simul mensæ accumbebat, & Marthæ, quæ suo more ministrabat. IN DOMO SIMONIS, tamquam vel vicini, vel consanguinei, vel amici, vel, ut Joan. versu 2. insinuat commune omnium nomine parantis Domino solemnem cœnam, gratitudinis scilicet, & amicitiæ causa: HABENS ALABASTRUM, id est, pyxidem unguentariam ex alabastrite lapide, quem inquit Plinius lib. 36. cap. 8. in princ. cavant ad vasa unguentaria, quoniam optimè ea servare incorrupta dicitur. Unde Tullius 2. Academ. *Quibus etiam alabaster plenus unguenti patere videtur.* Idem Plinius cit. lib. cap. 7. scribit lapidem illum vocari quoque Onychem, quia colorem & levitatem habet unguis humani. Unde illud Horatii lib. 4. Carm. Ode 12.

7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.

Nardi parvus onyx eliciet cadum.

Scilicet vini à me. UNGUENTI. Mixtura est ex liquoribus herbarum odoriferis, cujusmodi multas mixturas tradit Plinius lib. 13. c. 1. 2. & 3. ubi scribit postea etiam spissa esse facta unguenta, ita ut lini, & non solùm perfundi possent. Perfusio ista non maculabat, sicut nec aquæ rosaceæ & similium, eò quòd non esset mixtum oleum, sed nudi liquores flagrantissimi, quibus utebantur, tum valetudinis causâ, tum potissimùm ad luxum, ut loco cit. Plinius. PRETIOSI, Græcè βαρυτίμου, id est, *gravis pretii*: ubi simul videtur respici partim ad pondus ejus: erat enim, ut Joan. integra libra: partim ad pretium materiæ, unde constabat. Testis est autem Marcus fuisse, *Nardum spicatum*, id est unguentum nardinum spicatum, seu ex spicarum nardi liquore factum. Non quòd ex eo solo constaret, seu quòd illa herba esset principalis in unguentis, ut loquitur Plinius lib. 12. cap. 12. ubi præstantissimum in nostro orbe nardum dicit esse Syriacum: cacumen ejus in aristas, seu spicas se spargere, ideòque genuinâ dote nardi spicas & folia ce-

lebrari. Hinc ergò ortum eſt duplex *Nardum*, ſeu unguentum nardinum, ſcilicet *ſpicatum*, ex ſpicis nardi, quod præſtantiſſimum erat, & *foliatum*, ex foliis. Pro *ſpicato* autem eſt apud Joan. *piſtici*, à πίστις, *fides*, q. d. *fidelis*. ut indicetur fuiſſe unguentum ſincerum, ſine dolo, & non adulteratum, ut Hieron. quanquam ſic potiùs *Piſti* dicendum fuiſſet. Facillimè enim adulterari potuiſſe unguentum nardinum, tum pſeudo-nardo, quæ noſtra *Lavendula* putatur eſſe, tum propriâ radice nardi, tradit ibidem Plinius, & lib. 13. cap. 1. novem ſpeciebus herbarum, quæ nardum Indicum imitarentur. Quamvis nonnulli malint Græcum νάρκης corruptum eſſe pro μύρου (nam Græci nonnulla vocabula Latina uſurparunt in Evangelio) ac deinde Latinum Interpretem eamdem vocem retinuiſſe. ET EFFUDIT, nempe liquidum iſtud unguentum totum, nihil reſervando: quod Marcus clariùs indicat, dicendo, quòd *fregerit alabaſtrum*, credibile enim eſt fuiſſe pyxidem tenuiſſimam. SUPER CAPUT EIUS: partim ut ita capilli ejus unguento perfunderentur, ut quibus potiſſimùm adhiberi ſolebat; partim ut inde in veſtes totumque corpus diffluereret, ut totus oleret. Fecit hoc ex more quidem conviviorum magnificorum; nam cum bellariis corolliſque in menſas ſecundas veniebant unguenta: non tamen fecit deliciarum aut luxus cauſa, ſed ad teſtandam perſonæ dignitatem, & ſuam de eo fidem quem Filium Dei vivi crederet, non minùs quàm ſoror ejus. Joan. 11. v. 27. & gratitudinem de acceptis ab eo beneficiis, & ferventiſſimum amorem, cui nullus ſumptus videretur ſatis: nam, ut Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 12. in omnibus talibus non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Porrò Joannes addit, quòd *unxit pedes Jeſu*, ut ita totus in ſepulturam ungeretur, & quod *exterſit capillis ſuis*; ut ita, quod mulieribus ſolet eſſe percharum, & præcipuo ornamento, pedibus Domini ſui ſubjiceret. Exterſit autem pedes, non ab unguento, ſed à pulvere & ſordibus, ut ungi poſſent: eſt enim ordo præpoſterus in narratione.

8. Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt, dicentes: Ut quid perditio hæc?

8. VIDENTES AUTEM DISCIPULI INDIGNATI SUNT, ſtomachantes in animo ſuo. Diſcipulorum autem nomine, vel ſolum Judam ſignificat, (pro ut Joan. expreſſit, locutione Scripturis uſitatâ, vel præter illum etiam nonnullos ex Apoſtolis, quibus hoc, Judæ murmur inchoante, perſuaſum ſit: ſed ita, ut Judas murmuraverit juxta Joannem, quia fur erat, ſubtrahendo ex loculis quos portabat, ut jam tum ſibi peculium pararet, ex quo aliquando ſeparatus à Chriſto, viveret: reliqui verò ſincero animo propter pauperum curam, quam à magiſtro didicerant, ut potè quem non deliciis hujuſmodi, ſed frugalitate & miſericordia capi ſcirent. Utrumque ſenſum ſuggerit Auguſt. lib. 2. de conſenſu Evang. c. 37. DICENTES, UT QUID PERDITIO HÆC? Græcè εἰς τί, *ad quid*, id eſt, quorſum iſta profuſio unguenti pretioſi, cùm ſcilicet manifeſtus & inutilis luxus ſit?

9. Potuit e-

9. POTUIT ENIM ISTUD, ſi ſibi ſervare nolebat, ſed offerre Do-

mino noſtro, VENUNDARI MULTO, ſeu magno pretio à nobis: Marcus expreſſiùs *pluſquàm trecentis* denariis, quos ſi minores intelligas, unius ſcilicet drachmæ pondere, eſſent ſeptuaginta quinque circiter floreni. Ex quo colligas & opes iſtius mulieris, & affectus ejus magnitudinem, & ſacritatem erga Dominum, ut Victor Antiochenus notat.

nim iſtud venũdari multo, & dari pauperibus

10. SCIENS AUTEM JESUS, indignationem eorum, quantumvis occultam & mulieris reprehenſionem, AIT ILLIS: QUID MOLESTI ESTIS HUIC MULIERI? Ubi defendit mulierem, neque furem prodendo, ut vitia occulta doceret non eſſe mox detegenda: neque aſperè perſtringendo indignantes, ut longanimitatem ſuaderet erga eos, qui errore peccant, non malitiâ. OPUS ENIM, non perditionis, ut vos putatis, ſed BONUM OPERATA EST IN ME, ut pote ex plurimis præclaris virtutibus profectum humanitate, gratitudine, fide magna, charitate ardente. Et ut argumentum etiam ipſorum ſolveret, addit:

10. Sciens autem Jeſus, ait illis: Quid moleſti eſtis huic mulieri: opus enim bonum operata eſt in me.

11. NAM SEMPER PAUPERES quorum cura à vobis prætexitur, & vos fallit, HABETIS, ſeu habebitis, VOBISCUM, Deo ſic peculiari providentia diſponente, ut occaſionem ſemper habeatis ad manum, ut quemadmodum addit Marc. *Cum volueritis, poſſitis illis benefacere.* ME AUTEM, talem amicum, benefactorem, ac dominum NON SEMPER HABETIS VOBISCUM, id eſt, non diu habebitis, utpote brevi morte auferendum; plus enim inſinuat, quàm dicit. Intelligit autem, quòd non habebunt, quemadmodum tunc in omni convictu & familiaritate, inquit Hieron. ita ſcilicet, ut, quamvis velitis, non poſſitis mihi benefacere, ac proinde meritò ſinendi ſint homines affectum ſuum effundere in me jam parantem abitum per corporalia in me officia.

11. Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.

12. MITTENS ENIM HÆC UNGUENTUM HOC IN CORPUS MEUM, id eſt, Nam quòd iſta mulier effudit hoc unguentum in caput, unde in totum corpus diflueret, AD SEPELIENDUM ME FECIT, id eſt, tam opportunè me unxit, ut quaſi divinaverit me paulò pòſt eſſe ſepeliendum. Unde plerique volunt mulierem hanc inſciam ſepulturæ à Spiritu ſancto inſtigatam fuiſſe, ut, quia ſciebat eam ab hoc ultimo officio celeritate reſurrectionis prohibendam, iſtâ prævention ejus deſiderio ſatisfieret. Quam quàm nihil videatur abſurdi, ſi dicamus eam, propter familiaritatem cum Chriſto, de inſtante morte & ſepulturâ inſtructam, cùm vereretur, ne per Judæorum rabiem prohiberetur, hoc officium vivo tamquam mortuo impendere voluiſſe. Quod fortaſſis ſignificavit Marcus, dum dixit, *Quod habuit hæc, fecit*, id eſt, quod potuit, fecit reſpectu ſepulturæ, quia poſtea, cùm volet, non poterit: nam, ut addit, *Prævenit ungere corpus meum in ſepulturam*, id eſt, tamquam ad ſepulturam, ut textus Syriacus exponit. Unde eodem modo intelligendum videtur id, quod Joan. dixit obſcuriùs, *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*, Græcè τηρήσῃ, *ſervavit*, ſeu *ſervaverit*, id eſt ſine, ut non fruſtrà ſervaverit unguentum hoc, ad me ſepeliendum, ungendo ſcilicet nunc me, quod poſteà non poterit;

12. Mittens enim hæc unguẽtum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.

sic enim ipso eventu non frustrà servaverit. Mos erat iste solemnis Judæis, & orientalibus nonnullis, mortuorum condire corpora, ut testatur Joan 19. v. 40. & patet Gen. 50. qui inter infideles usum habuit, ut, quantum liceret, putrefactionem à corporibus arcendo, amoris sui teneritudinem & perseverantiam testarentur; inter fideles verò, ad declarandam spem futuræ resurrectionis.

13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.

13. UBICUMQUE PRÆDICATUM FUERIT HOC EVANGELIUM, regni cælestis quod ego hactenus prædicavi: IN TOTO MUNDO: qu. d. quod quidem per totum mundum divulgabitur, quo tacitè Gentium vocationem prædicit, DICETUR ET QUOD HÆC FECIT, videlicet non tamquam murmure & indignatione, & reprehensione dignum, sed IN MEMORIAM EIUS, id est, ad perpetuam ejus apud omnes laudem: referendum est enim ad, *dicetur*, non ad, *fecit*, ut ex Marco patet. Itaque his verbis objectioni eorum opponit celebre totius orbis judicium, defensionem & laudem, quam impleri videmus, tamquam quæ fecerit opus fidei, devotionis, charitatis, & mysticæ cujusdam prophetiæ, per Spiritum sanctum intentæ, excellentissimum. Ex quo etiam colligere licet, Judæ socios esse eos, qui reprehendunt sumptus, qui subinde, quando specialis pauperum non urget necessitas, in cultum & honorem Christi profunduntur, sive templa ornando, in quibus residet, sive in vasis sumptuosis ei ministrando.

14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum:

14. TUNC ABIIT, cùm scilicet hac Christi reprehensione irritatus, & unguenti pretio, cui inhiabat, esset frustratus; videtur enim non tam tempus abitus tangere, quàm proximam occasionem proditionis Judæ. Nam abivit ad concilium congregatum feriâ quartâ, ut communior est auctorum sensus: convivium autem istud contigit circiter triduò ante. Itaque ABIIT, nullo invitante, nullâ necessitate, sed sponte propriâ, & incitante avaritiâ, UNUS DE DUODECIM; numero, non merito; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis unitate, inquit Augustin. Tractat. 6. in Joan. Expressit autem hoc Evangelista, ut significaret aptitudinem personæ ad prodendum, utpote domesticæ, & sceleris magnitudinem, ut ponderatur Psal. 54. versu 13. & notat Chrysost. Quod indicatum voluit Lucas, cùm de hoc ejus abitu loquens, ait: *Intravit autem Satanas in Judam*, non occupando corpus ejus, sed pessimam venditionis voluntatem inspirando, sed, ut Joan. ait cap. 13. mittendo in cor ejus, ut traderet eum": sic enim insinuatam voluit sceleris impietatem & fœditatem, quod de furtis ejus nemo dixit. AD PRINCIPES SACERDOTUM, jam congregatos, ut de medio capiendi consultarent.

15. Et ait illis: Quid mihi vultis dare? Hieron. putat esse verba ponentis in potestate mentium, quantum darent, quasi vilissimum mancipium venderet. Verius fortasse, esse verba proponentis venalem, & tentantis, utrùm dignum tali merce pretium offerre velint; ut ita infelix, quod ex unguenti effusione damnum se fecisse credebat, inquit Hieron. magistri pretio compensaret.

15. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos.

ret. Ita verum illud Apostolicum, 1. ad Timoth. 6. versu 10. *Radix omnium malorum est cupiditas.* ET EGO, cui hoc propter domesticam consuetudinem & familiaritatem perfacile est; EUM TRADAM: satis indicans, sibi non esse curæ, quid cum eo facturi sint. Rei substantiam nudè tetigit Evangelista, sed prætextum offensionis & facinoris non defuisse ei verisimile est, v. g. quòd jam tandem cerneret esse hypocritam, sectatorem conviviorum ac delitiarum, delibutum odoribus & unguentis pretiosis.

AT ILLI CONSTITUERUNT EI, id est, *pacti sunt*, ut Lucas, præviâ scilicet ultrò citróque conventione, TRIGINTA ARGENTEOS: qui quantum efficiant pretium, diversæ sententiæ sunt. Omissis minùs probabilibus, duæ majorem habent verisimilitudinem. Altera Baronii, quam videtur & Franc. Lucas probare, quòd *Argenteus* significet hîc libram argenti. Probant hoc duobus potissimùm argumentis: Primò ex Tisbe Eliæ, qui dicit in voce, סלע, nomen *Argentei* in Lege significare siclum, in Prophetis libram, in Hagiographis talentum; hîc autem respici ad locum Prophetæ Zachariæ, adeóque libram significare. Secundò, quia emptus fuit eo pretio ager in suburbanis Jerusalem, in sepulturam omnium peregrinorum, qui necessariò magno pretio emptus fuit. Cùm ergò libra contineat uncias 12. & consequenter siclos 24. qui æstimabantur circiter singuli quatuor drachmis, seu regalibus Hispanicis, hoc est, uno circiter floreno Brabantico, summa hæc fuisset 720. florenorum, æstimando regales more Hispanico. Alia sententia multò communior est, Argenteum, hîc absolutè positum, sumi pro siclo seu statére, sic enim legit Orig. Nam plerumque cùm in Scripturis כסף, *Céseph*, id est, *argentum*, ponitur cum nomine numerali, subauditur siclus, ut videre licet Isaïæ 7. versu 12. ubi Hebraïcè eodem modo utrobique repetitur, *decem argenti*, & *mille argenti*, quod Interpres noster & LXX. suppleverunt, addendo, *siclos*. Et hinc est, quòd Chaldæus Paraphrastes plerumque etiam sic locutiones istas suppleat. Itaque summa hæc fuisset, triginta circiter florenorum, vel alia æstimatione pecuniæ triginta sex. Quod igitur ex Elia profertur, non videtur in Scripturis esse fundatum, neque exemplis probari posse. Pretium agri non debet videri nimis exiguum, cùm Jeremiæ 32. versu 9. septemdecim stateris, seu siclis argenteis ematur ager; maximè cùm non constet, quantus ager fuerit, & an totus câ emptus pecuniâ; & constet longè majorem tunc fuisse pecuniæ raritatem, quàm nunc est. Quod verò nonnullos movent quidam argentei nummi, qui teste Budæo, & Baronio Parisiis & Romæ ostenduntur, tamquam qui sint ex illis, quos Judas in templum abjecit, pondere tantùm duarum drachmarum, id est, valore decem aut duodecim stuferorum, habentes hinc hominis effigiem, illinc flosculi, parvi momenti est. Non enim significatur, vel significatum volumus, singulos nummos valuisse siclum, sed triginta siclos argenteos fuisse annumeratos, in quocumque tandem nummorum genere, sicut nos dicimus triginta florenis rem vendi, etsi in stuferis vel pataconibus pecunia numeretur.

16. Et exinde quærebat opportunitatem ut eũ traderet.

16. ET EXINDE, seu ex eo tempore, quo ei pecunia promissa fuit, QUÆREBAT OPPORTUNITATEM, temporis atque loci, UT EUM TRADERET; sive proderet Judæis. Explicat Lucas, quænam fuerit hæc opportunitas, scilicet ut fieret, *sine turbis*, id est, absente populo, qui tumultum excitare posset; prout Sacedotes desideraverant & fortè pacti erant. Et hæc fuit causa, cur noctu, post cœnam, cum secretus esset, in prædio Gethsemani eum tradiderit, ut notat Origen. & cur tam bellâ opportunitate oblatâ consilium suum, de quo v. 5. sacerdotes mutaverint.

17. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha?

17. PRIMA AUTEM DIE AZYMORUM, id est, ea in cujus vespera incipiebat usus Azymorum, seu panum infermentatorum, qui incipiebat unà cum esu agni Paschalis. Agnus autem immolari debebat juxta legem, Luna seu die 14. mensis primi ad vesperam, de quo Exodi 12. v. 6. & 18. Itaque cùm dies naturales, qui apud Hebræos Lunæ vocantur, quia mensibus utebantur lunaribus, computari inciperent ab ortu Solis, & complecterentur diem artificialem simul & noctem, dies illa mensis 14. in cujus vespera agnus immolabatur, & Azyma mox noctu incipiebant, vocantur hîc *prima Azymorum*, ratione scilicet vesperæ suæ, seu noctis. Quia vero dies festi incipiebant à vespera usque ad vesperam sequentem, hinc fit, ut plerumque dies, seu Luna 15. vocetur prima Azymorum, ut patet Levit. 23. v. 5. & passim alibi. Sed illa dies non significatur hoc loco, quia Christus nondum comederat agnum, imò nondum illum præparaverat. Unde Marcus diem accuratiùs exprimens addit, *quando Pascha immolabant*, scilicet Judæi juxta legem & pressius Lucas, *in qua* necesse erat (juxta mandatum scilicet legis) occidi *Pascha*, id est, agnum Paschalem. Ex quibus etiam manifestum est, Christum eadem die Pascha comedisse, quâ solebant & debebant Judæi, Luna scilicet decima quarta, & ita in instituendo sanctissimo Sacramento Azymis panibus esse usum. ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM, cùm scilicet jam ab ipso Domino de Pascha sollicito jussi essent parare Pascha, ut patet Lucæ 22. v. 8. Accedunt autem rogantes, UBI, id est, in qua domo: de civitate enim constabat esse debere Jerosolymam, juxta legem Deuteron. 16. v. 5. & 6. meritò verò de domo quærunt, propter affluentiam totius nationis illo die, & edictum Principum, ut apprehenderetur, si quis sciret, ubi esset, Joan. 11. v. 56. & quia propter defectum hospitii ordinarii quotidie concedebat in Bethaniam, & in montem Olivarum, Lucæ 21. versu penultimo. VIS PAREMUS TIBI COMEDERE PASCHA, id est, ut comedas agnum Paschalem? præparandi enim erant panes azymi, lactucæ agrestes, baculi, vinum, cæteraque ad convivium necessaria, imò agnus emendus, adeóque mactandus & assandus. Nam ex Marci 14. v. 17. Christus non venit nisi vespere jam facto. Immolabatur autem aliquamdiu ante Solis occasum, ut latius diximus in Exodi cap. 12. v. 6. ex Josephi lib. 7. de bello Jud. cap. 17. idque non necessariò à sacerdotibus, sed ab illis de familia, fungen-

tibus in isto casu sacerdotum officio, ut alibi ex Philone notatum est.

18. At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quēdam, & dicite ei: Magister dicit; Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis.

18. ITE IN CIVITATEM, Jerosolymam, AD QUEMDAM: Græcè πρὸς δεῖνα, Hebraïcè פלוני *Peloni*, quibus nominibus significant hominem, cujus nomen exprimere nolunt, sive ignoratione, sive alia de causa. Cum ergo certus esset homo, sicut ex indiciis per alios Evangelistas expressis, liquet, verum videtur, quod Augustinus ait lib. 2. de consensu Evangel. cap. 80. Matthæum ex sua persona hoc interposuisse, non quod Dominus sic locutus sit, sed ut compendio insinuaret, fuisse missos ad certum quemdam, nomine non expresso. Fecit hoc ut Euthym. & Theophyl. in Luc. ne Judas locum præsciens cœnam sive agni sive mysticam intempestivè turbaret. Mysticas causas adferunt Hieron. & Orig. ET DICITE illi, MAGISTER DICIT: quo auctoritatis vocabulo indicat jam fuisse discipulum: sicut per illud, TEMPUS MEUM PROPE EST, fuisse familiarem, utpote apud quem ultimam suam cœnam, sponte non invitatus, vellet sumere. Nam tempus intelligit non agni manducandi, sed discessus sui ex hoc mundo: quod toties inculcat, ut patefaceret discipulis, inquit Chrysost. se non invitum, sed omnium præscium ad passionem properare. APUD TE FACIO PASCHA, id est, facere seu celebrare decrevi cœnam Paschalem: neque solus, sed CUM DISCIPULIS MEIS, ut sciret ille paterfamilias pro tredecim hominibus parandum esse locum. Utitur hic Christus verbis imperio & auctoritate plenis, ut paulò antè ad dominos asinæ adducendæ, ut ostenderet se omnia & scire & posse apud quoslibet. Probavit hoc successus rei, de quo non anxii discipuli.

19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, & paraverunt Pascha.

19. FECERUNT, SICUT CONSTITUIT, seu præceperat, ILLIS JESUS. Fuerunt autem illi, qui missi sunt, Petrus & Joannes, ut Lucas declarat.

20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

20. VESPERE AUTEM FACTO, quo scilicet agnus comedi solebat: Unde Lucas *cùm facta esset hora*, scilicet esui agni destinata. Fiebat autem hoc post occasum Solis, tametsi immolatio agni, reliquaque necessaria ante occasum, ab hora nona, id est, tertiâ nostra circiter pomeridiana, ad occasum usque fierent, ut ex Josepho alibi dictum est. DISCUMBEBAT, Græcè ἀνέκειτο, *recumbebat*. Olim enim accumbendo vel recumbendo cibum solebant sumere; Unde nunc mansit eorumdem verborum usus, etsi sedendo sumamus: quod & tempore Christi locum habere potuit, ut per, *discumbebat*, nihil aliud indicatum voluerit, nisi cibum sumebat, nempe vel agni Paschalis, cujus horam Lucas expresserat, vel etiam cœnæ communis eam comitantis: non enim vetitum erat plures adesse cibos. Unde malè ex hoc verbo colligunt nonnulli apud Theoph. Christum hoc anno non comedisse Pascha, eo quod à stantibus deberet comedi. Nam etsi Lex Exodi 12. hoc non clarè dicat, sed tantùm insinuet, usum tamen illum fuisse declarat Philo lib. de sacrificiis Caïn & Abel. CUM DUODECIM DISCIPULIS SUIS, Apostolis, tanquam familia sua,

cum qua agnus debebat comedi. Similiter igitur & omnes, etiam Judam adfuisse, & neminem præterea : solùm enim deficientibus domesticis vicini advocabantur, Exodi 12, v. 4.

21. Et edentibus illis, dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.

21. ET EDENTIBUS ILLIS, id est, inter cœnandum communi cœna, seu durante adhuc convivio, DIXIT, tum ante instituta mysteria, sicut hîc indicatur, tum post, ut Lucas, cap. 22. v. 21. & sentit Augustin. libro 3. De consensu cap. 1. Quamquam commodè dici posse videatur Matthæum anticipatione uti, Lucam rectum servare ordinem: ut scilicet hæc de proditore dicta sint statim post instituta traditaque sacra mysteria, atque eis connectendum sit id, quod Joan. cap. 13. narrat de buccella Judæ tradita. QUIA UNUS VESTRUM, quos præ cæteris beneficiis affeci, in familiam assumpsi, alui, docui, Apostolos feci, ME TRADITURUS EST, seu proditurus, scilicet hostibus, qui Apostolis satis erant noti. Prædictum hoc voluit, ut constaret se non circumventum, sed volentem, scientem, prudentemque mori: personam supprimit, ut ejus amori adhuc parceret; ut juxta Hieron. hac lenitate pœniteret eum facti sui, cùm consilia sua perspecta cerneret.

22. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine:

22. ET CONTRISTATI VALDE: Chrysost. *semimortui*, tum scilicet de tanto scelere in Dominum committendo, tum quòd de se quisque esset anxius, ne vel facinoris istius reus ab aliis crederetur, vel ex summa fragilitate etiam reus fieret. Magis enim Christi dictis, quàm suæ ipsorum fidebant conscientiæ, ut Hieron. & Theophyl. notant. Nam hinc de se ipsis veriti, & de nemine audentes suspicari, cœperunt singuli dicere, NUMQUID EGO SUM DOMINE, in quem tantum scelus cadere possit? q. d. Manifesta, quæso, ut peream, vel caveam, vel certè à metu & suspicione liberer. Qui respondit:

23. At ille respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

23. QUI INTINGIT MECUM MANUM IN PAROPSIDE, seu in eadem patina, HIC ME TRADET, hoc est, qui eadem mecum mensâ & cibo uti solet, quod Lucas dixit, *Ecce manus tradentis me mecum est in mensa*: sicut & Psalmus, quem Christus hac de re citat Joan. 13. versu 18. prophetavit. Et ita hæc verba non magis manifestant proditorem, quàm antea, sed tantùm exaggerant scelus; nam quòd aliqui putant, hîc paulò clariùs proditorem expressum esse, eo quòd cùm plures essent paropsides, ipse intingeret in illa, in qua Christus & aliqui vicini, minùs verum dici videtur, eo quòd Marcus dicat, *Unus ex duodecim, qui intingit*. Multò minùs verum videtur, quod Hieronym. & alii nonnulli putant, Judam propriè expressum fuisse, eo quòd ex impudentia ausus esset solus cum Domino intingere in eadem paropside, quia Petrus non tam solliciteè adhuc postea urgisset, ut proditorem sciret, Joan. 13.

24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem

24. ET FILIUS QUIDEM HOMINIS VADIT, id est ultrò, non tam moriendo quàm migrando, discedit ex hoc mundo: non fortuitò, aut inopinatè, non coactus potentia inimicorum, sed SICUT SCRIPTUM EST DE ILLO, in Lege, Psalmis, & Prophetis, juxta quos oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, ut ipse

ait Lucæ 24. hoc est, ut implendo Scripturas obtemperet decretis Patris sui. Ita, inquit Chrysost. discipulos confirmavit, ne rem imbecillitati attribuerent. VÆ AUTEM ILLI HOMINI, PER QUEM FILIUS HOMINIS TRADETUR: q. d. Ne tamen glorietur proditor, quasi de re bene gesta & impletis per opus suum Scripturis: nam BONUM ERAT EI, SI NATUS NON FUISSET HOMO ILLE, id est, præstaret ei numquam fuisse in rerum natura: quod propter pœnarum atrocitatem ei prædicit, nimirum, ut quem pudor non vicerat, inquit Hieronym. corrigant denuntiata supplicia. Non ergo sententia ista ad omnes damnatos extendi debet, cùm Christus hoc, ut August. 5. contra Julianum cap. 8. non de quibuslibet, sed de scelestissimis & impiissimis peccatoribus dixerit; undè nec Aug. ibid. ad parvulos sine baptismo mortuos audet extendere. Cùm ergò omnes discipuli interrogassent, an ipsi essent, Judas se tacitè notari sentiens, ne se silentio prodere videretur, ut audacia bonam mentiretur conscientiam insigni impudentia rem dissimulans rogat:

Filius hominis tradetur: bonũ erat ei, si natus non fuisset homo ille.

25. NUMQUID EGO SUM RABBI, de quo hoc suspicaris; Persuasus enim videtur fuisse, vel Jesum, qua erat humanitate, non esse hoc ei palàm objecturum, vel si objiceret, palàm se negaturum; atque ita velut atroci injuria opportunè se posse proripere, vindictæque specie proditionem effectam dare.

25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: nũquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

AIT ILLI: TU DIXISTI, eo ipso, quo istud quamvis interrogando profers, id est, tu es ille. Est ista Hebræis familiaris affirmatio, ut patet infra v. 64. ubi Caïphas sic illam locutionem intellexit, & Marc. eam explicans, dicit ejus loco Christum dixisse, *Ego sum*: & Joan. 18. v. 37. eodem modo Christus dicens Pilato, *Tu dicis quia Rex ego sum*, affirmat se esse Regem. Est enim modus iste affirmandi modestus, sine arrogantia loquentis, sine offensione colloquentis. Hîc ergò expressit proditionem sed ut verisimiliter suspicatur August. initio lib. 3. de consensu Evang. ita, ut non animadverterent adhuc discipuli, quia fortè submissiùs loqueretur. Unde tunc videtur Petrus à Joanne nutu postulasse, ut peteret clariùs quis esset, de quo Joan. 13. & mox data est Judæ buccella. Meritò autem notat hîc Chrysost. tolerantiam Domini, qui cùm nec objurgaverit, nec exprobraverit, terminos nobis, ac regulas tolerantiæ & oblivionis fixit injuriarum.

26. CŒNANTIBUS AUTEM EIS: Græcè ἐσθιόντων, *manducantibus*, id est, cùm nondum essent sublata mensa, aut cibi, non enim actus cœnandi, sed tempus indicatur, quo scilicet sumpto jam cibo suavibus se colloquiis reficiunt convivæ, sicut factum esse constat ex Joan. 13. & seqq. Unde Lucæ 22. v. 20. & 1. ad Corinth. 11. v. 25. calicem dicitur sumpsisse, postquam cœnavit. Sub finem ergò cœnæ mysteria novæ Legis instituit, tum quia necesse erat Pascha vetus, ac typicum, cui sola cœna erat destinata, præcedere, ut ei succederet novum ac verum: tum quia Salvator, ut August. epist. 118. cap. 6. quo vehementiùs commendaret mysterii hujus altitudinem, pro more valedicentium

26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum.

hoc ultimum voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus statim ad passionem digressurus erat. Et quia passionis suæ, adeóque per passionem, nostræ redemptionis nobis non solum memoriale, sed & participationem volebat relinquere, hinc, ACCEPIT JESUS PANEM, nimirum ut sub speciebus panis & vini utrumque fieret, utpote quæ & aptissimè significarent corpus & sanguinem in passione separatum, & utrumque esse factum verè cibum & potum, quo & Christo significaremur arctissimè conjungi & ali in vitam æternam, & inter nos charitatis mutuæ vinculo in unum conflari, quemadmodum ex pluribus granis, tum tritici, tum uvarum, in unum confluentibus, fit unus panis & unum vinum, prout indicavit Paulus 1. ad Corinth. 10. v. 17. denique, ut ita humanæ infirmitati sese attemperando humanæ carnis & sanguinis horrorem tolleret, ut observavit Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. Theophyl. & alii Patres passim. Panem autem accepit azymum, tum quia fermentatus in illa cœna adesse non poterat, tum quia azymus significandæ sinceritati & veritati, quæ participantibus de his mysteriis adesse debent, maximè congruat: quam significationem tangit Apostolus 1. ad Corinth. 5. v. 8. ET BENEDIXIT. Hæretici exponere solent, laudes dixit, gratias egit, nempe Deo, sed certum est referri ad panem, hoc enim & verborum series postulat, & Græcè apertius est, ubi legitur λαβὼν τὸν ἄρτον, καὶ εὐλογήσας, ἔκλασε, *Accipiens panem cùm benedixisset, fregit*. Et hinc est, quod Paulus 1. ad Corinth. 10. versu 16. dicit, *Calix benedictionis, cui benedicimus*, quod non nisi ad propositam creaturam referri potest. Quod ergò Lucas & Paulus dicunt εὐλογήσας, id est, *cùm gratias egisset*, non explicant verbum εὐχαριστήσας, seu benedictionem, de qua hîc mentio est, sed aliam exprimunt actionem Christi, quæ conjuncta fuit: nam & gratias egit Deo pro beneficiis, & quòd Legis advenisset consummatio, simul benedixit pani, atque ita singuli totam actionem istam ex una parte indicant, sicut Lucæ 23. versu 35. & Act. 2. vers. 42. 46. eadem indicant solâ fractione, veluti fidelibus notissimâ, & minùs infidelium irrisioni expositâ. Et hinc est quòd cùm Christus miraculum circà panes multiplicandos vellet edere, Marci cap. 8. v. 6. simpliciter dicit, *gratias agens fregit*: Lucæ verò cap. 9. versu 16. *respexit in cœlum* (qui est habitus gratias agentis) *& benedixit illis*, scilicet panibus & piscibus. Unde & Ecclesia intelligens omnia ista etiam hîc concurrisse, dicit in Canone, *Elevatis oculis in cœlum tibi gratias agens, benedixit*, scilicet pani, quatenus nimirum invocavit Dei beneficentiam & potestatem super panem, ut mutaretur in corpus suum. Quamquam quia Dei benedicere est benefacere, benedictio ista sæpissimè vocetur à Patribus ipsa consecratio, ut videre licet sæpiùs apud Ambros. maximè libro de his, qui mysteriis initiantur cap. 9. Benedixit ergò pani, id est, consecravit eum, seu eò dignitatis evexit, ut in corpus suum mutaverit, nimirum dicendo ipsa verba, quæ sequuntur, ut tradit D. Thomas in Comment. & 3. parte, quæst. 78. art. 1. ad

1. Neque enim ita simul dicunt omnia Evangelistæ, sicut facta sunt: nam & fractio & distributio, vel pòst, vel simul cum istis verbis contigit, nec tamen simul ab Evangelistis eodem ordine exprimuntur. Fuit ergò ista benedictio singularis, & operatoria, qualis & illa panibus multiplicandis adhibita: unde nec umquam Christus benedixisse cibis legitur, nisi cùm singulare miraculum operari vellet. Hinc & eandem benedictionem, ut ex Paulo patuit, similiter calici adhibuit, cùm, si vulgaris fuisset, sufficere potuisset prima, quæ vel pani, vel initio toti cœnæ adhibita fuerat. Ac FREGIT, panem jam benedictum, atque mutatum, in tot videlicet partes, quot erant convivæ, idque more patrumfamilias. DEDITQUE DISCIPULIS SUIS, cùm scilicet sibi primò dedisset, ipse nimirum conviva & convivium, ipse comedens, & qui comeditur, ut Hieronym. Epist. 150. quæst. 2. Fecit enim hoc partim, ut sacrificium absolveret, partim, ut exemplo Apostolos præcederet, ne horrerent cibum, quem corpus ejus esse perceperant, ut notavit de calice Chrysostom. Dedisse autem in manus, non in os, conjectura non levis est, tum quia dicit, *accipite*, quod ad manus usitatiùs referri solet; tum quia ista in veteri Ecclesia diu consuetudo fuit, ut in manus fidelibus traderetur: quem ritum descripsit Cyrillus in fine Catecheseos 5.

ET AIT: ACCIPITE ET COMEDITE. Quibus verbis invitat & simul usum declarat tanti doni, nempe ut comedendo uniatur nobis, ut fiamus unum corpus, & unus spiritus cum eo, & inter nos, qui de uno pane participamus. HOC EST CORPUS MEUM. Continet rationem comedendi; unde subaudiendum est, *enim*, sicut hoc in calice expressum est. Illud, *Hoc*, non est substantivum, quasi significans individuum vagum, ut videtur putasse D. Tomas, qui istius opinionis multis sequentibus causa fuit; sed certum est, juxta mentem Interpretis nostri & Evangelistæ, esse adjectivuum conveniens cum suo substantivo, quod sequitur, *corpus*. Patet hoc manifestè ex forma calicis, ubi non dicitur, *Hoc*, sed, *Hic est sanguis meus*, & clarissimè Lucas conjungit cum calice, *Hic calix*, Græcè τὸ ποτήριον, *hoc poculum*. Ex quo ulteriùs patet illud, *Hoc*, non posse designare panem, ut hæretici volunt, idque non solùm, quia esset falsa oratio, sed ipsa verba repugnant: dicendum enim fuisset, *hic*, præsertim cùm immediatè, *panis*, præcessisset. Designat igitur, *corpus*, nec tamen locutione vel identicâ, vel tautologicâ, sed rectissimâ, & usitatissimâ, quâ in mundi exordio Adam dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, & Moyses Exodi 16. *Iste est panis*, & Jud. 21. *Hic est heres, & Deus Pater*; c. 3. *Hic est Filius meus dilectus*; & infinita similia, quibus Scriptura & usus quotidianus plenus est. Nam in his omnibus subjectum & prædicatum idem quidem significant (quod omni propositioni affirmativæ veræ commune est, alioquin enim esset falsa) sed alio modo, subjectum nomine communi & obscuro, demonstrante tamen præsentiam; prædicatum nomine specifico & particulari. Nam quod objiciunt, cùm diceretur, *Hoc*, nondum adfuisse corpus,

parvi momenti est. Propositio enim operatoria, qualis est ista, quæ mutatione quadam efficit id, quod significat, sicut non habet veritatem nisi integrè pronuntiata, ita quoque demonstrat id, quod adest, eo momento, quo subjectum profertur, sed quod aderit in termino pronuntiationis: sicut si Christus aquam in vinum mutasset in nuptiis, his verbis, *Hoc est vinum*; vel costam in mulierem istis, *Hæc est mulier*; non fuisset necesse, rem demonstratam esse præsentem, nisi absolutâ totâ oratione.

Est. In hoc verbo Zuinglius figuram inesse voluit, ut idem sit, quod significat; sed contra linguarum usum: nulla est enim lingua, neque Latina, neque Græca, neque Hebraica, in qua, *Est*, aliam habet significationem, quàm esse, seu, ut Philosophi loquuntur, nudam unionem extremorum. Est enim verbum uti communissimæ significationis, ita & simplicissimæ, in quod omnia alia resolvuntur; ipsum verò in nullum aliud resolvi potest. Sic enim resolvimus, *Christus patitur*, id est, *Christus est patiens*: ipsum verò (*Est*) inclusum non potest resolvi ulteriùs, nisi resolvas in seipsum. Et hæc est causa, cur nec in Hebraicâ, nec Syriaca lingua, qua Christus locutus est, exprimatur: unde impossibile est in eo fuisse tropum. Quia verò signorum esse, non est aliud, quàm significare, hinc fit, ut cùm signum de signo prædicatur, vel res significata de signo aliquo parabolico, sine ullo tropo soleamus, *est*, explicare per, *significat*, ut *Ensis est gladius*, *Septem boves septem anni sunt*, *Semen est verbum Dei*, *Denarius est vita æterna*, & similia: qualis tamen non est ista, *Petra erat Christus*, sed sensus propriissimus est, Petra illa spiritualis eos consequens erat Christus. Itaque error iste Zuinglii ex imperitiâ natus est. Ex quo fit, ut Calvinus & alii Sacramentarii velint esse tropum in prædicato *Corpus meum*; ut sit idem, quod signum, seu figura corporis mei. Sed tunc necessariò illud, *Hoc*, demonstrare deberet panem, quod suprà rejicimus. Deinde Græcè additur articulus τὸ σῶμα, *istud corpus*, quod habet vim exprimendi veri corporis, & distinguendi ab omni alio, quod etiam nomine corporis significari potest, scilicet corpus mysticum, quod est Ecclesia qu. d. Ipsissimum illud verum corpus meum. Quod multò efficaciùs postulant verba sequentia, apud Lucam & Paulum, *quod pro vobis datur*, Græcè uno verbo τὸ δίδομενον, quasi diceres corpus datum: conjungitur enim adjectivum in recto cum substantivo, *corpus*, ita ut illud ipsum, quod vocatur in recto corpus, sit datum. Figura autem corporis non est data pro nobis, neque in cruce. Evidentiùs autem id postulat forma calicis apud Lucam Græcè, Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *Hic est calix in sanguine meo pro vobis effusus*: ubi ipse calix, sanguinem scilicet continens, pro nobis effundi dicitur, quod de figura vel calicis, sanguinis nullo pacto verificari potest. Et sanè cùm agnus Paschalis figura fuerit Christi, in cruce offerendi, ut patet Joan. 19. v. 36. si corpus non est aliud, nisi figura corporis, in cruce offerendi, profectò figuram figuræ substituit, obscuram evidentissimæ,

evidentissimæ, cùm tamen venerit figuris finem imponere. Hinc, ne quis hîc tropos, figuras, parabolas imaginaretur, categoricâ locutione usus est verbis lucidissimis, quibus apertiora, aut simpliciora fingi nequeant, etsi omnes linguas in unum conflaveris. Hinc cùm Evangelistæ in aliis recensendis plerumque verbis discrepent, hîc è contrario tres Evangelistæ & unus Apostolus Paulus, cum diversis temporibus, ac locis scriberent, ne apice quidem discrepant. Et tamen Tenebriones hæretici, qui ubique Scripturas apertas esse clamitant, hîc tantas tenebras inveniunt, vel potiùs adferunt, ut sententiam quasi Solis ipsius radio scriptam in ducentas diversas expositiones laceraverint, sicut nuper edito quodam libello expressum est. Contra quos omnes, etsi in verbis esset aliqua obscuritas, sufficere deberet unanimis totius Ecclesiæ & omnium Patrum consensus, quem suprà dedimus, & eorum verbis latiùs traditum videre licet apud eos, qui contra hæreticos ex professo scripserunt.

27. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes.

27. ET ACCIPIENS CALICEM, Græcè ποτήριον, *poculum*, seu vas ex quo bibitur, nempe vino & aquâ temperatum, pro more regionis. De vino satis constat ex Marco & Luca, qui *genimen*, seu *generationem vitis*, nominant; de aqua ex Ecclesiæ traditione, de qua Cyprian. Epist. 63. temperatura ista fieri solet, tum sanitatis, tum temperantiæ causâ: hîc autem peculiariter adhibita est, ut unio Christo cum populo, id est, cum Ecclesia, adumbraretur: GRATIAS EGIT: Græcè εὐχαριστήσας, *cùm gratias egisset*, scilicet Deo Patri; sub quo & elevatio oculorum in cœlum & calicis benedictio, quam Paulus 1. ad Corinth. 10. versu 16. expressit, intelligenda est, ut suprà indicavimus. Ex hoc gratiarum nomine Græcè vocabulo dicta est *Eucharistia*, tum quia cum prævia gratiarum actione conficitur, tum quia cum sequente & quidem summâ gratiarum actione, pro tam immenso redemptionis beneficiio, sumenda est. ET DEDIT ILLIS, non in os, sed in manus, ut colligitur ex jussione, quæ sequitur, DICENS: BIBITE EX HOC OMNES. Syrus, *vos omnes*, quod Lucas ita expressit, *dividite inter vos*, ita videlicet, ut in orbem vos omnes ex eodem isto calice bibatis: & ita factum esse declarat Marcus dicens: *Et biberunt ex eo omnes*, nempe præsentes Apostoli. Ex quo patet ineptia hæreticorum, qui hinc conficere volunt omnibus omninò participantibus etiam vini speciem præcipi.

28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

28. HIC EST ENIM SANGUIS MEUS. *Hic* concordat genere cum *sanguis*, ad quod refertur, sicuti *Hoc*, ad *Corpus*: nam omninò similes locutiones sunt, & simili sensu interpretandæ. Non enim significatur vel calicem illum, vel vinum esse sanguinem, sicut nec panem esse corpus: sed illum, quem præbebat, & in quem intentio ejus ferebatur, absolutis verbis, esse sanguinem suum. Dictio verò, *enim*, exprimit rationem invitationis ad comedendum, utpotè quia jam audiverant & crediderant, carnem & sanguinem ejus verè esse cibum & potum in vitam æternam. NOVI TESTAMENTI. Alludit ad verba Moysis, Exodi 24. ubi sanciens

vetus Testamentum aspersione sanguinis victimæ, eodem planè modo ait, *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Opponit ergò se Christus Moysi, sanguinem suum sanguini vitulorum, Apostolos populo Judæorum, aspersionem aspersioni, testamentum testamento. Porrò Græca vox διαθήκη, cui *Testamentum* respondet, etsi ex vi vocis quamlibet dispositionem & pactum significare possit, quemadmodum & Hebraica, receptissima tamen ejus significatio est ברית *Berith*, ut significet, sicut & *Testamentum*, voluntatis decretum, de eo, quod post mortem fieri, quis velit, & consequenter contineat promissionem hereditatis: unde & morte testatoris confirmatur, ut Apostolus docet ad Heb. 9. Testamentum itaque duplex in Scripturis est celebre, Vetus & Novum. Vetus ita dictum est, quod ante Novum non institutum quidem, sed revelatum fuit, & quòd veteri homini, utpote terrena promittens bona, congruat, ut August. lib. 3. ad Bonifac. c. 4. nec propriè testamentum est, sed potiùs pactum aut fœdus, utpote quod promissionem terrenorum bonorum non absolutam, sed sub conditione implendæ Legis contineret, populo eam acceptante, ut patet Exodi 24. v. 3. 6. & 7. Quia verò quandam similitudinem habebat cum testamento, promittens scilicet terram Canaam, velut quandam hereditatem: hinc etiam sanguine, tum ad sanciendum propriè fœdus, tum ad testamentum quodammodò morte, non Dei, sed victimarum ei oblatarum roborandum, dedicatum est, ut notat Apostolus, ad Heb. 9. v. 18. & seqq. Quæ tamen omnia eò maximè spectabant, ut per carnalem Legis observationem, bonáque carnalia in præmium reposita, significarentur observatio Legis spiritualis, & bona spiritualia, hoc est, ut præfiguraretur testamentum novum, ab ipso Christo in terris versante revelandum. Sed hoc discrimen fuit, quod Vetus, ut diximus, propriè pactum fuerit, unde & à Judæis irritatum est, sicuti Deus queritur apud Jeremiam c. 31. v. 32. Novum verò propriè testamentum. Nam quamvis & novum contineat conditionem observandæ spiritualiter Legis Dei: hanc tamen ipsam conditionem unà cum præmio ejus vitam æternam, tanquam unam completam hereditatem filiis suis prædestinatis per gratiam dandam Deus promisit, & proinde etiam facit, ut patet clarissimè ibid. versu 31. & 32. Et hoc totum tanquam testamentum morte testatoris confirmatum fuit, sicut urget Apostolus, ad Hebr. 9. versu 15. & 16. Unde utrumque etiam à Deo, non ab homine sperandum & exspectandum est, ac dari debet. Hoc est, ergò quod hîc dicitur. HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI, id est, quo novum istud testamentum à Prophetis promissum, à me revelatum & prædicatum sancitur, & veluti morte testatoris jam jam futura, & hoc ipso sanguine, qui mysticè funditur, repræsentata confirmatur. Ad hoc enim significandum addit: QUI PRO MULTIS, Lucas, *Pro vobis*: unde Ecclesia utrumque confundit dicendo, *pro vobis & pro multis. Multos* autem dicere mavult, quàm *omnes*, quia non tam sacrificii sufficientiam respi-

cere videtur, quàm fructum ejus: quasi diceret, pro vestrâ & multorum salute EFFUNDETUR. Interpres respexit effusionem, quæ facta est in sacrificio crucis: sed textus originalis omnium trium Evangelistarum & S. Pauli habet præsens, τὸ ἐκχυννόμενον, *qui effunditur.* Quod quamvis intelligi etiam posset de cruce, quia mox in ea sanguis ejus effundendus erat; Lucas tamen & Paulus clarè conjungunt cum calice, tamquam adjectivum cum suo substantivo, qui calix effunditur, seu libatur. Unde significat Christus, sanguinem illum jam tum effundi, id est, offerri Deo, quod propriè libari dicitur, tamquam sanguinem sacrificii. Hinc eodem sensu Lucas de corpore dicit, *quod pro vobis datur*, Græcè διδόμενον, & Paulus *quod pro vobis frangitur*, κλώμενον, id est, offertur & immolatur. Propriè enim panis est frangi, non corporis, nisi sub specie panis, præsertim cùm prædictum fuerit, non esse frangendum in cruce, *Os non comminuetis ex eo*, Joan. 19. versu. 39. prout utrumque observat Chrysost. in versu 16. c. 10. 1. ad Corinth. Nec intelligi potest, effundi sanguinem, & dari corpus, ad bibendum, & comedendum tamquam Sacramentum, quia hoc jam dixerat per, *comedite & bibite*: neque dixit, *vobis*, sicut dicendum fuisset, sed *pro vobis*, scilicet datur & effunditur Deo, quod propriè est sacrificii. Offertur namque Deo pro salute multorum, nempe, IN REMISSIONEM PECCATORUM: qui propriè est affectus ejus, ut sacrificii, non ut sacramenti; sic enim vitæ conservationem, vigorem & augmentum operatur. Remissionis solius mentionem facit, quia in ea veluti fonte cætera legata novi testamenti, justitia, adoptio, vita æterna continentur. Adjunxit autem eam sanguini magis, quàm corpori, tum quia in sanguine ratio sacrificii maximè cernitur; tum quia sanguis expressior est figura mortis, in satisfactionem pro peccatis susceptæ: quamvis etiam tacitè in eo contineatur, quod de corpore dictum est, *quod pro vobis datur*, id est, pro salute vestra, pro remissione peccatorum vestrorum. Ex quibus patet Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, sed & sacrificium propitiatorium; & hoc ex ipsis verbis convinci.

29. DICO AUTEM VOBIS: NON BIBAM A MODO, Græcè ἀπ' ἄρτι, *ex nunc* seu *in posterum*, familiariter scilicet vobiscum convivendo, atque cœnando, DE HOC GENIMINE, seu fructu VITIS, id est, de hoc vino, quod scilicet in cœna bibimus, quo calicem illum implevimus, sub cujus specie sanguinem meum accepistis, USQUE IN DIEM ILLUM, CUM ILLUD BIBAM VOBISCUM NOVUM, id est, donec bibam illud, longè alterius rationis & excellentiæ, in regno cœlorum vobiscum familiariter convivendo. Venustè enim transit à significatione vini propriâ ad metaphoricam, sicut fit etiam cap. 8. versu 22. & Joan. 4. versu 13. & 14. ut significet se in regno cœlorum cum illis inebriandum vino cœlestium delitiarum ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus esse potandum, ut est psalm. 35. ubi ista præsens metaphora vini explicatur. Itaque verbis istis significat, sicut familiares solent, hunc ultimum esse haustum, hanc postremam cœnam, quam eum

29. Dico autē vobis, non bibā amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibā vobiscum novum in regno Patris mei.

eis sumeret. Sicut autem inter bibendum de vino, ita idem inter comedendum de cibo dixisse Christum, testis est Lucas cap. 22. v. 16. *Ex hoc non manducabo istud, donec impleatur in regno Dei:* cui mox subjungit ista verba de generatione vitis jam explicata. Ex quo multi probabiliter sentiunt, hæc esse dicta ante consecrationem Corporis & Sanguinis Domini, ut Matthæus ordinem dictorum non servaverit, sed Lucas; qui bis loquens de calice, primùm v. 7. loquatur de calice profano, qui in cœna agnum Paschalem subsequente à patrefamilias distribui solebat; deinde v. 20. de calice sacro. Sed utrovis modo contigerit, verba veritatem suam, ut explicuimus, habere possunt.

30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.

30. ET HYMNO DICTO: Græcè in plurali, ὑμνήσαντες, *cùm dixissent hymnum*, seu laudes Deo consuetas. Unde nonnulli putant fuisse Psalmum 112. cum quinque sequentibus, eo quòd illi à Judæis, ut Paulus Burgensis notat, post comestum agnum Paschalem cani solerent. EXIERUNT IN MONTEM OLIVETI: decebat enim non in loco convivii, sed orationis eum capi, ut Origenes.

31. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalũ patiemini in me in ista nocte: Scriptum est enim: Percutiam pastorẽ, & dispergentur oves gregis.

31. TUNC DIXIT, &c. OMNES VOS SCANDALUM, seu offendiculum. PATIEMINI IN ME, id est, ero vobis lapis offensionis & scandali hâc nocte, quia ex iis, quæ circa me fient, occasionem ruinæ seu lapsus in peccatum accipietis. Hoc autem in eo situm erat, quòd fugientes Christum & corpore & animo, fidem divinitatis amittendo, deseruerint: Nudè enim fugere, cùm Christum scirent ultrò se tradere, neque defensionem, neque comitatum eorum velle, non fuisset peccatum, sed peccatum fuit ex timore mundano fugere, eo quòd putarent Christum jam velut invitum & superatum pro aliorum libidine ad mortem rapi, & ex hujusmodi perturbatione in ipsa fide vacillare atque deficere. Nam hoc eis revera contigisse indicat clariùs ipse Christus, Joan. 16. v. 31. & 32. *Modo creditis Ecce venit hora, ut dispergamini*, &c. quasi diceret, inquit August. in istum locum, tunc ita perturbabimini, ut etiam quod modò creditis, relinquatis. Et hinc est, quòd Hilar. exponat, *scandalum patiemini*, id est, metu atque infidelitate turbabimini; quam sæpiùs notat Aug. passum esse Cleopham, quando dixit Lucæ 24. v. 21. *Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus esset Israël.* SCRIPTUM EST ENIM, de hujus noctis tribulatione: PERCUTIAM PASTOREM, gladio persecutionis ac tribulationis, ut in manus hostium suorum perveniat, & hoc pacto DISPERGENTUR OVES GREGIS, quem colligere cœperat, suaque auctoritate continebat. Intelligit autem Christum & Apostolos, cæterosque discipulos, qui de pastoris sui salute & expectata redemptione desperantes, corporeque & animo fugientes, id est, etiam fide desciscentes eum deseruerant. Citat autem sententiam juxta sensum, non verba; nam Hebraïcè Deus alloquitur gladium suum dicendo, *Percute Pastorem*: quo significat se facere id, quod gladio suo præcipit, ut fiat. Prædictum hoc Deus, & Christus allegatum voluit, partim ut intelligerent nihil inopinatum sibi contingere, partim ne post lapsum suum

inquit Hieron., desperarent salutem. Unde illorum infirmitatem promissione reditus sui mox futuri erigens, addit:

32. Postquam autem resurrexero, quod statim tertiâ post die futurum jam sæpiùs audivistis, præcedam vos, denuò velut Pastore gregem suum, ut vos à dispersione apud me colligam, in Galilæam, patriam vestram, de qua vobis repetenda cogitabitis, ut à Judæorum odiis ac metu liberati securiùs vivatis: qu. d. Nec desertus deseram vos, sed præveniam vos in Galilæam, quam repetere voletis, ubi familiariùs & sæpiùs apparens colligam & refocillabo vos.

32. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.

33. Respondens autem Petrus, qui se taxatum senserat in eo, quod dictum erat, *Omnes vos*, ait illi, impulsus quidem fide & amore in Dominum suum, sed infirmitatis suæ inexpertus: Etsi omnes, &c. Ego nunquam scandalizabor, ut te vel deseram vel de te dubitem: ubi Chrysost. triplex peccatum ejus notat; quod neque prophetæ, neque Christi verbis acquiesceret, quòd cæteris se præponeret, qu. d. Quidquid passi fuerint cæteri, ego solus manebo tibi fidelis, quod denique sibi seu viribus suis arrogaret id, quod precibus à divinâ misericordiâ erat impetrandum. Nam ut optimè dixit S. Innoc. in epist. ad Concilium Carthaginense, necesse est, quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur. Unde Christus retundens illam arrogantiam ejus cum gravi asseveratione ait:

33. Respondens autem Petrus, ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.

34. Amen dico vobis, ut vel sic animi sui fragilitatem suspectam haberet, vel crederet: quia non, ita diu post, quando animus tuus videri posset deferbuisse, sed in hac ipsa nocte, in qua jactas constantiam tuam, idque adhuc, Antequam gallus cantet, id est, ante tempus quod vocatur galli-cantus, seu gallicinium, non semel, non bis, sed ter me, Dominum tuum, quem tantoperè te diligere gloriatis, non deseres fugiendo, sicut alii, vel simpliciter scandalizaberis, quo metu ac trepidatione fieri solet, sec turpissimè negabis, me tibi notum esse & consequenter te discipulum meum esse, tibi quidquam negotii vel fuisse unquam, vel esse mecum. Omnia enim verba Christi emphasin habent, tam distinctè exprimunt modum, tempus, horam, numerum, ut vel sic tandem sibi fidem adhiberet: non ut cogeretur ad negandum, inquit Ambros. in Luc. sed ut instrueretur ad cavendum. Porro Gallicinium, est propriè tempus non quo gallus canit media scilicet nocte, sed quo maximè canit, nempe adventante luce circa initium quartæ vigiliæ. Unde Marci 13. v. 35. galli cantus distinguitur contra mediam noctem & mane, id est, auroram: & Tobiæ 8. v. 11. vocatur *pullorum cantus*. Cum ergo Matth. & Lucas & Joannes absolutè dixerint, *antequam gallus cantet*, solus Marcus dixit cap. ult. *priusquam gallus cantet bis*; & eodem cap. v. 68. & 2. distinctè narrat, gallum bis cantavisse: quod optimè consistit cum aliorum narratione, quia Marcus comprehendit & illum primum galli cantum, qui mediâ nocte fit, alii antonomasticè solum illum maximum

34. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis.

& celebriorem quem diximus. Itaque Petrus adhuc fiduciâ non divinæ gratiæ, sed sui ipsius plenus, & fortasse putans comminantis, non prædicentis esse verba ait:

35. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecũ, non te negabo. Similiter omnes discipuli dixerunt.

35. ETIAMSI OPORTUERIT ME MORI TECUM, quia ut August. lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 7. putabat se posse, quod se velle sentiebat: dixit enim ista, non ut magistrum mendacem, sed ut animum suum, cujus utcumque conscius erat, testatum faceret. Unde & cæteri, ne viderentur Petro animositate & fidelitate cedere, SIMILITER DIXERUNT: Quare ut istam in eis valde perniciosam præsumptionem sanaret, avertit ab eis paulisper Deus faciem suam, & facti sunt conturbati, ut ipso lapsu eis proficiente in bonum, humiliores redirent, atque doctiores, non sibi jam arrogando tamquam de suis viribus fiduciam permanendi, sed à divinâ gratiâ humiliter deprecando, ut idem tradit, de correptione & gratia cap. 9.

36. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hîc donec vadam illuc & orem.

36. TUNC VENIT IN VILLAM, Græcè χωρίον, *prædium*, ut vertitur apud Marcum, seu *agrum*, qui fortasse complexus est villam simul & hortum, quem Joan. nominat cap. 18. v. 1. QUÆ DICITUR GETHSEMANI, *Vallis olei*, vel בת *Geth* posito pro נת *Gé*, vel נת *Geth* sive *Gath* propriè sumendo, *Torcular olei*, propter montem olivarum, ad cujus radices erat. ET DIXIT, SEDETE HIC, in anteriori horti parte, ubi reliquit octo discipulos, donec VADAM ILLUC, paulo ulterius ad jactum lapidis, ut Lucas, ET OREM. Non ergo latendi causâ secessit, sed ut doceret, & oraret in tristitia, & modum orandi, quietem scilicet à turbis appetendo, ut Chrysost.

37. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse.

37. ET ASSUMPTO PETRO ET DUOBUS FILIIS ZEBEDÆI, Jacobo & Joanne, quos præ cæteris assumpsit, veluti familiariores & constantiores quibus pleraque secreta crederet; ut sicut majestatis in transfiguratione, ita etiam infirmitatis testes fierent, ut utrâque visâ minus cæteris turbarentur. CŒPIT CONTRISTARI, & non ante quantumvis de proditore & morte sua loqueretur: nempe quia non subito & præter voluntatem, ut nobis accidit, sed sponte, quando, quomodo, quantum voluit, contristatus est: ET MŒSTUS ESSE, Græcè ἀδημονεῖν, id est, gravissimè angi, & animo pene deficere, quod apud Marcum ideo vertitur, *tædere*: cui additur etiam *pavere*, Græcè *obtupescere*, id est, ingenti metu malorum imminentium concuti.

38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usq; ad mortem: sustinete hîc & vigilate mecum.

38. TUNC AIT ILLIS: TRISTIS EST ANIMA MEA, Græcè περίλυπος, id est, undique obsessus est animus meus tristitiâ, USQUE AD MORTEM, id est, quasi in ipsâ morte essem constitutus, quod Psalm. dixit: *Circumdederunt me dolores mortis.* Christus itaque cùm assumpsisset naturam mortalem & infirmam, simul eam cum appetitu irascibili suscepit, & motuum ejus capaci. Omnibus autem rebus inditum est naturaliter existendi & permanendi desiderium, & consequenter fugiendi interitum suum: sed in hoc inter nos & Christum Dominum discrimen maximum fuit, quod nos istiusmodi motus, utpote rationem plerumque præcurrentes

patiamur, & non patiamur inviti: nam & iraſcimur & triſtamur cùm nolumus, & non iraſcimur aut triſtamur, cum volumus, neque quantum volumus, propter rebellionem ex peccato natam: ille ſponte cum voluit, & quantum voluit. In nobis ad objecta illicita non minus feruntur quam licita: in Chriſto nunquam ad illicita. In nobis plerumque rationem turbantes, eam ad ſe ferunt, imò pertrahunt, in Chriſto ratio nullam ex eis inquietudinem patiebatur. Hoc eſt igitur quod Auguſt. dicit in pſalm. 87. Chriſtum iſtos humanæ infirmitatis affectus non conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate ſuſcepiſſe. Cauſa ſuſcipiendi multiplex fuit: primo, ut verum ſe probaret hominem: ſi enim cum vultus, & verba, & res, mœrorem expreſſerunt, non creditur tamen à nonnullis paſſio inquit Chryſoſt. quid dicerent, ſi illa defuiſſent? Secundo, ne quis paſſionem facilè & ſine dolore toleratam ſuſpicetur. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerint, quam dolorem, ut Ambroſ. in cap. 22. Lucæ. Tertiò, ut ſolaretur infirmos, ne timorem mortis & horrorem, peccatum eſſe crederent, vel de ipſis deſperarent, ut Aug. 3. de conſenſu cap. 4. ſi in ſubeunda morte pro juſtitia ſibi alacritatem illam deeſſe ſentirent. Ultro itaque Chriſtus totius paſſionis acerbitatem cum omnibus circumſtantiis ſibi ob oculos poſuit, & naturam in motus tantæ acerbitati congruos erumpere permiſit. Unde non timidus, ut nos, ſed fortiſſimus fuit, ut qui & timoris & tædii, ac triſtitiæ moleſtias ſufferre & ſuperare voluit. Quamvis autem non ſit dubium, triſtatum fuiſſe Chriſtum etiam de proditione Judæ, de peccatis Judæorum, de ſcandalo Apoſtolorum, & ſimilibus rationi repugnantibus malis, ut Hieron. eò tamen videtur hîc reſpici, ſed ad triſtitiam de amaritudine paſſionis: quæ tamen non turbabat gaudium beatificæ fruitionis ejus, neque hoc illam excludebat, quia erant de diverſis objectis, & in diverſis animæ partibus. Unde ut obſervat D. Thomas opuſc. de humanitate Chriſti, etiam pœnitentibus accidit dolere, & de eodem ſuo dolore gaudere: quamquam divina diſpenſatione factum videtur, ne tantum gaudium tantam triſtitiam excluderet, vel minueret. SUSTINETE HIC, Græcè μείνατε, *manete* & VIGILATE mecum, ut vigiliæ & orationis ſocietas vobis ſit præſidium, mihi aliquod ſolatium.

39. ET PROGRESSUS PUSILLUM, etiam ab illis tribus: *progreſſus* quidem juxta humanam conſuetudinem & verecundiam, qua æſtuantis animi motus in oratione coram hominibus effundere ſubmoleſtum eſt: *puſillum* vero ut tamen teſtes eſſe poſſent, imitatores actorum. PROCIDIT IN FACIEM SUAM, ut corporis habitu ſimul humilitatem ſuperioris partis animi, & deſolationem inferioris teſtaretur. DICENS ET ORANS: PATER MI, quod Marcus dixit: *Abba, Pater*, quaſi interpretans voce Græca id; quod Chaldaïca dixerat *Abba* fortaſſe ſacramenti alicujus cauſa, inquit Auguſtinus, ut ſignificaret ſe pro corpore ſuo Eccleſia, ex Hebræis & Gentibus conſtante, pati. SI POSSIBILE EST. Non lo-

39. Et progreſſus puſillum procidit in faciē ſuam, orans & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

quitur de absoluta possibilitate: quod ut intelligeremus, apud Marcum additur; Christum, cùm dixisset, *Si fieri potest*, adjecisse, cautionis causa scilicet *Omnia tibi possibilia sunt*. Itaque quid sit illud, *Si possibile est*, explicuit Lucas dicendo, *Pater si vis*, ut notat Augustinus 3. de consensu Evangel. cap. 4. Unde non de rei impossibilitate, vel de absoluta Patris omnipotentia, sed de Patris voluntate hoc dixit. Hoc enim fieri potest, quod ille voluerit: & non potest, quod noluerit, etiamsi in se spectatum fieri non repugnet. TRANSEAT A ME CALIX ISTE, terribilis passionis, & imminentis mortis, quem jam gustare cœpi: de qua voce *Calicis* alibi diximus. Ex hac oratione Calvinus Christo inconsiderantiam, oblivionem officii sui, mentis caliginem, inconstantiam, subitas voces dolore extortas adscribit, sed impiè. Fuit enim præmeditata hæc oratio, ita contexta, ut priore ejus parte exprimeret desiderium humanæ naturæ, optantis ab acerbissimâ morte liberari: posteriori verò, desiderium voluntatis rationalis, subjicientis illum eumdem naturæ impetum plenissimè divino beneplacito. Diversa quippe fuerunt desideria, non sibi adversa, eamdem passionem sub diversis considerationibus abhorrentia & amplectentia. Dominabatur enim voluntas appetitui, ut sicut liberè tristitiæ motus exerebat, ita eosdem & impletionem eorum divinæ voluntati subjiceret. Veteres, ut August. epist. 120. cap. 10. Greg. lib. 12. Moral. cap. 8. & alii nonnulli volunt Christum in se transfiguralle vocem infirmorum: quod cum priore interpretatione benè consistit. Fieri enim potest, ut simul uteretur voce naturæ, & hoc faciendo causam ageret fragilitatis & trepidationis humanæ, ut S. Leo loquitur Serm. 5. de Pass. instruens eos, quid infirmitati concederetur humanæ, & quo pacto deberent hujusmodi vota ad divinam voluntatem revocari, sicut ipse fecit, dicendo: VERUMTAMEN NON SICUT EGO VOLO, appetitu illo naturæ, supple *fiat*; SED SICUT TU. Quod dicendo indicat, & suam esse illam rationalem, absolutamque voluntatem. Itaque non est hæc duplex oratio, nec una corrigit alteram, ut aliqui putant (nihil enim in Christo corrigendum erat:) sed una, plena & deliberata oratio, cujus prima pars exprimit horrorem passionis ac desiderii naturæ; hac tamen conditione moderatum, ut si fieri posset, id est, si Pater vellet, non moreretur: quæ conditio cùm non subsisteret, altera pars subjicit rem totam divinæ voluntati: ut exemplo doceret, inquit Chrysost. etiam naturâ abhorrente, ac renitente esse sequendum Deum.

40. Et venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes: & dicit Petro, Sic non potuistis una hora vigilare mecum?

40. ET VENIT, Præsens est, sicut & INVENIT: res enim narratur, quasi ob oculos posita gereretur: EOS DORMIENTES, ET DICIT PETRO, qui cæteris erat caput, & præ cæteris se jactaverat; in ipso tamen, & cum ipso simul taxat cæteros: Sic, id est, siccine, itane impletis magnifica promissa vestra? Unde aptè quidam huic voci subjiciunt interrogationem. NON POTUISTIS UNA HORA VIGILARE MECUM? in extremis angustiis meis, dum ego vigilo, oro, sudo, pugno cum morte. Non quasi per horam

horam hac primâ voce oraſſet: ſed per, *horam*, breve temporis ſpatium indicare voluit, ad accuſandam eorum negligentiam, quod nos diceremus, *per momentum*. Quamvis aliqui *horam* accipiant, ut verba ſonant, eóque reſpexiſſe Lucam velint, cùm diceret, *quod prolixiùs orabat*.

41. VIGILATE ergò ET ORATE, non jam meâ, ſed veſtrâ cauſâ, hoc autem orate, non ut non tentemini, ſed UT NON INTRETIS INTENTATIONEM, ei ſuccumbendo, id eſt, ut Deus non ſinat vos induci in tentationis conſenſum: hic eſt enim gratiæ Dei orationis effectus. Nam tentari non ſemper malum eſt, imò ſæpè bonum, ut homo noverit infirmitatem ſuam & gratiam Dei. Ne autem fiderent ſpiritus ſui, ſeu voluntatis promptitudini, occurrit Chriſtus: SPIRITUS QUIDEM, ſeu voluntas illa ſpiritualis, quam vos habere ſentitis, PROMPTUS EST, ad reſiſtendum tentationi, & moriendum mecum: CARO AUTEM, id eſt, appetitus incolumitatis carnalis, quietis ac pacis, INFIRMA, ad ſequendam illam voluntatem, quia adhuc in vobis robuſtus eſt. Quò enim talis carnis appetitus validior eſt, eò reddit hominem ad ſpiritus deſideria aſſequenda infirmiorem, imò infirmitas noſtra ipſe eſt, eò major, quò robuſtior. Hæc ergò cauſa neceſſitatis orandi ut amor illo amore ſpiritus majore ſuperetur.

41. Vigilate & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidé promptus eſt, caro autem infirma.

42. ITERUM SECUNDO ABIIT ET ORAVIT: PATER MI, SI NON POTEST HIC CALIX TRANSIRE, &c. Inſinuat iterum indirectè gratum naturæ fore, ſi tranſiret; gratius tamen, ut obveniat, & impleatur voluntas Dei; dum abſolutè adjicit, FIAT VOLUNTAS TUA: quibus verbis non ſolum ſe reſignat in mortem & voluntatem Dei, ſed etiam orat, ut circa ſe impleatur. Eadem ergo eſt hæc oratio, quæ prior; quamvis in verbis aliqua videatur differentia: unde Marcus ait, eum *eumdem ſermonem dixiſſe*.

42. Iterum ſecundò abiit, & oravit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

43. ET VENIT ITERUM, ut inter media pericula curam ſalutis eorum oſtenderet, eoſque ſui officii admoneret, ut & ipſi ſuam agnoſcerent infirmitatem, & nos alienam tolerare diſceremus. ET INVENIT EOS DORMIENTES, præ triſtitia, ut expreſsè addit Lucas. ERANT ENIM OCULI EORUM GRAVATI. Somno igitur non voluntario premebantur; inquit Auguſt. 2. contra Gaudent. cap. 22. triſtitia enim ſomnum provocat. Unde pueri cùm fleverint & adulti triſtes facilè dormiunt.

43. Et venit iterum, & invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati.

44. ET RELICTIS ILLIS ORAVIT TERTIO EUMDEM SERMONEM, DICENS: id eſt, in eamdem ſententiam ſeu eamdem rem oratione petens: *Sermo* enim Hebraïcè pro re ſumitur. Idem ergo, quamvis diverſis forſan verbis, explicuerit, ſicut & ſecunda vice factum vidimus. Sed cur ter oravit? quia hic numerus rei perfectioni & conſtantiæ ſervire ſolet, juxta Chryſoſt. ut ſcilicet doceret perſeverandum in oratione inter pericula, etſi non fiamus mox voti compotes. Unde quamvis prima oratione, imò ipſemet potuiſſet ſine oratione triſtitiam ſuam ſedare; maluit tamen exempli noſtri cauſa velut fructum tertiæ orationis hoc obtinere. Itaque

44. Et relictis illis iterum abiit & oravit tertio, eumdem ſermonem dicens.

45. Tunc, finitis precibus, ſuppreſſo naturæ horrentis affectu,

45. Tunc ve-

nit ad discipulos suos & dicit illis: Dormite jã & requiescite: ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.

VENIT AD DISCIPULOS SUOS, ET DICIT: DORMITE ET REQUIESCITE. S. Augustin. lib. 3. de consensu cap. 4. accipit, ut verba indulgentis eis jam somnum: ideoque his pronuntiatis putat Dominum aliquantulum siluisse, ut fieret, quod permittebat; tum denique subjecisse id, quod Marcus dicit, *Sufficit*. Theophil. tamen & Euthym. valdè appositè accipiunt, ut verba exprobrantis importunam somnolentiam, per ironiam, quomodo & August. accipi posse dicit; hoc enim videtur postulare, quod sequitur: ECCE APPROPINQUAVIT HORA, seu articulus temporis à Deo definitus: ET, id est, qua, FILIUS HOMINIS TRADETUR IN MANUS PECCATORUM: q. d. periculum præsens vos jam satis excitabit, quos crebra monitio non excitaverat.

46. Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet.

46. SURGITE EAMUS, ipsis obviam, ut pateat, inquit Chrysost. non necessitatis aut infirmitatis humanæ rem istam esse, sed divinæ dispensationis, nec me incautè oppressum, sed ultrò eis à me ipso traditum. ECCE APPROPINQUAVIT, QUI ME TRADET. Prædictio erat; necdum enim se dederat in conspectum: unde ut appareret vera, unanimiter Luc. Marc. 8. Matth. notant, quòd

47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi.

47. ADHUC IPSO LOQUENTE JUDAS unus DE DUODECIM VENIT, ex Apostolo subitò factus dux sceleratorum hominum. Ne quid enim Christi injuriis deesset, oportebat eum à discipulo ordinis sibi conjunctissimi tradi. ET CUM EO TURBA MULTA, nempe tribunus & cohors à Romanis accepta, & ministri à Pontificibus & Pharisæis, ut tradit Joannes: simul etiam aliqui principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores aderant, ut Luc. 22. versu 52. *cum gladiis & fustibus*, ferratis scilicet, id est, hastis, muniti adversùs vim sive Apostolorum sive turbæ, & velut facinorosum comprehensuri: MISSI A PRINCIPIBUS SACERDOTUM ET SENIORIBUS POPULI, id est, à summo magistratu, tam Ecclesiastico quàm civili.

48. Qui autem tradidit eũ, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero ipse est, tenete eum.

48. QUI AUTEM TRADIDIT, DEDIT EIS SIGNUM, ne per tenebras errarent in persona, præcipuè milites, qui eum minùs noverant. QUEMCUMQUE OSCULATUS FUERO. Elegit hoc signum pacis, partim reverentiâ magistri, partim verecundiâ discipuli, ut Hieron. notat, ut & Christum proderet sine violentia, & sceleris fœditas eum ipsum & coapostolos lateret ad tempus. Erat enim signum salutantibus pro more gentis usitatum, ut patet in Joab, typo Judæ, 2. Reg. 2. versu 9. Unde Christus, *Osculum mihi non dedisti*, Lucæ 7. versu 45. Hinc eadem consuetudo mansit inter veteres Christianos, ut patet Act. 20. versu 37. & ad Roman. 16. versu 16. & passim alibi. IPSE EST, quem quæritis, & quem pactus sum tradere: TENETE EUM, Marcus addit: *& ducite cautè*, ne scilicet è manibus elabatur, ut aliquando fecit in Nazareth, Lucæ 4. v. 30. & Joan. 10. versu 39. Monuit hoc Judas, ne, si quo casu elaberetur, simul forsan & pecuniam pactam, & officium dispensatoris amitteret.

49. Et confe-

49. ET CONFESTIM ACCEDENS, tanquam domesticus: unde

turbam videtur aliquantulum præcessisse, ut scilicet & videri ab ea posset, & non ab ejus partibus stare videretur. DIXIT: AVE RABBI, ET OSCULATUS EST EUM: nec Dominus osculum aversatus est, tum ne criminis causam aliqua ei præberet offensio, ut Leo Serm. 5. de passione: tum ut plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret, ut hîc Ambrosius: denique ut ita doceremur etiam sævituros in nos inimicos diligere, ut hîc Hilar. Unde nec convitiis, nec minis, nec verbo perstringit asperiore, nec perfidiam exprobrat, sed blandissimo verbo intimam pungens conscientiam, ait:

stim accedens ad Jesum dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum.

50. AMICE; quia amicus fuerat, & adhuc in scelere Dominus amicum animum erga eum servabat, Augustin. in Psalm. 3. AD QUID VENISTI? id est, Quò impietatis devenisti, inquiunt aliqui, ut sit commiserantis; sed Græcum, ἐφ' ὃ πάρει, *ad quid ades* seu *advenisti*? satis indicat Christum de corporali adventu loqui. Unde videtur vox admirantis: Cur cum osculo, si proditor? Cur cum illo comitatu, si amicus? Ut autem indicaret, non ignotam sibi fraudem esse, apud Lucam addit, maximâ cum emphasi, *Osculo Filium hominis tradis*? id est, charitatis insigne, inquit Ambros. in Hexam. convertis in signum proditionis? Pacis pignore uteris ad officium crudelitatis? Unde idem in Psalm. 39. graviore telo tantæ dignationis percussum esse Judam dicit, quàm si eum fulmine percussisset, neque patientiam Domini ferre potuisse, qui majestatem prodidit; putat enim ipse propter hanc dignationis vocem in primis tactum Judam pœnitentiâ, & pecuniam retulisse. His ita peractis recessit Judas versùs turbam, & contigerunt illa quæ Joan. narrat de turbis prostratis, ut sentit Augustin. 3. de consensu capite 3. Si enim ante osculum ista contigissent, non opus fuisset osculi signo, cùm bis dixisset ipse Jesus, *Ego sum*. Itaque post osculum & prostrationem turbæ, propriâ voce Christi instructi, quod ipse esset, TUNC ACCESSERUNT, Domino eis quasi potentioribus cedente, & potestati temporariæ potentiam, quam habebant, permittente, ET MANUS INIECERUNT, &c. cùm tamen hoc jam tentare vellent.

50. Dixitque illi Jesus: Amice ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & tenuerunt eum.

51. ET ECCE UNUS EXTENDENS MANUM, Petrus scilicet, ut est apud Joan. cùm videret, ut ait Luc. quod futurum erat, quòd nempe ligaturi essent, & ad supplicium adducturi, Christo non ampliùs eos prosternente, sed sinente accedere, EXEMIT GLADIUM, animo fervidus & manu promptus, non expectato Christi responso, ad interrogationem, qua discipuli petierant, num percuterent in gladio? Sed unde gladius Petro, in familia Christi pacifici? Chrysost. putat reservatum ex occisione agni Paschalis; Cyrillus in Joann. ex consuetudine regionis ad arcenda pericula nocturna: sed perspicuum videtur, studiosè à Petro fuisse gestatum, ad defendendum Dominum occasione proditionis instantis, & verborum Christi, Lucæ 22. versu 36. & 38. ET PERCUTIENS SERVUM PRINCIPIS SACERDOTUM, nomine Malchum, ferociùs instantem, inquit Leo Ser. 1. de Passion. ut inter primos ma-

51. Et ecce unus ex his qui erant cum Jesu, extendens manū, exemit gladium suum, & percutiens servū principis sacerdotum amputavit auriculam ejus.

nus injiceret in Jesum, AMPUTAVIT AURICULAM EIUS, dexteram: quo satis indicatur, eum occidere voluisse, sed Deo ictum moderante, vel servo declinante frustratum. Fecit hoc Petrus eodem mentis ardore, quo cætera, inquit Hieron. & ut promissis suis satisfaceret.

52. Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt.

52. TUNC AIT: CONVERTE GLADIUM IN LOCUM SUUM, in vaginam recondе. Noluit enim persecutorum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare, inquit Ambrosius 3. Officior. c. 4. Sed antequam hæc diceret, apud Lucam præmisit, *Sinite usque huc*, scilicet eos progredi ad me capiendum, inquit August. Quanquam Græcum ἐᾶτε etiam significet *cessate*, q. d. desinite, huc usque sufficerit me defendisse, quem sensum Euthymius insinuat. OMNES ENIM QUI ACCEPERINT GLADIUM, ad ulciscendum, ut vult Basil. Regum 49. seu potius generaliter, qui acceperint privata auctoritate. Ille enim accipit gladium, inquit August. contra Faustum cap. 70. qui nulla superiori ac legitima potestate vel jubente vel concedente in sanguinem alterius armatur. GLADIO PERIBUNT, id est, digni sunt, qui pereant. Non enim eventus, sed meritum homicidæ significatur, juxta legem Gen. 9. v. 6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quo dicto non Petrum tantùm, sed & hostes suos, gladium & violentam potestatem in se innocentem usurpantes, perstrinxit, ut notat Chrysost. & Theophyl. Paruit statim Petrus, ut liqueat eum, sicut Moysen olim, inquit August. loco cit. non detestabili immanitate, sed emendabili animositate justitiæ regulam excessisse: utrumque odio improbitatis alienæ; Moysen fraterno, Petrum Dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccasse. Hæc prima ratio, quare repressit Petrum. Altera est:

53. An putas, quia non possum rogare patrem, meum & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?

53. AN PUTAS, QUIA NON POSSUM ROGARE PATREM, pro auxilio Angelorum multò potentiori quàm tuo; ET EXHIBEBIT MIHI MODO, hac ipsa hora, in momento, inquit Tertull. de patientia cap. 3. ut significet interpretationem cælestis præsidii nondum esse seram, vel importunam, PLUSQUAM DUODECIM LEGIONES ANGELORUM, pro vobis duodecim Apostolis. Eadem voce, *Legio*, utitur textus & Græcus & Syriacus, qua usus videtur & ipse Christus tanquam in Judæa propter Romanos jam vulgari. Hieron. & Vegetius scribunt Legionem continuisse sex millia militum, alii plures, Polybius pauciores. Quidquid sit, significari Christus voluit ingentem Angelorum numerum. Loquitur autem secundùm opinionem Petri, cùm ipse nec hominum, nec Angelorum auxilio indigeret, sed Angeli ipso.

54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?

54. QUOMODO ERGO IMPLEBUNTUR SCRIPTURÆ, supple, quæ tradunt, QUIA SIC OPORTET FIERI id est, quia oportet me non resistere, me debere capi & mori. Scriptura enim dicit, *Tamquam ovis ad occisionem ducetur.* Item, *Ego tamquam agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Nam, ut Cyrill. in c. 50. Isaiæ, ovis & agni in eos, per quos ad occisionem ducuntur, non insiliunt. Respondet itaque tacitè objectioni, cur non petat auxilium, & cur

illos & se à defensione contineat.

55. In illa hora, seu temporis articulo, DIXIT TURBIS, præcipuè principibus Sacerdotum, magistratibus templi, & senioribus, ut Luc. explicat: nam in milites Romanos ultima hujus versus verba non ita quadrant: TAMQUAM AD LATRONEM EXISTIS CUM GLADIIS, &c. ad conflandam mihi hominis facinorosissimi invidiam, qui quidlibet auderet, antequam capi posset, idque nocte intempestâ, ut quasi ex insperato violentia ejus opprimatur. Gravissima est enim expostulatio de injurioso agendi modo, cùm non in modum latrònis se gessisset. Nam QUOTIDIE, clarâ scilicet luce, nec semel, sed per singulos dies, APUD VOS, præsentes & spectantes, SEDEBAM DOCENS, tamquam securus, nihil de fuga sollicitus, omnibus docendo benefaciens. De miraculis tacet, inquit Chrysostom. ne se jactare videretur. IN TEMPLO, loco sanctissimo, vobis subjecto, à latrociniis alienissimo, ante judicum totiusque Reip. conspectum: ET NON ME TENUISTIS, sicut debebatis, si erat justa causa.

55. In illa hora dixit Jesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.

56. HOC AUTEM TOTUM FACTUM EST, UT ADIMPLERENTUR SCRIPTURÆ PROPHETARUM. Oportebat enim hoc Sacramentum multipliciter prædici, quia quantò magis erat incredibile, tantò magis scandalo futurum erat, si nudè prædicaretur, inquit Tertullian. libr. contra Judæos cap. 10. Marcus hoc modo, *sed ut impleantur Scripturæ*: ut sint illa verba Christi reddentis rationem, cur *hoc totum*, scilicet proditio, comprehensio, noctu instar latronis sine defensione contigerit, nempe non eorum potestate, aut viribus, quia diu antè perpetrassent, sed quia decreto Patris per Scripturas prænuntiato jam tandem permitteretur. Unde Lucas, *Hæc est hora vestra*, seu opportunitas diu exoptata, quâ vobis à Deo tandem permittitur in me agere, quod lubet, *& potestas tenebrarum*, id est, malignorum spirituum, laxata jam à Deo, quibus dominantibus præbetis manus. Matthæus tamen videtur hæc verba ex persona sua dicere. Ex his liquet, quàm præsenti animo Christus in periculis fuerit, ut qui unicuique interritus quod suum erat, diceret, Judæ, Petro, Judæis. TUNC cùm jam eum & captum, & ligatum, & Judæorum potestati prorsus traditum viderent, DISCIPULI OMNES RELICTO EO FUGERUNT; in pace leones, in prælio cervi, ut Tertull. loquitur, De corona milit. cap. 1. metuentes videlicet timore humano ne & caperentur, cùm Christi permissu liberè abire potuissent, Joan. 18. v. 8.

56. Hoc autem totū factum est, ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.

57. AT ILLI TENENTES JESUM, DUXERUNT AD CAIPHAM, PRINCIPEM SACERDOTUM, hoc est, Pontificem anni illius, ut Joan. UBI SCRIBÆ ET SENIORES CONVENERANT, jam antè scilicet, exspectantes ex Judæ condicto eventum rei, ut eum statim nocte, communi auctoritate damnarent. Testis autem est Joannes, fuisse ante ductum ad Annam, quia socer erat Caïphæ, & inde ligatum ad domum Caïphæ.

57. At illi tenētes Jesū, duxerunt ad Caïphā principem sacerdotum, ubi Scribę & seniores convenerant.

58. PETRUS AUTEM, animo jam ex prima trepidatione recepto,

58. Petrus au-

tem sequebatur cum à longè, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem.

SEQUEBATUR EUM, vinctus amore erga Dominum, quamvis infirmo: unde multùm ponderat Ambros. in Lucam, hanc ejus audaciam inter pericula. A LONGE, quia amori mixtus erat timor: charitas trahit eum, timor retrahit: USQUE AD ATRIUM PRINCIPIS SACERDOTUM, id est, in ipsam aulam, ἔως τῆς αὐλῆς, ut est Græcè, scilicet primam ministris deputatam. Non enim hîc accipitur pro loco subdiali; nam INGRESSUS INTRO, intromissus scilicet per ostiariam, operâ illius discipuli, qui erat notus Pontifici, ut tradit Joannes; SEDEBAT, ad ignem, ut alii narrant, CUM MINISTRIS, operientibus dominos suos: ubi, inquit Cyril. libr. II. in Joan. cap. 42. alto corde dolorem premens, quæ illi faciebant, facere simulabat.

59. Principes autem sacerdotũ & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eũ morti traderent:

59. PRINCIPES AUTEM SACERDOTUM, &c. QUÆREBANT FALSUM TESTIMONIUM, quod tamen verum videri vellent: unde Syrus simpliciter, *quærebant testes*: juris enim speciem impietati prætexere voluisse perspicuum est. Primò itaque de doctrina inquisierunt, ut Joan. ubi cùm nihil invenissent ex ipso, sed remissi essent ad auditores, testes ex auditoribus quærunt. UT EUM MORTI TRADERENT: quo indicatur, nihil eis de mortis causa fuisse curæ, sed larvâ judicii contentos fuisse, tum ut sic honori suo consulerent, tum ut Pilati operâ possent uti ad supplicium decernendum, sine quo non poterant.

60. Et non invenerunt, cũ multi falsi testes accessissent. Novissimè autem venerunt duo falsi testes.

60. ET NON INVENERUNT, etiam falsum testimonium, quod esset idoneum ad necem juris specie decernendam, eo quòd nullam, ut Orig. vel verisimilitudinem, vel colorem reprehensionis invenirent in tanta ejus innocentia. CUM MULTI FALSI TESTES ACCESSISSENT, qui vel Pontificibus, vel magistratibus gratificari vellent, alii aliud, sed sine sufficienti ad supplicium colore testantes, NOVISSIME AUTEM VENERUNT, tamquam singulare præ cæteris crimen objecturi, DUO, ut in ore duorum testium plene condemnari posset, juxta Legem Deuter. 16. versu 6. FALSI tamen, quia & sensum & verba Christi perverterunt.

61. Et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei & post triduum reædificare illud.

61. HIC DICIT: POSSUM DESTRUERE TEMPLUM DEI: *manufactum*, addit Marcus, scilicet Jerosolymitanum: ET POST TRIDUUM REÆDIFICARE ILLUD. Tendebat hoc testimonium ad convincendam ejus impietatem in destruendo templo augustissimo, & præsumptionem, vel artes ejus magicas in reædificando. Falsum erat, & in verbis, quia non dixerat: Possum destruere, sed Solvite, vos scilicet, hoc est si solveritis: & in sensu, quia locutus erat de templo corporis sui. Et hinc notat Marcus, *non fuisse conveniens eorum testimonium*, quia ad necem insufficiens, etsi fuisset verum: nemini erat injuriosa potestatis propriæ declaratio. Mirabilis autem innocentia, contra quam aliquid nec fingi potest ab inimicis.

62. Et surgens Princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes

62. ET SURGENS PRINCEPS SACERDOTUM, iratus scilicet & impatiens, quod nullus inveniretur calumniæ locus, ut Hieron. notat: atque in primis, eo quod videret id ipsum Jesum adstantem intelligere, & idcirco putaret eum omnia silentio quasi con-

temnere. AIT ILLI: NIHIL RESPONDES AD EA, &c. non quasi Caïphas ipse judicaret esse digna responso; sed ut ex quacumque occasione sermonis locum inveniret accusandi, inquit Hieron. JESUS AUTEM TACEBAT, tum quod ipsa se testimonia refellerent, etiam inimicorum & judicum judicio, tum quod nihil esset profuturum, sed nociturum. Inimicos enim dum purgare nos volumus, acerbamus, inquit Ambros. lib. 2. de interpellat. cap. 2. Quidquid enim dixisset, vertendum erat in calumniam, cùm esset tantùm figura judicii, reipsa latrocinium ad damnandam innocentiam. Itaque, tacendo, accusationem non firmabat, sed spernebat, tanquam qui non suum, sed alterius crimen audiret, ut loquitur Ambros. in psalmum 118. Denique hoc mirabile silentium per totam passionem observatum non caruit mysterio, quod abjecta scilicet omni privatæ defensionis cura, mortem à Deo Patre decretam subire vellet. Itaque.

ad ea, quæ isti adversum te testificantur?

63. PRINCEPS SACERDOTUM AIT ILLI, ut efficacissimam calumniam ex ejus ore captaret; ADJURO TE PER DEUM VIVUM, id est, Dei vivi seu veri nomine, & auctoritate interposita, mando tibi, & obstringo te, ut sis testis mandati mei, & irreverentiæ tuæ in Deum & me, si adhuc tacueris, & vindex falsi, si fefelleris. Ritus ille adjurandi in Scripturis frequens est, quo quis adigitur per reverentiam Deo debitam, ad aliquid faciendum, vel dicendum. UT DICAS NOBIS, SI TU ES CHRISTUS, ille Messias Rex Israël, nobis promissus & expectatus, FILIUS DEI, natura scilicet, & proinde æqualis Deo. Nam & ipse Christus prædicaverat de se, Joan. 5. v. 18. unde Judæi eum lapidare voluerant, & hoc passim percrebuerat, & post confessionem Petri talis à discipulis habebatur, ut etiam patet ex testimonio Marthæ, Joan. 11. v. 27. Duo igitur sunt hîc gravia accusationis capita, quæ meditatur Caïphas: ut si fateretur se Messiam Regem, esset reus læsæ majestatis Cæsaris, si Filius Dei blasphemus: sentiebant enim hoc esse non posse, nisi simul esset æqualis Deo, unde utrumque objecerunt apud Pilatum Joan. 18. & 19. sin autem utrumvis negaret, facilè convinceretur, utrumvis sibi tribuisse, & renemer acclamari permisisse. Christus igitur, ut ostenderet se nec publicam judicis auctoritatem contemnere, & se gloriam Deo, per quem adjuratus erat, deferre debitam, simulque nos doceret, quomodo præceptum, quod tulerat, de promenda clara fidei & charitatis confessione ante Reges & Præsides, esset observandum.

63. Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei.

64. DICIT ILLI: TU DIXISTI, scilicet id quod res est; seu id, quod sum; est enim modesta & sine loquentis arrogantia veritatis confessio: unde apud Marcum clarè dicitur, *Ego sum*, & Lucas utrumque conjungit, *Vos dicitis, quia ego sum.* Ne autem prætexere possent, se non satis dilucidè responsionem intellexisse, ut taciturnitatis argumentum solveret, quod nos à credendo deterrebat, adjicit: VERUMTAMEN DICO VOBIS. Illud, *Verumtamen*, adversarium est, sed non habet, cui respondeat. Itaque videtur Christus non ad verba, sed ad mentem eorum respondere, quæ exprimitur Lucæ

64. Dicit illi Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei & venientem in nubibus cœli.

22. v. 67. quia scilicet non crederent eum esse Filium Dei, nempe propter personam ejus contemptibilem: qu. d. Vos id quod dixi, non creditis quidem, verumtamen reipsa hoc brevi patefiet: nam AMODO: id est, ex modo, seu ex hoc tempore, & posthac, VIDEBITIS FILIUM HOMINIS SEDENTEM A DEXTRIS VIRTUTIS DEI, id est, non habitu rei criminosi, atque in illa abjectione, qua modo, sed super omnem creaturam, assidentem Deo, natura, potestate, imperio, honore æqualem: de quo vide dicta cap. 22. v. 44. Impletum est hoc statim ab ascensione, ad Philip. 2. v. 9. quia prædicantibus Apostolis & miraculis coruscantibus, videre, id est experiri coacti sunt Christi exaltati ad dexteram Patris majestatem: maximè tamen implebitur in novissimo judicio, de quo intelligi debet id, quod sequitur, ET VENIENTEM IN NUBIBUS CŒLI, ad judicandum vivos & mortuos, & inter illos etiam vos judices meos. Alludit ad duo Scripturæ loca, de Filio Dei pronuntiata, Psal. scilicet 109. versu 1. & Danielis 7. v. 13. August. Epist. 80. intelligit nubes mysticas, prædicatores scilicet Evangelii, quibus vectus Christus fuit statim ab ascensione per Judæam, totumque mundum, Judæis videntibus; sed sensus videtur mysticus.

65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiã.

65. TUNC PRINCEPS SACERDOTUM SCIDIT VESTIMENTA SUA, ad testandam doloris sui magnitudinem de tanta scilicet blasphemia. Erat hoc & Gentibus, maximè tamen Judæis, usitatum ad declarandam rei alicujus indignitatem & acerbitatem, sive luctus, ut fecit Jacob, visa tunica cruenta filii, & Josue, Num. 14. versu 6. sive blasphemiæ, ut fecit Ezechias, auditis blasphemiis Rabsacis, 4. Reg. cap. 19. versu 1. & Paulus, & Barnabas, Act. 14. vers. 13. Itaque nesciens, inquit Leo Serm. 6. de Pass. quid hæc significaret infamia, sacerdotali se honore privavit, id est, privandum significavit, ut notarunt & Orig. & Hieron. erat enim vetitum summo sacerdoti scindere vestimenta sua, Levit. 21. v. 10. Similis mystica significatio scissæ vestis portendit & Saüli ablationem regni, 1. Reg. 15. v. 28. & Salomoni 3. Reg. 11. v. 31. DICENS, BLASPHEMAVIT, id est, Deo injuriam verbis irrogavit, sibi divinitatem arrogando. ECCE NUNC, hoc ipso tempore & loco, coràm tribunali, AUDISTIS BLASPHEMIAM, quæ nulla scilicet tergiversatione excusari potest. Videntur esse verba exultantis, quòd tandem voti compotes facti sint.

66. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.

66. QUID VOBIS VIDETUR? non de crimine, quod perspicuum esse volebant, sed de pœna, DIXERUNT, REUS EST MORTIS, juxta Legem apertam, Levit. 24. v. 16. Lapidatio decreta erat blasphemis per eamdem Legem: sed videntur necessariò supplicium crucis ei destinasse, ut patet ex tot acclamationibus cap. sequenti. Itaque hîc Christus primus propter confessionem principalis articuli fidei, scilicet nominis Christi, condemnatur; qua de causa peculiariter vocatur *Caput Martyrum*.

67. Tunc exspuerunt in faciẽ ejus & colaphis eum cæciderunt, alii autem pal-

67. TUNC, cùm jam esset adjudicatus morti, & solutum consilium, & indictum iterum in mane, EXSPUERUNT IN FACIEM EIUS, scilicet viri, qui tenebant eum, ut Lucas: Marcus insinuat etiam aliquos Sacerdotum hoc fecisse, dum à ministris eos

distinguit

eos distinguit. Est hoc genus contumeliæ gravissimum animo ingenuo, in summum contemptum, & detestationem ejus: quasi facies, pars honestissima, sit digna sordibus contemptoris excipiendis. ET COLAPHIS CÆCIDERUNT, Græcè ἐκολάφισαν, *colaphizarunt*. Theophyl. dicit hoc fieri digitis curvatis, & in pugnum contractis, quod idem significat verbum Syriacum, & translatio Hebræa, & noster textus hoc postulat. Distinguitur enim hîc à palmis, seu alapis, ut Marc. unde & apud Comicum, *Colaphis tuber est totum caput*. Nam colaphi dantur non solùm in faciem, sed & in cervicem, & caput: ut non sit dubium, hinc totam faciem lividam intumuisse. ALII AUTEM PALMAS IN FACIEM EIUS DEDERUNT: Græcè ἐῤῥάπισαν, quod Beza, & aliqui Catholici, fortassis eum imitati, volunt esse *bacillis cædere*: sed malè: non enim vulnera hîc Christo, sed magis summam ignominiam quærebant. Testatur & Suidas, ῥαπίζειν esse plenâ & explicatâ manu genas cædere, quasi dicas, *Expalmare* seu *Depalmare*. Unde & quidam hæretici fatentur eruditiùs verti non potuisse, quàm noster hîc vertit: & alius longè meliùs nostrum vertisse, quàm Bezam. Cæterum, quia ῥαπὶς, teste Hesychio, etiam *soleam* seu *crepidam* significat, hinc ῥαπίζειν cùm de ludibriis agitur, etiam significat faciem soleâ percutere, quod Persius dixit, *objurgare soleâ*. Porrò utrovis modo fiat, gravissima est ignominia, & servitutis vilissimæ nota. Hinc est, quòd insultationem addant acerbissimam.

mas in faciem ejus dederunt.

68. PROPHETIZA NOBIS, CHRISTE, id est, Ostende te jam Prophetam, cùm nullus Christo major sit Propheta, qualem te jactasti, dicendo nobis: QUIS EST QUI TE PERCUSSIT? hâc scilicet vel istâ alapâ. Sarcasmus iste non habet locum, nisi ex Marco & Luca intelligamus, quòd *velaverunt faciem ejus*, hoc est, oculos, ne percutientes videre posset. Itaque mordacissimis istis ludibriis significare volebant, falsò sibi nomen Christi & Prophetæ arrogasse, ut qui nec percussores suos posset dignoscere. Alia multa fuisse verborum opprobria indicat Lucas generaliter dicendo, *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum*: similiter & factorum Isaïas, cum dicit, id quod filuerunt Evangelistæ, *Genas meas dedi vellentibus*, seu vellicantibus, barbam scilicet. Quæ omnia sicuti fuerunt dictu & cogitatu horrenda in talem personam, ita & patientia ejus admirabilis, ut ea de causa dixerit ibidem ejus nomine Isaïas, *Ideo posui faciem meam, ut petram durissimam*, hoc est, inquit Tertull. lib. de patientia, omni impatientiæ impenetrabilem.

68. Dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?

69. PETRUS VERO: quamvis hæc narrentur post contumelias Domini uno tractu narratas, contigerunt tamen vel inter illas, vel fortassis etiam ante, durante examine. Itaque PETRUS SEDEBAT, ad ignem cum ministris: ut calefaceret se, FORIS IN ATRIO, id est, anteriori aut exteriori aula, quo significatur, Christum tunc fuisse in interiori, seu conclavi, quò non erat accessus ministris. Marcus addit *deorsùm*, ut insinuet Dominum fuisse sursum in superioribus ædium. Utrumque optimè notat August. 3. de con-

69. Petrus verò sedebat foris in atrio: & accessit ad eum una ancilla dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras.

sensu cap. 6. ET ACCESSIT AD EUM UNA ANCILLA, summi Sacerdotis, ut Marc. & quidem ostiaria, quæ Petrum intromiserat, ut indicat Joannes, DICENS, primò quidem circumstantibus, *Et hic cum illo erat*, ut colligitur ex Luca; deinde audacior facta & ipsi Petro: ET TU CUM JESU GALILÆO ERAS, & consequenter ejus discipulus es, ut indicat Joannes. Contemptus causâ sic vocabatur, & tunc & postea à Juliano Apostata, eo quod in Galilæa, maxima ex parte educatus esset, & plerique discipuli essent Galilæi.

70. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis.

70. AT ILLE NEGAVIT CORAM OMNIBUS, ut omnes ita purgationem, sicut accusationem ancillæ audire possent. Notat hanc circumstantiam, velut gravantem crimen, DICENS, NESCIO QUID DICIS, id est, nescio, quid verbis istis significatum velis. Habet enim hoc emphasin securæ negotiationis, quasi incognitus sibi esset, ut nec terminos intelligeret. Erat autem hoc non solum negare discipulatum Christi, sed etiam se esse Christianum, hoc est, ipsam fidem Christi, ut August. tract. 113. in Joan. nemo enim credit incognitis. Ecce columna firmissima, inquit ibidem, ad unius auræ impulsum tota contremuit. Ubi est illa promittentis audacia, & de se plurimum præsumentis? sed quid mirum, si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit?

71. Exeunte autem illo januam vidit eum alia ancilla, & ait his qui erant ibi; Et hic erat cum Jesu Nazareno.

71. EXEUNTE AUTEM ILLO, eo quod timeret deprehendi. JANUAM scilicet aulæ, ut iret in vestibulum, ante atrium, ut Marcus. Ubi cùm foris jam esset, primâ vice gallum cantantem audivit, ut ibidem notat, neque quidquam commotus fuit. Colligunt itaque nonnulli hoc circa mediam noctem contigisse, quando gallus primò canere solet. VIDIT EUM ALIA ANCILLA, ET AIT HIS, QUI ERANT IBI: mussitans hoc fortè circumstantibus, sic ut Petrus exiens audire posset. Reversus est ergò, vel ne fugisse videretur, vel ut se purgaret: vel frigoris impatiens, vel curiosus, ut videret finem istius tragœdiæ. Nam ex Marco constat Petrum exiisse, & gallum audivisse cantantem; ex Joanne verò, quod ad focum stans secundò negaverit. Silet ergò Matthæus reditum ejus. Itaque post reditum alius quidam, ut Lucas notat, imò alii plures, ut Joan. objecerunt ei, stanti & calefacienti, idem, quod ancilla dixerat circumstantibus, videlicet: ET HIC ERAT CUM JESU NAZARENO? ita ferè S. August. ista conciliat, quæ alioqui minus perspecta quosdam adegerunt, ut Petrum sæpiùs quàm ter negasse crederent.

72. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem.

72. ET ITERUM NEGAVIT CUM IURAMENTO; ut vel sic crederent, quod simpliciter neganti non crediderant. Ita mendacio adjecit perjurium, QUIA NON NOVI HOMINEM; tantum abest, ut sim discipulus ejus. Mansit ergò ibi securior, putans eis se plenè fecisse fidem tanta asseverandi pertinaciâ.

73. Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es; nam

73. ET POST PUSILLUM, Lucas ait, *Intervallo facto, quasi unius horæ*, ACCESSERUNT QUI STABANT. Lucas unum tantùm nominat, quem Joan. dicit fuisse cognatum ejus, cujus Petrus auriculam abscíderat, atque objecisse quòd eum vidisset in horto. Huic alii se junxerunt, ET DIXERUNT PETRO: VERE ET TU EX ILLIS ES,

qui isti homini adhæserunt: NAM ET LOQUELA TUA MANIFESTUM TE FACIT: idioma scilicet Galilæum, quo loqueris, probat te esse Galilæum, ut dicitur apud Lucam, & consequenter te esse istius Galilæi discipulum. Nam quamvis omnes Syriacè loquerentur, dialecto tamen discrepant; cujusmodi discrepantiam ejusdem linguæ in omnibus nationibus videmus. Petrus autem videns crescere periculum ex cognato ejus, quem penè occiderat, & se tot argumentis premi, & penè convinci.

& loquela tua manifestũ te facit.

74. CŒPIT DETESTARI: Græcè ἀναθεματίζειν, id est, execrari, & diris se devovere, sibi mala imprecari: quamquam aliqui intelligant cœpisse detestari Jesum. ET IURARE, seu cum jurejurando affirmare, scilicet tam imprecatorio, quàm assertorio; QUIA NON NOVISSET HOMINEM, quantò minùs se esse discipulum ejus. ET CONTINUO, Lucas, *adhuc eo loquente*, ut appareret, Christum vera prædixisse, GALLUS CANTAVIT, Marcus, *iterum cantavit*: quam iterationem ipse notat, quia solus narrat, Christum prædixisse, quòd ter negaturus esset Petrus, antequam gallus cantaret bis.

74. Tunc cœpit detestari & jurare quia non novisset hominem: Et continuo gallus cantavit.

75. ET RECORDATUS EST PETRUS, partim exteriore cantus admonitu, partim interiore Christi suggestione: quæ si defuisset, non magis tunc quam primo cantu fuisset recordatus VERBI JESU, QUOD DIXERAT, &c. Unde Lucas ante recordationem istam, velut causam ejus, notat, quòd *conversus Dominus*, non corporaliter, quia nihil profuisset; ut enim suprà ex August. notavimus, Petrus erat foris, id est, in aula exteriori ac deorsum, Christus intus ac sursum: *Respexit Petrum*; divinæ scilicet miserationis intuitu, quia latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore sua gratiâ visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrymas produxit affectum, ut loquitur hâc de re August. de gratia Christi cap. 45. Quem internum divinitatis Christi respectum fuisse significatum, docet etiam Ambros. lib. 10. in Lucam, & Leo Serm. 3. de Pass. Itaque Petrus non tam metu quàm compunctione motus, & odio consorti, per quod lapsus erat, EGRESSUS FORAS; solitudo enim ad negotium flendi & pœnitendi aptior, ut August. 8. Confess. cap. 11. FLEVIT AMARE, quia tam enorme peccatum non erat pœnitentia perfunctoria expiandum. Permissa sunt hæc divinitùs in Petro, ut elideretur ejus præsumptio, inquit Basil. Reg. inter breviores 81. ut disceret infirmis parcere, ubi suam novisset infirmitatem, ut idem ait Homil. 22. ut in Ecclesiæ principe etiam ab iteratis peccatis remedium pœnitentiæ conderetur, ut Leo Serm. 9. de Pass. denique ut idem ait, ut nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec Petrus potuit evadere.

75. Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amarè.

CAPUT XXVII.

1. Mane autẽ facto, conciliũ inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent.

1. MANE AUTEM FACTO, Lucas, *ubi factus est dies*, CONCILIUM INIERUNT: quod posset intelligi de simplici consultatione eorum, sed Lucas dicit, quòd *convenerint*, & duxerit Jesum in concilium suum: quod indicatur, concilium nocturnum ante finitam noctem fuisse dissolutum, & mane iterum congregatum. Itaque CONCILIUM INIERUNT OMNES PRINCIPES SACERDOTUM, ut nemo tantæ causæ deesset, ADVERSUS JESUM, UT EUM MORTI TRADERENT, id est, qua via mortis sententiam jam latam exequerentur, an, ut olim cogitaverant; an tumultuariè, ut fecerunt in Stephanum: an via juris, auctoritate Præsidis. Evangelistæ omnes notant hoc secundum concilium, quod Marcus dicit fuisse *universum*, ex omnibus videlicet septuaginta duobus constans judicibus. Solus Lucas notat eamdem quæstionem ibi fuisse iteratam, an esset Christus, eoque confitente, quòd ipse esset, eos similiter respondisse, *Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus ex ore ejus.* Ex qua rerum similitudine, & quòd non videatur verisimile eos iterum examinasse id, quod jam confessus erat, ne fortè, quòd nollent, palinodiam caneret, vel otiosam responsionem iteraret, putant quidam ea omnia contigisse in solo primo nocturno conventu, & Lucam non suo ordine narrasse. Sed sanè ipse contextus Lucæ sic rem describit, ut sine violentia non possint omnia torqueri ad primum conventum. Dicit enim: *Ut factus est dies, convenerunt*, &c. *& duxerunt eum in concilium suum, dicentes*: & peracto illo examine, lataque sententia addit, quòd surrexerint & duxerint ad Pilatum. Alii putant omnes illas interrogationes, & testimonia contigisse mane in secundo concilio, Matthæum verò & Marcum ea per anticipationem narrasse; sed longè sanè improbabilius. Apertissimè enim describunt duo Evangelistæ illusionem Christi, quasi nocte factam, idque propter existimatam blasphemiam, quod se Christum dixisset. Nam tota illusio ista erat perpetua quædam exprobratio istius confessionis, & ideò Matthæus dicit, *Tunc exspuerunt*, &c. Itaque rectiùs & faciliùs accipiuntur ut verba sonant, quò etiam in hoc concilio, quia plenum erat ex omnibus judicibus, & quia alterum nocturnum fuerat, quod jure habetur illegitimum, & ut confidentiùs eum condemnarent omnium suffragio, si in eadem confessione persisteret, eamque confirmaret, cum interrogaverint, an esset Christus, & ex ore ejus, & iterata confessione ipsum condemnaverint. Itaque

2. Et vinctum adduxerunt eum & tradiderunt Pontio Pilato præsidi;

2. VINCTUM, Græcè δήσαντες αὐτὸν, *cùm vinxissent eum*, unde solutus videtur adstitisse in concilio, ut confessio liberior, nec vi extorta videretur. Vinxerunt autem, quia moris erat, ut, quem adjudicassent morti, ligatum traderent, ut Hieron. notat, videlicet tanquam certò reum. ADDUXERUNT eum, nempe universum conci-

lium simul, ut ex Luca patet, qui dicit *surgens omnis multitudo eorum duxerunt*, &c. Idque ut auctoritate sua cohiberent populum: tum ut Pilatus sine longiori examine morti traderet, eum, qui omnium unanimi judicio esset mortis reus: denique ne quisquam eum auderet defendere. ET TRADIDERUNT PONTIO PILATO, ut esset executor sententiæ, non arbiter causæ, inquit Leo Serm. 8. de Pass. id est, ut non cognosceret causam, sed ut in damnatum adverteret. PRÆSIDI, id est, Præfecto & Gubernatori totius Judææ à Tiberio constituto. Causa verò, cur non ipsi occiderent, datur apud Joan. cap. 18. v. 31. quòd non liceret eis interficere quemquam ademptâ, scilicet eis per Romanos potestate capitalis supplicii statuendi, quamvis possent infligere leviorem pœnam, ut flagellationis, Act. 5. v. 40. Et hinc est, quòd testatur Josephus 20. Antiquit. c. 8. Annanum Pontificem privatum fuisse pontificatu, eò quòd Jacobum, fratrem Jesu Christi, & alios viros bonos, coacto judicum concilio, velut impietatis reos curasset lapidandos, nempe absque Romani Præsidis, vel certè Regis Agrippæ assensu. Nam lapidatio Stephani videtur tumultuariè nullo juris ordine, vel sententiâ contigisse. Potuerunt verò, & aliæ fuisse causæ tradendi eum Præsidi, ut scilicet invidiam declinando, culpam in Præsidem ethnicum derivarent: ut res tutiùs sine seditionis periculo fieret, & sine violatione festi fieri videretur: quas causas considerant Chrysost. in hunc locum, & Aug. Tract. 114. in Joannem.

3. TUNC VIDENS JUDAS, QUOD DAMNATUS ESSET, id est, certæ morti adjudicatus, conclamata jam bis sententia, ad cujus executionem per Pilatum properabant. Unde putant multi, non existimasse Judam, quòd esset interficiendus à Judæis, sed quia non poterat eorum animum ignorare, quem jam sæpè declaraverant, verius videtur, quòd criminis atrocitas jam tandem ob oculos posita unà cum considerata Christi ergà se ad ultimum usque humanitate, PŒNITENTIA DUCTUS fuerit machinatæ proditionis; sed inutili. Nam quamvis & peccatum horruerit, & confessus fuerit, & pecuniam abjiciendo quodammodò satisfecerit, multis tamen necessariis pœnitentia ejus caruit. Defuit enim fides Christi, ut Dei, ut redemptoris, ut justificatoris à peccato, defuit spes veniæ, sicut & Caïn, defuit affectus amoris in offensum Deum. Unde dolor fuit non exigens animum ad emendandum, sed horrore quodam crucians & obruens conscientiam ad desperandum, eo ferè modo, quo fit in inferno. RETULIT TRIGINTA ARGENTEOS, ut pactum, quantùm in se esset, rescinderet, & ita mentium infidelitatem professio vendentis argueret, ut Hilar. PRINCIPIBUS SACERDOTUM, sive in domo Caïphæ, vel Pilati congregatis, sivè potiùs nonnullis in templo obeuntibus ministeria: Principes enim sacerdotum vocantur capita familiarum, quæ non necesse est omnia adfuisse.

3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus:

4. DICENS: PECCAVI, TRADENS SANGUINEM IUSTUM, prodendo virum innoxium ad mortem; hoc enim significatur per *san-*

4. Dicens: Peccavi tradens

sanguinẽ justũ. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.

guinem. Unde tacitè multò gravius arguit principes proditionis, & mortis auctores, & simul abstergit maculam, quæ Christo apud Judæos adhærere potuisset, quòd eum discipulus propter sibi magis nota crimina tradidisset. AT ILLI DIXERUNT: QUID AD NOS? quòd tu peccaveris: TU VIDERIS, an feceris, & quid feceris & quam rationem reddere possis. Itaque facinus in solo vendente statuunt, cùm vendentis testimonio scelus ementium argueretur.

5. Et projectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit.

5. ET PROIECTIS ARGENTEIS IN TEMPLO: sic enim sacerdotibus eos sibi videbatur reddere, RECESSIT, affectu pœnitentis, sed furore pereuntis, loca secreta quærens. ET ABIENS LAQUEO SE SUSPENDIT: quasi qui vellet proprio supplicio scelus suum expiari, inquiunt quidam; sed rectiùs Hieron. in cap. 5. Amos, malis, quibus anxiabatur, finem imponere, reputans mortem sibi malorum fore finem, ut desperantes solent. Stimulos enim & flagella conscientiæ non sustinebat. Elegit autem suspendium, quia, ut Augustinus 2. contra litteras Petiliani c. 49. duæ sunt maximè viles & usitatæ mortes eorum, qui seipsos interimunt, laqueus & præcipitium. De genere mortis ejus plura in caput 1. Actorum.

6. Principes autem sacerdotum acceptis argẽteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonã: quia pretium sanguinis est.

6. PRINCIPES AUTEM SACERDOTUM DIXERUNT: NON LICET EOS MITTERE IN CORBONAM, id est, gazophylacium, seu potiùs in thesaurum sacrum, qui *Corban* dicebatur, ut Joseph. lib. 3. de bello Judaïco cap. 8. quamvis propriè significet oblationem seu donum. QUIA PRETIUM SANGUINIS EST, quo scilicet sanguis, seu homo ad sanguinis effusionem est venditus; ubique sibi similes, excolantes culicem & camelum glutientes; quasi conscientia ipsorum sine noxa scelus caperet, cujus pretium thesaurus non reciperet. Non licere autem dicunt, non quod certa Dei lege esset prohibitum, sed per analogiam ad legem Deuteron. 23. v. 18. vel propter certas eorum traditiones.

7. Concilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

7. CONCILIO AUTEM INITO, in quem pium usum pecunia posset expendi, cùm velut polluta non posset converti in thesaurum vel usum templi, EMERUNT EX ILLIS AGRUM FIGULI, Græcè τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως; *illum agrum figuli illius*, certum agrum designans, tunc, cùm scriberet, celebrem. Situs erat ad australem plagam urbis, post montem Sion, ut notat Hieron. lib. de locis Hebraïcis. IN SEPULTURAM PEREGRINORUM, ut in mortuos & immundos expenderetur immundum hominis interfecti pretium. Peregrini enim, hoc est, non cives Jerosolymitani, magno numero quotannis affluebant Jerosolymam ad solemnitates; qui proprijs carebant sepulchris. Quanquam credibilius sit hîc intelligi peregrinos gentiles, quales erant Romani milites, quos nefas putabant cum Judæis sepeliri: & ita res ista magis servit mysterio. Significatum enim fuit, morte Christi emendum, esse mundum, velut agrum lutosum & peccatis immundum, in sepulturam peregrinorum: ut scilicet paretur vera requies iis, qui in hoc mundo velut advenæ & peregini degunt, maximè Gentilibus.

8. Propter hoc vocatus est ager

8. PROPTER HOC VOCATUS EST AGER ILLE, nempe non à Principibus, sed à vulgo, cùm res innotuisset, sicut indicatur Act.

v. 15. HACELDAMA. Vox est Syriaca, significans AGRUM SANGUINIS, USQUE IN PRÆSENTEM DIEM, quo illa scribebat Evangelista. Divina hoc factum est providentia, ut cum scelus obruere vellet, magis inclaresceret. Nam, ut Chrysost. ait, nomen loco inditum omni turba clariùs sceleratam eorum prodidit cædem non præsentibus tantùm, sed & posteris, ut quoties ager nominaretur, toties memoria sceleris eorum revivisceret.

ille, Haceldama, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

9. TUNC IMPLETUM EST, QUOD DICTUM EST PER JEREMIAM PROPHETAM. Prophetia, quæ hîc citatur, apud Jeremiam non habetur, sed apud Zachariam, magis tamen quantum ad sensum, quàm ad verba. Unde difficultas ista novem aut decem diversas peperit opiniones. Alii putant desumptum testimonium ex scriptis Jeremiæ, quæ perierunt, de quo 2. Machab. 2. v. 1. alii ex apocryphis Jeremiæ libris, sicut fecit Apostolus de Janne & Mambre 2. ad Timoth. 3. v. 8. alii ex Jeremia nostro erasum esse: alii errore librariorum positum Jeremiam pro Zacharia. Utrumque indicat Euseb. lib. 10. de demonstratione Evang. alii traditionem ex Ieremia acceptam citari: alii occurrisse Matthæo nomen Jeremiæ pro Zacharia, & corrigere noluisse, eo quod sciret tantam esse Prophetarum concordiam & unitatem, eodem per omnes loquente Spiritu, ut quod unus dixisset, alteri tribui posset. Ita August. 3. de consensu Evang. cap. 8. Duæ sententiæ videntur esse probabiliores: una, quòd, cùm Zacharias de pretio mentionem faciat, nihil de agro empto, vel de eo, quòd istud Dominus constituerit; Jeremias verò nihil de pretio appretiati, sed de agrò empto, & quòd hoc esset *verbum*, id est, voluntas & constitutio Domini: Matthæus utramque prophetiam in unam conjunxerit, & uni attribuerit eo modo, quo fecit & Marc. c. 1. v. 2. ubi tribuit Isaiæ, eâdem arte contexendi Scripturas, prophetiam quandam Malachiæ, cui Isaiam subjungit. Hoc autem eò magis fecit Matthæus, eò quòd præmisisset de agro empto in sepulturam peregrinorum, ad quod multò magis spectat prophetia Jeremiæ, quàm Zachariæ: nam Jeremias sacerdos agrum illum emit ad significandum, quòd Judæi reversuri essent è captivitate Babylonica, & habituri in agris Israël, quòd sublimiùs præfigurabat, Judæos in fine mundi reversuros, velut peregrinos in Ecclesiam, tamquam agrum Christi occisi pretio peregrinis comparatum. Sensum istum subindicant & magis amplecti videntur S. August. loco citato & S. Anselmus in hunc locum. Altera est facilior, quamvis Augustino non videatur probari, nomen Jeremiæ irrepsisse in textum incuriâ vel temeritate librariorum; cujus rei indicium est, primò quòd Matthæus non soleat nomina Prophetarum exprimere: secundò, quòd nonnulli codices Latini, etiam tempore August. & Lirani eo caruerint, ut uterque testis est; unde & nunc non desunt manu scripta, tum Romæ, tum in Belgio, à quibus abest: tertiò quòd Syriacus textus non habeat nomen Jeremiæ. Hanc difficultatis istius solutionem ex antiquis innuit Hieron. & amplexus est Rupertus ac Liranus; ex recentioribus, Jansenius, Maldona-

9. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati quem appretiaverunt à filiis Israël:

tus, Baronius ad annum 34. numer. 19. Franc. Lucas in Notis ad Latin. textum, Suarez in 3. partem tom. 2. disp. 34. sect. 1.

ET ACCEPERUNT. Aliqui suppositum hujus verbi faciunt illud, *à filiis Israël*, ut subaudiatur, quidam; qu. d. quidam ex filiis Israël acceperunt; qualis locutio est Act. 21. versu 16. & hîc suprà c. 23. versu 34. Sed clarum videtur, quòd illud, *à filiis Israël*, respondeat verbis Zachariæ 11. versu 12. *Appretiatus sum ab eis.* Rectiùs itaque sacerdotes acceperunt, TRIGINTA ARGENTEOS, PRETIUM APPRETIATI, per appositionem, qu. d. qui argentei fuerunt illud pretium Messiæ appretiati. QUEM APPRETIAVERUNT, id est, tanti æstimaverunt, & isto pretio pacti sunt, A FILIIS ISRAEL, Iuda scilicet proditore, qui erat ex illis, quod propheta stomachando dixerat, *decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis.*

10. Et dederunt eos in agrũ figuli, sicut constituit mihi Dominus.

10. ET DEDERUNT EOS IN AGRUM FIGULI, ad emendum agrum figuli. Matthæus neque verbis, neque verborum ordine cum Zacharia convenit, ut Hier. notat, sed tantùm sensu. Propheta enim personam Christi gerens petiit à Judæis sibi dari mercedem suam, pro beneficiis, quibus eos docendo, sanando, &c. affecerat, & principes, loco mercedis, *appenderunt*, inquit, *mercedem meam triginta argenteos*, eos appendendo Judæ proditori, ut morte mulctarer. Itaque dixit Dominus ei, *Projice illos* argenteos *ad statuarium*, Hebraicè *figulum*, id est, sic eos projice in templum, ut per sacerdotes ad manus statuarii seu figuli, vendentis agrum suum, perveniant, *decorum* scilicet & magnificum *pretium, quo appretiatus sum ab eis*, pro tot laboribus & beneficiis: præsiùs enim verba ista cum irrisione & stomacho legenda sunt, ut ibidem Hieron. notat. Itaque quos ibi argenteos projici jubet, eos projiciendos esse hoc ipso prædicit, & quod Propheta se mox fecisse dicit, hoc Matthæus narrat esse factum. Et illa causa est, cur ea, quæ Zacharias protulit in prima persona, Matthæus narret in tertia, à qua tamen statim transit ad primam dicendo, SICUT CONSTITUIT MIHI DOMINUS. Verba ista non sunt apud Prophetam, sed res ipsa, quatenùs dicit se, sicut jussus fuerat, à Deo tulisse & projecisse triginta argenteos in templum.

11. Jesus autẽ stetit ante præsidem, & interrogavit eũ præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Dicit illi Iesus: Tu dicis.

11. JESUS AUTEM STETIT ANTE PRÆSIDEM scilicet in Prætorio, Judæis remanentibus foris, ne contaminarentur. Multò enim pleniùs hanc historiam narrat Lucas initio capitis 23. & maximè Joan. cap. 18. versu 28. & seqq. Ex Joanne itaque constat, quòd primò eum accusare noluerint, ut qui ejus judices fuissent, sed statim tamquam malefactorem plectendum esse contenderint. Quod cùm Pilatus detrectaret, ex Luca constat, eos objeciisse, quòd se dixisset esse Christum Regem, & tributa Cæsari dari vetuisset. Hoc crimen, neglectis cæteris, maximè examinandum duxit Pilatus, eo quòd nemo in Romano imperio se Regem dicere posset sine læsa majestate, nisi Cæsar concessisset. Itaque interrogat eum Præses: TU ES REX JUDÆORUM? Græcè ὁ Βασιλεὺς, scilicet

quem

quem illi promissum exspectant & [illegible]am vocant. Non caret autem emphasi illud, *Tu*, in tali scilicet habitu & apparatu, ut non sine contemptu & risu dictum videatur, ut notavit Origen. DICIT ILLI JESUS: Tu DICIS. Quæ verba non statim Pilato reddita sunt, sed multis interpositis, quæ narrat Joan. Ut enim Augustinus ait 3. De consensu cap. 8. multa dicta & multa responsa sunt: unde cuique eorum, quantum visum est, decerpsit, & in narratione sua posuit, quod satis esse judicavit.

12. ET CUM ACCUSARETUR A PRINCIPIBUS, &c. Rursum scilicet postquam jam foras ad ipsos rediviſſet Pilatus, & Jesum post examen de affectata Regis dignitate excusaret. Accusatio autem hæc secunda erat de subversione gentis Judaicæ à Galilæa usque huc; Lucæ 23. versu 5. hoc est, quòd esset seditiosus. NIHIL RESPONDIT: Pilato enim jam responderat id quod satis erat; adversariis noluit, propter causas, quas diximus cap. præced. v. 63. Unde Pilatus quamvis satis adverteret criminum inanitatem, aggravat tamen ea verbis.

12. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit.

13. NON AUDIS, QUANTA ADVERSUM TE DICUNT TESTIMONIA? ut scilicet responsum eliceret, quo seipsum aliquantulum defenderet, & ita faciliùs liberari posset. Indicat hoc clariùs Marcus, dicendo: *Non respondes quidquam*? scilicet ut te tuearis: *vide in quantis te accusant*, q. d. Defende teipsum, sed Dominus

13. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia?

14. NON RESPONDIT EI AD ULLUM VERBUM, non contemptu Præsidis, sed accusationum. Unde nec præses, cui jam fassus erat alteram accusationis partem, arbitratus est se silentio contemni, sed miratus est VEHEMENTER, nimirum quòd vir communi judicio sapiens, eloquens, innoxius, judicem faventem habens, in periculo capitis constitutus, ad accusationes inanes, & frigidas calumnias tanta mansuetudine & fortitudine animi & mortis contemptu prorsùs obtumesceret.

14. Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehemẽter.

15. PER DIEM AUTEM SOLEMNEM, Paschatis. Omitit hîc iterum Matth. missionem ejus ad Herodem: nam quæ hîc sequuntur, contigerunt postquam ab Herode remissus esset, ut patet ex Luca. CONSUEVERAT PRÆSES POPULO DIMITTERE UNUM, seu captivum, QUEM VOLUISSENT, videlicet populus. Consuetudo ista videtur manasse ex memoria beneficii liberationis ex carcere Ægyptiaco, & à Romanis conservata, cùm Rempublicam invasissent, in gratiam populi, qui privilegiis & consuetudinibus istiusmodi maximè teneri solet.

15. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unũ vinctum, quem voluissent.

16. HABEBAT AUTEM TUNC VINCTUM INSIGNEM, sceleribus. Crimina ejus indicantur à Luca, quòd fecisset in civitate seditionem & homicidium. Joan. addit fuisse latronem, quales scilicet publicas obsident vias.

16. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas.

17. CONGREGATIS ERGO ILLIS DIXIT PILATUS, præveniens postulationem populi, qui occasione, tum festi, tum Jesu traditi congregatus erat: QUEM VULTIS DIMITTAM BARABBAM, AN JESUM, QUI DICITUR CHRISTUS? id est, qui vulgò à vobis habetur ille

17. Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis di-

mittam vobis : Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus.

Messias], & Rex Ju[illegible]m, etsi non hujusmodi. Seriò, non joco hoc eis refricat, ut hoc nomine, & hac inolita populo opinione esset Jesus gratior. Pilatus enim cùm non potuisset eum apud Principes liberare, ut ex aliis Evangelistis patet, tentavit hanc viam, ut expeditissimam apud populum, innumeris ab eo affectum beneficiis. Unde etiam non permisit eis liberam electionem, quemadmodum versu præced. sed restringit ad duos tantùm; unum de industria selectum facinorosissimum, ne subesset aliqua misericordiæ causa; alterum innocentissimum, ut cogerentur ipsum eligere. Hîc animus Pilati patet ex versu sequenti.

18. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.

18. SCIEBAT ENIM, ex fama publica, QUOD PER INVIDIAM TRADIDISSENT EUM, sibi scilicet occidendum Principes sacerdotum. Cùm autem invidia sit odium felicitatis alienæ, ut Aug. 11. De Genesi ad lit. c. 14. causa hujus invidiæ fuit clarius nominis ejus apud populum, & auctoritas in docendo major quàm sua, ut satis colligitur ex Joan. 11. versu 48. & cap. 12. versu 19.

19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens; Nihil tibi, & justo illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

19. SEDENTE AUTEM ILLO PRO TRIBUNALI, id est, in tribunali, more Judicis, ad causam examinandam, MISIT AD EUM UXOR EIUS, quòd decorum non esset maritum per se in negotiis publicis interpellare. Lucius Dexter in Chronico vocatam vult *Claudiam Proculam*. DICENS: NIHIL TIBI, ET IUSTO ILLI, id est, nihil tibi negotii sit cum isto justo; quem ita vocat, quòd excellenter justus esset, ita & nomine religionis deterret eum ab ejus condemnatione, sicut metu malorum per id, quòd sequitur: MULTA ENIM PASSA SUM HODIE PER VISUM: Græcè κατ' ὄναρ, *in somnis*, ut vertitur Matth. 1. versu 20. non quòd noctu contigerit, manè enim narrasset marito, sed quòd dormienti post discessum mariti. Quid passa fuerit, non constat: verisimile est, fuisse minas pœnarum, impendentium Judæis & Pilato, ex persecutione & damnatione justi illius. S. Ignat, Beda, & Anselm. putant immissum fuisse somnum à diabolo, impedire volente fructum passionis, quem incipiebat persentiscere. Sed cur igitur Judæos non cessavit instigare ad scelus? Rectiùs proinde Ambros. lib. 10. in Luc. Hieron. Theophyl. & alii docent, fuisse à Deo immissum non Pilato Judici, ne suspectus aut corruptus videretur, eique non crederetur: sed uxori, ut innocentiæ testimonium haberet Christus ab omnibus, à Judæis credentibus, à Judice, uxore ejus, centurione, militibus, latronibus, terrâ motâ, Sole obscurato, templo, petris, mortuis. Notatione verò dignum est, neminem in tota passione pro liberatione Domini locutum esse, nisi duos Gentiles; Pilatum & uxorem ejus.

20. Principes autem sacerdotũ & seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent.

20. PRINCIPES AUTEM SACERDOTUM ET SENIORES PERSUASERUNT POPULIS, per emissarios suos, huc illuc dimissos; spatium enim aliquod deliberandi videtur fuisse interpositum. Tacitè autem indicatur, Pilatum non fuisse frustrandum spe suâ, nisi Pontifices concitassent turbam sibi obnoxiam. UT PETERENT BARABBAM, JESUM VERO PERDERENT, id est, mortem ejus postularent. Hoc

autem à Pilato non erat eis propositum, sed ex puræ malitiæ Pontifices addiderunt. Præses itaque territus uxoris denuntiatione, cùm fortiùs instaret pro liberatione, & rursum peteret, QUEM VELLENT DIMITTI.

21. ILLI DIXERUNT BARABBAM. Quæ postulatio sicut erat injustissima, ita Domino ignominiosissima, postponi videlicet publico latroni, imò in gratiam latronis damnare innocentem, & in odium innocentis liberare latronem. Unde S. Petrus, Act. 3. versu 14. exprobrat eis istam injustitiam velut intolerabilem: & Athanas. de Pass. notat idcirco apud Judæos horrendas illas seditiones & cædes paulò pòst increbuisse, quas narrat Joseph. libris de bello Judaic. Unde & Pilatus attonitus petitionis impudentiâ, iterum instat:

21. Respondens autem præses, ait illis: Quid vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam.

22. QUID IGITUR FACIAM DE JESU? Dixit igitur hoc, volens dimittere Jesum, ut notat Luc. cap. 23. versu 20. Nam tacitè & placidè eis suggerit, ut simul petant etiam alterum sibi dimitti, & idcircò iterum refricat eis gratissimum Judæis titulum, QUI DICITUR CHRISTUS, qui scilicet talis etiam recentissimè à vobis habitus est, sed plusquam oportebat, Judicis auctoritatem vulgò submisit: non enim erat populi pœnam alteri victorum decernere, sed tantùm libertatem petere. Unde cùm populo gratificari decrevisset, ad præcipitium summæ iniquitatis deductus est.

22. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?

23. DICUNT OMNES, & principes, & à principibus persuasus populus, arreptâ è vestigio potestate sibi factâ, CRUCIFIGATUR. Proxima crucis petendæ occasio fuit petitio Pilati: nam quamvis præter mentem, tacitè tamen suggerebat malevolis hominibus, ut, quia latro & seditiosus pro Jesu liberabatur, supplicium quoque ipsius transiret in Jesum, ut notat Baronius: idque maximè, quia accusabatur seditionis & majestatis, Lucæ 23. v. 2. & 3. unde & titulus, *Rex Judæorum*. Supplicium autem crucis apud Romanos decernebatur seditiosis & majestatis reis, latronibus & præsertim personis vilissimis, ut servis, sicut probat Lipsius 1. de Cruce. Itaque tria videntur Pontifices in petendo illo supplicio spectasse: primò congruentiam ad prætexta crimina: secundò, summam atrocitatem, ut ita se vindicarent; fit enim quemadmodum in partibus nervosissimis & à corde remotissimis, ita cum maximis & diuturnis doloribus: tertiò, extremam ignominiam, ut nomen & memoria ejus esset Judæis & Gentibus execrabilis, ut notat Chrys. in Joan. Divinitùs quoque factum est, ut Salvator nullum sibi mortis genus deligeret, ne aliud genus expavescere videretur, ut Athanas. de corporali adventu Verbi. AIT ILLIS PRÆSES: QUID ENIM MALI FECIT? illud *enim*, implicatam facit hîc & apud Marcum orationem, nihil enim habet, cui respondeat. Itaque, vel respondet menti potiùs quàm verbis, qu. d. non est æquum, ut crucifigatur, quid enim mali fecit? vel certè redundat. Itaque populum facit hîc testem innocentiæ: illi autem cùm in accusando & probando palam deficerent, ad importunas se preces & vociferationes vertunt. Porrò verbis istis

23. Dicunt omnes; Crucifigatur. Ait illis præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur.

subjicit Lucas, *Corripiam ergo illum & dimittam*, ex quo colligitur, post ista verba fuisse flagellatum, spinis coronatum, indutum purpura, productum foras, & cùm iterum clamarent, Pilatum sedisse pro tribunali, & lavisse manus; sicut narratio Joannis omninò postulare videtur.

24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua, lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus, vos videritis.

24. VIDENS AUTEM PILATUS, QUIA NIHIL PROFICERET, neque remissione ad Herodem, neque beneficio liberationis solemnis, sive loco Barabbæ, sive cum Barabba, neque flagellatione & reliqua ignominiosa tractatione, neque toties iterata contestatione innocentiæ ejus. SED MAGIS TUMULTUS FIERET, seditio scilicet popularis ex eo, quòd se tam difficilem præberet. Quibus verbis non excusatur Pilatus, qui ne declinaret à justitia, omnia perrumpere debuisset; sed potiùs Christus, quòd nullo crimine, sed metu seditionis damnatus sit, imò à Judice absolutus: nam ACCEPTA AQUA LAVIT MANUS: sequens in eo facto, vel naturalem significationem lotionis corporis, ad indicandam animi sui innocentiam; vel apud Judæos Judaicam adhibens cæremoniam, ut vult Orig. apud quos illa ad istum finem lege præscripta erat, Deuter. 21. versu 6. CORAM POPULO, spectante, ut impii facti invidiam à se in populum declinaret. Factum suum explicat his verbis: INNOCENS EGO SUM A SANGUINE IUSTI HUIUS, id est, à morte, seu effusione sanguinis, quam petitis. Sed si hic justus, quomodo tu damnando innocens? Itaque Jesum damnando absolvit, se purgando condemnat: nec sufficit manuum lotio: nam, ut Leo Serm. 8. de Pass. non purgant contaminatum animum manus lotæ, nec inasperfis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur. VOS VIDERITIS, in quorum caput culpa cædis istius execrandæ & vindicta redundabit. Hæc ergò cæremonia videtur adhuc eò spectasse, ut vel sic Judæos revocaret: sed per divinam providentiam eò directa est, ut testatissima redderetur morientis pro nobis innocentia, dum in ipsa sententia justus pronuntiatur, ut observat August. Serm. 118. de temp. & ita vincit, cùm indicatur.

25. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos & super filios nostros,

25. ET RESPONDENS UNIVERSUS POPULUS, qui ex universa Judæa confluxerat in illo festo: SANGUIS EIUS SUPER NOS ET SUPER FILIOS NOSTROS, id est, Nos totam culpam & pœnam criminis, si quæ fuerit, præstabimus, & in nos & filios nostros suscepimus; tu sis securus. Phrasis est Hebraïca, frequens in Scripturis, ut Levit. 20. versu 9. 12. 16. Itaque his verbis & sua & filiorum capita vindictæ obligarunt, quæ in hodiernum usque diem durat. Maledictiones enim & benedictiones parentum super filios, velut qui pars ipsorum sint, miros effectus habere solent.

26. Tunc dimisit illis Barabbam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

26. TUNC, superatus tantâ pervicaciâ, DIMISIT EIS BARABBAM: JESUM AUTEM FLAGELLATUM, Græcè φραγελλώσας, *cùm flagellasset*, antè videlicet non nunc, quòd jam esset crucifigendus: Lucas enim dicit Pilatum dixisse, *emendatum dimittam*; & paulò pòst, *corripiam eum & dimittam*: quo flagellationem indicare voluit, & quidem consilio, non ut in crucem ageretur, cui erat moris flagellatio-

nem præmittere, sed ut eorum animos leviori castigatione, crucem præire solitâ, placaret, Jesumque à cruce eriperet, ut sentit Augustᵗ. Unde post flagellationem, & per ipsam flagellationis immanitatem adhuc conatus est Jesum à cruce eripere, ut ex Joan. apertissimum est. Porrò *Virgæ* à *Flagellis* distinguuntur, ut patet etiam 2. ad Corinth. 11. versu 24. & 25. quia virgæ honestiores erant: flagra servorum: illæ lignis, hæc loris constabant: illæ mitiores erant, hæc aspertima; ita ut Horat. vocet libr. 1. Sat. 3. *horribile flagellum*, & Ulpianus L. 8. De pœnis scripserit, ministrorum immanitate multos sub ejusmodi flagellis interiisse. Intexebantur eis subinde tali, aut ossicula, quæ vocabantur flagra talaria, seu taxillata, maximè horribilia. An hîc ita factum fuerit, non constat, nisi quòd verisimile sit, immanem fuisse flagellationem, ut inimicos placare posset; ideoque & ab Isaia & à Christo prædicta fuit. More Judaico, subinde etiam Romano, reus alligabatur: columnæ & cædebatur, neque stans, neque sedens, sed inclinatus ut expressè præscribitur in tradition. Thalmuldicis libri Marcoth. cap. 3. Unde Hieron. Epist. 27. Ostendebatur illi (Paulæ) inquit, columna, Ecclesiæ porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam dicitur vinctus & flagellatus. Cujus rei & Prudentius testis est, & hodie Romæ ostendi dicitur in templo S. Praxedis. Flagellatus est autem à Pilato, seu jussu ejus, ideoque non à Judæis, sed Romanis militibus; ut numerus quadraginta ictuum, uno minùs, non fuerit in eo observatus, sed dirissima extiterit flagellatio. TRADIDIT EIS, Judæis scilicet, non militibus; Lucas enim dicit, *Tradidit* eum *voluntati eorum*, videlicet UT CRUCIFIGERETUR, suâ quidem auctoritate, non tamen sententiâ, quasi cruce dignus. Non enim probari potest, Pilatum in eum tulisse sententiam velut reum mortis: unde illa videtur ficta, quæ legitur apud Adrichomium. Ergò pro tribunali sedit quidem, sed *adjudicavit*, tantùm, *fieri petitionem eorum*, ut loquitur Lucas, ut scilicet ab ipsis damnatus traderetur eis crucifigendus, sicut petebant.

27. TUNC, cùm scilicet Jesus esset flagellandus, non cùm tradendus esset ad crucem; utrumque enim dixerat Matthæus. Nam non minùs coronatio, totáque sequens illusio, quàm flagellatio præcesserunt traditionem ad crucem, ut Augustin. 3. de consensu cap. 9. & ex Joan. clarum est. Itaque Matth. & Marcus recapitulat id, quod antè narrari rerum ordo postulabat. Tunc ergò cùm esset flagellandus, & velut mitiori pœnâ quàm mortis corripiendus, ut, vel sic liberari posset, MILITES PRÆSIDIS, ideoque Romani, tamquam lictores, quatuor tantùm videntur fuisse, Joan. 19. versu 23. ET SUSCIPIENTES JESUM IN PRÆTORIUM, id est, accipientes eum, duxerunt intus in atrium prætorii, ut Marc. locum scilicet habitationis Prætoris Romani, seu Præsidis. Porrò tam Matth. quàm Marcus & Joan. apertè tribuunt flagellationem Pilato, id est, jussui ejus, coronationem tamen & cætera solis militibus. Unde Tertullian. de corona milit. cap. 9. dicit

27. Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium: congregaverunt ad eum universam cohortem:

eam fuisse Romanorum militum commentum : nam sicut, cùm esset à Caïpha condemnatus, licentiam ministrorum exprobravit ei acerbissimè quasi arrogatam prophetiam, ita flagellato licentia militaris arrogatam Regiam dignitatem, idque ludibriis crudelissimis, non jubente, sed permittente Pilato, ut Leo Serm. 8. de Pass. putans videlicet Judæorum animos mitigandos. Isti ergò quatuor milites CONGREGAVERUNT AD EUM UNIVERSAM COHORTEM, suam scilicet, cujus ipsi erant, ut inaugurationi regis, quam meditabantur, nullius ingenium, industria, petulantia, improbitas deesset, sed inanes vires suas in commune conferrent. Itaque non videntur cæteri flagellationi interfuisse. Porrò *Cohors* est peditum, decima scilicet pars legionis : unde facilè est conjicere de numero, si constaret de numero legionis. Hoc constat, cohortem facilè fuisse quingentorum militum : aliqui ad mille quinquaginta augent, putantes legionem constitisse duodecies mille quingentis militibus ; nec testimonia apud antiquos, Tacitum & alios desunt.

28. Et exuentes eum chlamydem coccineam circùmdederunt ei :

28. ET EXUENTES EUM, vestibus propriis, quibus eum à flagellatione iterum induerant, CHLAMYDEM COCCINEAM CIRCUMDEDERUNT EI, detritam scilicet alicujus militis, ut esset instar alicujus paludamenti, quo Reges & Imperatores in castris utebantur. Joannes vocat *vestem purpuream*, & Marcus *purpuram*, quæ Regibus & Principibus viris propria erat. Unde Ambros. & Hilar. putant eam fuisse distinctam à *chlamyde coccinea*, non solum colore, sed & vestis genere : Augustin. tamen 3. de consensu cap. 9. putat eamdem fuisse, eo quòd purpura quædam sit cocco simillima, vel quòd eadem coccinea chlamys etiam in aliqua parte aliquid purpuræ habuerit. Hoc ergò quasi paludamento Regali Regem adumbraverunt.

29. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes : Ave Rex Judæorum.

29. ET PLECTENTES CORONAM, instar diadematis Regii, DE SPINIS, ut ludibrium esset cum tormento conjunctum. Spinas istas rhamnum fuisse credunt, qui locis illis frequens : aliqui juncum marinum fuisse volunt ; sed hoc improbabile est, magisque convenit figuræ arietis, hærentis cornibus inter vepres, si rhamnus fuerit. ET POSUERUNT SUPER CAPUT EIUS, non ut instar pilei caput tegeret, sed ut tempora tamquam corona cingeret & pungeret. Nam ut Tertull. de corona milit. cap. 14. præter figuram contumelia in promptu est, & turpitudo, & de decoratio, & his implexa sævitia, quæ nunc Domini tempora & fœdaverunt. & lancinaverunt. ET ARUNDINEM IN DEXTERA EIUS, ut esset loco sceptri. ET GENU FLEXO, ut speciem adorationis novi Regis præferrent, ILLUDEBANT EI, velut ludicro Regi ; & appetecantes omnia fausta & felicia dicebant : AVE REX JUDÆORUM, quibus tacitè ei exprobrabant affectationem regni.

30. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.

30. ET EXPUENTES IN EUM ; hâc contumeliâ magis interpretantes ludicram adorationem suam, ACCEPERUNT ARUNDINEM, sceptrum scilicet è manibus ejus, & percutiebant caput ejus, irmul, ut morionem, qui regnum affectabat, irridentes, ut S.

Thomas notat: simul dolorem inferentes ex concussione spinarum. Addit Joan. etiam dedisse eis alapas loco scilicet tributi, & munerum quæ Regibus inauguratis offeruntur: ita ut illusio ad summum crudelitatis & contumeliarum omnium fastigium pervenerit, ut loquitur Victor Antiochenus in Marcum. Videntur hoc fecisse in gratiam Judæorum, ut Chrysostom. notat, si non eis incitantibus; à quibus mercedem nocturnæ comprehensionis acceperant. Mirum est autem, quòd Rex Judæorum Agrippa postea simili ferè modo in persona cujusdam morionis (Araba, si non fortè Barraba) Alexandriæ illusus fuit, in vindictam arbitror facti illius, ut narrat latè Philo in Flaccum. Mysticè Ambros. lib. 10. in Lucam: Quamvis militibus defuerit boni operis affectus, Deo tamen suus non defuit honos, qui salutatur, ut Rex, coronatur ut victor, quasi Deus & Dominus adoratur. Arundo comprehenditur manu ejus, ut humana fragilitas jam non sicut arundo moveatur à vento, sed operibus Christi corroborata firmetur: eadem caput ejus percutit, ut solidata divinitatis attactu nostra conditio mutari possit. Hæc ille. Aliter Hieronymus in Matth. In chlamyde coccineâ opera Gentium cruenta (id est peccatum) Christus sustinet: in corona spinea maledictum solvit antiquum: in calamo venenata occidit animalia. Sed accuratiùs & latiùs S. Athanas. De passione & cruce Domini.

tiebant caput ejus.

31. ET POSTQUAM ILLUSERUNT EI, vot & tam acerbis ludibriis ad satietatem usque, EXUERUNT EUM CHLAMYDE, coccineâ. Multa hîc intermittit Matthæus, quæ Joan. supplet cap. 19. versu 4. usque ad 16. Fuit enim in isto habitu ostensus Judæis, ut placarentur, rursum examinatus, tandem productus foras, à Pilato sedente pro tribunali traditus voluntati eorum. Itaque redit hîc Matthæus ad narrationem inchoatam versu 26. Exutâ igitur chlamyde, INDUERUNT EUM, milites illi quatuor lictores, VESTIMENTIS EIUS, ut ab hominibus cognosci posset, ET DUXERUNT EUM, UT CRUCIFIGERENT. Marcus & Joan. *educerunt*, scilicet extra civitatem. Tunc enim impletum est illud Matthæi, quod ejecerunt heredem extra vineam, tamquam indignum scilicet, quem civitas sustineret, ut extra portam, juxtà Apostolum ad Heb. 13. paterentur, sicut ibi hostia pro peccato cremabatur. Decebat enim eum extra civitatem in agro cum Abel pati, ut cessantibus veteribus victimis, nova hostia novo imponeretur altari, & Crux Christi non templi esset ara, sed mundi, ut notat sanctus Leo Serm. 8. de Passione Domini.

31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis ejus, & duxerunt eum ut crucifigerent.

32. EXEUNTES AUTEM, in ipso scilicet egressu portæ civitatis. Constat enim ex Joan. Christum exiviſſe bajulantem sibi crucem, sicut Isaac ligna sui sacrificii portaverat. Reo namque ex more imponebatur crux ferenda, vel tota, vel pars, sicut ex ethnicis Scriptoribus constat. Fiebat autem & ad ludibrium & ad pœnam. Unde August. Tract. 117. in Joan. Grande spectaculum, sed si spectet impietas, grande ludibrium: si spectet pietas, grande mysterium. Ludibrium erat in eo, ut Leo Serm. 8. cit. quia fic-

32. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus.

bat ad irrisionem regiæ dignitatis: mysterium, quia gestabat virgam principatus sui, qua percussurus erat diabolum, & triumphi sui trophæum super humeros, quod fixurus erat in frontibus Regum. Itaque exeuntes portam, INVENERUNT HOMINEM CYRENÆUM, ex Cyrene urbe, vel Cyrenaica regione, quæ est in Africa circa Libyam, ut patet non solum ex Plinio lib. 5. cap. 5. sed & Act. 2. v. 10. Unde veteres plerique auctores, Ambros. Hilar. Leo, volunt, Gentilem fuisse, ad significandum, Gentiles præ Judæis crucem Christi laturos. Quamquam Simon nomen sit Judaicum: Judæus enim esse potuit, qui, vel cujus parentes habitationem è Cyræne Jerosolymam transtulissent: erant namque dispersi Judæi per totum orbem, ut patet loco Act. cit. HUNC ANGARIAVERUNT, seu vi compulerunt, ut tolleret crucem ejus. Lucas, *imposuerunt ei crucem*, nempe totam, ferendam usque ad locum Calvariæ, ut sentit August. 3. De consensu cap. 10. sicut antè Jesus totam tulerat. Causam fuisse debilitatem nimiam, & accelerationem, videtur verisimile. Militaris autem insolentia coëgit hominem extraneum, eo quòd nemo ignominiosum lignum ferre dignaretur. Significatum autem fuit, crucem à plurimis non suscipi nisi coactis, susceptam tamen ferri voluntariè.

33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, scribendum fuisset *Golgotha*, sed ל, euphoniæ causâ excidit, & Syriacè significat *Calvariam*, sicut hîc explicatur. Locus autem *Calvariæ* dictus est à calvariis & ossibus facinorosorum hominum ibi dispersis, eo quòd esset locus suppliciis infamis, ut vult Hieron. Plurimi tamen veteres ita vocatum volunt, quòd ibi primi hominis cranium, seu ipse primus homo traditione quâdam diceretur sepultus, ut Orig. in Matt. Ambr. lib. 10. in Luc. Athanas. de Pass. Epiph. latè Hæresi 46. ut videlicet ibi mortem susciperet Christus, ubi radix totius mortis requiesceret.

33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus.

34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cùm gustasset noluit bibere.

34. ET DEDERUNT EI VINUM BIBERE: Græcus habet ὄξος, *acetum*, sed ferè omnes Latini veteres legunt *vinum*, οἶνος, & ita Græcè etiam legitur apud Marcum. Credibile est fuisse vinum evanidum & acetosum, ut utroque nomine vocari potuerit, sicut Theophyl. in Marc. notat. Ex compositio hoc factum fuit, ad affligendum moriturum, cùm damnatis ad mortem vinum præstantissimum dari soleat, ne mortis horror terreat, vel dolor torqueat. CUM FELLE MIXTUM: Marcus vocat *vinum myrrhatum*. Vinum autem myrrhatum, seu myrrhinum duplicis generis erat: aliud ex poculis myrrheis, quibus vinum calidum infusum fuerat, odorem, saporémque contrahebat jucundissimum: aliud myrrhâ, calamo aliisque aromatibus condiebatur. Utrumque pretiosissimum erat, ac vires addebat, prout constat partim ex Plinio lib. 14. c. 13. partim ex Atheneo, qui etiam dulce fuisse indicant. Constat autem traditionibus Judæorum, quæ adhuc in Thalmud extant, afficiendis supplicio myrrhatum vinum propinari solitum, nimirum juxta illud Proverb. ult. *Date siceram mœrentibus*, &c.

Itaque

Itaque juxta hæc valdè verisimiliter dici potest, hoc vinum myrrhatum fuisse distinctum à vino felle mixto, ut sentit Euthym. & obscuriùs Theophyl. in Matth. Sed tamen & idem Theophyl. & alii plerique veteres, ut August. libr. 3. de consensu cap. 11. sive diversum fuerit vinum, sive idem, cui fel mixtum fuerit, hoc est, sola myrrha amarissima instar fellis, vel cui revera fel simul & myrrha commixta fuerint, sentiunt fuisse amarissimum, & ad illudendum affligendumque adhibitum specie refocillandi, quod sanè moribus Judæorum videtur magis fuisse consentaneum. ET CUM GUSTASSET, cujusmodi esset, ne scilicet indignabundus contemnere videretur, tamen NOLUIT BIBERE, id est, transmittere, quod Marcus dicit eodem sensu, *non accepit*, scilicet ut biberet, seu transmitteret, ne vel sibi malum accersere velle, ut desperabundi solent, vel barbaram eorum immanitatem probare videretur.

35. POSTQUAM AUTEM CRUCIFIXERUNT EUM, id est, cruci affixerunt, nempe clavis, non funibus, ut constat ex resurrectione, Lucæ 24. versu 29. & Joan. 20. versu 25. & 27. Affixus autem fuit tribus clavis, ut communior videtur habere opinio, uno videlicet duos pedes terebrante, sicut tradit Nonnus metaphrastes Evangelii secundùm Joan. & Nazianz. in Carm. de Christo à cruce depositio. Gregorius tamen Turonensis tradit quatuor fuisse clavos, cui antiquiores imagines suffragantur. Suppedaneum subjiciunt quidam pedibus, ut faciliùs suffigi possint; sed sic stetisset in cruce Christus, non suspensus pependisset, sicut hoc agnoscunt Scripturæ, Act. 5. versu 30. & alibi. Facie versum fuisse in occidentem, dorso Jerosolymam docet Sedulius & Auctor Comment. in Marcum apud Hieronym. ut sic duæ simul prophetiæ litteraliter implerentur. *Dorsum, non faciem ostendam eis in die perditionis eorum*, Jeremiæ 18. versu 17. *Oculi ejus super gentes respiciunt*, Psal. 65. Cum corona spinea pependisse expressè docet Tertull. lib. contra Judæos c. 13. DIVISERUNT VESTIMENTA EIUS, id est, partiti sunt milites: damnatorum enim vestes, ut Cyrillus 12. in Joan. c. 32. quasi hereditatis lege ad se pertinentes sibi vindicabant, ut nunc à lictoribus fieri solet. Ergò nudus crucifixus est: unde Psal. 68. qui de passione loquitur, *Operuit confusio faciem meam.* Vestimenta fuisse plura, patet ex Joan. nam præter tunicam, scilicet interiorem, quæ mansit integra, in quatuor partes divisérunt vestimenta, quæ videtur fuisse tunica exterior, si non & pallium: quod tamen, quia magis honestatis, quàm necessitatis causâ gestatur, vix credibile est passionis tempore gestum fuisse. Hæc ergò vestimenta diviserunt in quatuor partes, unicuique militi partem, ut Joan. SORTEM MITTENTES, nempe non solùm super tunicam inconsutilem, sicut Joan. narrat, sed etiam super vestes illas divisas, quis quid tolleret, ut ex Marco clarè constat. Factum est hoc, spectante Jesu, ad ludibrium & acerbitatis augmentum, ut Theophyl. observat.

35. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus: sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

36. ET SEDENTES MILITES, tum lictores, tum reliqui custodes, 36. Et sedentes

tes ſervabant eum.

cum centurione ſuo, de quo verſu 34. SERVABANT EUM, ne quis videlicet amicorum de cruce vivum deponeret.

37. Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM.

37. ET IMPOSUERUNT SUPER CAPUT EIUS, in ea crucis parte, quæ ſuper lignum tranſverſum eminebat, CAUSAM EIUS, propter quam crucifixus eſſet, ſeu cauſam ſupplicii, SCRIPTAM, tribus videlicet linguis, ut Joan. Fiebat ex more Romano, quo titulus ſupplicii ſcriptus vel præferebatur, cùm duceretur reus, vel affigebatur. Sic ergò Chriſtus quamvis in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, ſuper crucem tamen Regis majeſtate fulgebat, ut Beda in Lucam. HIC EST JESUS REX JUDÆORUM, Marcus, *Rex Judæorum*, Lucas, *Hic eſt Rex Judæorum*, ſenſum expreſſerunt, non verba. Nam vera verba crucifixi affixa videntur à Joan. adferri, *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*: illa quippe cum titulo Romæ aſſervato dicuntur convenire, ut JESUS ſit proprium nomen; *Nazarenus*, patria, quâ vulgò notus erat: *Rex Judæorum*, cauſa ſupplicii, quâ Pilatus ſimul etiam ſe purgaſſe voluit affectationem regni Judaici ei imponens, & ſe de pontificibus, ad innocentis necem adigentibus, ulciſci, quod eis ignominioſum eſſet, Regem eorum ipſis poſtulantibus in crucem ſuffigi. Nam propterea etiam titulum mutare noluit, quamvis altiore conſilio divinitùs id ageretur, ne ſcilicet ſcriberet quòd affectaſſet regnum, ſed quòd eſſet Rex, hoc non crimen, ſed gloria eſt.

38. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, unus à dextris: & unus à ſiniſtris

38. TUNC CRUCIFIXI SUNT CUM EO DUO LATRONES; conſilio tum humano, tum divino: humanum fuit, partim Pilati, ne ita inſontem plectere videretur ut ſceleratis parceret; partim Pontificum, ut cohors ſupplicii latronum, conſors etiam criminum vulgò haberetur: & ideò ipſis, ut credibile eſt, inſtigantibus tamquam princeps facinoroſorum hominum in medio ſuſpenditur, quod ei fuit ſummæ ignorantiæ, ſicut Iſaias & Chriſtus ipſe notavit Lucæ 22. verſu 27. Divinum conſilium fuit, ut verè pro ſceleratis paſſus, & eorum ad ſe converſorum princeps eſſe ſignificaretur; divinique judicii & diſcretionis ſpecimen exhibere, dum judex in medio unum damnat, alterum ſalvat; Judæos rejicit, Gentes adſciſcit, ut ex parte notavit Auguſtin. Epiſtol. 48.

39. Prætereuntes autem blaſphemabant eum moventes capita ſua.

39. PRÆTEREUNTES AUTEM, ſive caſu viâ publicâ, quæ ibi erat, ut Euthym. & Victor Antiochen. notant, ſive potiùs ſpectantes, qui de induſtria circumcurſabant crucem, curioſitatis & virulentiæ oſtendendæ cauſâ, ut inſultarent morienti: BLASPHEMABANT EUM, verbis in ejus divinitatem contumelioſis convitiando, MOVENTES CAPITA SUA, propter irriſionem, ut notat Ambroſ. talis eſt enim motus capitis irridentium. Unde Iſaiæ 37. verſu 22. *Subſannavit te virgo, filia Sion, poſt te movit caput.* Et hanc irriſionis ſpeciem prædixerat de Chriſto David, Pſal. 21. verſu 8. & Pſal. 108. verſu 25. Eſt autem hoc genus contumeliæ, in ſummis ſcilicet malis aliquem tam acerbis appetere ludibriis & convitiis, acerbiſſimi animi ſignum, & toleratu graviſſimum.

40. Et dicen-

40. DICENTES, id eſt, non ſolùm geſtibus irridebant, ſed, ut

S. Leo Sermon. 10. de Paſſione, fixuris clavorum addebant etiam tela linguarum: VAH. Interjectio eſt hoc loco contemnentis & exprobrantis, ſibilo oris pronuntianda, qualis eſt apud Flandros, *Phi.* QUI DESTRUIS TEMPLUM DEI ET IN TRIDUO ILLUD REÆDIFICAS: q. d. Qui te tantæ potentiæ venditaſti, pudeat te jam jactantiæ & arrogantiæ tuæ. SALVA TEMETIPSUM, è cruce; quod longè faciliùs, quàm vaſtam illam molem triduo erigere. SI FILIUS DEI ES, ſicut coram Pontificibus profeſſus es, DESCENDE DE CRUCE. Noluit autem, quia tempus non erat oſtendendæ potentiæ, ſed perfectæ patientiæ, ut Auguſt. in Pſalm. 40. noluit, ne ſi ad eorum poſtulata deſcenderet, impatientiæ videretur cedere: denique noluit, ut majus divinitatis ſuæ præberet teſtimonium videlicet tum tantam patientiam, quantam nemo hominum perpetraret, ut Tertull. lib. de patientiâ, tum glorioſam reſurrectionem ſuam.

tes: Vah qui deſtruis templũ Dei, & in triduo illud reædificas, ſalva temetipſũ: ſi Filius Dei es, deſcende de cruce.

41. SIMILITER ET PRINCIPES SACERDOTUM, omnis decoris & gravitatis & dignitatis ſuæ obliti præ animi immanitate. Nec enim eos intereſſe decebat ſuppliciis, multò minùs morientem ſcommatibus inceſſere. CUM SCRIBIS ET SENIORIBUS: unde ab omni genere hominum laceratus eſt, à tribus ordinibus primatum, à vulgo, à militibus, à ſupplicii ſociis latronibus, ut ita, juxta Chryſoſtom. tamquam arrogans, impoſtor, in conſpectu omnium vituperatus decederet.

41. Similiter & principes ſacerdotum illudentes cum Scribis & ſeniori-bus dicebant:

42. ALIOS SALVOS FECIT, SEIPSUM NON POTEST SALVUM FACERE. Verba videntur eſſe non ſatentium ejus miracula, ut vult Hieronym. ſed potiùs tacitè calumniantium: quaſi dicerent, Seipſum non poteſt ſalvum facere, ergò ſignum eſt, quòd nec alios ſalvos fecerit, ſed tamquam impoſtor & magus oculis illuſerit. Unde Chryſoſt. dicit priora miracula in dubium vocari; Theophyl. ea vellicari, ut phantaſtica; Euthymius ut præſtigiis facta. Et quia dixerat eſſe Meſſiam & Filium Dei, utrumque ſe putant apertæ falſitatis convincere. SI REX ISRAEL EST, nempe ille promiſſus Meſſias, ut indicant Marcus & Luc. DESCENDAT DE CRUCE, ET CREDIMUS, Græcè πιστεύσομεν, *credemus* EI: non quaſi hoc ſeriò ſentirent, aut promitterent, ſed propter conditionis, ut putabant, impoſſibilitatem, & evidentiam ad oculum, quòd non eſſet Meſſias. Loquuntur animo illudendi crucifixum. Cur ergò non deſcendit, ut eis poteſtatem deſcendendo monſtraret? Reſpondet Leo Serm. 17. de Paſſ. quia non ſecundùm preces blaſphemantium linguarum humani generis redemptio debebat omitti: & Auguſtin. Tractat. 37. in Joan. quia patientiam docebat, ideò potentiam differebat. Si enim quaſi commotus ad eorum verba deſcenderet, victus convitiorum dolore putaretur. Nam quid ei magnum fuit de cruce deſcendere, qui potuit de ſepulchro reſurgere? Et tamen reſurgenti non crediderunt, quantò minùs deſcendenti?

42. Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere: ſi Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei:

43. CONFIDIT IN DEO, id eſt, jactavit ſe fiduciam in Deo Patre ſuo habere: LIBERET NUNC, ſcilicet eum Deus

43. Confidit in Deo: liberet

nunc si vult eum : dixit enim : Quia Filius Dei sum.

SI VULT EUM, non ipse Deum, sed si Deus ipsum vult, id est, diligit eum, & favet ei tamquam filio suo. DIXIT ENIM, FILIUS DEI SUM, ei proinde maximè dilectus, & curæ. Impossibile est enim, ut filium suum negligat, qui neminem in se sperantem derelinquit, sicut hoc argumentum perficitur Sapient. 2. versu 18. Cùm ergò non liberaretur, invictè probatum putabant, eum non esse Filium Dei. Errabant in circumstantia temporis. Sine dubio enim Deus Filium suum liberaturus erat de manibus contrariorum, non tamen à cruce liberando, sed à mortuis resuscitando, omnibus suppliciis ad redemptionem humani generis, & ad exemplum perseverantissimæ patientiæ consummatis.

44. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei.

44. ID IPSUM AUTEM, nempe, *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, & nos*, ut exprimit Lucas, LATRONES IMPROPERABANT EI: erat enim tacitè dicere, non es talis, sed impostor : unde Marcus dicit, quòd *convitiabantur ei*. Uterque autem notat circumstantiam, quòd simul CRUCIFIXI ERANT CUM EO. Ut insinuet rei indignitatem, cùm oporteret eos timere Deum, per cujus judicium in eamdem damnationem inciderant, sicut hoc postea alter latronum alteri exprobravit; & de morte propria, non de convitiis alienis esse sollicitos. Orietur autem difficultas, quomodo Matth. & Marcus dicant latrones improperasse Jesu, cùm nonnisi unus dixerat juxta Lucam. Græci & Orig. Chrys. cum suis, Cyrill. Catech. 13. valde verisimiliter sentiunt, utrumque initio convitiatum fuisse; alterum deinde visis mirabilibus esse conversum. Quamvis August. 3. De cons. cap. 16. per tropum velit pluraliter dici id, quod unus tantùm fecit, quod ipse pluribus exemplis Scripturæ probat esse familiare. Ambros. libr. 10. in Luc. & Hieron. hîc utramque expositionem jungunt.

45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam.

45. A SEXTA AUTEM HORA, scilicet jam transactâ, seu signo ejus dato, hoc est, ipso medio die, quo lumen Solis est maximum, TENEBRÆ FACTÆ SUNT: non ita densæ, ut Ægyptiacæ, sed quales esse solent serenâ nocte, cùm astra lucent: astra enim esse visa, testis est Phlegon apud Euseb. in Chronico. Nam ex factis circa crucem Christi patet, quòd se mutuò & omnia viderint circumstantia. Ambros. epist. 83. & aliis locis videtur putare, quod Sol revera occiderit in Occidente, ibique per tres horas manserit, juxta prophetiam Amos cap. 8. hac de re, *Occidit Sol in meridie*. Sed verius, aliis duabus de causis tenebras esse factas: primò, quòd Soli Luna se supposuerit: oculatus enim testis Dionysius Areopagita epist. ad Polycarpum asserit, Lunam ab ortu Solis media die, extra conjunctionis tempus, subingressam esse Solem, & rursum versus Orientem horâ nonâ recessisse. Qua in re triplex erat miraculum: primum, quod esset plenilunium, quo non potest naturaliter fieri eclypsis Solis: secundum, quòd Luna ab Oriente Solem subintraret, cùm semper hoc fieri debeat ab Occidente: tertium, quòd eadem via rediret, relinquens primò retectam illam Solis partem, quam ultimam texerat, deberet oppositum fieri: quartum adde, quod Luna immota fieret sub Sole per tres cir-

citer horas, usque ad nonam, cùm eclypsis Solis brevissima esse soleat. Sed etiam, omnibus istis positis, quia Luna est minor Sole, maximamque patitur parallaxin, non potuit efficere, ut fierent tenebræ, SUPER UNIVERSAM TERRAM, sicut testatur Evangelium esse factas. Nam quamvis Origen. solam Judæam intelligat, plerique tamen veteres, Chrysost. Theophyl. & alii verius universam terram intelligunt. Unde à Dionysio & Apollophane visa est hæc eclypsis in Ægypto; & Tertull. in Apologet. cap. 21. testis est, istum mundi casum à Romanis in archiva relatum esse. Phlegon citatus refert defectionem inter omnes, quæ acciderant, fuisse maximam: Euseb. loco allegato se in commentariis Ethnicorum reperisse consignatum, quod tenebræ factæ fuerint super universam terram. Itaque alteram causam tanti deliquii indicat Lucas, cùm dicit: *Sol obscuratus est*, hoc est, ut Hieron. v. 9. cap. 8. Amos retraxit radios suos pendentem in cruce Dominum spectare non ausus. Sic igitur Creatori suo quodammodo creatura congemuit, &, ut Leo serm. 6. de pass. crucis clavos omnia simul elementa senserunt. Debebat enim hoc testimonium (divinitatis scilicet ejus) suo mundus auctori, ut in hoc casu conditoris sui vellent universi finiri. USQUE AD HORAM NONAM, id est, tertiam nostram pomeridianam, tres scilicet horas continuas, ne putaretur naturaliter contigisse, unde videntur tenebræ durasse, quamdiu vivus pependit in cruce. Facta sunt autem ista, ut optimè Augustin. de fide contra Manichæos cap. 26. ad humanam naturam docendam, non ad Christi naturam tuendam. Nam fuit gravissimum testimonium divinitatis, in summa ejus infirmitate exhibitum per quod ut Cyril. lib. 2. ad Reginas, Creatore contumeliâ affecto, creatura quodammodo irascebatur sceleratis: ne aut pendentem videret Dominum suum, aut impii blasphemantes, ut Hieron. luce sua fruerentur: ne denique tenebras mundo Judaïcæ cœcitatis ostenderet, inquit Leo sermone 10. de passione.

46. ET CIRCA HORAM NONAM CLAMAVIT: Marcus & Græcus *exclamavit*, ἀνεβόησεν, quo augetur vehementia, sicut & epitheto, VOCE MAGNA: nam adhibuit eam, ut ostenderet pœnarum magnitudinem, & se mori non naturæ infirmitate, sed suâ voluntate; morientes enim lentâ morte voce destituuntur: DICENS ELI, ELI LAMMA SABACTHANI. Tria priora vocabula sunt initium Psalm. 21. (ut ita declaret totum Psalmum de se esse prophetatum) sicut Hebraicè legitur: nam illud, *respice in me*, quod Latinè legimus, à LXX. insertum est. שבקתני, *Sabacthani*, est Syriacum à שבק *Sabac* sive *Sebac*, id est, *dereliquit*, quod idioma tempore Christi vulgare erat; nam Hebræi dicunt עזבתני, *Ghazabtani* seu *Azabtani*, quo modo, & in quibusdam manuscriptis Latinis legitur. Pro *Eli* Marcus habet *Eloi*, quod idem significat. Est enim singulare ab *Elohim* Servarunt Evangelistæ vocabula Hebraica, ut ita tacita daretur ratio, cur Eliam invocatum putarent. Hoc EST; DEUS MEUS, DEUS MEUS, UT QUID DERELIQUISTI ME? secundùm humanam scilicet naturam, exponendo eam omnium persecuto-

46. Et circa horam nonam, clamavit Jesus voce magna dicens: Eli, Eli lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

rum voluntari, omnium tormentorum acerbitati, sine consolatione. Querimoniam esse naturæ derelictæ multi volunt, sicut illam, de qua suprà, TRANSEAT A ME CALIX ISTE. S. Leo Serm. 17. de Pass. & Cyprian. de Passione, esse verba inquirentis causam derelictionis, ut videlicet nobis occasionem darent quærendi causam mortis Christi, & fructum ejus, videlicet peccatum hominum offendentium, & gratiam Dei offensi: nam utrumque tam magnum est, ut soli Deo plenè perspectum sit. Cyrill. lib. 2. ad Reginas, peropportunè vult esse verba vocantis ad benevolentiam sive exorantis Deum: q. d. Ut quid, id est, memento ut quid, seu in quem finem dereliqueris me, nimirum ut placatus maledictionem humano generi incumbentem solvas. Et ita essent verba Christi, tamquam sacerdotis, Patrem placantis, & fructum sacrificii exorantis pro humano genere. Nam vocem desperationis hîc Christo elapsam esse, ut Calvinus docet, blasphemia est omnibus antiquis inaudita, quam ipse Christus refutat, non solùm in eodem Psalmo, dicendo, *Spes mea ab uberibus matris meæ*, sed in ipsis illis verbis, *Deus meus*, &c. Deus quippe sicut non est mortuorum, ita nec desperantium. Non enim potest quisquam dicere Deus meus, inquit Ambr. in Psal. 43. nisi qui Deo plenum defert pietatis affectum.

47. Quidam autem illic stantes, & audientes dicebant: Eliam vocat iste.

47. QUIDAM AUTEM, &c. AUDIENTES. Hieron. arbitratur fuisse Romanos milites, sermonis Hebraïci ignaros, qui *Eliam*, pro *Eli* intellexerint. Favet multum, quod hîc dicatur unus ex eis dedisse acetum, quem Lucas dicit fuisse militem. Fortasse Judæi illudendi causâ perverterunt sacra verba, quos postea milites imitati sint, ut dicerent: ELIAM VOCAT, seu invocat in auxilium: ut se deponat, quia seipsum salvare non potest, ISTE, cruciatus, spiratque enim contemptum.

48. Et continuò currens unus ex eis acceptam spongiã implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

48. ET CONTINUO, ut clamasset Eli, CURRENS UNUS EX EIS, miles, ut Lucas, acceptam spongiam implevit aceto, quia naturaliter liquorem imbibit, & acceptam reddit, ET IMPOSUIT ARUNDINI, ut posset ori hominis, in alto pendentis, admoveri. Nam præter illud arundinis tectoriæ genus, quod vulgò est notum, est & aliud crassum ac longum, instar mediocris hastæ, in quibusdam partibus Galliæ, in Hispania & Italia notissimum, quod Græci vocant κάλαμον χερσαῖον, apud Theophrast. Gazam *vallatoriam*, alii *satiam*. Sed quid aceto & spongiæ cum isto clamore Christi, Eli, Eli? Ex Joanne hoc intelligitur: nam Christus eodem tempore clamavit, *Sitio*, ut extremam suam afflictionem indicaret. Cùm ergò ab hominibus nullum solatium sciret esse præmanibus, ad Deum videtur se convertisse, clamando, *Eli, Eli*. Et idcirco miles accurrens, specie restinguendi sitim, revera autem ad illudendum, ut ex Luca patet, admovit, ori sitibundo spongiam cum aceto, quod magis exsiccat, & simul irrisit eum, dicens, ut narrat Lucas, *Si tu es Rex Iudeorum, salvum te fac*: qu. d. Quid clamas & invocas auxilium alienum Eliæ? salvum fac teipsum: & ut Marcus, *Sinite videamus, si veniat Elias ad deponendum eum*;

49. Cæteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum.

quod Matth. hîc narrat cæteros adſtantes dixiſſe: ſed utrique hoc dixerunt, & milites ad cæteros, & cæteri ad ipſum, quaſi dicerent, potemur aceto, ne ante adventum Eliæ moriatur. Ex quibus verbis videtur etiam colligi cur illud acetum, ſpongia, & arundo parata ſteterunt, videlicet ne animo deficerent crucifigendi vel crucifixi: unde & nunc contra deliquium animi adhiberi ſolet: vel etiam ne crucifixi ex fluxu ſanguinis, quem ſiſtit, citiùs morerentur. Itaque, præter irriſionem, etiam hac de causâ acetum à milite oblatum fuit, ut eſſet ſpatium videndi, num Elias eſſet venturus. Diverſa igitur planè fuit hæc aceti oblatio ab ea, de qua verſu 34. Nam illa ante crucifixionem, hæc poſt facta eſt, quamvis malè quidam confuderint. Utraque plena fuit barbariæ: unde utramque diſtinctè, velut ſummæ inhumanitatis, Pſaltes prophetavit, *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti potaverunt me aceto.*

50. Jesus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum.

50. JESUS AUTEM ITERUM CLAMANS VOCE MAGNA, in argumentum ſuperſtitis in eo roboris, ut videlicet teſtatum redderet, ſe non defectu virium mori, ut contingit iis, qui lenta morte moriuntur, ſed vitam & mortem eſſe in ſua plena & libera poteſtate ſicut de ſe ipſo aſſeruerat Joan. 10. verſu 18. quod Chryſoſt. Theophyl. & plerique veteres notaverunt. Vox ergò iſta teſtimonium fuit divinitatis ejus, quam ex ea, & vel ſola præcipuè cognovit, & confeſſus eſt Centurio, Marci 15. verſu 39. Clamavit autem Chriſtus hæc verba: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, ſicut ex Luca patet: ut indicaret ſe non ut facinoroſum, ſed per omnia benè ſibi conſcium, & Deo confidentem mori, & morientibus hujus pietatis exemplum relinqueret, EMISIT SPIRITUM, id eſt, ut Tertull. in Apol. c. 11. ſpiritum ſponte dimiſit, prævento carnificis officio: nam hoc verbo ſignificatur mors ſpontanea. Ut enim Ambr. in Luc. quod emittitur, voluntarium eſt; quod amittitur, neceſſarium, & ideò Joan. ait *ſpiritum tradidiſſe inclinato capite*, voluntate videlicet, non infirmitate. Emiſit autem, ſeu tradidit ſpiritum, *non clamando*, ſicut Latinus textus ſonat; ſed ut Græcus apud Luc. *cùm clamaſſet*, κράξας, & apud Joan. *cum inclinaſſet caput*, κλίνας

51. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum: & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,

51. ET ECCE. Quâ loquendi connexione, & modo recte obſervat Auguſt. 3. de conſenſu cap. 19. tunc eſſe ſciſſum velum, cùm emiſiſſet ſpiritum, & ideò Lucam ordinem non obſervaſſe. VELUM TEMPLI. Velum duplex fuit, non ſolùm in veteri tabernaculo, ut patet ex Apoſt. ad Hebr. 9. verſu 2. & 3. Exodi 26. verſu 21. & 36. ſed etiam in templo, ſicut diſtinctè narrat Joſeph. de bello Judaico c. 6. Hieron. Epiſt. 115. ad Hedibiam quæſt. 8. accipit hoc de velo exteriori, quod primis portis oppandebatur, & ante illam Orig. ſed alii plerique veteres, ut Leo Serm. 10. de Paſſ. Cyril. lib. 16. in Joan. cap. 37. Theophyl. & alii intelligunt de velo interiori, quod inſtar parietis ſeparabat Sanctum Sanctorum à Sancto. SCISSUM EST IN DUAS PARTES A SUMMO USQUE DEORSUM. Quas circumſtantias & Marcus diligenter annotat, ut

liqueat latere mysterium. Orig. in Matth. Augustin. 12. contra Faustum cap. 11. Cyril. loco cit. & Hieron. hîc tradunt significari omnia legis sacramenta, quæ priùs tegebantur, jam Christi morte esse patefacta, nec ampliùs velo tegenda, juxta Apostolum 2. ad Corinth. 3. versu 14. & 15. ubi dicit, *Velamen in lectione veteris Testamenti manere non revelatum, nisi in Christo*, aptissimè quoque significatum fuit id, quod Apostolus insinuat ad Hebr. 9. versu 8. jam propalatam esse Sanctorum viam, hoc est, cùm Christus jam per suum sanguinem ingressus esset in cælum, jam viam ad Sancta Sanctorum, id est, in cælum per ea significatum, esse manifestatam: quæ via est gratia Christi jam palam cognita & prædicata. Porrò præter velum descriptum, addit Ephræm Serm. 1. de Pass. columbam è templo egredi visam. ET TERRA MOTA EST: quasi crucifixum Dominum suum ferre non sustinens. Testis est Phlegon, scriptor Ethnicus apud Euseb. hoc terræ motu Bythiniam, & in ea Nicæam præcipuè concussam esse, ET PETRÆ SCISSÆ SUNT: ex terræ motu, quòd montem Golgotha usque ad sua tempora monstrare testatur Cyrillus Catechesi 13. Fiebant hæc omnia ad testandam sceleris atrocitatem, iram Dei, dignitatem crucifixi, duritiem prodigiosam crucifigentium saxis duriorem, ut Ambr. lib. 10. in Lucam.

52. Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

52. ET MONUMENTA APERTA SUNT, eo consilio, quo & monumentum Christi; ut scilicet appareret ea revera corporibus destitui. Factum est hoc prodigium, ut declararetur, crucifixum esse dominum vivorum & mortuorum, esse mortis & inferni domitorem, denique in signum futuræ, vi crucifixi, resurrectionis omnium, ut Hieron. Epist. 105. Quæst. 8. & Ambros. in Luc. ET MULTA CORPORA SANCTORUM QUI DORMIERANT, SURREXERUNT: à morte ad immortalitatem, ut sentit Hilar. in Matth. & Epiphan. Hæresi 75. quamvis Augustin. Epist. 99. putet contrarium, propter Apostolum, qui dicit ad Hebr. 11. Sanctos veteres non sine nobis fuisse consummandos. Sed locus ille non videtur cogere, eo quòd loquatur de generali omnium beatâque resurrectionis consummatione, cui non officit paucorum privilegium.

53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.

53. EXEUNTES DE MONUMENTIS POST RESURRECTIONEM EIUS: unde etiam tunc tantùm cum Christo resurrexerunt. Christus enim primitiæ dormientium: qua de causa Tertull. lib. de anima c. 53. vocat Patriarchas & Prophetas appendices dominicæ resurrectionis. Itaque illud, *Post resurrectionem ejus*, videtur referendum ad omnia præcedentia, *exeuntes*, *surrexerunt*, *aperta sunt*. Ratio enim sicut vetabat, ne exirent de monumentis ante Christi resurrectionem, ita etiam ne antè resurgerent, vel antè monumenta aperirentur: quamquam hoc postremum sit incertius. VENERUNT IN SANCTAM CIVITATEM, Jerusalem, quia monumenta erant extra civitatem. Quamvis autem recenter polluta sanguine Domini, tamen *sancta* dicitur, non solùm propter templum, & cultum unius Dei, adhuc tum durantem, & ab Apostolis usurpatum

ſurpatum, ut Hier. Quæſt. citatâ: ſed maximè, quia in ea tum ſteterant pedes Domini, ibi humanæ redemptionis myſteria peracta ſunt, & inde Evangelium in univerſum mundum coruſcavit, ut latiùs Hier. Epiſt. 17. ET APPARUERUNT MULTIS, iis qui cernere merebantur, inquit Hieron. hoc eſt, fidelibus, & à Jeſu non alienis. Apparuerunt autem, ut eſſent ſociæ reſurrectionis Chriſti, ac teſtes ejus, ne phantaſtica putaretur, ſi ſolus reſurgeret: denique ut eſſent præcones poteſtatis ejus, & pignus futuræ reſurrectionis omnium.

54. CENTURIO AUTEM, ET QUI CUM EO ERANT. Apud Metaphraſtem dicitur vocatus *Longinus*, & martyrio coronatus, quod & apud Chryſoſt. refertur. VISO TERRÆ MOTU, ET HIS QUÆ FIEBANT, ſciſſione ſcilicet petrarum, patientiâ admirabili, & præcipuè magno illo clamore morientis, ut notat Marcus, quia judicabat eum habere vitam & mortem in poteſtate: nam tenebræ ſolæ nihil moverant. TIMUERUNT VALDE, de ſui facinoris atrocitate, ne vindicta ſceleratæ necis, cujus miniſtri fuerant, eos apprehenderet. DICENTES: VERE FILIUS DEI ERAT ISTE, qui proinde necem ejus inultam eſſe non ſineret. Audiverant hoc à Judæis accuſantibus, & in cruce etiam exprobrantibus. Illius ergò recordati ſunt, & inſolitis prodigiis verum eſſe confeſſi. Per illud autem, *Verè filius Dei*, videntur veram divinitatem ejus agnoviſſe, ut ſentit Cyrill. libr. 12. Theſauri cap. 14. & Baſil. in Gordianum Mart. Unde quòd Lucas eum dixiſſe narrat, *Verè hic homo juſtus erat*, diſtincta fuit confeſſio à præcedente: quamvis Auguſt. 3. de conſenſu cap. 20. dicat eſſe poſſe interpretationem Matthæi; quo ſenſu faſſus eſſet Filium Dei omnimodo, quaſi Deo dilectum, quia veracem & juſtum. Hic primus erat fructus orationis pro tranſgreſſoribus in cruce fuſæ.

54. Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte.

55. ERANT AUTEM IBI MULTÆ MULIERES A LONGE: non à longè venientes, ſed à longè ſpectantes, ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι, ut addit Græcus: idque propter turbam, ſive potiùs metum: affectum tamen earum hîc celebratum Evangeliſta voluit, quòd nec morientem prorſus deſeruerint, ut antè diſcipuli. Fuiſſe tamen inter illas etiam viros indicat Luc. cùm dicit, *Stabant omnes noti ejus à longè & mulieres*, notos diſtinguens à mulieribus: QUÆ SECUTÆ ERANT JESUM A GALILÆA, MINISTRANTES EI. Itaque tribus in rebus hîc commendatur earum ſtudium; primò, quòd ad mortem uſque ſequerentur: nam valdè propè, imò juxtà crucem, ſaltem aliquo tempore & aliquas adſtitiſſe, teſtis eſt Joan. c. 19. verſu 25. ſecundò, quòd patriam remotam ejus amore deſeruiſſent: tertiò, quòd miniſtrarent ei, nempe de facultatibus neceſſaria ſuppeditando, ut Luc. c. 8. verſu 3. quod fuiſſe conſuetudinis Judaicæ, ut fœminæ præceptoribus victum & veſtitum miniſtrarent, tradit Hieron.

55. Erant autē ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa miniſtrantes ei:

56. INTER QUAS ERAT MARIA MAGDALENE, præcipuas tantùm & celebriores nominari notat Orig. Theophyl. & Euthym. ET MARIA IACOBI, ſcilicet minoris, juxtà Marc. ut diſtinguatur à

56. Inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi & Jo-

Ioseph mater filiorum Zebedæi.

Jacobo Zebedæi, fratre Joannis, ET JOSEPH MATER, Græcus & Syrus vocat non *Ioseph*, sed, *Ioses*, sicut & suprà c. 15. versu 53. Hanc *Mariam* vocat Joan. c. 19. versu 25. *Mariam Cleophæ*, supple vel filiam, vel potiùs uxorem. *Cleophas* enim videtur fuisse cognominatus *Alphæus*, & maritus fuisse istius Mariæ. ET MATER FILIORUM ZEBEDÆI, Jacobi & Joannis: vocatam esse *Salomen* notat Orig. ex Marco, & communiter post ipsum alii.

57. Cùm autè serò factū esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu.

57. CUM AUTEM SERO FACTUM ESSET, hoc est, dies inclinata ad occasum, non tamen finita, ut posset sufficere ad sepulturam; quia post occasum Solis incipiebat otium & observatio sabbati: unde Marcus notat adhùc durasse parasceven ante sabbatum. VENIT HOMO QUIDAM DIVES: quod notat, non propter jactantiam, sed duabus de causis necessariis: primò, ut constaret ratio cur ad Pilatum accedere, & ab eo corpus impetrare potuerit, ut observat Hieron. Unde Marc. addit, fuisse nobilem & decurionem, id est, senatorem, ut est Græcè, scilicet urbis Jerusalem. Hic ergò fiduciâ divitiarum & dignitatis, ut Augustin. 2. de cons. c. 22. intravit audacter ad Pilatum. Secundò, ut declararetur magnitudo affectus ejus, horrent enim divites ac nobiles corpus pauperis è patibulo deponere ad sepulturam. AB ARIMATHÆA, scilicet civitate oriundum: nam alioqui civem fuisse Jerosolymitanum probat sepulcrum ibi excisum. *Arimathæam* hanc Hier. de locis Hebraïcis scribit esse patriam Samuelis, 1. Reg. 1. dictam *Ramathaim*, quæ primò *Ramáh* vel *Ramatha* dicta fuit, quia in loco excelso, inde cum ה *He* demonstrativo *Haramáh*, seu *Haramatha*, *Haramathim*, quasi pluraliter, inde corruptè *Arimathæa*. QUI ET IPSE DISCIPULUS ERAT JESU; sed hactenus occultus, ut Joan. propter metum Judæorum. Unde & hinc emicare incipit virtus Dominicæ passionis, quòd ita subitò in alium virum mutatus sit. HIC ACCESSIT AD PILATUM, ET PETIIT CORPUS JESU. Nam legibus civilibus Romanorum, quod etiamnum servatur, vetitum est damnatorum corpora sine Judicis facultate deponere aut sepelire.

58. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus.

58. TUNC PILATUS IUSSIT REDDI CORPUS, cùm scilicet antè intellexisset ex accersito centurione, verè esse mortuum, juxtà Marcum. Hanc enim Deus informationem ab ipso Judice permitti voluit, ne qua calumnia de resurrectione oboriretur.

59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda.

59. JOSEPH INVOLVIT ILLUD: centum scilicet libris aromatum conditum, & quasi tectum, ut narrat Joan. IN SINDONE MUNDA, quia nova, ut Marcus. Est autem *Sindon* pannus lineus subtilissimus, quo non solùm involvit corpus ipse cum Nicodemo, sed etiam illigavit institis, faciem tegendo sudario, ut Joan. 19. versu 40. juncto cum versu 6. & 7. cap. 20. ut satis liqueat, eadem forma involutum fuisse, quâ fuit Lazarus, Joan. 11. versu 14.

60. Et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat

60. ET POSUIT ILLUD IN MONUMENTO SUO: nam sicut propria domo præ paupertate caruit vivus, ita & sepulchro proprio mortuus, NOVO, in quo scilicet nemo positus antè fuerat. Divi-

nitùs hoc actum est, tum quòd ita deceret personæ dignitatem & sanctitatem: tum maximè, ne alius suscitatus à perfidis crederetur, ut Ambr. in Luc. & Hieron. hîc. QUOD EXCIDERAT IN PETRA, instar cubiculi, intus ferè quadrati, ut scribunt diversi, qui viderunt. Pertinet & hoc partim ad honorem Domini; talia enim sepulchra non solent plebeis, sed viris magnis parari: partim ad fidem resurrectionis, ne quis corpus vel suffossis fundamentis, vel dirutis, & repositis iterum lapidibus raptum à discipulis fingeret: denique ut esset perpetuum resurrectionis Dominicæ monumentum posteris. ET ADVOLVIT SAXUM MAGNUM, ut sine auxilio plurimorum reserari non posset monumentum, inquit Hieron. nam & hoc Deus adversùs calumnias resurrectionis egit.

in petra. Et advolvit saxũ magnum ad ostium monumenti, & abiit.

61. ERAT AUTEM IBI MARIA MAGDALENE ET ALTERA MARIA, scilicet Jacobi & Joseph mater, ut Marcus. Plures alias indicat adfuisse Lucas cap. 23. v. 55. si jungatur cum cap. 24. v. 1. & 10. SEDENTES CONTRA SEPULCHRUM: ut observarent, ubi & quomodo à viris sepeliretur, ut & ipsæ postea eodem fungi possent officio, sicut utrumque ex Luca constat. Loci enim angustia non sinebat eas simul intrare, nec decentia honoris illis viris se interponere.

61. Erat autẽ ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

62. ALTERA AUTEM DIE, QUÆ EST POST PARASCEVEN, hoc est, ipsa die sabbati: quo tacitè taxantur rigidi illi observatores sabbati Pharisæi, qui toties de violatione Christo calumniati, nullam illius nunc rationem habent in petendis armatis, ducendis ad sepulchrum in significando, & consequenter ante aperiendo, postea claudendo laboriosè monumento, ut notarunt Chrysost. & Theophyl. Porro *Parasceve*, videtur feria illa sexta, qua crucifixus est, qu. d. *Præparatio*, quia illo die parabantur ad vivendum omnia necessaria sequenti die, ne otium sabbati violare cogerentur, qua de re vide Exodi 16. v. 23. & 26. Marcus clariùs vocavit *Parasceven quod est ante sabbatum*, Græcè προσάββατον, CONVENERUNT, &c. AD PILATUM: unde credibilius, hoc esse factum non eadem nocte, qua incipiebat sabbatum, sed mane.

62. Altera autem die, quæ est post Parasceven convenerunt principes sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum,

63. DOMINE, RECORDATI SUMUS. Unde recordati, cùm hoc Christus non prædixisset nisi Apostolis; Nam sermones illos parabolicos vel obscuros, quos hac de re habuit ad Judæos, Matth. 10. v. 4. & Joan. 2. v. 19. verisimile est ab eis non intellectos. Itaque videtur illa fama publicè fuisse sparsa; nam & mulieres, Lucæ 24. v. 8. dicuntur recordatæ verborum ejus de prædicta resurrectione. QUIA SEDUCTOR ILLE DIXIT: Græcè ἐκεῖνος ὁ πλάνος, *ille planus*, id est, impostor, prout legit & exponit August. homil. 36. quo verbo & doctrinæ velut seductoris, & miraculis velut præstigiatoris calumniantur, ad solatium servorum ejus, inquit idem August. si illo nomine appellentur. POST TRES DIES RESURGAM. Ita & apud Marc. cap. 8. v. 31. Christus legitur dixisse: sed utrumque exponendum est per alium locum Matthæi, ut *post tres dies*, sit tertio post die, vel post tres, saltem inchoatos dies.

63. Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam.

Hic Phariſæorum ſenſus eo patet, quod v. ſequenti petunt cuſtodiri ſepulchrum tantùm uſque in diem tertium: nam alioqui cuſtodiri debuiſſet multis diebus poſt diem tertium.

64. Jube ergo cuſtodiri ſepulchrũ uſque in diem tertium: ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis, & erit noviſſimus error pejor priore.

64. JUBE ERGO CUSTODIRI USQUE IN DIEM TERTIUM, tranſactum ſcilicet: neque enim umquam Chriſtus prædixerat, qua diei tertiæ parte reſurrecturus eſſet. NE FORTE VENIANT DISCIPULI EIUS, quos magno numero eſſe conſtabat: Græcè additur νυκτὸς, *noctu*, ſcilicet clam, ET FURENTUR EUM, ET DICANT PLEBI, hominibus ſcilicet imperitis, non nobis, qui hujuſmodi fabulis non credimus. Prætexunt ergò cautioni ſuæ fraudem diſcipulorum, ſed revera metuebant reſurrectionem ejus, territi tum propriâ ſcientiâ, tum prodigiis illis mirandis, tum conteſtatione divinitatis ejus à militibus & vulgo redeunte: qua enim ſpe hominem cum infamia mortuum, à quo decepti eſſent, rudes, ignobiles & nullius auctoritatis viri, nullo argumento rei tam incredibilis muniti reſurrexiſſe fingerent? Itaque videntur revera conati vel impedire vel obſcurare reſurrectionem, ſi fortè fieret. ET ERIT NOVISSIMUS ERROR, Græcè, ἡ ἐσχάτη πλάνη, *noviſſima impoſtura*, ſcilicet de reſurrectione, ſi eam plebi perſuadeant, PEIOR PRIORE, qua ſe Filium Dei & Chriſtum dixit, quia ſcilicet priore probabilior, & eam in ſe continens confirmabit: denique quia invidia Chriſti occiſi in te & nos redundabit apud plebem, & ſeditionis erit ſeminarium.

65. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis.

65. AIT ILLIS PILATUS: HABETIS CUSTODIAM, turbam cuſtodum, ſcilicet illam, quæ vobis ſervivit ad crucem, præſto habetis, ITE, CUSTODITE, SICUT SCITIS, id eſt, utimini eâ pro veſtra prudentia: ſignificat enim ſe invitum rebus ipſorum ulteriùs immiſcere.

66. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus;

66. ILLI AUTEM ABEUNTES MUNIERUNT SEPULCHRUM: Græcè ἠσφαλίσαντο, quod verbum ſuprà verſu 63. & 65. vertitur per *cuſtodire*: propriè autem ſignificat tutum reddere contra pericula, & munire, ſicut hîc vertitur. Munierunt autem duobus modis: primò, SIGNANTES LAPIDEM, Græcè σφραγίσαντες τὸν λίθον, ſigillo, ſeu obſignato lapide, quo claudebatur oſtium ſepulchri: ſigillo videlicet publico, contra omnem fraudem, ſive corruptorum cuſtodum, ſive diſcipulorum, ſicut fecit Darius, Danielis 6. verſu 17. ne quid fieret contra Danielem. Nicephorus verò libr. 1. cap. 32. ſcribit traditione acceptum à majoribus, quòd lapis ille vinculo ferreo ingenti fuerit alligatus ſepulchro, ut avelli non poſſet: cujus rei veſtigia ſuis temporibus monſtraſſe lapidem teſtis eſt Beda libro de locis ſanctis. Deinde munierunt ſepulchrum, CUM CUSTODIBUS, id eſt, adhibitâ militum cuſtodiâ (nam jungendum eſt cum verbo *munierunt*) ſcilicet ne quis poſſet ſepulchrum ingredi, vel egredi vel accedere. Quam diligentiam inimicorum divina providentia permiſit, ut fides reſurrectionis eſſet certior, & gloria major, & plebis animus paratior ad credendum.

CAPUT XXVIII.

1. VESPERE AUTEM SABBATI, QUÆ LUCESCIT IN PRIMA SABBATI. Locus hic difficillimus est, in quo omnes Evangelistæ sibi invicem videntur contradicere, & aliqui sibi ipsis. Nam Matth. narrat mulieres venisse *vespere* & quidem lucescente die; Joan. *mane*, cum adhuc tenebræ essent: Lucas *valde diluculo*: Marcus *orto jam sole*: ubi quatuor diversa tempora significari videntur. Itaque nonnulli quatuor distinctos adventus mulierum sive earumdem, sive ut alii diversarum posuerunt: sed improbabiliter: omnes enim de eodem adventu loquuntur, uno exprimente, quod alter tacuit. VESPERE SABBATI. S. August. 3. de consensu cap. 24. per *Vesperam* intelligit, totam noctem, quæ sequebatur sabbatum, significari à prima parte noctis, quæ est vespera: à quo non dissentit Dionys. epist. ad Basilidem & Hieron. epist. 150. quæst. 4. Tantùm difficultatem facit, cur vocetur *Vespera sabbati*, cum non pertineret ad sabbatum nox illa, sed ad Dominicam. Hieronym. ibidem & meliùs ac clariùs Greg. Nyssen. Orat. 2. de resurrect. Christi observant, Græcè esse ὀψὲ, quod & *Vespere* significat, & propriè *Serò*, ideoque sensum esse, quod serò sabbati, id est, tardè post transactum sabbatum, vel ut Græcè ὀψὲ σαββάτων, *serò sabbatorum*, id est, post dies septimanæ totius transactos. Ut autem intelligeremus, non vespere pressius accepto, nec incipiente nocte, sed pœnè transactâ mulieres venisse, subjicit quasi seipsum interpretando, *quæ lucescit*, subaudiendum est, in die, quæ lucescit: Græcum enim τῇ ἐπιφωσκούσῃ, indicat nullo modo referri posse ad, *vespere*, qu. d. dudum, vel serò post sabbatum in die illucescente. IN PRIMA SABBATI, Græcè εἰς μίαν σαββάτων, *in unam sabbatorum*, usurpando *unam primam*, Phrasi Hebraïca, quæ habetur Genes. 1. v. 5. Itaque *prima sabbati*, est dies Dominicus, ut August. tract. 120. in Joan. sabbatum accipiendo, vel pro septimana, ut fit Lucæ 18. v. 12. *jejuno bis in sabbato*, vel propriè pro sabbato jam transacto, qu. d. Prima die à sabbato jam præterito. Sensus ergo plenus est, quòd serò sabbati; seu dudum post transactum sabbatum, appropinquante jam luce sequentis diei Dominicæ, venerint, prout Augustin. Hieron. & Greg. citati optimè declarant. Unde simili plane sensu dixit Lucas 23. v. 54. quòd Christo jam crucifixo *sabbatum illucescebat*, id est, apparebat seu incipiebat. Ordo itaque rei gestæ hic fuit, ut mulieres emerint aromata, statim cùm transisset sabbatum: sicut Marc. 16. v. 1. hoc est, adhuc illo vespere sabbati, post occasum Solis: deinde cum sero esset sabbati, id est, jam diu transisset, interjecta scilicet nocte, summo mane egressæ sunt, & venerunt ad monumentum, illucescente PRIMA SABBATI, seu die Dominica, ut Matthæus. Quod cæteri distinctiùs & clariùs interpetantur; Lucas quidem *valde diluculo*, Græcè ὄρθρου βαθέος summo diluculo, Joan.

1. Vespere autẽ sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.

autem, *cùm adhuc tenebræ essent*, non spissæ, sed quales esse solent cœlo albescere incipiente; Marcus verò *valde mane, orto jam Sole*, hoc est, ut Augustin. 3. de consensu c. 24. cùm cœlum jam albesceret, quod non fit nisi Solis orientis vicinitate; ipse enim videtur legisse *oriente jam Sole*. Neque videtur intelligi posse, ortum jam fuisse Solem, quasi jam elevatus fuisset supra horizontem; sic enim sibi ipsi Marcus contradiceret, dum simul dicit fuisse valde mane. Nisi fortè voluerimus illa duo ad diversa tempora referre, ut dicantur venisse valde mane, quia tunc venire cœperint: orto autem jam Sole, quia tunc ad sepulchrum pervenerint, ut voluit Dionys. Alexandrinus. VENIT MARIA MAGDALENE ET ALTERA MARIA, de quibus c. præced. versu 61. Hæ duces erant cæterarum, studio fervent**ior**es; nam plures adfuisse patet Lucæ 24. versu 10. Marci 16. versu 1. Unde nulla est in Evangelistis contrarietas, dum Joan. solam Magdalenam, Matth. duas, Marcus tres, Lucas plures exprimit. VIDERE SEPULCHRUM, an scilicet ingredi possent, amoto lapide: nam de hoc fuisse sollicitas, patet ex earum discursu apud Marcum. Principalis autem scopus erat, ut corpus ungerent. Satis verò perspicuè colligitur, eis nihil de militum custodiâ, nihil de sigillatione sepulchri innotuisse; nec enim ante Solis ortum inter milites se conjecissent, nec publica sigilla frangere cogitassent. Videntur autem omnes Evangelistæ tam accuratâ temporis descriptione insinuare voluisse tempus resurrectionis Dominicæ, contigisse scilicet eam summo diluculo, Sole ad exortum properante, ante adventum mulierum, quod Marcus videtur dicere versu 9. *surgens mane primâ sabbati*. Quamvis enim Hieronym. nemini constare dicat tempus resurrectionis, communior tamen sensus habet, quod dixi. Unde noctu natus est, vespere mortuus, mane surrexit, meridie ascendit, ut Augustin. apud Prosperum Sententia 203.

2. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedens revolvit lapidem & sedebat super eum:

2. ET ECCE TERRÆ MOTUS FACTUS EST MAGNUS, non mulieribus jam prope sepulchrum positis, ut patet, quia cùm venissent, viderunt revolutum lapidem, sed cùm essent in itinere. Factus est ille terræ motus partim ad declarandam potestatem descendentis, partim ut custodes excitati & attenti fierent ad Angeli descendentis præsentiam, ut testes rei gestæ esse cogerentur, sicut notat Chrysostom. cum Theophyl. ANGELUS ENIM DOMINI DESCENDIT DE CŒLO. Conjunctio *enim* causam terræ motus efficientem reddit; finem verò descensus indicat, cùm subjicit: ET ACCEDENS REVOLVIT LAPIDEM, ut mulieribus aditum ad ingressum sepulchri patefaceret, ut viderent eum resurrexisse, & hoc ipsum eis, alioquin nullo modo resurrexisse, sed sublatum esse crediturus, testaretur. Non ergò sepulchrum aperuit, ut Christus resurgere posset, sicut aliqui hæretici putant, sed ut surrexisse ostenderet & nuntiaret. Nam, ut veteres docent Augustin. Serm. 138. De temp. Hieron. Epist. 150. quæst. 6. ad Hedibiam, Chrysost. Hom. 84. in Joan. & alii passim, surrexit Christus sepulchro clauso, sigillo inviolato, sicut ex utero Virginis natus

fuit. ET SEDEBAT SUPER EUM, extrà ſepulchrum videlicet; ut pateret, non caſu revolutum lapidem, ſed ſe revolutionis eſſe auctorem, ſe defenſorem & cuſtodem ſepulchri Dominici. Itaque quaſi exſpectabat mulieres, quibus reſurrectionis gaudium nuntiaret.

3. ERAT AUTEM ASPECTUS, ſeu vultus, EIUS SICUT FULGUR, coruſcans ſcilicet inſtar fulguris, ET VESTIMENTUM EIUS SICUT NIX. Græcè & Syriacè *album ut nix*. Fulgur ergò cœleſtem Angeli originem, candor puritatem & innocentiam denotabat; illud ad terrendos milites, hic ad demulcendas mulieres. Nam, ut Gregor. Homil. 21. in Evang. in fulgure terror timoris, in nive blandimentum candoris. Utrumque ſerviebat ad illuſtrandum in tenebris ſepulchri omnia, & ad teſtandam ſimul Angeli & reſurrectionis gloriam.

3. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur: & veſtimentum ejus ſicut nix.

4. PRÆ TIMORE AUTEM EIUS EXTERRITI SUNT CUSTODES, terrore videlicet non humano, de corpore per negligentiam ſublato, vel de pœnâ imminente. Non enim erat terror per diſcurſum accerſitus, ſed hujuſmodi, qualis ex tam terribili & tam ſubito aſpectu Angelicæ formæ naſci ſolet, maximè impiis hominibus. Unde & Daniel juſtus cap. 10. v. 1. dicit, ſe viſo Angelo emarcuiſſe, nec habuiſſe quidquam virium. ET FACTI VELUT MORTUI, id eſt, animi ſtupore & timore, & vultus pallore ſemianimes, ſicut in ſubitaneo & magno timore, maximè viſu ſpectrorum multis contigiſſe notum eſt.

4. Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes: & facti ſunt velut mortui.

5. RESPONDENS AUTEM ANGELUS, id eſt, loqui incipiens, de qua phraſi diximus alibi, DIXIT MULIERIBUS. Ea, quæ dixit, conveniunt planè cum iis, quæ narrat Marcus cap. 14. verſu 6. & 7. ut clarum videatur eumdem eſſe Angelum, & eamdem viſionem de qua hîc ſermo. Sed illud difficultatem facit, quod Marcus dicat, mulieres eum vidiſſe, cùm introiiſſent in monumentum, videlicet ſedentem à dextris in monumento; Matthæus autem indicet extrà, ſuper lapidem ſediſſe, & invitaſſe ut intrarent. Solvit hanc difficultatem Auguſtin. 3. De conſenſu cap. 24. quòd Marc. monumentum, in quod egreſſæ ſint mulieres, vocet aliquod ſpatium, quod eſſet aliquâ macerîâ communitum, ut deinde in ſaxeum ſepulchri locum intrari poſſet. Vera ſolutio pendet à forma monumenti. Conſtat autem ex deſcriptione Brocardi, & ea, quam nuperrimè fecit Legatus Regis Franciæ, ſepulchrum eſſe velut cubiculum ferè quadratum, ex petra exciſum, ſeptem plus minùs pedum longitudine & altitudine. Oſtium habet valde demiſſum ad Orientem: ad dexteram, id eſt, ad latus Boreale habet loculum inſtar menſæ valde demiſſum, cui corpus impoſitum fuit. Porrò antequam ſpeluncam, ſeu cubiculum iſtud ingrediaris, occurit alia crypta ejuſdem figuræ & magnitudinis, ſolo pariete ab illâ alterâ ſeparata, in quo pariete fuit oſtium illud parvum, de quo dictum eſt. Sic ergò facilè intelligitur, lapidem ab oſtio revolutum fuiſſe ab Angelo, ita quidem, ut eſſet extrà monumentum, in quo fuerat corpus Domini; in-

5. Reſpondēs autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, ſcio enim quod Jeſū, qui crucifixus eſt, quæritis:

trà, tamen, prout complectitur etiam illam anteriorem cryptam. Et in illo lapide ad dexteram revoluto ſedit Angelus, quaſi ſepulchri interioris cuſtos, invitans mulieres ad ingreſſum. Ut verò cæterarum apparitionum ordo, & conſonantia Evangeliſtarum breviter intelligatur, ſciendum, quod cùm ingreſſæ eſſent mulieres, & corpore non invento, adhuc non crederent, ſed mente conſternatæ exirent, invenerunt duos illos Angelos, de quibus Luc. cap. 24. verſu 4. qui eas paulò duriùs alloquuntur. Nuntiant illæ rem totam Apoſtolis, maximè urgentes, non eſſe corpus inventum, ut patet Joan. 20. verſu 2. Petrus igitur & Joannes ad ſepulchrum currunt, & non invento corpore, illud revera, ſicut & mulieres, ſublatum crediderunt. Interim Magdalena & mulieres, quæ Apoſtolos rurſum ad ſepulchrum ſecutæ fuerant, viris redeuntibus manſerunt ibi. Cùm verò Maria corpus adhuc quærendo fleret, & inclinaret ſe, ut per demiſſum oſtium in monumentum proſpiceret, vidit in illo loco, ubi poſitus fuerat Dominus, alios duos Angelos, unum ad caput, alterum ad pedes: & mox ploranti apparet ipſe Dominus, Joan. 20. verſu 12. & 14. qui cùm ab ea receſſiſſet, ipſa cum cæteris mulieribus redit domum, & in hoc ſecundo itinere omnibus ſimul apparet Dominus, ut narrat Matthæus infrà verſu 9. ut omnes oculatæ teſtes eſſe poſſent. Hâc rerum ſerie ob oculos poſitâ, facilè omnes Evangeliſtæ intelligentur. Itaque Angelus ille ſuper lapidem ante oſtium ſepulchri, in crypta tamen prima monumenti, ſedens ad latus oſtii dexterum.

DIXIT MULIERIBUS, non ſolùm ſcilicet aliis mulieribus, ſed etiam ipſi Mariæ Magdalenæ: quod quamvis quidam negent, patet tamen ex Lucæ 24. v. 22. & ſeqq. juncto cum Joan. 20. v. 2. & 3. NOLITE TIMERE vos; ſed illi timeant, qui crucifixerunt, qui reſurrectioni ejus adverſantur. Hanc enim emphaſin notat Greg. in hoc Evang. & Hier. & explicat ſequens ratio: SCIO ENIM QUOD JESUM QUÆRITIS, nempe ut religioſum ei præſtetis officium, ſicut & ego: q. d. Scio enim quo animo veniatis, honorandi, non nocendi; unde non eſt quòd timeatis.

6. Non eſt hîc: ſurrexit enim, ſicut dixit; venite & videte locum, ubi poſitus erat Dominus.

6. NON EST HIC, non tamen ſublatus eſt mortuus in alium locum: SURREXIT ENIM, idque, SICUT DIXIT, id eſt, ſicut ipſemet & mortem ſuam, & reſurrectionem prædixit. Hoc enim maximè juvabat, ad adſtruendam reſurrectionis fidem: qu. d. inquit Chryſoſt. Si mihi diffiditis, verborum illius memineritis: VENITE ET VIDETE LOCUM UBI POSITUS ERAT DOMINUS, corpore ſcilicet jam vacuum, ſolas habentem ejus exuvias ritè poſitas. Itaque invitat eas, ut ingrediendo peragant iter ſuum, ut ſi nec ſuis, nec Chriſti verbis crederent, ſaltem oculari experientiæ ſuæ vacuo crederent ſepulchro, ut expendit Hieron.

7. Et cito euntes dicite diſcipulis ejus quia ſurrexit: & ecce præcedet vos

7. ET CITO EUNTES, ut ſcilicet luctum de morte Domini aliis quàm citiſſimè levetis, DICITE DISCIPULIS, apud Marc. additur nominatim, *& Petro*, ne propter trinam negationem præceptoris loco diſcipuli excidiſſe, vel ab illo beneficio ſe excluſum putaret.

taret. QUIA surrexit, Hebraismus, id est, eum surrexisse: ET ECCE, in argumentum & fructum resurrectionis ejus, PRÆCEDET VOS IN GALILÆAM, id est, præcedet; & jam animo præcedit. Significatur autem, quod quantumcumque festinaverint, eos ipse prævenit; ita tacitè eos incitans ad maturandum discessum suum ex Judæa in Galilæam, ut eum ibi videant redivivum. Sed cur in Galilæa, non in Judæa eis apparere voluit? Primò, ut securo animo ab eis ac tutè videri posset, ubi Judæorum metus fidem non perturbaret, ut Chrysost. Secundò, quia maxima ibi erat discipulorum multitudo: ac denique propter mysterium, ad significandum videlicet Christum à Gentibus, per Galilæam Gentium figuratis, maximè videndum esse fide, Judæis in incredulitate remanentibus. Quod ergò Christus eodem adhuc die apparuit Apostolis, non evertit promissionis hujus fidem, sed superat. Neque sic apparuit in Judæa, sicut postea in Galilæa: nam ibi, ut bene notat Hieronym. Epistol. 150. quæst. 7. tantùm pro consolatione timentium, & breviter, apparebat, rursúmque ex oculis tollebatur: hîc tanta familiaritas erat & perseverantia, ut cum ipsis pariter conversaretur. Unde & quingentis simul apparuit, teste Apostol. 1. ad Corinth. 15. versu 6. ECCE PRÆDIXI vobis, ut videlicet cùm factum fuerit, credatis non esse phantasma, sed ipsum Dominum: eò enim spectant hæc verba, sicut similia Christi, Joan. 14. v. 29.

in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis.

8. ET EXIERUNT: quo significatur ingressas fuisse monumentum, Angelum videlicet præeunte & fulgore illustrante locum, ut notat Hieron. Epist. cit. quæst. 6. nam & tenebræ adhuc erant, & ipsa spelunca omni fenestrâ caret. CITO DE MONUMENTO, alas eis addente tum jussu Angeli, tum GAUDIO MAGNO, tum maximè TIMORE, ut perspicuè ex Marco patet. Uterque affectus etiam hîc notatur: nam illud, *magno*, ad utrumque referendum est. Gaudium erat ex amore resurgentis; timor ex periculi magnitudine, & Angelicæ visionis insolentiâ, & ex suspicione, ne spectra essent, & corpus verè sublatum: nam eas non credidisse Angelo, clarè constet ex Joan. 20. versu 11. usque ad 16. CURRENTES NUNTIARE DISCIPULIS EIUS: undecim Apostolis, & cæteris omnibus, ut Lucas. Nuntiabant autem, Angelos apparuisse, & corpus Domini esse sublatum, ut patet Joan. 20. versu 2. Visa sunt autem illis deliramenta anilia, ut Lucas notat, videlicet illa, quæ de resurrectione simul nuntiabant.

8. Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis ejus.

9. ET ECCE JESUS OCCURRIT ILLIS. Magna hîc rerum gestarum lacuna est: non enim potuit hæc apparitio contigisse in primo regressu mulierum, quia nihil de Domini apparitione sibi facta narraverunt discipulis, ut constat tum Joan. 20. versu 2. quàm Lucæ 24. versu 9. & seqq. & maximè versu 23. & 24. Itaque ordo historiæ est iste: primò, Maria Magdalena & cæteræ mulieres narraverunt, sepulchrum esse vacuum, & sibi Angelos apparuisse, ut patet ex locis proximè citatis. Petrus & Joannes hoc audito cucurrerunt ad monumentum, & crediderunt ita esse: sicut mu-

9. Et ecce Jesus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt eum.

lieres narraverant. Quæ cùm rursum illos duos Apostolos ad sepulchrum essent insecutæ, viris in civitatem regressis, Dominus soli apparet Magdalenæ prope sepulchrum stanti, ut narrat Joan. capite 20. Illa cùm rediret, & cæteras mulieres jam quoque redeuntes in itinere esset assecuta, ut hanc apparitionem sibi soli factam discipulis nuntiaret, habuerunt omnes obvium Dominum, sicut hîc narrat Matthæus. DICENS, AVETE: Syrus, *Pax vobis*, quæ forma salutandi Hebræis est familiaris: unde & Syriacè sic legitur Judas salutasse Dominum, Matth. 27. versu 49. *Pax Rabbi*, ubi nos, *Ave Rabbi*: est enim apprecatio omnis prosperitatis, & boni, nomine *Pacis* significati. Unde & August. lib. 19. de Civit. cap. 11. & seqq. longo & eruditissimo discursu, docet omnium bonorum & appetituum finem esse pacem. Notant porrò plerique veteres resurrectionem primò mulieribus nuntiatam, ipsúmque Dominum illis primò apparuisse, ut quia à sexu isto cœpta mors esset, ipsi primùm gloriæ resurrectionis & visus, & fructus, & nuntius, redderetur, ut loquitur Hilarius. ILLÆ AUTEM ACCESSERUNT, cùm ex facie, voce, gestu certum haberent, esse Dominum, ET TENUERUNT PEDES EIUS: hoc est non solitâ familiaritate, sed humi pedibus tantæ majestatis advolutæ sunt, simul testantes & affectum & dignam reverentiam. ET ADORAVERUNT EUM, non solùm animo, sed istâ etiam corporis prostratione. Ex hoc autem facto, & alio Luc. 7. versu 38. & Joan. 12. versu 32. & 4. Reg. 4. v. 27. videtur iste adorationis ritus fuisse mulieribus familiaris apud Judæos.

10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis, ut eat in Galilæam, ibi me videbunt.

10. TUNC AIT ILLIS: NOLITE TIMERE. Ex quo constat, etiam hîc eas timuisse: naturalis est enim infirmitas ista nostra, ut ad alterius vitæ visiones, sive bonas, sive malas, quasi naturam nostram superantes, timore concutiamur: quem abstergit Dominus, ut mente pacata possent, quæ dicerentur, percipi, inquit Hieronym. & ad fidem animus pararí. ITE, NUNTIATE FRATRIBUS MEIS, discipulis. Hanc esse summæ dignationis vocem expendit Apostolus, ad Hebr. 2. versu 11. quòd videlicet tantò se humaniùs cum iis gereret, quantò eum illi ignaviùs deseruerant, & ipse factus erat glorioſior.

11. Quæ cùm abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

11. QUÆ CUM ABIISSENT, Græcè πορευομένων δὲ αὐτῶν, *quibus abeuntibus*, hoc scilicet secundo itinere versus civitatem: unde viderunt huc usque milites apud monumentum perstitisse, sive latitando & à longè spectando, sive timore stupefacti. Hinc dicuntur mox narrasse OMNIA, QUÆ FACTA FUERANT, descensum videlicet Angeli terribilem, lapidis amotionem, mulierum & postea virorum ingressum, & quod neque corpus in sepulchro inveniſſent, neque quidquam inde asportassent. Nec dubium, illos ipsos quoque lustrasse sepulchrum, si timor permitteret. ECCE QUIDAM DE CUSTODIBUS VENERUNT IN CIVITATEM: omnium videlicet nomine, ut officii sui rationem redderent, ne pœnas ejus desérti luerint. Illustre fuit hoc testimonium veritatis, & ab inimicis datum, quod ut Principibus erat irrefragabile, ita pervicacia inexcusabilis. Itaque

12. CONGREGATI PRINCIPES SACERDOTUM CUM SENIORIBUS, hoc est, cum universo concilio, PECUNIAM COPIOSAM DEDERUNT MILITIBUS, ad opprimendam & pervertendam veritatem evidentissimam. Nisi enim fuisset talis, potiùs milites accusando, quàm veritatem occultando, persecuti fuissent. Causa fuit, ne tam horribile scelus in Filium Dei hominibus perpetrasse viderentur.

12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

13. DICITE, QUIA DISCIPULI EIUS NOCTE FURATI SUNT EUM VOBIS DORMIENTIBUS: hoc est, Sitis testes rerum, quæ contigerunt vobis dormientibus. Sed si dormiebant, quid videre potuerunt? si nihil viderunt, quomodo testes sunt, ut ponderat August. in versu 7. Psalmi 63. Ita infœlix astutia tanti synedrii sive concilii se ipsam jugulavit. Adde rem esse per se incredibilem tot milites uno lethargo ita oppressos, ut nec accedentium strepitu, nec lapidis ingentis terróque religati, amotione, neque corporis ablatione, quisquam excitatus fuerit.

13. Dicentes: Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt & furati sunt eum, vobis dormientibus.

14. ET SI HOC, seu ejus rei fama, AUDITUM FUERIT A PRÆSIDE, NOS SUADEBIMUS EI, scilicet ut placatus sit; Græcum enim πείθω significat etiam oratione flectere: ET SECUROS VOS FACIEMUS, à pœnæ periculo: nam sive verum esset, quod milites dicerent, sive falsum, erant supplicio obnoxii, sive propter desertum officium excubandi, sive propter prævaricationem. Rem tamen totam à Præside, ut erat, intellectam esse, non est dubium: sed facilè ei erat ignoscere militibus, resurrectionem ejus tegentibus, cujus mortis & ipse reus erat.

14. Etsi hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.

15. ET DIVULGATUM EST VERBUM ISTUD, id est, res ista, mendacium istud, non de militibus pecuniâ corruptis, ut perperàm aliqui, sed de Christo furtim sublato per discipulos, ut Chrysost. & alii plerique exponunt, APUD JUDÆOS, videlicet incredulos, quorum erat longè maxima pars, USQUE IN HODIERNUM DIEM, quo ista scribebat Matth. imò ad nostram usque ætatem, sibi in hoc stulto mendacio Judæi blandiuntur.

15. At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernũ diem.

16. UNDECIM AUTEM DISCIPULI, &c. ABIERUNT IN MONTEM, ut liberè & sine arbitris cum illis Christus loqueretur: UBI CONSTITUERAT ILLIS JESUS. Hæc constitutio non est scripta, unde etiam incertum est, quis mons iste fuerit, quamvis plerique probabiliter putent fuisse Thabor. Valdè autem verisimile est, esse istam apparitionem, de qua loquitur Paulus 1. ad Corinth. 15. versu 6. ubi dicit eum visum esse plusquam quingentis fratribus simul. Videtur enim hæc, quæ toties prædicta est, fuisse valde solemnis apparitio, omnibus facta simul, qui in Judæa & majori numero in Galilæa crediderant, & moniti confluxerant. Contigit autem, ut minimùm post octo à resurrectione dies, sicut satis colligitur ex Joan. 20. versu 28. & notat August. 3. De consensu cap. 25.

16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus.

17. ET VIDENTES EUM, ADORAVERUNT, tamquam Filium Dei, verumque Deum jam resurrectione gloriosâ declaratum, ad Rom. 1. versu 4. QUIDAM AUTEM DUBITAVERUNT. Difficile videtur, quomodo dubitaverit quispiam ex undecim, cùm Thomas maxi-

17. Et videntes eum adoraverunt: quidã autem dubitaverunt.

nè incredulus jam ante credidiſſet. Itaque intelligi poteſt, quòd dubitaverint non jam de reſurrectione Jeſu, ſed utrùm ille reverâ eſſet, qui Jeroſolymis ſibi toties apparuerat, ſicut Apoſtoli de Chriſto ſuper mare ambulante dubitaverunt, an phantaſma eſſet. Et ad hoc dubium exhibendum aptè ſequitur, quod ACCEDENS LOQUUTUS SIT: vel certe, *dubitaverunt*, ſumitur pro, *dubitaverant*, per enallagen temporum, quæ in aoriſtis Græcis ſubinde fit: q. d. ſine cunctatione proſtrati adoraverunt eum, tametſi de eo quidam ante multùm dubitaverant: quem ſenſum Theophyl. probat.

18. Et accedens Jeſus locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.

18. ET ACCEDENS JESUS, ut propiùs & familiariùs cerneretur & audiretur, DIXIT: DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS, id eſt, auctoritas regendi, quam imperium dicimus; non enim agitur de omnipotentia. Traditam autem ſibi dicit non tamquam Deo, quia eam ab æterno habuit, neque tamquam homini, ratione incarnationis, ſed tamquam victori mortis & inferni, & hominum redemptori. Significatur enim hîc præmium paſſionis ejus, de quo Apoſt. ad Philipp. 2. verſu 10. & Pſalm. 2. verſu 8. Data eſt igitur iſta auctoritas, primò, quantùm ad ſtatum glorioſum omnium Domino proprium; ſecundò, quantum ad uſum, quia illâ per univerſum orbem jam uſurus erat, Eccleſiam colligendo: denique quantum ad notitiam, quia tunc res fieri dicitur, cùm innoteſcit. IN CŒLO ET IN TERRA, id eſt, ſuper univerſam creaturam qu. d. Ego conſtitutus ac declaratus ſum cœli ac terræ, totiuſque creaturæ, maximè rationalis, Dominus, in cujus nomine jam omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, ac infernorum. Præmittit hoc, ut intelligerent ſe non temerè eis dare poteſtatem Apoſtolicam, & jubere id, quod ſequitur.

19. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti:

19. EUNTES ERGO, ſcilicet in mundum univerſum, ut Marcus, & non in ſolam Judæam: id eſt, Hâc igitur meâ auctoritate ſupremâ velut fundamento functionis veſtræ nixi, DOCETE OMNES GENTES, totius orbis: nam hîc revocat præceptum illum ſuum, quo dixerat olim, In viam gentium ne abieritis. Quid autem docerent, & quas gentes, Marcus exprimit clariùs, *Prædicate Evangelium*, ſcilicet regni (ſub quo tota ſumma credendorum, & in primis pœnitentia comprehenditur) *omni creaturæ*, id eſt, non ſolùm gentibus, ſed & Judæis: nam omnes gentes hîc etiam Judæos comprehendunt, ut ſic eoſdem hîc regni ſui, id eſt, Eccleſiæ, quos totius orbis terminos ſtatuat. BAPTIZANTES EOS, qui ſcilicet doctrinam receperint, lavantes aquâ; hoc enim propriè eſt *Baptizare*. Materiam hanc Sacramenti magis expreſſit Chriſtus apud Joan. c. 3. verſu 3. Itaque tacitè hîc aſſignatur materia Sacramenti, quam Eccleſia tum ipſo verbo baptizandi, tum aliis Scripturæ locis, tum perpetuâ traditione edocta naturalem aquam eſſe tenuit. IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. Multi nudè exponunt, *In nomine*, in virtute, auctoritate, vel efficaciâ Patris, &c. quæ una eſt trium perſonarum. Sed quantumcumque baptizaret aliquis in auctori-

tate vel unius, vel trium personarum, non subsisteret baptismus, nisi exprimeret nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Unde multorum hæreticorum Baptismus, ut Marcionistarum apud Iren. libr. 1. cap. 13. Paulianistarum in Concilio Nicæno, & aliorum rejectus est; quòd istâ formâ non uterentur. Ex quo patet, sensum istorum verborum ex Ecclesiæ traditione sic assignandum esse, ut non minùs expresso & invocato nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quàm in eorum auctoritate & virtute baptizetur. Nam ex istis verbis, accedente Apostolorum usu, forma baptismi sumpta est, sine quibus (ut August. loquitur. lib. 6. De baptismo, c. 25.) baptismus Christi consecrari non potest. Porrò veteres, ut Basil. Hom. contra Sabellianos, & lib. 3. contrà Eunomium, latè Ambros. lib. 1. De Spiritu sancto. cap. 14. & alii observant, non dici, *In nominibus*, sed *In nomine*; quia unum est nomen trium, una scilicet Deitas, potestas, virtus, auctoritas. Unde Hieron, hîc: Nomen Trinitatis, unus Deus est. Brevissimè igitur exprimitur unitas Deitatis in Trinitate personarum, ut omnes Christiani in ipso limine Ecclesiæ fidem Dei unius ac trini profiterentur, nec hominum baptizantium, sed auctoritate ejusdem Dei se regeneratos intelligerent, quâ creatos.

20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationē sæculi.

20. Docentes eos servare. Fidem ante baptismum, mores post baptismum jubentur docere. Quem pulchrum ordinem hic servat Hieron. Nam neque fides, neque baptisma satis ad salutem sunt, nisi digna Deo accesserit conversatio. Docentes ergo eos servare non hæc, non illa, sed OMNIA, ut ponderat Basil. proœmio in Reg. fusiùs disputatis, QUÆCUMQUE MANDAVI VOBIS, non solum scripta, sed & non scripta; nihil enim tunc scriptum erat, sed omnia viva voce mandata. Respicit namque in primis ad ea quoque, quæ cum illis communicaverat, per quadraginta dies apparens eis, & loquens de regno Dei. Inter cætera verò mandavit etiam superiores homines audire quando dixit, *Qui vos audit me audit*: & proindè dicendo, *Quæcumque mandavi vobis*, non excludit legitima mandata Præpositorum, sed includit. ET ECCE. Attentos reddit hoc verbo, velut rem magnam dicturus, & simul occurrit cogitationibus eorum. Merito enim trepidare poterant homines imperiti, nullius auctoritatis, ad suscipiendam tanti negotii molem: q. d. Igitur, nolite timere, neque respicere, quid vos viribus vestris possitis, ECCE EGO, qui vici mundum: cui omnem potestatem jam datam audivistis in cœlo & in terra, VOBISCUM SUM, auctoritate, favore, virtute, spiritu. Non enim de præsentia visibili, nec etiam quâ præsens est per sanctissimum Sacramentum, sed de illa præsentia spirituali, qua adest Pastoribus Ecclesiam ejus nomine & potestate gubernantibus, omnesque prædicationis & gubernationis tempestates sustinentibus. Ne autem diffiderent posteri Apostolorum successores, cùm dixisset, *vobiscum*, qui brevi morituri erant, addit, ad aliorum consolationem, OMNIBUS DIEBUS USQUE IN CONSUMMATIONEM SÆ-

culi. Tacitè enim duo verbis istis promittit: primùm, ipsos usque ad consummationem sæculi omnibus diebus permansuros, ut hîc notat Hieronym. hoc est, victuros, in succedente sibi usque in finem mundi Pastorum seu Doctorum serie, sive officium prædicandi, docendi, baptizandi, gubernandi, cujus ipsos bases constituerat, semper mansurum: secundum, se semper eis in docenda veritate, & gubernanda Ecclesia adfuturum. Per quorum primum promittit nunquam vel reipsa interiorem Ecclesiam suam, vel visibilem officiorum istorum œconomiam in invisibiles latèbras, ut hæretici fingunt esse condendam. Per secundum verò promittit, eosdem Apostolos, seu Apostolorum successores simul omnes non recessuros à veritate, quam docendam jusserat. Hoc enim si fieret, profectò tam inanis esset promissio, quàm si reverâ officia Pastorum ab eo instituta, & consequenter ista Ecclesia subverteretur.

FINIS.

IN EVANGELIUM JESU CHRISTI SECUNDUM MARCUM.

PRÆFATIO.

DVo ſunt in Scripturis nomine Marci *celebres, de quibus dubitari poteſt, utrum ſcripſerint hoc Evangelium. Primus eſt Ioannes, filius Mariæ; cognomine Marcus, de quo frequens mentio eſt in Actis Apoſtolorum, ut cap.* 12. *v.* 12. *itemque Luc.* 13. *&* 15. *Alter vocatur Marcus conſobrinus Barnabæ, ad Coloſſ.* 4. *v.* 10. *Sed quia Act.* 15. *v.* 37. *&* 39. *Marcus rejicitur à Paulo, & adhæret Barnabæ, tanquam ſocius itineris ejus in Cyprum patriam Barnabæ. Hinc maxima conjectura eſt eumdem fuiſſe conſobrinum Barnabæ. Nam quamvis ibi à Paulo repellatur, & è contrario ad Coloſſ.* 4. *&* 2. *ad Thimoth.* 4. *v.* 11. *& in epiſtola ad Philem. vocetur adjutor Pauli, potuit tamen ſemel rejectus poſtea iterum aſſumi. Eumdem igitur iſtum putat Hieron. in Comment. Epiſt. ad Philem. fuiſſe Evangelii conditorem: cui & Niceph. lib.* 2. *Hiſt. cap.* 15. *aſſentitur. Sed certè rerum geſtarum, ac temporum ſeries planè ſuadet eſſe alium. Nam ille adhæſit Barnabæ & Paulo, tum Ieroſolymis, tum poſtea Romæ: Marcus verò Evangeliſta Petro & eodem tempore, quo alter aderat Paulo, rexit Eccleſiam Alexandrinam, ut non obſcurè Baſil. in fine libri* 5. *contra Eunomium. Itaque Marcus Evangeliſta ex communi veterum ſententia diſcipulus Petri fuit, & interpres ejus, quem Petrus idcirco filium ſuum vocat,* 1. *Petri ult. Scripſit E-*

vangelium non in Ægypto, ut unus Chryſoſt. exiſtimavit homil. in Matth. ſed ut Athanaſ. in Synopſi ad Conſtantem, & ante ipſum Papias Apoſtolis vicinissimus, apud Euſeb. lib. 2. Hiſt. cap. 14. & Clemens Alexand. quos pene veteres ſequuntur Romæ, prout ab Apoſtolo Petro prædicatum fuerat, ita flagitantibus Romanis. Quod cùm Petrus audiſſet, probavit, & Eccleſiæ legendum ſuâ auctoritate dedit, ſicut & Hieron. ex veteribus tradit lib. de Script. Eccleſiaſticis.

Porro Marcus Matthæum ſubſecutus videtur, tamquam pedisſequus & breviator ejus, ut loquitur Auguſt. lib. 1. de conſenſu cap. 2. Cum ſolo quippe Ioanne dixit ſolus ipſe perpauca, cum ſolo Luca pauciora, cum Matthæo verò plurima, multa, & pene totidem, atque ipſis verbis. Non utitur tamen eo ordine, quo Matth. addit pauca, omittit plura: quaſdam tamen hiſtorias fuſiùs narrat, etſi ex toto brevior ſit: nam in doctrinis recenſendis eſt parciſſimus. Baronius putat eum Romanis ſcripſiſſe Romanâ, id eſt, Latinâ linguâ Evangelium ſuum, cujus autographum adſervari volunt Venetiis in Theſauris Marcianis: & hoc claris verbis dicit textus Syriacus in fine Evangelii. Sed omnes antiqui Scriptores alicujus notæ videntur ſentire, quod ſcripſerit Græcè ut Auguſt. lib. 1. de conſenſu cap. 2. Hieron. epiſt. 123. ad Damaſ. ita ut dicat, excepto Matthæo, hoc de cæteris Evangeliſtis non eſſe dubium. Et ſanè certiſſimum videtur, Latinum textum, quo nos utimur, non eſſe à Marco compoſitum, ſed eſſe verſionem ex Græco, & quidem ejuſdem interpretis, cujus ſunt cætera Evangelia. Idem eſt enim vertendi modus, eædem phraſes, iidem ſubinde ſoleciſmi. Quare ſi Marcus Latinè ſcripſerit, & ſimul Græcè, ut quidam volunt, dici debebit Latinum autographum, quod valde mirum, periiſſe, ſicut Matthæi Hebraicum. Quod ad tempus attinet, ſcripſit illud juxta Euſeb. in Chronico, anno Claudii tertio, paulò antequam Româ Alexandriam mitteretur.

CAPUT PRIMUM.

1. INitium Evangelii Jesu Christi Filii Dei, supple, tale fuit, ut sequitur: hoc est, lætissimum istud nuntium de regno cœlorum, quod Jesus Christus Filius Dei in mundum attulit, initium habuit à denuntiatione pœnitentiæ, quam Joannes Baptista prædicavit. Nam quidquid ab aliis ante prædicationem illam narratur factum, præambulum fuit Evangelii, seu evangelizationis de regno cælorum.

1. INITIUM Evangelii Jesu Christi, Filii Dei.

2. Sicut scriptum est, hoc est, initium Evangelii non fuit fortuitum, vel humani consilii, sed sicut antea Prophetis dictum fuerat, Deo fidem suam liberante. In Isaia Propheta, Græca nunc legunt ἐν τοῖς προφήταις, *In Prophetis*, quia duæ prophetiæ hîc conflantur in unam, Malachiæ scilicet, *Ecce ego mitto, &c.* de qua vide Matth. 11. versu 10. & Isaiæ, *Vox clamantis, &c.* Attribuuntur tamen Latinè per compendium soli Isaiæ tamquam celebriori: nam etsi verba discrepent, reipsa tamen eadem prophetia est. Vox enim clamantis in deserto Joannis Baptistæ, velut Angeli, est illa ipsa, quæ præparavit viam ante Christum. Vide Matth. 3. v. 3.

2. Sicut scriptum est in Isaïa propheta: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuã, qui præparabit viam tuam ante te.

3. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus.

4. Fuit Joannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

5. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jerosolymitæ universi, & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua.

6. Et erat Joannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus, & locustas & mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens:

7. Venit fortior me post me: cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.

8. Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto.

9. Et factum est: in diebus illis venit Jesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Joanne in Jordane.

10. Et statim ascendens de aqua vidit cœlos apertos, & Spiritum tamquam columbam descendentem, & manentem in ipso.

11. Et vox facta est de cœlis: Tu es filius meus dilectus, in te complacui.

12. Et statim Spiritus expulit eum in desertum.

13. Et erat in deserto quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & tentabatur à satana: eratque cum bestiis, & angeli ministrabant illi.

14. Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei.

15. Et dicens: Quoniam impletum est tempus, & appropinquavit regnum Dei; pœnitemini, & credite Evangelio.

16. Et præteriens secus Mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem ejus mittentes retia in mare; (erant enim piscatores)

17. Et dixit eis Jesus: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.

18. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.

19. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & & ipsos componentes retia in navi.

20. Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum.

21. Et ingrediuntur Capharnaum : & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam docebat eos.
22. Et ſtupebant ſuper doctrina ejus : erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens & non ſicut Scribæ.

23. Et erat in ſynagoga eorum homo in ſpiritu immundo, & exclamavit,

23. ET ERAT IN SYNAGOGA HOMO IN SPIRITU IMMUNDO ſupple, exiſtens : quo ſenſu dicimus, *Eſſe in armis* pro armatum eſſe. *In ſpiritu* ergò *immundo*, pro ſpiritum immundum habens, qui videlicet vitiorum omnium & errorum immunditiis paſcitur: ET EXCLAMAVIT, ſpiritus videlicet per os hominis, quaſi tormenta ſuſtineret. Indicatum ergo voluit Evangeliſta illuſtre fuiſſe hoc dæmonis teſtimonium, quod neminem in tota Synagoga latere poſſet. Cauſa clamoris duplex videtur fuiſſe; prima, dolor præſentiæ Domini ac doctrinæ, ad pœnitentiam vitæque munditiam provocantis, altera quod ſibi migrandum timeret, ut patet, quia dicebat :

24. Dicens : Quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene ? veniſti perdere nos ? ſcio qui ſis, Sanctus Dei.

24. QUID NOBIS ET TIBI, ſupple, rei aut cauſæ eſt, q. d. Te non lædimus quid nos torques, & perditos cupis, JESU NAZARENE ? Ità vulgò vocabatur, ſicut patet Joan. 18. & ex titulo Crucis. Addit hoc autem, ut tacitè oſtendat ſe eum benè noviſſe, VENISTI PERDERE NOS ? expellendo videlicet in abyſſum, ne hominibus amplius noceamus? Hoc enim præ rabie, quâ hominum ſaluti invident, maximum tormentum, perditionem ſuam putant, de quo Lucæ 8. v. 31.

SCIO QUI SIS. Non mentitur hoc, ſed verè noverat, ſicut teſtatur mox Evangeliſta v. 34. & Lucas cap. 4. v. 41. SANCTUS DEI, quem cap. 3. v. 12. dicunt *Filium Dei* : non enim intelligunt quoquo modo ſanctum : ſed emphaticè, illum unicum & præfinitum, quia à Daniele cap. 9. v. 34. dicitur *Sanctus Sanctorum*; unde Græci Scriptores omnes, Theophyl. Euthymius, Victor Antiochenus urgent hîc articulum Græcum, ὁ ἅγιος τὺ Θεὺ, *Ille ſanctus Dei*, hactenus ſcil. promiſſus & expectatus. Confeſſio fuit ergò vera, ſeu adulatoria, quia Jeſu odio & ſui amore expreſſa, ut in ipſo gloriæ vanitatem excitaret, ſe à pœna redimeret, quaſi gratiam expectans pro gratia. Unde autem iſta ſcientia dæmonibus, diximus alibi in Matthæum ex Auguſtino lib. 9. de Civit. cap. 21.

25. Et comminatus eſt ei Jeſus, dicens : Obmutesce, & exi de homine.

25. ET COMMINATUS EST EI JESUS, Græcè ἐπετίμησεν αὐτῷ ; *increpavit*, minis ſcilicet additis, ſeverè præcepit ei, OBMUTESCE, à meis videlicet laudibus. Cauſa vetandi triplex : quia non decet, ut princeps immunditiæ de principe munditiæ teſtimonium ferat : altera, ne cum illo Chriſtus, ſinendo eum loqui, commercium habere putaretur, ſicut adhuc poſteà calumniati ſunt de colluſione : denique quia veritas non eſt aſſerenda per patrem mendacii. Docuit nos ergò ne illi etiam vera dicenti aliquid deferamus, vel credamus umquam : ardet enim fallendi voluntate, etiam dum vera loquitur, & quidquid loquitur de falſitate ſuſpectum eſt. Itaque dicit ei : OBMUTESCE, ET EXI DE HOMINE : q. d. Silentium tuum ſit laus mea, & ejectio tua prædicatio mea.

26. ET DISCERPENS EUM SPIRITUS IMMUNDUS, ut quamdiu, & quantùm posset rabiem suam satiaret, ut Chrysost. Hom. 5. Discerpsit autem, non membra revera divellendo, quia Lucas dicit cap. 4. versu 35. quòd nihil illi nocuerit, sed quòd in medium projecerit: discerpsit ergò contorquendo, solo sternendo, & extendendo; ita tamen, ut illa jactatio membrorum atque vexatio non eum debilitaverit, ut Augustinus de consensu cap. 2. ET CLAMANS VOCE MAGNA EXIIT, incondito scilicet ejulatu, nihil articulatè proferendo, quia jussus fuerat obmutescere. Ergò laniatus membrorum, & ejulatus ille patefecerunt omnibus circumstantibus veram obsessionem, rabiem obsidentis, dolorem discedentis, potestatem insuperabilem expellentis.

26. Et discerpens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo.

27. ET MIRATI SUNT OMNES, Græcè ἐθαμβήθησαν, *obstupuerunt*: θάμβος enim significat metum religiosum cum admiratione conjunctum. QUÆNAM DOCTRINA HÆC NOVA: scilicet docendi ratio, cum tanta efficacia signorum? Magis enim admirantur modum docendi, quàm doctrinam ipsam, quamvis & illa esset nova de revelato regno cælorum; unde causam addunt: QUIA IN POTESTATE ETIAM SPIRITIBUS IMMUNDIS IMPERAT, id est, non precibus prolixis, non arcanis nominibus, herbis, suffumigationibus, & similibus utitur ceremoniis, ut solent nostri Exorcistæ, sed simplici jussu & imperio, nec alieno nomine, sed sua potestate.

27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes. Quidnã est hoc; quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei?

28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galileæ.

29. Et protinus egredientes de synagoga venerunt in domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.

30. Decumbebat autẽ socrus Simonis febricitans: & statim dicunt ei de illa.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: & continuo dimisit eam febris & ministrabat eis.

32. Vespere autem facto cùm occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes & dæmonia habentes:

33. Et erat omnis civitas congregata ad januam.

34. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, & dæmonia multa ejiciebat & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

35. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

36. Et prosecutus est eum Simon, & qui cum illo erant.

37. Et cùm invenissent eum, dixerunt ei: Quia omnes quærunt te.

38. Et ait illis: eamus in proximos vicos, & civitates, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni.

39. Et erat prædicans in synagogis eorum, & in omni Galilæa, & dæmonia ejiciens.

40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum, & genu flexo dixit ei: si vis, potes me mundare.

41. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam: & tangens eum, ait illi: Volo: Mundare.

42. Et cùm dixisset, statim discessit ab eo lepra, & mundatus est.

43. Et comminatus est ei: statimque ejecit illum.

44. Et dicit ei: Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.

45. At ille egressus cœpit prædicare, & diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique.

CAPUT II.

1. Et iterum intravit Capharnaum post dies,
2. Et auditum est quod in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum.
3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur.
4. Et cùm non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.
5. Cùm vidisset autem Jesus fidem illorum, ait paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.
6. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis:
7. Quid hic sic loquitur; blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?
8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: Quid ista cogitatis in cordibus vestris?
9. Quid est facilius dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata, an dicere surge, tolle grabatum tuum, & ambula.
10. Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico)
11. Tibi dico: Surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.
12. Et statim surrexit ille: & sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum dicentes: Quia nunquam sic vidimus.
13. Et egressus est rursus ad mare: omnisque turba veniebat ad eum, & docebat eos.
14. Et cùm præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.
15. Et factum est, cùm accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus: erant enim multi, qui & sequebantur eum.
16. Et Scribæ & Pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magister vester;
17. Hoc audito Jesus ait illis: Non necesse habent sani medico, sed qui malè habent: non enim veni vocare justos, sed peccatores.
18. Et erant discipuli Joannis & Pharisæi jejunantes: & veniunt, & dicunt illi: Quare discipuli Joannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?
19. Et ait illis Jesus: Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare.
20. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt in illis diebus.
21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri: alioquin aufert supplementum novum à veteri, & major scissura fit.
22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt: sed vinum novum in utres novos mitti debet.
23. Et factum est iterum cùm Dominus sabbatis ambularet per sata, & discipuli ejus cœperunt progredi, & vellere spicas.
24. Pharisæi autem dicebant ei; Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet?
25. Et ait illis: Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant?

26. Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit; quos non licebat manducare, nisi sa-

26. SUB ABIATHAR PRINCIPE SACERDOTUM, id est, summo sacerdote, seu Pontifice. Historia lib. 1. Reg. c. 21. vocat eum *Achimelech*, & ejus filium nominat *Abiathar* c. 22. versu 21. & 22. Sed & pater & filius utroque vocatus fuit nomine: sicut hoc liquet 2. Reg. 2. versu 17. & 1. Paralip. 18. versu 16. & ibidem cap. 24. versu 6. ubi hic filius appellatur Achimelech, & pater Abiathar. Quamquam fieri potuerit, ut & pater & filius sacerdotio simul fungerentur, sive propter

paris ſenium, ſive impotentiam, ſive alia de cauſa, ſicut Sadoc & Abiathar ſimul fuiſſe Sacerdotes ſummos ſub Davide ſatis liquere videtur, tum ex locis cit. tum ex 2. Reg. 15. verſu 35. & 1. Paralip. 15. verſu 11.

cerdotibus, & dedit eis qui cũ eo erant?

27. Et dicebat eis: Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter ſabbatum.

28. Itaque Dominus eſt filius hominis, etiam ſabbati.

CAPUT III.

1. Et introivit iterum in ſynagogam: & erat ibi homo habens manum aridam.

2. Et obſervabant eum, ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum.

3. Et ait homini habenti manum aridam: Surge in medium.

4. Et dicit eis: Licet ſabbatis benefacere, an malè; animam ſalvam facere, an perdere? At illi tacebant.

5. Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum dicit homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt manus illi.

6. Exeuntes autem Phariſæi, ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant adverſus eum, quomodo eum perderent.

7. Jeſus autem cum diſcipulis ſuis receſſit ad mare: & multa turba à Galilæa & Judæa ſecuta eſt eum.

8. Et ab Jeroſolymis, & ab Idumæa, & trans Jordanem: & qui circa Tyrum & Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

9. Et dixit diſcipulis ſuis, ut navicula ſibi deſerviret propter turbam ne comprimerent eum.

10. Multos enim ſanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas.

11. Et ſpiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei: & clamabant dicentes:

12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifeſtarent illum.

13. VOCAVIT AD SE, QUOS VOLUIT IPSE, nempe ex iis, qui ſe in ſuam diſciplinam jam tradiderant, id eſt, ex diſcipulis, ut ex Luca conſtat cap. 6. verſu 13. Nam ex tota turba primùm eligit diſcipulos, ex diſcipulis deinde Apoſtolos; ſicut nunc ex populo presbyteri, ex presbyteris eliguntur Epiſcopi. Formam enim electionis hîc eſſe datam Chryſoſtom. & Theophyl. annotarunt. *Vocavit* autem *quos voluit*, ut ſignificentur electi, non ambitu, non meritis, vel naturæ dotibus præſtantiores, ſed prudentiſſimo liberrimoque Chriſti beneplacito: quod & erga ſe in Apoſtolatum aſſumendum obſervatum fuiſſe ſæpè commendat Paulus.

13. Et aſcendens in montem vocavit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum.

14. Et fecit ut eſſent duodecim cum illo: & ut mitteret eos prædicare.

15. Et dedit illis poteſtatẽ curandi infirmitates, & ejiciendi dæmonia.

16. ET IMPOSUIT SIMONI NOMEN PETRUS: Syriacè *Cephas*, quod petram, ſeu rupem ſonat, immobilem ſcilicet. Vide dicta Matth. 16. nam Joan. 1. verſu 42. nomen illud promiſerat, hîc imponit, Matth. 16. confirmat. ET JACOBUM ZEBEDÆI, ſupple, conſtituit, aut elegit. ET IMPOSUIT EIS NOMINA. Solis igitur tribus mutavit nomina, tum quòd præ cæteris eſſent ſibi familiariores, unde paſſim eos ad ſecretiora adhibuit; tum ut indicaret, quòd columnæ regni ſui eſſent futuri, ut indicat Paulus ad Galat. 2. verſu 9. BOANERGES: corrupta dictio per inſertionem, *o*, pro, *Banarges*, ex בני *Bené*, ſive, *Bané*, filii, &, רגש *Regeſch*, ſtrepitus, tumultus, quamvis alii, *a*, velint ſuperfluere,

16. Et impoſuit Simoni nomen Petrus:

17. Et Jacobũ Zebedæi, & Joannem fratrẽ Jacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt, filii tonitrui:

& Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomã, & Jacobum Alphæi, & Thaddæum; & Simonem Cananæum.

19. Et Judam Iscariotem, qui & tradidit illum

20. Et veniunt ad domum: & convenit iterum turba, ita ut non possent neq; panẽ manducare.

21. Et cum audissent sui, exierunt tenere eũ: dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.

22. Et Scribæ qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.

pro *Benerges*, eos quòd Sceva in *Benè*, sæpè in *e* breve mutetur, ut patet in *Sodoma* & *Gomorrha*, & similibus. QUOD EST FILII TONITRUI, id est, tonantes, seu tonitores, sicuti dicuntur *Filii pacis*, id est, pacifici: quo nomine significavit eos sublimitate prædicationis Evangelicæ & miraculis orbem commoturos. Unde primus Jacobus occisus; Joannes verò etiamnum per Apocalypsin suam &, ut Epiphan. Hæresi 73. per propriam sui Evangelii grandi-loquentiam velut ex quibusdam nubibus tonat. Hinc à nonnullis traditur, cùm illud Evangelii sui principium scriberet, *In principio erat Verbum*, &c. fulgura & tonitrua esse facta; sicut cùm Moyses in monte Sinaï legem acciperet, de quo Baronius ad annum Christi 99.

21. ET CUM AUDISSENT SUI; id est, cùm illi, qui ex ejus familia & cognatione erant, audissent eum discipulos contrahere, turbam confluere, eum insolita docere, mira facere, EXIERUNT TENERE EUM, ut eum domi constringerent, existimantes hoc juxtà humanas leges esse officii sui. Causa videtur fuisse metus, ne vel tumultûs alicujus popularis adversùs Romanos invidia, vel infamiæ dedecus in se & familiam redundaret. DICEBANT ENIM, QUONIAM IN FERVOREM VERSUS EST, Græcè ἐξέστη, est extra se, vel mentis non est compos, ut non sit habenda ratio eorum, quæ dicit aut facit. Cognatos igitur nota carnis infirmitas, & humilitas educationis impedivit ne Christum agnoscerent; Pharisæos malitiâ: unde illi mirabilia ejus insaniæ, hi Beelzebub principi dæmoniorum adscribunt.

23. Et convocatis eis in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam ejicere?
24. Et si regnum in se dividatur, non potest illud regnum stare.
25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare.
26. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, & non poterit stare, sed finem habet.
27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, & tunc domum ejus diripiet.
28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ, quibus blasphemaverint:
29. Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.
30. Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.
31. Et veniunt mater ejus & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum.
32. Et circa eum turba: & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te.
33. Et respondens eis, ait: Quæ est mater mea, & fratres mei?
34. Et circumspiciens eos, qui in circuitu ejus sedebant: ait: Ecce mater mea & fratres mei.
35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est.

CAPUT IV.

1. Et iterum cœpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, & omnis turba circa mare super terram erat:
2. Et docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in doctrina sua:
3. Audite, ecce exiit seminans ad seminandum.

4. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, & venerunt volucres cœli, & comedérunt illud.
5. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ:
6. Et quando exortus est sol, exæstuavit: & eò quòd non habebat radicem, exaruit.
7. Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ, & suffocaverunt illud, & fructum non dedit.
8. Et aliud cecidit in terram bonam: & dabat fructum ascendentem, & crescentem, & afferebat unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.
9. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, audiat:
10. Et cùm esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim parabolam.
11. Et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt.
12. Ut videntes videant & non videant, & audientes audiant, & non intelligant: nequando convertantur, & dimittantur eis peccata.
13. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis?
14. Qui seminat, verbum seminat.
15. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, & cùm audierint, confestim venit satanas: & aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.
16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur, qui cùm audierint verbum statim cum gaudio accipiunt illud:
17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.
18. Et alii sunt qui in spinis seminantur: hi sunt, qui verbum audiunt:
19. Et ærumnæ sæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.
20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, & suscipiunt & fructificant, unum triginta, unum sexaginta, & unum centum.
21. Et dicebat illis: Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur: aut sub lecto; nonne ut super candelabrum ponatur?
22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum est occultum, sed ut in palam veniat.
23. Si quis habet aures audiendi audiat.
24. Et dicebat illis. Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.
25. Qui enim habet, dabitur illi: & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.

26. Et dicebat: Sic est regnũ Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram.

26. ET DICEBAT: SIC EST REGNUM DEI, &c. Quia crebrò Apostolos suos ad Evangelii prædicationem hortatus fuerat, ne propter populi incredulitatem, quam ipsemet versu 11. & 12. expertus erat, ac declaraverat, causarentur, nullum fore laborum suorum fructum, occurrit eis hâc parabolâ quâ docet nostrum esse laborare, Deo fructum esse committendum. *Sic enim est regnum Dei*, id est, perinde agitur in regno Dei, seu in Ecclesia colligenda, quemadmodum si agricola semen in terram spargeret, & interea

27. Et dormiat & exurgat nocte & die, & semẽ germinet, & increscat dum nescit ille.

27. DORMIAT, ET EXURGAT NOCTE ET DIE, id est, aliis negotiis vacet, sive ad quietem, sive ad occupationes hujus vitæ spectantibus: ET interim, dum ipse nihil de seminis incremento sollicitus est, aut cogitat, SEMEN GERMINET, in terræ scilicet visceribus radices figens, ET INCRESCAT, Græcè μηκύνηται, *prolongetur*, id est, è terra surgat & adolescat, DUM NESCIT ILLE,

utpote neque hoc sentiens, neque de eo cogitans, neque cogitando quidquam conferens. Quamquam Græcè est ὡς οὐκ οἶδεν αὐτὸς, *quomodo nescit ille*, id est, occultâ naturæ vi, & homini incognitâ.

28. Ultro enim terra fructificat, primũ herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

28. ULTRO ENIM TERRA FRUCTIFICAT, id est, sponte sua citra aliam externam agricolæ sollicitudinem, aut operam circa semen: nam illud, *sponte*, non excludit aliarum causarum, ut Solis, & pluviæ, & ipsius Dei concursum: PRIMUM HERBAM, quæ hîc comprehendit illa duo superiora, germinationem & incrementum seminis in culmum: DEINDE SPICAM, inanem scilicet: DEINDE PLENUM seu perfectum, FRUMENTUM IN SPICA, dum folliculi implentur granis, qualia sparsa fuerant. Significatur igitur eodem modo profectum hominis fieri paulatim & gradatim, dum verbum Dei in corde seminatum primò germinat, hoc est, per bona desideria; per fidem, ac pœnitentiam, radices quasi prima initia salutis figit: deinde crescit in herbam, seu culmum, dum spe promissionum animus erigitur, & contra flatus tentationum solidatur: tum bona opera proferendo ad spicam pervenit: denique perfectâ charitate velut Legis plenitudine plenum frumentum in spica. Vide paulò aliter S. Greg. lib. 22. Moral. cap. 14. aliàs 20. ubi per herbam, devotionis teneritudinem vult significari; per frumentum in spica tolerantiam in persecutionibus: nemo ergo, inquit, quemlibet proximum cùm adhuc herbam videt, de frumento desperet; ab herbarum quippe foliis, quæ huc illucque molliter defluunt, surgentia frugum grana solidantur.

29. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

29. ET CÙM PRODUXERIT FRUCTUS, id est, cùm prodierit fructus (est enim Nominativus) seu cùm se produxerit fructus, id est, cùm maturuerit fructus, ut Euthym. STATIM MITTIT FALCEM, supple homo, seu agricola. Respicit enim ad v. 26. & 27. ut v. 28. quasi per parenthesin legatur. Per quem agricolam significatur, vel Christus Dominus, qui verbum in corde seminat, vel etiam homo, qui exteriùs cooperatur: mittit autem falcem, dum fructum in Dominicum horreum colligit. QUONIAM ADEST MESSIS, id est, tempus metendi, quod tunc est, quando prædicator fructum in auditoribus provenisse Deo operante conspicit & exultat, quasi sibi ipsi fructum colligeret. Plerique veteres totam istam parabolam de Christo Domino & universo humano genere intelligunt, ut Christus semen Evangelii per Judæam sparserit: deinde moriendo dormierit, & resurrexerit: interea autem semen occultis incrementis adoleverit, nocte ac die, in prosperis scilicet & adversis, & quasi Christo nesciente, dum mundus adversùs Evangelium tumultuatur. Cùm autem universa seges electorum maturuerit, veniet messis, seu consummatio sæculi, mittetque falcem judicii, ut succisis omnibus fructus in horreum æternæ quietis recondatur.

30. Et dicebat: Cui assimilabimus regnũ Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

31. Sicut granũ sinapis, quod cùm seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra.

32. Et cum seminatum fuerit, ascendit, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cœli habitare.

33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire:

34. Sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

35. Et

35. Et ait illis in illa die, cum serò esset factum: transeamus contra.
36. Et dimittentes turbam, assumunt eum ità ut erat in navi: & aliæ naves erant cum illo.
37. Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis.
38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?
39. Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessavit ventus, & facta est tranquillitas magna.
40. Et ait illis, Quid timidi estis? necdum habetis fidem? Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?

CAPUT V.

1. Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum.
2. Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo.
3. Qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare:
4. Quoniam sæpe compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare:
5. Et semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens se lapidibus.
6. Videns autem Jesum à longè, cucurrit, & adoravit eum:
7. Et clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi Jesu fili Dei altissimi? Adjuro te per Deum, ne me torqueas:
8. Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine.
9. Et interrogabant eum: Quod tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus.
10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.
11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens.
12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes: Mitte nos in porcos ut in eos introeamus.
13. Et concessit eis statim Jesus: Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt in mari.
14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, & nunciaverunt in civitatem, & in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum.
15. Et veniunt ad Jesum: & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.
16. Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui dæmonium habuerat & de porcis.
17. Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum.
18. Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat ut esset cum illo:
19. Et non admisit eum, sed ait illi: vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.
20. Et abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus: & omnes mirabantur.
21. Et cùm transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, & erat circa mare.
22. Et venit quidam de archisynagogis nomine Jairus: Et videns eum, procidit ad pedes ejus.
23. Et deprecabatur eum multùm dicens: Quoniam filia mea in extremis est, Veni, impone manum super eam, ut salva sit, & vivat.
24. Et abiit cum illo, & sequebatur eum turba multa, & comprimebant eum.

25. Et mulier, quę erat in profluvio ſanguinis annis duodecim,

25. ET MULIER, QUÆ ERAT IN PROFLUVIO SANGUINIS, id eſt, quæ laborabat morbo illo fluxionis ſanguinis: Græci uno verbo vocant αἱμορροΐσσουσα Matth. 9. Fœdus eſt morbus, quo ſanguis per partes ſecretiores non deſinit fluere extra tempus menſtruum, de cujus legali immunditia agitur Levit. 25. verſu 25. & ſeqq. ANNIS DUODECIM, quo ſignificatur inveteratum, imò incurabilem fuiſſe morbum. Nam ideò ſubjungit, quòd

26. Et fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis: & erogaverat omnia ſua, nec quicquam profecerat, ſed magis deterius habebat:

26. ET FUERAT MULTA PERPESSA A COMPLURIBUS MEDICIS, & quòd inde MAGIS DETERIUS HABEBAT: quod ſignum erat naturæ per morbum ſuperatæ, & ab arte deſperatæ. Itaque diffidens medicis, cœpit ſaluti eſſe vicinior: deſperatis enim Deus libentiùs opitulatur, ne effectus gratiæ adſcribatur naturæ.

27. Cùm audiſſet de Jeſu, venit in turba retro, & tetigit veſtimentum ejus:

27. CUM AUDISSET DE JESU, miracula videlicet ejus & ſanitates, quas operabatur, VENIT IN TURBA RETRO, quia prohibebat palàm accedere pudor & metus: pudor ex morbi fœditate & ſexu; metus ex ejus immunditia, ne velut legaliter polluta & omnes polluens à Judæis repelleretur. Vide locum Levit. citatum. ET TETIGIT VESTIMENTUM EIUS, Matth. *tetigit fimbriam veſtimenti ejus*, ſcilicet ſupremi, ſive pallii. Fimbriæ iſtæ erant fila dependentia in quatuor oris, ſeu extremitatibus pallii: cujuſmodi fimbrias gerebat Chriſtus more gentis Judaicæ, ex præſcripto Legis, Num. 15. verſu 38. Potiùs autem fimbriam quàm ipſam veſtem tetigit, ſive ex humilitate, ſive quòd fimbria peculiariter eſſet inſigne diſtinctionis illius gentis à cæteris, & nota ſanctitatis, ut indicatur ſatis loco Num. cit. & Zachar. 8. verſu ult. Unde eas magnificabant Phariſæi, & ægroti volunt tangere etiam Matth. 14. verſu ult.

28. Dicebat enim: Quia ſi vel veſtimentum ejus tetigero, ſalva ero.

28. DICEBAT ENIM, QUIA SI VEL VESTIMENTUM EIUS TETIGERO, SALVA ERO. Unde mira fuit fides ejus de Chriſti ſanctitate & poteſtate, ſimilis fidei Centurionis, quia nec vocem ejus, nec manus impoſitionem, & ne quidem ſcientiam morbi ſui, ſed ſolius veſtimenti contactum credebat ſufficere ad ſanitatem ſuam.

29. Et confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus: & ſenſit corpore quia ſanata eſſet à plaga.

29. ET CONFESTIM SICCATUS EST FONS SANGUINIS, EIUS fluxu ſcilicet non ſolùm ceſſante, ſed etiam ſanguine correcto, & in venas coacto, ipsâque naturâ roboratâ. Nam inde naſcitur morbus iſte, quòd propter virium defectum alimentum non convertatur in ſanguinem aptum nutritioni, nec ſanguis in ſubſtantiam viventis: unde extra venas affluens per ſecretiora depellitur. ET SENSIT CORPORE, QUIA SANATA ESSET: percipiebat enim & robur auctum, & fluctûs ceſſationem, qui hinc colligitur fuiſſe perpetuus, quaſi naturæ ſimilis.

30. Et ſtatim Jeſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem quæ e-

30. ET COGNOSCENS VIRTUTEM, QUÆ EXIERAT DE ILLO, id eſt, virtutis effectum, ſeu ſanationem miraculoſam, quam operatus erat. Unde in idem redit, ſi virtutem intelligas, ipſam ſanandi poteſtatem, quæ erat in Chriſto: quæ exire dicitur ab operante,

quando operatur, phrasi videlicet ad captum mulieris & rudiorum accommodatâ, qui ex Christo velut vase pleno virtutis & efficaciæ apprehendebant sanitates fluere, cùm eas ipse sciens & prudens non naturæ necessitate, sed voluntate operaretur, quando vellet, & ubi vellet. AIEBAT: QUIS TETIGIT VESTIMENTA MEA? nolebat enim, vel gloriam Dei in hoc facto, vel excellentem mulieris fidem celari, vel ei persuasum esse, quòd se vel ignorante, vel nolente res ista contigisset. Intelligit autem Christus non quemvis promiscuum tactum, ut ex responso discipulorum patet, sed talem, qui operationem suæ virtutis provocaverat, hoc est, qui fiebat imperante fide. Nam cæteri non tam tangebant, quàm premebant Christum, ut August. hac de re loqui solet, de quo vide Serm. 6. de verbis Dom. c. 3. & Serm. 155. de tem. c. 3. & 4. quibus sicut & aliis locis per, *tangere*, intelligit credere, seu tactum per fidem, istamque mulierem gessisse figuram credentium, cæteros Judæos incredulorum: illi fide tangunt Christum, & vestem, seu corpus ejus Ecclesiam, hi premunt & affligunt.

xierat de illo, conversus ad turbam, aiebat: Quis tetigit vestimenta mea?

31. Et dicebant ei discipuli sui: Vides turbam comprimentem te, & dicis: Quis me tetigit?

32. ET CIRCUMSPICIEBAT VIDERE EAM: non quasi illam ignoraret, cui fidem illam donaverat, quam interiùs ad se traxerat, quam exteriùs sanaverat; sed humano se habebat more, ut & interrogatione & circumspectione perculsa mulier seipsam sponte proderet, & miraculum fateretur, ut sic esset commendatius.

32. Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat.

33. MULIER VERO TIMENS ET TREMENS, &c. non quia malè credidisset se vestis tactu sanandum, ut vult Calvinus in Matth. sed quòd beneficium cùm quasi ignoranti suffurari voluisset, præter opinionem esset detecta, quòd immunda mundum tetigisset, quòd hinc se increpandam, & beneficium fortassis à se repetendum vereretur.

33. Mulier vero timens & tremens, sciens quod factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatẽ.

34. ILLE AUTEM DIXIT: FIDES TUA SALVAM TE FECIT, quia tanta fides miraculum impetraverat & promeruerat; nam effectivè hoc fecerat virtus Christi. Fidem tamen magis quàm suam virtutem expressit, ut illa apud Archisynagogum minùs credulum magis commendaretur. VADE IN PACE, animo scilicet tranquillo & corpore sano (*Pax* enim Hebræis valde latè patet, & pro omni prosperitate corporis & animi sumitur) nihil timens, auferendum tibi esse beneficium: unde addendo, ET ESTO SANA A PLAGA TUA, non tribuit, sed confirmat ei ratamque habet collatam à se sanitatem. Itaque quod Matthæus adjicit, *Et salva facta est mulier ex illa hora*, seu ex illo momento temporis, intellige, non quo Christus hoc dicebat; sed quo mulier eum tetigerat. Hinc Catholici invictum argumentum pro reliquiarum usu petunt, quem quamvis mordeat & vellicet Calvinus, velitque hoc exemplum esse singulare, quod ad imitationem valere non debeat, potiùs tamen hinc impietas ejus redarguitur, qui audeat mulierem hanc indiscreti zeli & superstitionis arguere, cujus fidem Christus ipse laudat, & sanitatem impetrasse testatur. Eam fuisse Martham, sororem Laza-

34. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te salvã fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua.

35. Adhuc eo loquente, veniunt ad archisynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua est: quid ultra vexas magistrũ?

36. Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere, tantũmodo crede.

37. Et non ad-

misit quemquam se sequi, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem Jacobi.

38. Et veniunt in domum archisynagogi, & videt tumultum, & flentes & ejulantes multum.

39. Et ingressus ait illis: Quid turbamini, & ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipse vero ejectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingreditur ubi puella erat jacens.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella, tibi dico, surge.

42. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. Erat autem annorum duodecim: & obstupuerunt stupore magno.

43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret: & dixit dari illi manducare.

ri & Mariæ, videtur sentire Ambros. lib. de Salomone cap. 5. sed longè verius tradit Eusebius, fuisse ex Cæsarea Philippi. Nam gratitudinis ergò erexit Christo statuam æneam in illa civitate ante fores suas, ad cujus pedes nascebatur herba, quæ cùm fimbriam æneæ statuæ crescendo attigisset, morbis cujusque generis medendi vim habebat. Hanc statuam se vidisse testatur lib. 7. Historiæ cap. 14.

CAPUT VI.

1. Et egressus inde abiit in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui.

2. Et facto sabbato cœpit in synagoga docere: & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes: Unde huic hæc omnia? & quæ est sapientia, quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur?

3. Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph & Judæ & Simonis? nonne & sorores ejus hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo.

4. Et dicebat illis Jesus: Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua.

5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit:

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, & circuibat castella in circuitu docens.

7. Et vocavit duodecim; & cæpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum.

8. Et præcepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zona æs.

9. Sed calceatos sandaliis, & ne induerentur duabus tunicis:

10. Et dicebat eis: Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde:

11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis.

12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent:

13. Et dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant.

13. ET UNGEBANT OLEO MULTOS ÆGROS. Hanc unctionem putat Beda in Marcum, Theophyl. & Lyranus, ex recentioribus Maldonatus & Franc. Lucas, eamdem esse cum Sacramento extremæ unctionis, de quo Jacob. 5. sed ex textus cohærentia satis patet, eam ab Apostolis adhibitam fuisse, ad conferendam sanitatem corporalem, cùm Sacramentum unctionis potissimùm peccatis remittendis, & menti alleviandæ adhibeatur. Unde & ministri ejus soli sunt presbyteri, seu sacerdotes, quales Apostoli tunc nondum erant. Quare rectiùs dixerimus, hanc unctionem Apostolos adhibuisse ad sanitates corporales conferendas, ut

hoc symbolo testarentur se esse ministros veri Messiæ, hoc est Christi, seu uncti Spiritu sancto præ consortibus suis. Per quam tamen, juxta Tridentinum Sess. 14. Sacramentum extremæ unctionis insinuatum, id est, significatum fuit; per Jacobum verò promulgatum. Nam quemadmodum impositionem manuum, sputum ephpheta & similes externas cæremonias, quas Christus ad sanitates largiendas adhibuit, in Sacramentalem usum Ecclesia postea transtulit, ita & Christus ipse unctionem. ET SANABANT, hoc ungendi ritu, vim istam habente, non naturaliter, quasi medici fuissent Apostoli, sed divinâ potestate.

14. ET AUDIVIT REX HERODES: Herodis Magni, sive Ascalonitæ (de quo Matthæi 2.) filius, cognomine dictus Antipas. Erat iste Tetrarcha, ut vocatur à Matthæo, scilicet Galilææ. Tetrarcha autem & Tetrarchia primùm à quarta regni alicujus parte dicta sunt, sed usurpari postea cœpit hoc nomen apud Romanos, qui regna armis parta in Tetrarchias divisérunt pro Præfectura, seu principatu infra dignitatem Regiam. Nam iste Herodes, cùm esset Tetrarcha, Romam postea profectus est, ut Regnum ambiret, teste Josepho 18. Antiquit. cap. 9. Unde Plinius lib. 5. cap. 18. ponit intra & circa Decapolin sex Tetrarchias, & c. 23. multò plures in Cœlesyria. Et hinc Herodes hîc abusivè vocatur REX, quia dignitas ejus erat regiæ affinis. MANIFESTUM ENIM FACTUM EST NOMEN EIUS, id est, fama ejus celebris facta est. Mirum autem, cur tam serò Herodi, post mortem videlicet Joannis, fama Christi innotuerit. Causa duplex fuit: una, quòd simul atque Herodiadem cogitasset in domum suam transferre, bello cum Areta Rege distractus fuerit, cujus filia Herodi nupta, cùm non ferret tutuam injuriam tori, profugerat ad patrem suum, ut Josephus loco cit. cap. 7. quo bello dicit totum exercitum Herodis propter occisum Joannem Baptistam esse deletum. Secunda est, quia ante Joannis mortem, imò Herodiadem introductum, profectus fuerat Romam, ut ibidem Josephus tradit. Addi posset tertia, crassa videlicet Principum plerumque negligentia, ad quorum aures serò virtus pervenit, ut Chrysostom. Homil. 49. ET DICEBAT. August. lib. 2. de consensu cap. 43. legit *dicebant*, sicut & Beda, & D. Thom. ut significetur aliquos è turba hoc dixisse, quod magis congruit narrationi Lucæ, atque etiam versui 16. qui hîc sequitur.

14. Et audivit rex Herodes: manifestũ enim factum est nomen ejus, & dicebat, Quia Joannes Baptista resurrexit à mortuis, & propterea virtutes operantur in illo.

QUIA JOANNES BAPTISTA RESURREXIT A MORTUIS. Fides enim de resurrectione etiam apud Judæos erat, quamvis informis ante Christi prædicationem. Unde quidam putant, hîc per resurrectionem intelligi Pythagoricam metempsychosin, eo quòd Josephus dicat lib. 2. de bello Jud. c. 7. Pharisæos tradidisse, quod animæ bonorum in alia migrarent corpora, seu intellexisse videntur alia corpora quantùm ad qualitatem, sicut & Christiani credunt. Unde idem Josephus Pharisæorum sententiam tradens 18. Antiquit. c. 2. dicit juxtà Pharisæos animabus bonis facilem esse ad vitam reditum: & Lucas in Actis cap. 23. versu 8. apertè ait, Pharisæos resurrectionem

confiteri. Et propterea, tamquam qui per resurrectionem sanctior, potentior, & augustior factus est, virtutes operantur in illo, id est potestates, ut Græcè est, patrandi miracula vim suam exerunt in illo, quam antè, dum viveret, non exerebant.

15. Alii autem dicebant: Quia Elias. Alii vero dicebant: Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

15. Alii dicebant, quia Elias est, propter personæ gravitatem, reprehendendi libertatem, & operandi efficaciam. Eliam enim Judæi redituru credebant. Alii, quia Propheta est, non vulgaris, sed quasi unus ex Prophetis, scilicet antiquis, cui sit similis, vel qui etiam resurrexit à mortuis.

16. Quo audito Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem hic à mortuis resurrexit:

16. Quo audito, id est, quibus diversis opinionibus auditis Herodes ait: Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit. Quo significatur, Herodem tandem isti sententiæ assensisse, cùm antea juxta Lucam hæsitasset: quanquam aliqui suspicentur hæc verba esse legenda, vel per ironiam, ut Auctor in Marcum apud Hieron. vel per interrogationem. Sed primum verisimilius: sunt enim verba animi malè sibi conscii, & timentis virtutem viri etiam mortui.

17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joannem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui; quia duxerat eam.

17. Ipse enim Herodes misit, satellites scilicet, ac tenuit Joannem, traditum sibi à Pharisæis, ut diximus, Matth. 4. v. 12. propter Herodiadem. Erat hæc filia Aristobuli, qui frater fuit hujus Herodis, & consequenter ipsa Herodias neptis ejus, ut patet ex Josepho 18. Antiquit. cap. 17. Uxorem Philippi fratris sui. Eodem loco tradit Josephus, eam fuisse uxorem alterius Herodis, qui tamen etiam frater esset hujus, natus ex alia Herodis magni uxore, videlicet Mariamne, Pontificis Simonis filiâ, cùm hic Herodes Antipas natus esset ex Mathace Samaritide, Philippus vero ex Cleopatra, de quo Joseph. lib. 1. de bello Judaïco cap. 18. Quæ si vera est historia, necesse est Herodem istum, qui primus fuit maritus Herodiadis, etiam alio nomine vocatum fuisse Philippum, sicut eum hîc Marcus vocat, neque fuisse Tetrarcham Traconitidis. Nam ibidem scribit Josephus filiam Herodiadis nomine Salomen, ex priore marito Herode natam, nupsisse Philippo Tetrarchæ Traconitidis.

18. Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.

18. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui: non solum, quia proles ex eo nata fuerat filia illa Salome saltatrix (quo casu nec frater fratris defuncti uxorem ducere poterat:) sed quia Philippus adhuc superstes erat. Herodes enim Romam tendens, cùm in fratris domo hospitaretur, cum Herodiade ejus uxore pactus est, ut ipsa in conjugium, ac domicilium suum migraret, simul atque Româ reversus esset, ipse verò suam uxorem Arethæ Regis filiam ejiceret. Itaque dum Marcus *uxorem fratris* vocat, adulterium simul & incestum arguit.

19. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eũ, nec poterat.

19. Herodias autem insidiabatur illi, occasiones captando Joannis perdendi, eo quòd nuptias illas incestas reprehenderet, & inde vereretur, se aliquando ab Herode dimittendam: sed occidere eum non poterat.

20. Herodes

20. Herodes enim metuebat Joannem, id est, reverebatur

eum & colebat, adeoque timebat velut sanctum virum. Datur enim simul ratio, cur Herodias eum vellet occidere, ne scilicet, nuptias illas suadendo dissolveret, Herode Joannem metuente, & cur non posset, Herode impediente conatus ejus. ET CUSTODIEBAT EUM, id est: tuebatur ab insidiis Herodiadis: nam græcum indicat non significari hîc cultum aut observantiam ut quidam putant. Sed quomodo hæc consistunt cum Matthæo, qui dicit, quod Herodes eum voluerit occidere, sed timuerit populum; Responderi dupliciter potest: vel quod primo occidere eum voluerit, sed seditionis popularis timore fuerit impeditus; postea verò ex occasione carceris, perspectâ viri sanctitate, eum coluerit, & adversus Herodiadem defenderit; vel certè dicendum, fuisse in Herode voluntatem Joannis occidendi, quatenus ejus libidini repugnabat, sed permixtam illi voluntati fuisse duplicem causam, quæ redderet eum involuntarium, reverentiam scilicet sanctitatis ejus, juxta Marcum, ac timorem populi, juxta Matthæum.

enim metuebat Joannem, sciens eum virum justū & sanctum, & custodiebat eum & audito eo multa faciebat & libenter eum audiebat.

21. ET CUM DIES OPPORTUNUS ACCIDISSET, scilicet Herodiadi, ad complendum conatum suum, HERODES NATALIS SUI CŒNAM FECIT, &c. more Gentilium, quibus hoc erat familiare, tanquam nihil suprà hujus vitæ bona operantibus. Vide Genes. 40. v. 20. & 2. Machab. 6. v. 7. de Pharaonis & Antiochi natali. Unde nemo vir justus legitur in Scriptura natalem suum celebrasse, de quo Hieron. in cap. 14. Matthæi.

21. Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnā fecit principibus & tribunis, & primis Galileæ.

22. CUMQUE INTROISSET FILIA IPSIUS HERODIADIS, quam *Salomen* vocatam diximus, ex deserto marito susceptam, ET SALTASSET, in medio, ut Matth. coram omnibus scilicet recumbentibus tripudiando, ut Græcè, & lascivas exhibendo gesticulationes ad modos musicos, ut filia scorti se matre dignam exhiberet. Non enim potuit fieri sine meretriciæ impudentiæ & lasciviæ nota, ut nobilis puella oblita muliebris verecundiæ, tripudiando spectantes oblectaret. Et hæc causa, cur tantoperè dicatur placuisse Herodi, & recumbentibus: habet enim ista salta tricularum ad modos musicos gesticulatio vim vehementissimam ad inflectendos animos.

22. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi:

23. Unde JURAVIT ILLI REX, ut majorem fiduciam petendi adderet: QUIA QUIDQUID PETIERIS DABO TIBI, LICET DIMIDIUM REGNI MEI. Concurrebant enim simul temulentia, libido, & jactantia, ad promittendum tam superbum, & temerarium, insanumque præmium unius saltatiunculæ. Mater autem consulta suggessit ei, ut peteret CAPUT JOANNIS BAPTISTÆ: per hoc ostendens se mortem ejus habere dimidio regni Herodis potiorem.

23. Et juravit illi: Quiaquidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei.

24. Quæ cum exisset dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptistæ.

25. CUMQUE INTROISSET STATIM CUM FESTINATIONE, in convivium scilicet. Significatur autem summum puellæ studium, ne fortè æstu Regis refrigescente promissum retractaret: nam hac etiam de causa petivit, VOLO UT PROTINUS DES MIHI: id est, jam statim sine dilatione, IN DISCO, quo cibi adferuntur ad mensam, tanquam scilicet missum seu ferculum, quod præ cæteris

25. Cúmque introisset statim cum festinatione ad regem, peti-

vit dicens: vele ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.

omnibus sibi placeret & matri, CAPUT JOANNIS BAPTISTÆ. Caput & quidem in disco petit propter certitudinem, ne de morte falleretur, & ut adulteræ animus crudelissimo illo occisi inimici spectaculo satiaretur, & ei illuderet. Hoc enim ingenium adulterarum, ut omnia suæ libidinis impedimenta, quacumque crudelitate submota velint: quâ in re neque maritis, neque liberis, neque sacris, neque prophanis parcitur.

26. Et contristatus est rex: propter jusjurandum, & propter simul discumbentes noluit eam contristare:

26. ET CONTRISTATUS EST REX, Græcè περίλυπος, *pertristis factus est*, nempe secundum opinionem accumbentium, inquit Hieron. in Matth. qui putat eum corde lætum, facie tristitiam simulasse. Sed videtur vera fuisse tristitia, partim quia, quamvis initio occidere voluisset, jam tamen revereri eum cœperat, & libenter audire: partim quia videbat odiosissimum sibi futurum, quod in præmium saltatriculæ sine causa, virum sanctum inter epulas damnasset: unde etiam sceleri suo prætexuit, quod populum ad res novas concitaret, ut Josephus testis est. Sed vicit tristitiam ejus amor adulteræ, cujus filiam contristare noluit: & stulta superstitio, quasi juramento stringeretur; & studium placendi hominibus magis quàm Deo. Nam PROPTER JURAMENTUM, ne illud violaret aut violasse videretur. Præposterа erat hæc religio: nam promissiones & juramenta hujusmodi generalia non se extendunt nisi ad licita & honesta: & quamvis in animo promittentis ad illicita se extenderent, non obligant, sed rescindenda est eorum fides. ET PROPTER SIMUL RECUMBENTES, Primates scilicet Galileæ, ne illis vel perjurus vel inconstans videretur, quibus testibus fidem suam obstrinxerat. Quasi verò turpius esset sceleris nefarii promissionem retractare, quàm adimplere: tolerabiliora enim sunt perjuria quàm sacramenta tyrannorum, inquit Ambros. lib. 5. de virgin. NOLUIT EAM CONTRISTARE, rei petitæ denegatione. Unde Matth. *jussit dari*, nimirum, ut Ambros. ibidem inter epulas & convivia (quod etiam omnes barbari horrere consueverunt) consummandæ crudelitatis profertur edictum, rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore, convivali præcepto, quo non cuperet vel absolvi.

27. Sed misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum in carcere:

28. Et attulit caput ejus in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

27. SED MISSO SPICULATORE, id est, carnifice. Dicti sunt *Spiculatores* Principum satellites, à Spiculis, quæ gestabant, quasi spiculati seu hastati milites, quibus olim utebantur etiam ad occidendos reos. Alii volunt dictum Spiculatorem, quasi speculatorem, ἀπεκουλάτωρ prout Græcè legitur, quasi res hostiles specularentur: sed minùs aptè PRÆCEPIT ADFERRI CAPUT EIUS IN DISCO. Ex quo colligitur, sicut ex versu sequenti contigisse decollationem istam ipso convivii tempore, & in ipsum convivium caput allatum, sicut sentit Ambros. jam citatus. Ut proinde verisimile sit, convivium istud in arce Macheronte fuisse celebratum, ubi Joannes captivus tenebatur, teste Josepho 18. Antiquit. cap. 7. Joanne verò decollato ATTULIT CAPUT, ET DEDIT, supple Spiculator, ILLUD PUELLÆ, & puella DEDIT MATRI SUÆ, tanquam omnium malorum artifici. Porrò Herodias illusit sancto capiti: & sicut olim Fulvia lin-

guam

guam Ciceronis, ita hæc linguam Joannis discriminali acu confodit, ut testatur Hieron. contra Rufinum. Sed Deus justo judicio suo Herodem per Herodiadem, & Herodiadem per Herodem punivit. Cùm enim, illâ incitante, Romam profectus esset, ut regni titulum ambiret, regno simul & pecuniis privatus est, & perpetuo damnatus exilio ad Lugdunum Galliæ, unà cùm Herodiade, adulterum suum nolente deserere. Filiæ saltatricis mortem lege apud Nicephor. lib. 1. Historiæ cap. 20. cujus fides sit penes ipsum.

29. Quo audito discipuli tulerunt corpus ejus: nam aditum eis ad carcerem patuisse satis liquet ex Matth. 11. v. 2. Nec verisimile est Herodem in corpus mortui sævire voluisse, à quo vivo non abhorruerat; ut fabula censenda sit, quæ ignominiosè abjectum narrat. Et posuerunt illud in monumento, in Sebaste, civitate Palestinæ, quæ olim Samaria dicebatur. Neque erat ditionis Herodis, sed Romanorum, Judæa, Idumæa & Samaria, postquam ademptæ fuissent Archelao, jam redactæ in provinciam.

29. Quo audito discipuli ejus venerunt, & tulerunt corpus ejus: & posuerunt illud in monumento.

30. Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt ei omnia quæ egerant, & docuerant.

31. Et ait illis: venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi, nec spatium manducandi habebant.

32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

33. Et viderunt eos abeuntes, & cognoverunt multi, & pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, & prævenerunt eos.

34. Et exiens vidit turbam multam Jesus, & misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa.

35. Et cùm jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes: Desertus est locus hic, & jam hora præteriit:

36. Dimitte illos ut euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos quos manducent.

37. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: euntes emamus ducentis denariis panes, & dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis: Quot panes habetis, ite & videte. Et cùm cognovissent, dicunt: Quinque, & duos pisces.

39. Et præcepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum.

40. Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

41. Et acceptis quinque panibus & duobus piscibus, intuens in cœlum, benedixit, & fregit panes, & dedit discipulis suis ut ponerent ante eos: & duos pisces divisit omnibus.

42. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt.

43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum, duodecim cophinos plenos, & de piscibus.

44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et statim coegit discipulos suos, ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

46. Et cùm dimisisset eos, abiit in montem orare.

47. Et cùm sero esset, erat navis in medio mari, & ipse solus in terra.

48. Et videns eos laborantes in remigando, (erat enim ventus contrarius eis) & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare, & volebat præterire eos.

49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse & exclamaverunt.

50. Omnes enim viderunt eum, & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis: & dixit eis: Confidite, ego sum: nolite timere.

51. Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant;

52. Non intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.

52. NON ENIM INTELLEXERUNT DE PANIBUS, id est, miraculum recens editum de panibus multiplicatis, non satis consideraverant aut perceperant. Quod si intellexissent, ut decet, cùm esset longè sublimius, minùs obstupuissent ambulationem ejus super mare, ut pote jam scientes, nihil ejus divinæ omnipotentiæ esse impossibile. ERAT ENIM COR EORUM OBCÆCATUM, id est, tenebris quibusdam obscuratum. Quo fiebat, ut divinam virtutem & majestatem etiam in manifestissimis operibus non intelligerent nec miracula expenderent. Nihil enim juvat hoc oculis corporeis intueri, nisi Deus mentem sua luce collustraverit. Unde cœlum & terra supra modum mirabilia Dei, opera surdis & cœcis loquuntur majestatem Dei, nisi ipse cordis oculos & aures aperuerit, & altiùs misertus fuerit; de quo Augustin. 10. Confess. cap. 6. de hoc panum miraculo dicendum erit Joan. 6.

53. Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt:

54. Cumque egressi essent de navi continuo cognoverunt eum:

55. Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse.

56. Et quocumque introibat in vicos, vel in villas aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

CAPUT VII.

1. Et conveniunt ad eum Pharisæi & quidam de Scribis venientes ab Jerosolymis.

2. Et cùm vidissent quosdam ex discipulis ejus, communibus manibus, id est, non lotis manducare panes, vituperaverunt.

3. Pharisæi enim, & omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant tenentes traditionem seniorum:

4. Et à foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, & urceorum, & æramentorum, & lectorum:

5. Et interrogabant eum Pharisæi & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant juxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

6. At ille respondens dixit eis: Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.

7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum, & calicum: & alia similia his facitis multa.

9. Et dicebat illis: Bene irritum facitis præceptum Dei: ut traditionem vestram servetis.

10. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

11. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri, Corban, quod est donum, quodcumque ex me, tibi profuerit:

12. Et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri,

13. Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis, & similia hujusmodi multa facitis.

14. Et advocans iterum turbam dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem.

16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

17. Et cùm introisset in domum à turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam.

18. Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum communicare:

19. Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas;

20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.
21. Ab intus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes & homicidia,
22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.
23. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem.
24. Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis, & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.
25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, & procidit ad pedes ejus.
26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus.
27. Qui dixit illi: Sine priùs saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.
28. At illa respondit, & dixit illi: Utique Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.
29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.
30. Et cùm abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.
31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum ut imponat illi manum.

32. ET ADDUCUNT EI SURDUM, ET MUTUM. Diversa est hæc historia ab ea, quam narrat Matth. c. 9. versu 32. & Lucas cap. 11. v. 14. Nam ille mutus dæmonium habebat, hic non habebat. Porrò qui Latinè mutus, Græcè dicitur μογιλαλος, hoc est, ægrè ac difficulter loquens, sive balbus & impeditæ linguæ, quod magis patet ex versu 35. ubi dicitur vinculum, id est, impedimentum linguæ solutum, ut scilicet liberè lingua volveretur, quæ balbis videtur quodammodò quasi ligata palato inhæresscere. Unde eo soluto LOQUEBATUR RECTE, id est, inimpeditè & expeditè sine balbutie. ET DEPRECABANTUR EUM, UT IMPONAT ILLI MANUM, quia frequenter hunc ritum usurpaverat, vetusque erat Sanctorum consuetudo impositis manibus curare: unde & Naaman Syrus exspectabat hoc ab Elisæo, 4. Reg. 5. v. 11.

33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, & exspuens tetigit linguam ejus:

33. ET APPREHENDENS EUM DE TURBA SEORSUM, ut jactantiam fugeret, & nos fugere doceret exemplo suo, MISIT DIGITOS SUOS IN AURICULAS EIUS; ita aures quasi perforando & aperiendo: ET EXSPUENS, scilicet in digitum suum, TETIGIT LINGUAM EIUS, ut illâ humectatione quasi volubilis redderetur: surdorum enim aures videntur quasi impedimento aliquo obstructæ, & balborum lingua quasi ligata, & præ siccitate palato adhæresscere. Itaque accommodat Christus ritus rebus efficiendis juxta captum hominum accommodatis. Significabat autem & carnem suam, & omnia, quæ essent sua esse salutifera, summéque efficacia. Ulteriùs verò mysticè significabat humano generi, tamquam surdo ad audiendam intelligendámque doctrinam salutis, & muto ad confitendas peccati miserias ac laudes Dei, rectum usum aurium & linguæ per Christi virtutem esse largiendum. Quam ejus mentem explicuit Ecclesia, dum illos eosdem ritus in cæremonias baptismi retulit. Hinc est, quòd Greg. Hom. 10. in Ezech. simili sensu per

digitos in aures immissos dona Spiritus sancti significari tradit; per salivam, quæ ex capite in os defluit, sapientiam.

34. Et suspiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephpheta, quod est adaperire.

34. ET SUSPICIENS IN CÆLUM, ut à Patre omnia sua se habere, & ad Patrem referre, ac nos quoque ab eo cuncta petere, & ad eum referre doceret, INGEMUIT: non difficultate miraculi patrandi, aut impetrandi; sed quia humanæ conditioni & miseriæ condolebat, quòd in istas non solùm corporis ærumnas, sed maximè animi, quæ per eas significabantur, incidisset. Adde ingemuisse, juxta Gregor. Homil. citata, ut nos doceret ad eum gemere, qui cœlo præsidet, ut & aures nostræ per donum Spiritus sancti aperiri, & lingua per salivam oris, id est, per scientiam divinæ locutionis solvi possit ad verba prædicationis. ET AIT ILLI: EPHPHETA, QUOD EST ADAPERIRE, hoc est, aperitor, seu apertus esto; est enim Imperativus, quemadmodum leproso dixit, *Mundare*. Itaque quasi homo ad Deum ingemuit, sed quasi Deus solo verbi imperio sanat hominem, quem olim verbo, id est, seipso, creaverat. Porrò *Aperiri* etiam ad linguam transfertur, ut patet Lucæ 1. versu 64. vox tamen Syriaca magis indifferens est ad *Aperiri* & *Solvi*, ut optimè congruerit linguæ & auribus. Servavit igitur Evangelista ipsum verbum Syriacum, quo Christus usus est, non quasi plus virium esset in vocabulo Syriaco, quàm in Latino vel Græco (non enim in miraculis aut in sacramentis operatur sonus transiens, sed virtus manens, ut loquitur August.) sed partim quòd significationis in Syriaco indifferentia magis conveniret linguæ & auribus: partim majorem historiæ conciliaret fidem, & quòd plusculum auctoritatis, majestatis, & venerationis habere videatur ipsum verbum à Domino Syriacè pronuntiatum. Qua de causa homines celebrem auctoris sententiam eâ linguâ libentiùs citant, quâ locutus est.

35. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.

35. ET STATIM APERTÆ SUNT AURES EIUS, quæ ante clausæ videbantur, quod officio non fungerentur. Significat autem & celeritatem miraculi, dum statim sanabatur, & perfectionem, cum LOQUERETUR RECTE, id est, sine balbutie.

36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autè eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant:

36. ET PRÆCEPIT ILLIS, NE CUI DICERENT, miraculum divulgando. QUANDO AUTEM, supple magis, EIS PRÆCIPIEBAT, ut rem celarent, hoc est, quanto minus exigebat laudis & gratiæ pro beneficio, TANTO MAGIS PLUS quàm si non præcepisset, PRÆDICABANT, quia eo beneficium erat majori laude & gratiâ dignum, quo magis gratuitò factum. Unde benè notat Theophyl. nos hîc doceri, ut quando benefacturi sumus, neque plausus, neque famam ex beneficiis quæramus: cùm autem beneficia acceperimus, benefactores etiam invitos laudemus & prædicemus.

37. Et eo amplius admirabantur: dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

37. ET EO AMPLIUS ADMIRABANTUR, attoniti videlicet non solùm miraculo, sed & animi & virtutis magnitudine, quòd cùm talia præstaret, non solùm nihil præmii peteret, sed ne quidem facti gloria cuperet frui: DICENTES: BENE OMNIA FECIT, id est, nihil fecit quod in reprehensionem cujusquam possit cadere. Videtur enim hoc applausu respicere in calumnias Pharisæorum

& eas improbare: quia ET SURDOS FECIT AUDIRE, ET MUTOS LOQUI, Græcè ποιεῖ, *facit*, id est, facere solet, quo significat potentiam, & usum quotidianum præstandi talia beneficia: quasi dicerent, Omnia ipsius opera redundant in miserorum hominum utilitatem.

CAPUT VIII.

1. In diebus illis iterum cùm turba multa esset nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis:

2. Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent:

3. Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.

4. Et responderunt ei discipuli sui: Unde illos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine?

5. Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem.

6. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis ut apponerent: & apposuerunt turbæ.

7. Et habebant piscículos paucos: & ipsos benedixit, & jussit apponi.

8. Et manducaverunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas.

9. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia: & dimisit eos.

10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

11. Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo tentantes eum.

12. Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.

13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, & abiit trans fretum.

14. Et obliti sunt panes sumere: & nisi unum panem non habebant secum in navi.

15. Et præcipiebat eis, dicens: Videte & cavete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.

16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: Quia panes non habemus.

17. Quo cognito, ait illis Jesus: Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc cæcatum habetis cor vestrum?

18. Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? nec recordamini,

19. Quando quinque panes fregi in quinque millia: quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim.

20. Quando & septem panes in quatuor millia: quot sportas fragmentorum tuliſtis? Et dicunt ei: Septem.

21. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis?

22. ET VENIUNT BETHSAIDAM: quæ sita est ad mare Galilææ, seu lacum Genesareth, civitas Petri, & Andreæ, & Philippi, de qua diximus alibi. ET ADDUCUNT EI CÆCUM, quem non fuisse talem à nativitate, colligitur ex versu 24. ET ROGABANT, UT ILLUM TANGERET, sive defectu fidei, ut Theophyl. putat, quasi sine tactu sanare non posset, sive potiùs scientes consuetudinem ejus & potestatem, quòd sicuti tactu leprosum mundare, ita & cæcum illuminare poterat.

22. Et veniunt Bethsaidam & adducunt ei cæcum, & rogabant eum ut illum tangeret.

23. ET APPREHENSA MANU CÆCI, EDUXIT EUM EXTRA VICUM, id est, extra Bethsaidam, quæ quidem Joan. 1. v. 44. vocatur

23. Et apprehensa manu cæci

eduxit eū extra vicum: & expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret.

civitas, sed quia exigua, & fortè neque mœnibus cincta, dicitur vicus seu pagus. Causa educendi dicta est c. 7. versu 33. *Et exspuens in oculos ejus*, ut intelligeremus etiam salivam esse medicinam, & vel excrementa corporis adferre salutem: IMPOSITIS MANIBUS SUIS, super oculos, ut patet versu 25. Mysticè *manus* signum est operationis: *sputum* sermonis ex ore prolati, ad significandum opere & sermone laborandum esse, ut homines ad veritatis cognitionem adducantur, insinuant Theophyl. & Euthymius. INTERROGAVIT EUM, SI QUID VIDERET, significans se non ad hoc tetigisse, ut primo contactu clarè videret: proinde hoc non impotentiæ, sed suæ voluntatis fuisse, & ita ostendere, se non ad unum sanandi modum adstrictum esse: ut subitò totam sanitatem mox conferret omnibus, sed pro libitu suo nunc hoc, nunc illo modo operari, sive sensim, sive repentè. Causa autem videtur hîc fuisse, partim imperfectio fidei cæci illius (nihil enim Dominum rogasse legitur, sed alii tantùm pro ipso:) quasi ipso facto Christus ei tacitè diceret, Fiat tibi secundùm fidem tuam, Victor Antioch. notat: partim ut cæcus paulatim ejus operationem sentiens, paulatim etiam in majorem fidem & desiderium & admirationem cresceret. Nam ipsa dilatio sanitatis præ magnitudine sapientiæ & bonitatis Medici promovit sanitatem: quòd in donandis animi virtutibus maximè & quotidie locum habet.

24. Et aspiciens ait: Video homines velut arbores ambulantes.

24. ET ASPICIENS AIT: VIDEO HOMINES VELUT ARBORES AMBULANTES: id est, Video homines ambulantes, sed similes arboribus. Quo significat, se ex motu quidem & figurâ rectâ corpora, quasi humana cognoscere, non tamen discernere ulla membrorum lineamenta, quibus homines ab arboribus discernuntur. Nam, ut Beda notat, condensæ arbores à longè spectantibus, vel certè in luce nocturna ita apparere solent, ut homines an arbores sint, non facilè discernatur. Imperfectè igitur & obscurè se videre indicat, & aliquando clariùs vidisse, ut qui sciret, quæ inter homines & arbores esset differentia.

25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre, & restitutus est ita ut clarè videret omnia.

25. DEINDE ITERUM IMPOSUIT MANUS: ut juxtà augmentum fidei crescceret quoque sanitas ejus, eo usque UT CLARE VIDERET OMNIA: Græcum τηλαυγῶς sonat eminùs ac dilucidè, quo magis exprimitur sanitatis perfectio.

26. Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam: & si in vicum introieris nemini dixeris.

26. ET MISIT ILLUM IN DOMUM SUAM, ne illum huc illuc vagari sinens, divulgationem miraculi quærere videretur. ET SI IN VICUM INTROIERIS, Bethsaidam scilicet, ex necessitate pertingendi in domum tuam. Unde colligitur non fuisse Bethsaidam. NEMINI DIXERIS, scilicet incolarum istius vici: videtur enim divulgationem non domesticis ejus vel aliis, sed speciatim incolis Bethsaidæ fieri vetuisse, & de industria eum eduxisse extra vicum, quia videlicet indigni erant, qui miracula ejus audirent, vel viderent, cùm tot antea ejus miracula contempsissent, juxtà Matth. 11. v. 21. Quamquam communis illa ratio locum hîc habuerit, ut exemplum suis tribueret, ne de his, quæ faciunt, mirandis favorem vulgi requirant, sed divino tantùm aspectui, ubi & merces operum restat, placere contenti sint.

27. Et egressus est Jesus, & discipuli ejus, in castella Cæsareæ Philippi: & in via interroga-

bat discipulos suos dicens eis: Quem me dicunt esse homines:
28. Qui responderunt illi, dicentes: Joannem Baptistam: alii Eliam: alii verò quasi unum de prophetis.
29. Tunc dicit illis: Vos verò quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus.
30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.
31. Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati multa, & reprobari à senioribus, & à summis sacerdotibus & Scribis, & occidi & post tres dies resurgere.
32. Et palam verbũ loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum.
33. Qui conversus, & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: Vade retro me, satana, quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.
34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi deneget semetipsum: & tollat crucem suam, & sequatur me.
35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam? qui autem perdiderit animam suam propter me & evangelium: salvam faciet eam.
36. Quid enim proderit homini: si lucretur mundum totum; & detrimentum animæ suæ faciat?
37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?
38. Qui enim me confessus fuerit & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: & filius hominis confitebitur eum: cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.
39. Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus: qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

CAPUT IX.

1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem: & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis.
2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere.
3. Et apparuit illis Elias cum Moyse, & erant loquentes cum Jesu.
4. Et respondens Petrus ait Jesu: Rabbi, bonum est nos hîc esse: & faciamus tria tabernacula, Tibi unum, & Moysi unum, & Eliæ unum.
5. Non enim sciebat quid diceret: erant enim timore exterriti.
6. Et facta est nubes obumbrans eos; & venit vox de nube dicens: Hic est filius meus charissimus: audite illum.
7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt: nisi Jesum tantum secum.
8. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent: nisi cum Filius hominis à mortuis resurrexerit.
9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset: Cùm à mortuis resurrexerit.
10. Et interrogabant eum dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primùm?
11. Qui respondens ait illis: Elias cùm venerit primò, restituet omnia: & quo modo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur.
12. Sed dico vobis quia & Elias venit & fecerunt illi quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.

13. ET VENIENS AD DISCIPULOS, VIDIT TURBAM MAGNAM CIRCA EOS, partim spectandi causâ, an sanaturi essent lunaticum: partim ut audirent concertationes eorum contra SCRIBAS CONQUIRENTES CUM ILLIS, id est, disputantes & altercantes cum discipulis. Videntur enim Scribæ tanquam docti discipulos rudes disputando vexasse, ut apud plebem superasse viderentur, qui cum præceptore eorum non audebant congredi.

13. Et veniens ad discipulos suos vidit turbã magnã circa eos & Scribas conquirentes cũ illis.

14. Et confestim omnis populus videns Jesum stupefactus est, & expaverunt, & accurrentes salutabant eum.

14. ET CONFESTIM OMNIS POPULUS VIDENS JESUM, OBSTUPEFACTUS EST: propter adventum ejus subitum, cùm nescisse videantur, ubi fuisset, & opportunum ad Scribas coercendos. ET EXPAVERUNT, præ reverentia & auctoritate ejus, quam apud plebem simplicem parare solet vitæ sanctimonia, & doctrinæ sinceritas. Quanquam non absimile sit vero significari, vultum ejus ex transfiguratione proxima fuisse solito augustiorem, ut olim Moysi contigit. ET ACCURRENTES SALUTABANT EUM, observantiam & benevolentiam testantes: quod de Scribis & Pharisæis non facilè legas.

15. Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis?

15. ET INTERROGAVIT EOS, SCRIBAS, ut exprimit Græcus: QUID CONQUIRITIS, id est, quid disputatis & altercamini, INTER VOS; nempe cum discipulis. Unde Græca editio Frobeniana legit αὐτοὺς pro ἑαυτοὺς *adversus ipsos*, spiritu aspero in lenem mutato, quo modo & Syrus legit. Subindicat ægriùs se ferre, quod discipulos illitteratos disputando lacesserent. Ex versu autem 17. & 27. videtur colligi, eos de ista discipulorum impotentia disputasse, & fortasse petulantius. Itaque discipulis, præ verecundia suæ infirmitatis; Scribis vero, tamquam qui sibi conscii essent de calumniandi studio, silentibus,

16. Et respondens unus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum,

16. RESPONDENS UNUS DE TURBA, pater scilicet, cujus filius altercandi occasione dederat: ATTULI FILIUM MEUM, HABENTEM SPIRITUM MUTUM, id est, qui mutum hominem facit, imò & surdum, ut patet v. 24.

17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, & non potuerunt.

17. QUI UBICUMQUE EUM APPREHENDERIT, sine ullo discrimine loci, apud ignem, aquam, præcipitium, ut patet v. 21. ALLIDIT ILLUM, id est, in terram dejicit & lacerat, ut etiam Græcum ῥήσσει verti potest, ET SPUMAT, supple puer, STRIDET DENTIBUS, ET ARESCIT: quæ symptomata solent esse laborantium epilepsiâ, seu morbo comitiali. Itaque Matthæus vocat simpliciter puerum istum *Lunaticum*. Lunaticus autem propriè dicitur, qui lunationibus, seu Lunæ certis mutationibus afficitur, quod contingere solet morbo caduco laborantibus, & maniacis, quia Lunâ crescente, vel decrescente, crescunt vel decrescunt humores cerebri membri humidissimi: nam humoribus Luna dominatur. Ex tribus tamen Evangelistis constat, symptomata istius pueri à dæmonio eum possidente promanasse. Itaque Lunaticus videtur, propter similitudinem effectuum, quibus Lunatici, seu epileptici laborant, quos in hoc puero dæmon operabatur, latendi videlicet causâ. Unde Hieron. in cap. 5. Matth. Lunaticos ibi vocari dicit, non verè Lunaticos, sed qui putabantur tales, propter dæmonum fallaciam, qui, inquit, observantes Lunaria tempora, creaturam infamare cupiebant, ut in creatorem blasphemiæ redundarent. Quod idem observat Orig. tract. 4. in Matth. ubi tamen, quòd putare videtur, lunaticorum, seu epilepticorum passiones valde mirabiles semper dæmonem in hominibus operari, minùs verisimile est, cùm constet multos naturaliter sanari.

18. Qui respondens eis dixit, Græcè legitur ἀποκριθεὶς αὐτοῖς, *respondens*

respondens ei, ut referatur ad patrem. Unde plerique veteres hoc Christum dixisse volunt ad patrem pueri, & generationem Judaïcam generaliter, propter incredulitatem eorum, quæ patent v. 21. & seqq. Quanquam non malè, etiamsi patri respondeat, ad omnes tamen referri possit, etiam discipulos: nam & illi aliquâ incredulitate laborabant, ut patet Matth. 17. v. 19. Itaque cum dolore & inclinatione increpans eos, ait: O GENERATIO INCREDULA, Matth. & Lucas addunt, *& perversa*, Græcè διεστραμμένη, *distorta*, id est, O natio pertinaciter incredula, quæ nullis miraculis aut prodigiis à me patratis ad fidem plenam adduci potest! Quibus verbis tangit causam impotentiæ discipulorum, nempe incredulitatem non solum ipsorum, sed in primis patris, sanitatem postulantis; & Scribarum adstantium: nam talium incredulitas beneficentiam Dei quodam modo impedit, & continet; ne se effundat, ut patet Matth. 13. v. ult. & Marci 6. v. 6. QUAMDIU APUD VOS ERO; id est, quousque tandem versabor vobiscum, frustra luctando cum vestra pertinacia? QUAMDIU VOS PATIAR; id est, quamdiu tandem tolerabo mores vestros intolerabiles? sunt enim verba animi indignabundi, & molestè ferentis, se in ipsis docendis, ac juvandis oleum & operam perdere, & interim subindicantis, eos propter incredulitatem incorrigibilem aliquando à se deserendos. AFFERTE ILLUM AD ME: quo significat, se indignatum fuisse tamquam Medicum, non ut à benefaciendo desisteret, sed ut novo beneficio, & corpus ægri à morbo, & ipsa verborum asperitate animum adstantium ab incredulitate sanaret.

pondens eis, dixit: O generatio incredula: quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me.

19. ET CUM VIDISSET EUM, scilicet Jesus puerum, vel potius puer Jesum, nam non posse referri ad spiritum, clarum est ex Græco, *Cum* ergò *vidisset eum*, id est, ad primum & solum aspectum Jesus: quo significatur magnitudo virtutis ejus, & repugnantia cum immundo spiritu, STATIM SPIRITUS CONTURBAVIT ILLUM, discerpendo ac lacerando, tanquam timens, & abhorrens præsentiam ejus.

19. Et attulerunt eum. Et cũ vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum: & elisus in terram, volutabatur spumans.

20. ET INTERROGAVIT PATREM EIUS, &c. ut intelligeretur scilicet mali gravitas & diuturnitas & beneficii magnitudo: ET AIT: AB INFANTIA: qua intelligimus hujusmodi diabolicas obsessiones non semper propter actualia peccata contingere eorum, qui obsidentur. Pater autem expositâ mali magnitudine metuens, ne propterea esset incurabile, & prodens infirmitatem fidei suæ, ait:

20. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia.

21. SI QUID POTES, ADIUVA NOS. Naturæ enim & consuetudinis legibus definiebat & malum ægrotantis, & virtutem curantis, dubitans, utrùm par esse possit tam gravi & inveterato malo.

21. Et frequenter eum in ignẽ & in aquas misit, ut eum perderet; sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.

22. JESUS AUTEM AIT ILLI: SI POTES CREDERE, hoc ipsum videlicet, quod ego te adjuvare possum, fide per fiduciam operante: q. d. Noli dubitare, quin ego possim; sed vide, num tu possis credere, me posse: nam OMNIA POSSIBILIA SUNT CREDENTI, scilicet & accipere à me, & facere in nomine meo, quæ voluerit.

22. Jesus autẽ ait illi: Si po-

tes credere, omnia possibilia sũt credenti.

Sententia enim generalis est, quâ omnem potentiam ponit in fide postulantis : & quasi nihil sibi tribuens summâ utitur modestiâ, ut ita suaviter patris infirmitas in fide sanaretur.

23. Et continuo exclamans pater pueri, cũ lacrymis aiebat : Credo, Domine, adjuva incredulitaté meã.

23. ET CONTINUO, ut audivit à sua fide rem pendere, EXCLAMANS CUM LACRYMIS AIEBAT, indicans & desiderium sanitatis, & angustiam, timoremque animi, ne conditioni non posset exactè satisfacere : CREDO DOMINE : scilicet hoc te posse, ADJUVA INCREDULITATEM MEAM, augendo scilicet fidem meam imperfectam, quam *incredulitatem* vocat, etiamsi jam crederet, quia ubi non est perfecta fides, ibi necesse est esse aliquid incredulitatis.

24. Et cùm videret Jesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo : & amplius ne introeas in eum.

24. ET COMMINATUS EST SPIRITUI IMMUNDO, Græcum ἐπετίμησεν, vertitur apud Matth. *increpavit*, id est, severè imperavit, additis minis : nam idem verbum etiam *imperare* significare volunt. DICENS ILLI, SURDE ET MUTE SPIRITUS : sic eum ab effectu vocat, & exprobrans ei simul malitiam in vitiandis operibus Dei præcipit ei magna cum auctoritate & emphasi, ut & exeat, & AMPLIUS NE INTROEAT IN EUM, ut scilicet beneficium esset perpetuum : nam per intervalla puerum corripiens exire & & redire videbatur. Diaboli enim ingenium est, ut libentissimè redeat ad eos, quorum semel vel corpus, vel animum per vitia possederit.

25. Et exclamans & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est.

25. EX EXCLAMANS, &c. EXIIT AB EO : quo declaravit, quàm ægrè ferret, quòd cogeretur Christo obedire, & à possessione desistere, dum eò impotentiùs furit, & nocet, quò efficaciùs exire cogitur.

26. Jesus autem tenens manum ejus elevavit eum, & surrexit.

27. Et cùm introisset in domũ discipuli ejus secreto interrogabant eum : Quare nos non potuimus ejicere eum ?

27. ET DISCIPULI EIUS SECRETO INTERROGABANT EUM, id est, seorsim à publico, idque præ verecundia, verentes videlicet, ne aliqua suâ culpâ potestas ejiciendi dæmones sibi esset subtracta, sed Christus causam reddit, primam quidem, apud Matth. *Propter incredulitatem vestram*, id est, fidei imbecillitatem, quia perfecta fides deerat, etsi adesset aliqua : qua de causa nonnumquam reprehendit discipulos, quasi modicæ aut pusillæ fidei. Quæ imbecillitas & fluctuatio eis fortassè contigit, propter eam, quam videbant dæmonii sæviriam, & malivolentiam, vel propter Scribarum calumniatorum præsentiam, vel denique tepore per absentiam Domini obrepente, ut vult Hilar. Ubi observanda Domini prudentia, corripientis publicè defectus publicos, tum patris tum Scribarum, privatim verò defectus non ita notos : & personarum, quarum auctoritati consulendum erat, ne in contemptum veniret. Alteram causam exprimunt Matth. & Marcus, videlicet quia

28. Et dixit illis : Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & jejunio.

28. Hoc GENUS, scilicet dæmoniorum. Chrysost. & D. Thom. in Matth. putant omne genus significari, sed minùs congruè : nam certum genus designari, ipsa loci & verborum circumstantia postulat : & multa dæmonia videntur discipuli sine jejunio expulisse. Alii igitur accipiunt dæmonia Lunaticorum. Rectiùs Hieron. in Matth. & S. Leo intelligunt genus dæmoniorum nequissimum, hoc est, atrocissimum, obstinatissimumque : & in primis

29. Et inde profecti prætergrediebãtur Ga-

quod diu hominem possederit, ut malum ferè in naturam versum sit. Nam hac de causa videtur Christus rogasse, quantum temporis esset, quod ei acciderit hoc. NON EJICITUR, NISI PER ORATIONEM ET JEJUNIUM: qua de re diximus in Matth.

lilæam: nec volebat quemquam scire.

30. Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis: quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.

31. Ait illi ignorabant verbum & timebant interrogare eum:

32. Et venerunt Capharnaum. Qui cùm domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis?

33. At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset.

34. Et residens vocavit duodecim & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.

35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum: quem cùm complexus esset, ait illis:

36. Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui misit me.

37. RESPONDENS ILLI JOANNES, quia scilicet jam audiverat, quàm gratum ei esset recipere puerum in nomine Christi. Itaque occasione illorum, *In nomine meo*, narrat Christo, quid ipsi fecissent erga eum, qui ejiciebat dæmonia in nomine Christi, quasi tacitè interrogans, utrum benè an malè fecissent. Itaque dicit: VIDIMUS QUEMDAM IN NOMINE TUO EJICIENTEM DÆMONIA, id est, invocato nomine tuo: nam in hoc videtur imitatus fuisse Apostolos, ita factitantes. Quod autem quidam suspicantur intelligi posse non ejectionem dæmonum, sed tantùm conatum ejiciendi, proprietati verborum repugnat, & prohibitioni Apostolorum (nimà frustaneo conatu per se cessassent) & omnibus penè auctoribus, qui eum verè dæmonia ejecisse putant in nomine Jesu, ut ita commendaretur virtus & efficacia nominis ejus. QUI NON SEQUITUR NOS, corpore scilicet, tamquam Apostolus & discipulus tuus: ET hac de causa PROHIBUIMUS EUM, quia scilicet non est de collegio nostro sequentium te, quibus solis mandatum & auctoritas ejiciendi dæmonia data est. Itaque non invidia talis potestatis eum videntur prohibuisse, sed zelo alicujus disciplinæ, ne præter ordinem à Domino constitutum, & ita quasi cum injuria Christi dignitatem sibi non concessam quisquam gereret, vel ejus nomine abuteretur. Simile quid contigit Josuæ pro Moyse zelanti, Num. 11. v. 28. Non ergo temeritas aut superbia, aut livor discipulorum fuit, ut hæretici carpunt, sed zelus licet indiscretus; unde factum eorum reprehenditur, non animus.

37. Respondit illi Joannes, dicens: Magister vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos & prohibuimus eum.

38. NOLITE PROHIBERE EUM, in simili occasione. Ratio est, NEMO EST, QUI FACIAT VIRTUTEM, id est, miraculum quodcumque, IN NOMINE MEO, ET POSSIT CITO MALE LOQUI DE NOMINE, id est, qui possit calumniando de auctoritate & honore meo detrahere: imò cogitur eum admirari, amare & laudare, cujus nomen tam efficax experitur, & sibi tam honorificum: q. d. Hanc utilitatem habebit ista miraculorum operatio in nomine meo, quod ita mihi devincietur animo, ut non facilè mihi possit adversari, sed ad finem Evangelii, & ad benevolentiam ac

38. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum, nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me.

salutem, tum operantes, tum spectantes disponat. Et hæc prima ratio petitur ex gloria Christi, cujus nomen usurpat, altera verò ex utilitate discipulorum.

39. Qui enim non est adversũ vos, pro vobis est.

39. QUI ENIM NON EST ADVERSUM VOS, PRO VOBIS EST. Matth. 12. v. 30. per aliam sententiam dicit Christus, quasi contrariam, QUI NON EST MECUM, CONTRA ME EST. Conciliat ista duo Chrysost. quòd Matth. loquatur de dæmonibus, qui studeant omnes à Christo separare: Marcus de credentibus, qui tamen corpore Christum non sequantur. Sed etiam optimè de hominibus cohærent: nam per utramque sententiam tollitur ista indifferentia & medietas, juxtà quam putant aliqui hominem esse posse, qui neque sit cum Christo, neque contra ipsum. Itaque juxtà Matth. qui non est Christi, seu cum Christo, necessario est mundi seu diaboli, & contrà Christum: juxta Marcum verò, QUI NON EST ADVERSUM vos, & consequenter adversum me, ut pote jam mihi credens, & eadem agens, quæ vos agitis, in nomine meo dæmones expellendo, ille hoc ipso PRO VOBIS EST: quia adjuvat institutum vestrum, & nomen meum, virtutemque commendat. Unde Augustin. utramque sententiam conciliando lib. 4. de consensu cap. 5. exponit eas formaliter, nimirum, inquit, hoc vult intelligi, in tantum cum Christo non esse aliquem, in quantum est adversus illum, & in tantum adversum non esse, in quantum cum illo est v. g. addit, in quantum operabatur ille virtutes in Christi nomine, in tantum cum ipsis erat, & adversus eos non erat: in quantum verò eorum societati non adhærebat, in tantum cum ipsis non erat, & adversus vos erat. Et hoc fuerat à discipulis prohibendum, non autem illud, quod nomen magistri, ac Domini eorum in dæmoniorum expulsione commendabat. Eodem modo interpretatur lib. 1. de baptismo contra Donatistas, cap. 7. Aliqui facili explicatione putant hac Marci sententia regulam quamdam æquitatis tradi, q. d. Christus, de singulis esse optimè sentiendum, donec contrarium constet, quia nemo præsumendus est malus, nisi reipsa pateat. Itaque *qui non est adversum vos*, id est, nihil agit quod adversetur instituto vestro prædicandi Evangelium, is censendus est etiam animo vobis favere, etsi vos non sequatur, quia nihil in deteriorem partem interpretandum est, quod rectè interpretari possumus.

40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo: quia Christi estis: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

40. QUISQUIS ENIM POTUM DEDERIT, &c. NON PERDET MERCEDEM SUAM. Ex quo relinquit à minori ad majus inferendum: quanto magis ille non perdet mercedem, qui virtutes in nomine meo operatur, nomini meo quodammodo favens? Hanc mercedem indicat Augustin. lib. 4. de consensu cap. 6. non esse mercedem propriè dictam, quia sentit eum nondum fuisse Christianum, sed aliam quandam misericordiam, quâ scilicet tales ita gubernentur à Deo, ut Christiani fiant. Merces tamen propriè intelligi potest, si iste jam in Christum crediderat. Porrò cùm Christus subjecisset multa de scandalo, quæ Matth. 5. & 18. explicata sunt, dixisseque bonum esse debilem, vel claudum, vel luscum

41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis cre-

introire in regnum Dei quàm ſanum mitti in gehennam ignis, repetit tertiò ſententiam ex Iſaïæ cap. ult. v. ult. quâ gravitatem pœnæ inferorum exaggerat:

dentibus in me: bonum eſt ei magis ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur.

42. Et ſi ſcandalizaverit te manus tua, abſcide illam: bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem:

43. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

44. Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum: bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis:

45. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

46. Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, ejice eum: bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis:

47. Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

47. UBI VERMIS EORUM NON MORITUR, ET IGNIS NON EXTINGUITUR: ubi loquitur quidem Propheta de pœnis inferorum; ſed metaphorâ ſumptâ à victoribus, qui egredi ſolent, ut ſtragem hoſtium cæſorum videant. Et cùm corpora eorum brevi tempore vermibus arrodentibus conſumantur, vel ignibus exurantur: è contrario VERMIS EORUM, prævaricatorum ſcilicet Legis Dei & ſcandalizantium puſillos, qui inferno damnabuntur, NON MORITUR, id eſt, non morietur unquam: ET IGNIS NON EXTINGUITUR, id eſt, extinguetur, ſed in æternum ardebit & affliget. Ubi quidam & nunc & olim tempore Auguſt. ignem intelligunt propriè, qui urit corpus: vermem verò metaphoricè pro mœrore animam rodente atque cruciante, ſive pro remorſu conſcientiæ & ſcelerum perpetuâ ruminatione. Auguſt. tamen 21. de civit. cap. 9. non improbabile putat etiam vermem corporeum intelligere: Ego, inquit, faciliùs æſtimo, ut ad corpus dicam utrumque pertinere, quàm neutrum, & ideo tacitum in illis divinæ Scripturæ verbis animi dolorem, quoniam conſequens eſſe intelligitur, etiamſi non dicatur, ut corpore ſic dolente animus quoque ſterili pœnitentia crucietur. Unde relinquit lectori electionem, utrum & vermis pertineat ad corpus propriè, an ſolum ad animam metaphoricè. Poſſunt enim, inquit, animalia etiam in ignibus vivere, in uſtione ſine conſumptione: in dolore ſine morte, per miraculum omnipotentiſſimi Creatoris, cui hoc poſſibile eſſe qui negat, à quo ſit, quidquid in naturis omnibus miratur, ignorat, id eſt, ignorat omnia mirabilia eſſe à Deo, qui facit in creatura ſua quidquid voluerit.

48. Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur.

48. OMNIS ENIM IGNE SALIETUR. Locus perobſcurus, ideoque valde diverſis modis explicatur. Plerique, quia mentio erat facta de membris præcidendis quod cum dolore fit, & de ſcandalis diſcretione cavendis, regulam putant hîc juſtis tradi, cum alluſione ad locum Levit. 2. v. 13. q. d. Sicuti juxta Legem omnis victima per ignem tranſire debet, & ſale condiri: ita omnis juſtus, ut ſit victima Deo grata, igne tribulationis purgari debet, & ſapientiæ Evangelicæ ſale condiri, ne vel alieni mali contagio corrumpatur, vel ſuo corrumpat alios. Sed hæc connexio videtur valde remota & obſcura. Itaque faciliùs & rectiùs dixerimus pro-

ximæ ſententiæ rationem dari: ſal enim duplici valet qualitate urendi, ſeu mordendi, & conſervandi. Utramque tribuit Chriſtus igni gehennæ: ut ſit inſtar ſalis corporibus impiorum, eos ſemper & cruciando & integros conſervando hoc ſenſu: OMNIS ENIM, ſcilicet qui mittitur in gehennam, igne SALIETUR, id eſt, igne quaſi ſale condietur, ut crucietur ſemper & incorruptus maneat. Eſt enim locutio metaphorica, igne ſaliri, ſicut & igne baptizari. ET OMNIS VICTIMA SALE SALIETUR. Vocula, &, ſumitur pro, *ſicut*, quod apud Hebræos in comparationibus frequens eſt, ut patet multis exemplis in libro Proverbiorum. Vide cap. 25. v. 3. 23. & 25. ut ſit hîc ſenſus: impii inſtar victimæ, quæ divinæ juſtitiæ immolatur, igne condientur, quemadmodum juxtà Legis præſcriptum, omne ſacrificium ſale condiri debet. Cujus ſententiæ & Legis occaſione tranſit Chriſtus ad admonitionem à fide petitam, tacitè explicans, cur ſal victimis adhiberetur, eo quod videlicet nihil Deo placeat, niſi ſapientiæ & prudentiæ ſale condiatur. Itaque

49. Bonum eſt ſal: quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos.

49. BONUM EST SAL, id eſt, utile, efficax, neceſſarium cibis condiendis. QUOD SI SAL INSULSUM FUERIT, id eſt, ſi à nativo illo vigore decidat, IN QUO ILLUD CONDIETIS? id eſt, quo alio remedio vim deperditam ei reſtituetis? q. d. Fieri hoc non poteſt, ſed potiùs quantò antè utilius erat, tantò poſtea ſal inſulſum eſt inutilius & magis noxium. Qua ſymbolicâ locutione tacitè ſignificat, Apoſtolos ad hoc delectos eſſe, ut ſua ſapientiâ velut ſale condiant terræ, id eſt, terrenorum hominum, inſipientiam, juxtà illud Matthæi, *Vos eſtis ſal terræ*: proinde eis eſſe curandum, ne per cupiditates rerum terrenarum, ſive pecuniæ, ut Judas, ſive honoris, contendendo de primatu, inſipidi fiant & inſulſi: alioquin de eorum reparatione deſperatum fore, per quos alii condiendi erant. Vide Matth. 5. v. 13. HABETE IN VOBIS SAL, id eſt, ſapientiam & prudentiam, cujus ſal eſt ſymbolum. Unde Apoſtolus, *Sermo veſter ſit in gratia ſale conditus*: nam Chriſtus hîc à propriâ ſignificatione ſalis ad impropriam delabitur. ET PACEM HABETE INTER VOS, id eſt, concordiam, ne de primatu contendentes ſalem iſtum Evangelicæ prudentiæ amittatis, ſicut præcipuè honorum contentione, primatuſque ſtudio amittitur. Videtur enim reſpicere ad verſum 33. ubi à contentione Apoſtolorum totum hunc ſermonem exorſus fuerat.

CAPUT X.

1. Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem: & conveniunt iterum turbæ ad eum, & ſicut conſueverat iterum docebat illos.

2. Et accedentes Phariſæi interrogabant eum: Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum.

3. At ille reſpondens, dixit ei: Quid vobis præcepit Moyſes?

4. Qui dixerunt: Moyſes permiſit libellum repudii ſcribere, & dimittere.

5. Quibus reſpondens Jeſus ait: Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.

6. Ab initio autem creaturæ, masculum & fœminam fecit eos Deus.
7. Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit ad uxorem suam.
8. Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.
9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.
10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum.
11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.
12. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.
13. Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus.
14. Quos cùm videret Jesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei.
15. Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.
16. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.
17. Et cùm egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam?
18. Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus Deus.
19. Præcepta nosti: Ne adulteres, Ne occidas: Ne furaris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem.
20. At ille respondens, ait illi: Magister: hæc omnia observavi à juventute mea.
21. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum & dixit ei: Unum tibi deest: Vade: quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni & sequere me.
22. Qui contristatus in verbo abiit mœrens: erat enim habens multas possessiones.
23. Et circumspiciens Jesus ait discipulis suis: Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt.
24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire.
25. Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei.
26. Qui magis admirabantur dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri?
27. Et intuens illos Jesus, ait: apud homines impossibile est: sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.
28. Et cœpit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.
29. Respondens Jesus ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium.
30. Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus: & in sæculo futuro vitam æternam.
31. Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.

32. ET ERANT ASCENDENTES JEROSOLYMAM. Ascendere Hebræis nonnumquam videtur sumi pro simpliciter iter facere; quamquam hîc sumi propriè possit, quia à Jordane, unde Christus veniebat, ut est versu 1. versùs Jerosolymam, tamquam superiori loco sito, ascendebatur: unde Lucæ 10. versu 30. dicitur vice versa *homo quidam descendisse ab Jerusalem in Jericho*, quæ erat propè Jordanem. ET PRÆCEDEBAT ILLOS JESUS. Cùm alias sæpiùs solerent aliqui discipulorum præire vel dimitti, hîc præcedebat Jesus, ut ostenderet, sicut & Theophyl. notat, se vo-lentem ad mortem, de qua statim sequitur, pro salute nostra properare, non invitum trahi. Discipuli enim videntur cum quadam trepidatione in Judæam tetendisse, propter decretum Judæo-

31. Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, & præcedebat illos Jesus, & stupebant; & sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cæpit illis dicere, quæ essent ei eventura.
32. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, &

filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & Scribis & senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus:

rum de interficiendo Domino, de quo vide Joan. 11. versu 8. & 16. Itaque ut animum eis addat, præbet se alacrem viæ ducem. Unde discipuli STUPEBANT, consilium ejus, quòd ita delibérato animo in manifestum vitæ periculum properaret: ET SEQUENTES TIMEBANT, id est, timidè sequebantur. Causam notat Beda, quòd scilicet metuerent, ne vel ipsi simul cum eo periclitarentur, vel is, quem diligebant, inimicorum manibus occumberet. Ex reverentia tamen meritò laudanda eum deserere nolunt. Reliqua hujus cap. dicta sunt in cap. 19. & 20. Matthæi. Prætermisso autem undecimo cap. transeamus ad caput duodecimum.

34. Et illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eū, & interficient eum, & tertia die resurget.

35. Et accedunt ad eum Jacobus & Joannes filii Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis.

36. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis?

37. Et dixerunt: Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua.

38. Jesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere Calicem, quem ego bibo, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?

39. At illi dixerunt ei: Possumus. Jesus autem ait eis: Calicem quidem quem ego bibo, bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini.

40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

41. Et audientes decem, cœperunt indignari de Jacobo, & Joanne.

42. Jesus autem vocans eos, ait illis: Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum.

43. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister.

44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam & filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.

46. Et veniunt Jericho, & proficiscente eo de Jericho, & discipulis ejus, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus, cæcus sedebat juxta viam mendicans.

47. Qui cùm audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, & dicere: Jesu fili David miserere mei.

48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multò magis clamabat: Fili David miserere mei.

49. Et stans Jesus præcipit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior esto: surge, vocat te.

50. Qui projecto vestimento suo exiliens venit ad eum.

51. Et respondens Jesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni, ut videam.

52. Jesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit & sequebatur eum in via.

CAPUT XI.

1. Et cùm appropinquaret Jerosolymæ & Bethaniæ ad montem olivarum, mittit duos ex discipulis suis,

2. Et ait illis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, & adducite:

3. Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc.

4. Et

4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & solvunt eum.
5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum?
6. Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, & dimiserunt eis.
7. Et duxerunt pullum ad Jesum: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum.
8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes cædebant de arboribus, & sternebant in via.
9. Et qui præibant, & qui sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna:
10. Benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis.
11. Et introivit Jerosolymam in templum: & circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.
12. Et alia die cum exirent à Bethania, esuriit.
13. Cumque vidisset à longè ficum habentem folia, venit si quid fortè inveniret in ea, & cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum.
14. Et respondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.
15. Et veniunt Jerosolymam. Et cùm introisset in templum, cœpit ejicere vendentes & ementes in templo: & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertit.
16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum:
17. Et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.
18. Quo audito, principes sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus,
19. Et cùm vespera facta esset; egrediebatur de civitate.
20. Et cùm manè transirent, viderunt ficum aridam factam à radicibus.
21. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit.
22. Et respondens Jesus ait: Habete fidem Dei.
23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti: Tollere & mittere in mare, & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.
24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & eveniet vobis.
25. Et cùm stabitis ad orandum, dimitte si quid habetis adversus aliquem: ut & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.
26. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester, qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.
27. Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cùm ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, & Scribæ & seniores;
28. Et dicunt ei: In qua potestate hæc facis: & quis dedit tibi hanc potestatem ut hæc facias?
29. Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos & ego unum verbum, & respondete mihi, & dicam vobis in qua potestate hæc faciam.
30. Baptismus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? Respondete mihi.
31. At illi cogitabant secum, dicentes: si dixerimus, De cœlo: dicet: Quare ergo non credidistis ei?
32. Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum, omnes enim habebant Joannem quia verè propheta esset.
33. Et respondentes dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

CAPUT XII.

1. Et cœpit illis in parabolis loqui: Vineam plantavit homo, & circumdedit sepem, & fodit lacum, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus est.
2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ.
3. Qui apprehensum eum cæciderunt, & dimiserunt vacuum.

4. Et iterum misit ad illos alium servum, & illum in capite vulneraverunt, & contumeliis affecerunt.
5. Et rursum alium misit, & illum occiderunt, & plures alios: quosdam cædentes, alios vero occidentes.
6. Adhuc ergò unum habens filium charissimum, & illum misit ad eos novissimum dicens: Quia reverebuntur filium meum.
7. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.
8. Et apprehendentes eum, occiderunt, & ejecerunt extra vineam.
9. Quid ergo faciet Dominus vineæ? veniet, & perdet colonos: & dabit vineam aliis.
10. Nec scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.
11. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.
12. Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam, cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.
13. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis, ut eum caperent in verbo.
14. Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam. nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces, licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?
15. Qui sciens versutiam illorum ait illis: Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam.
16. At illi attulerunt ei. Et ait illis, Cujus est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei: Cæsaris:
17. Respondens autem Jesus dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.
18. Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse: & interrogabant eum dicentes:
19. Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, & dimiserit uxorem, & filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo.
20. Septem ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est non relicto semine.
21. Et secundus accepit eam, & mortuus est: & nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.
22. Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est & mulier.
23. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor? Septem enim habuerunt eam uxorem.
24. Et respondens Jesus ait illis: Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei?
25. Cum enim à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur: sed sunt sicut angeli in cœlis.
26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysis super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob.
27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.
28. Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, & videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.
29. Jesus autem respondit ei; Quia primum omnium mandatum est: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est:
30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum.
31. Secundum autem simile est illi, Diliges proximum tuum tanquam teipsum: Majus horum aliud mandatum non est.
32. Et ait illi Scriba: Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est, & non est alius præter eum;

33. DILIGERE PROXIMUM, &c. MAIUS EST OMNIBUS HOLOCAUTOMATIBUS, id est, holocaustis, seu sacrificiis illis, in quibus tota victima per ignem consumebatur Deo, ET SACRIFICIIS, reliquis scilicet, in quibus pars Deo in altari adolebatur, pars cedebat Sacerdotibus, vel convivis. Cùm igitur Pharisæi magnum momentum ponerent in mandato de sacrificiis offerendis, quæ propterea scrupulosissimè in maximis periculis offerebant, ut ex Josepho patet, Scriba iste, consentiens sententiæ Christi, præfert dilectionem proximi omnibus mandatis, maximè de sacrificiis, quamvis à multis plurimi fieret. Hinc & Oseæ 6. dicitur & Matthæi nono: *Misericordiam volo, & non sacrificium*, hoc est, plusquam sacrificium.

33. Et ut deligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximũ tanquam seipsum: majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis.

34. ET DIXIT ILLI Jesus: NON ES LONGE A REGNO DEI, id est, non longè, quin in te regnet Deus, quia jam noverat omnium agendorum summam, dilectionem Dei & proximi, per quam Deus regnat in hominibus, & vita æterna acquiritur. Neque à faciendo alienus videbatur. Sola fides in Christum deerat, ad quam eum tacitè invitat, dum eum propè esse dicit, ita insinuando nondum perveniisse.

34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

35. Et respondens Jesus docebat, dicens in templo: Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David?

36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, & unde est filius meus; Et multa turba eum libenter audivit.

38. Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete à Scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro:

39. Et in primis cathedris sedere in synagogis: & primos discubitus in cœnis:

40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius judicium.

41. SEDENS CONTRA GAZOPHYLACIUM, id est, è regione. Vox *Gazophylacium* ex Persica & Græca voce composita est, quasi diceres gazæ custodiam, & significat locum, quo gazæ, seu divitiæ custodiebantur. Duobus verò modis usurpari solet: primò pro loco vastiore, instar cubiculi, in quo servabantur divitiæ templi, sive pertinerent ad ornatum ejus, ut vasa vestesque Sacerdotum, &c. sive ad sustentationem ministrorum & pauperum, ut erant decimæ & primitiæ. Cujusmodi gazophylacia, seu cubicula erant juxta templum, quæ Græci Interpretes vocare solent nunc *Gazophylacia*, nunc *Pastophoria*, Latinus etiam *Exedras*. Secundò usurpatur pro arca, in quam pecunia, sive debita, sivè sponte oblata, per foramen mittebatur, qualem fieri jussit Joiada Pontifex, 4. Reg. 11. versu 9. de tali hîc est sermo, & vocatur Matth. 27. versu 9. etiam *Corban*, quamvis illa vox ibi pro ipso thesauro sumi possit. Itaque ASPICIEBAT Jesus, non curiositatis, sed doctrinæ captandæ causâ, QUOMODO TURBA IACTARET ÆS IN GAZOPHYLACIUM, id est, pecuniam in arcam, seu in ærarium mitteret.

41. Et sedens Jesus contra gazophylaciũ, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, & multi divites jactabant multa.

Nam quia pecunia primùm ex ære cudebatur apud Romanos, hinc postea, ex quocumque metallo fieret, Æs dicebatur. ET MULTI DIVITES IACTABANT MULTA. Erant enim Judæi in templum liberalissimi, quemadmodum constat ex immensis illis spoliis, quæ Crassus in Parthos expeditionem parans inde abstulit, ut testis est Josephus 14. Antiquit c. 12.

42. Cùm veniſſet autem vidua una pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans.

42. CUM VENISSET AUTEM VIDUA UNA PAUPER, MISIT DUO MINUTA, id est, duos minutissimos nummulos æreos, QUOD EST QUADRANS, id est, quæ duo minuta simul conficiunt unum quadrantem; ita videlicet, ut unumquodque minutum esset octans, seu octava pars assis ærei: unde Syrus exprimit, *quæ sunt octavæ*. Nam duæ octavæ faciunt unam quartam, seu quadrantem. Quadrans itaque tamquam quarta pars assis continentis duodecim uncias, vocabatur alio nomine Teruntius, quasi tres continens uncias. Et hoc quantum ad rationem nominis. Nam As seu Assis postea commoditatis causâ non appendi, sed designari cœpit, & valebat, ut auctores volunt, duodecimam partem denarii minoris, seu Regalis Hispanici, hoc est, circiter dimidium stuferum nostratem, cujus proinde quadrans esset noster novenarius. Sed in re nummaria antiquorum magna incertitudo est. Christus igitur explicans, quomodo eleemosynæ offerentium à Deo penderentur,

43. Et convocans diſcipulos ſuos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit qui miſerunt in gazophylacium.

43. CONVOCANS DISCIPULOS, tamquam rem magnam & paradoxam docturus, ait: VIDUA HÆC PAUPER PLUS OMNIBUS MISIT, etiam divitibus, multa & magna conferentibus, sed judicio Dei, non hominum. Hoc autem, quia verum esse non potest secundùm rem & absolutè, plus enim divites miserant, ideo debet intelligi secundùm proportionem, ac tribus modis verum est, qui in textu tanguntur. Primò, quia divites

44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miſerunt, hæc vero de penuria ſua omnia quæ habuit miſit totum victum ſuũ.

44. EX EO, QUOD ABUNDABAT ILLIS, MISERUNT, id est, ex eo, quod superfluum erat rebus ad victum necessariis: HÆC VERO DE PENURIA SUA, id est, ex eo, quod habebat quidem, sed vix ad vitam sustentandam sufficiebat. Nam *Penuria* non significat hîc id, quo carebat vidua, juxta vim vocis, sed id, quod parcissimè suppetebat, quia opponitur abundantiæ. Secundò, quia divites miserunt EX EO, QUOD ABUNDABAT ILLIS, id est, partem ejus, quod superfluum erat, plura sibi inde reservantes: illa verò OMNIA, QUÆ HABUIT, nihil sibi reservando; quod ut clariùs intelligeretur, addit, TOTUM VICTUM SUUM, quo ad victitandum indigebat. Tertiò, quod sequitur ex præcedentibus, quia plus misit, quantùm ad affectum; nisi enim animus fuisset liberalissimus ac devotissimus Deo, non obtulisset Deo totum simul victum suum. Non ergò reprehendit hîc propriè divites, quasi vel avaros vel illiberales, sed tantùm docet à vidua fuisse superatos, quantum ad facultates proportione personæ, & quantum ad affectum animi, idque ad consolandam penuriam pauperum, & compescendam divitum insolentiam, ne munuscula tenuiorum despiciant, quia, ut Apostolus 2. ad Corinth. 8. versu 12. *Si voluntas prompta est, secundùm id quod habet, accepta est, non se-*

cundum id, quod non habet. Affectus enim pretium rebus imponit, ut loquitur Ambroſ. lib. 1. Officior. cap. 3.

CAPUT XIII.

1. Et cùm egrederetur de templo, ait illi unus ex diſcipulis ſuis: Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructuræ.
2. Et reſpondens Jeſus ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.
3. Et cùm ſederet in Monte olivarum contra templum, interrogabant eum ſeparatim Petrus & Jacobus, & Joannes, & Andreas.
4. Dic nobis, quando iſta fient? & quod ſignum erit, quando hæc omnia incipient conſummari?
5. Et reſpondens Jeſus cœpit dicere illis: Videte ne quis vos ſeducat:
6. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego ſum: & multos ſeducent.
7. Cùm audieritis autem bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri: ſed nondum finis.
8. Exurget enim gens contra gentem, & regnum ſuper regnum, & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium dolorum hæc.
9. Videte autem voſmetipſos: tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis vapulabitis, & ante præſides & reges ſtabitis propter me, in teſtimonium illis.
10. Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium.
11. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: ſed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos eſtis loquentes, ſed Spiritus ſanctus.
12. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & conſurgent filii in parentes, & morte afficient eos.
13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit.
14. Cùm autem videritis abominationem deſolationis, ſtatim ubi non debet: qui legit, intelligat: tunc qui in Judæa ſunt, fugiant in montes:
15. Et qui ſuper tectum, ne deſcendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo ſua.
16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere veſtimentum ſuum.
17. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.
18. Orate verò ut hyeme non fiant.
19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, uſque nunc, neque fient.
20. Et niſi breviaſſet Dominus dies, non fuiſſet ſalva omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breviabit dies.
21. Et tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ne credideritis.
22. Exurgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & prodigia ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos.
23. Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia.
24. Sed in illis diebus, poſt tribulationem illam ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum:
25. Et ſtellæ cœli erunt decidentes, & virtutes, quæ in cœlis ſunt, movebuntur.
26. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria.
27. Et tunc mittet angelos ſuos, & congregabit electos ſuos à quatuor ventis a ſummo terræ uſque ad ſummum cœli.
28. A ficu autem diſcite parabolam. Cùm jam ramus ejus tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis quia in proximo ſit æſtas:
29. Sic & vos cùm videritis hæc fieri, ſcitote quod in proximo ſit oſtiis.
30. Amen dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant.
31. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.
32. De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, niſi Pater.

33. Videte, vigilate, & orate: neſcitis enim quando tempus ſit.

34. Sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuſque operis, & janitori præcepit ut vigilet.

4. SICUT HOMO, QUI PEREGRE PROFECTUS, ſupple, ſic agetur in Eccleſia mea, ſeu in regno Dei, ſicut cùm paterfamilias peregrè proficiſcitur: qui tamen dederit SERVIS SUIS POTESTATEM CUIUSQUE OPERIS, id eſt, qui officia familiæ diſtribuit, unicuique ſuum aſſignans opus & functionem. Tacitè indicat, ſe per hominem illum ſignificari, qui victor aſcendens in cœlum, Eccleſiam ſuam reliquerit corporaliter, in qua tamen omnium gerendorum auctoritatem ſervis dederit, ſuum cuique partitus officium, quantumcumque vile & abjectum, juxtà illud Apoſtoli ad Epheſ. *Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c.* Peculiariter autem, JANITORI PRÆCEPIT, UT VIGILET, id eſt, vigilanter totius domus omniumque ſervorum curam gerat, ne vel domeſtici ſegneſcant, vel hoſtes intrent, vel fures omnia diripiant. Per hunc janitorem totius domûs præfectum intelligit, qui præcipuè omnium vigilare juſſus eſt, ne vel domeſtici, hoc eſt, Epiſcopi, & cæteri in aliquo officio conſtituti, muneri ſuo deſint, vel hæretici Eccleſiam vaſtent. Simile eſt illud præceptum Pauli, Act. 20. v. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi*, &c. *propter quod vigilate*, &c. Subaudiendum autem relinquit Chriſtus, ex verſ. ſeqq. quòd certum tempus reditus non indicaverit, ut ita ſemper ſuſpenſi vigilarent. Unde parabolam applicando ſubjungit:

35. Vigilate ergo (neſcitis enim quando dominus domus veniat: ſerò, an mediâ nocte, an Galli cantu, an mane)

35. VIGILATE ERGO, quemadmodum videlicet illi ſervi patrisfamilias ſemper vigilarent, ſi rebus ſuis benè proſpectum vellent. NESCITIS ENIM, QUANDO DOMINUS DOMUS VENIAT, quando ſcilicet ego ipſe Dominus Eccleſiæ meæ rediturus ſim ad judicandum ſerò, id eſt, veſperi, AN MEDIA NOCTE, AN GALLI CANTU, quando ſcilicet maximè omnium canit, ut fieri ſolet nonnihil ante lucem; quod tempus vocari ſolet gallicinium: AN MANE, id eſt, diluculo ſeu illuceſcente jam die. Quatuor iſtas noctis partes poſuit potiùs quàm diei, tum quia magis ad metaphoram vigilandi quadrant; tum etiam ad rem ſignificatam, quia totum præſens ſæculum eſt quaſi nox, comparatione diei futuræ æternitatis. Significant autem, juxta Theophyl. & ferè Græcos, quatuor ætatum differentias, ſub quibus tamen omnia etiam ſingularum ætatum momenta comprehenduntur; veſpera ſenectutem, media nox ætatem virilem, gallicinium adoleſcentiam, quaſi ratione jam excitante hominem à ſopore & ſtupore, mane pueritiam. Ita omnibus incutit ſollicitudinem, quia omnibus hora Domini venturi, id eſt, mortis, incerta eſt.

36. Ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes.

36. NE CUM VENERIT REPENTE, ſcilicet præter expectationem, INVENIAT VOS DORMIENTES, id eſt, imparatos, dum intermiſſis Chriſtianæ profeſſionis officiis, otio, luxui, ſæcularibus curis vacatis. Ne quis verò exiſtimaret hoc, tamquam Apoſtolis & Eccleſiæ janitoribus dictum, nihil ad ſe pertinere, epiphonemate

da universum humanum genus directo adjicit:

37. Quod vobis dico, omnibus dico, seu dictum volo, sive verbo sive scripto, ut scilicet commune omnium præceptum novissimi per primos audiant: Vigilate, scilicet ne adventus meus vos inveniat dormientes. Sub adventu autem Domini tempus uniuscujusque mortis intelligit, quia ut August. Epist. 80. docet: tunc unicuique veniet dies ille, cùm venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die. Imparatum autem inveniet, inquit, ille dies, quem imparatum invenerit suæ hujus vitæ ultimus dies.

37. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

CAPUT XIV.

1. Erant autem Pascha & Azyma post biduum: & quærebant summi sacerdotes & Scribæ: quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.

2. Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

3. Et cùm esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro, effudit super caput ejus.

4. Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos, & dicentes: ut quid perditio ista unguenti facta est?

5. Poterat enim unguentum istud venundari plus quàm trecentis denariis, & dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6. Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me.

7. Semper enim pauperes habetis vobiscum, & cum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis.

8. Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam.

9. Amen dico vobis: Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.

10. Et Judas Iscariotes unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.

11. Qui audientes gavisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet.

12. Et primo die azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quovis eamus, & paremus tibi ut manduces Pascha?

13. Et mittit duos ex discipulis suis, & dicit eis: Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans: sequimini eum:

14. Ubi est refectio mea, id est, locus refectionis, Græcè καταλυμα, *diversorium*, sicut vertitur apud Lucam, ubi scil. possim cum discipulis Pascha, seu agnum Paschalem, comedere.

14. Et quocumque introierit, dicite Domino domus, quia magister dicit: Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem?

15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande, stratum, & illic parate nobis.

15. Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum. Græca vox ἀνώγαιον significat partem ædium, non infimam, sed eminentem supra solum: unde apud Orig. vocatur locus in superioribus: ubi veteres cænare solebant; ideoque hîc simpliciter vertitur, cœnaculum grande, id est, amplum, ut commodè tot discipulis posset sufficere, stratum, id est, omni suppellectile necessaria instructum: quamvis propriè vox Græca ἐστρωμένον significet ornatum, id est, stratum stragulis seu tapetibus: & additur Græcè ἕτοιμον, *paratum*, id est, idoneè instructum ad cænam agni Paschalis. Ex quo colligitur, non fuisse vulgarem hominem, cui supereresset ultra privatum suæ familiæ usum, tale cœnaculum: quod putatur postea in Apostolorum Ec-

16. Et abierunt discipuli ejus, & venerunt in

civitatem : & cleſiam converſum, ubi & Spiritum ſanctum in Pentecoſte ac-
iavenerunt ſicut ceperint.
dixerat illis, &
paraverunt Paſcha.
17. Veſpere autem facto, venit cum duodecim.
18. Et diſcumbentibus eis, & manducantibus, ait Jeſus : Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.
19. At illi cœperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim : Numquid ego ?
20. Qui ait illis : Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.
21. Et filius quidem hominis vadit : ſicut ſcriptum eſt de eo : væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur : bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille.
22. Et manducantibus illis, accepit Jeſus panem : & benedicens fregit, & dedit eis, & ait : Sumite, Hoc eſt Corpus meum.
23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis : & biberunt ex illo omnes.
24. Et ait illis : Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur.
25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Dei.
26. Et hymno dicto exierunt in montem Olivarum.
27. Et ait eis Jeſus : Omnes ſcandalizabimini in nocte iſta : quia ſcriptum eſt : Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves.
28. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.
29. Petrus autem ait illi : Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te : ſed non ego.
30. Et ait illi Jeſus : Amen dico tibi, quia hodie in nocte hac, priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.
31. At ille amplius loquebatur : Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.
32. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis : Sedete hîc donec orem.
33. Et aſſumit Petrum, & Jacobum, & Joannem ſecum : & cœpit pavere, & tædere.
34. Et ait illis : Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem : ſuſtinete hîc, & vigilate.
35. Et cùm proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram ; & orabat, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora :
36. Et dixit : Abba pater, omnia tibi poſſibilia ſunt, transfer calicem hunc à me, ſed non quod ego volo, ſed quod tu.
37. Et venit & invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon dormis ? non potuiſti una hora vigilare ?
38. Vigilate & orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.
39. Et iterum abiens oravit, eumdem ſermonem dicens.
40. Et reverſus eſt, denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) & ignorabant quid reſponderent ei.
41. Et venit tertiò, & ait illis : Dormite jam, & requieſcite. Sufficit : venit hora : ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum.
42. Surgite, eamus : ecce qui me tradet, prope eſt.
43. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iſcariotes unus de duodecim, & cum eo turba multa, cum gladiis & lignis, à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & ſenioribus.
44. Dederat autem traditor ejus ſignum eis dicens : Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum, & ducite cautè.
45. Et cùm veniſſet, ſtatim accedens ad eum ait, Ave Rabbi : & oſculatus eſt eum.
46. At illi manus injecerunt in eum, & tenuerunt eum.
47. Unus autem quidam de circumſtantibus educens gladium percuſſit ſervum ſummi ſacerdotis & amputavit illi auriculam.
48. Et reſpondens Jeſus ait illis : Tamquam ad latronem exiſtis cum gladiis & lignis comprehendere me ?
49. Quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis. Sed ut impleantur Scripturæ.
50. Tunc diſcipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

51. ADOLESCENS AUTEM QUIDAM. Græcè νεανίσκος, *adoleſcentulus*. Putat hunc Epiphan. hæreſi 78. num. 13. fuiſſe Jacobum, fratrem Domini, eo argumento, quod ſolo lineo palliolo totâ vitâ uteretur: quam opinionem & Theophyl. refert. Gregor. lib. 14. Moral. cap. 23. ſentit fuiſſe Joannem Evangeliſtam; ſed neuter erat adoleſcentulus, ut ex ætate, quâ uterque mortuus eſt, facilè probari poteſt, & quia hic adoleſcens ſequens Jeſum opponitur omnibus diſcipulis fugientibus. Denique modus veſtiendi videtur prorſus repugnare: erat enim AMICTUS SINDONE SUPER NUDO, id eſt, ſolo panno lineo, ſuper nudum corpus injecto: qui videtur veſtitus hominis non ordinarius, ſed fortuitus, arripientis ſcilicet obvium quidlibet, ne mora in veſtiendo necteretur. Unde quamvis Theophyl. putet eum fuiſſe è domo, ubi Paſcha comederant: credibilius eſt tamen fuiſſe quempiam ex villa proxima Gethſemani, qui tumultu excitatus è lecto proſilierit, ſtudio diſcendi quid ageretur. Eum autem faviſſe Chriſto, videtur ex eo colligi, quòd ſecutus dicitur non milites, ſed Jeſum. ET TENUERUNT EUM, id eſt, tenere conati ſunt, apprehenſa veſte. Græcè legitur, κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι, *adoleſcentuli tenuerunt eum*, ut ſignificetur pediſſequos adoleſcentulos in adoleſcentem irruiſſe petulantiæ vel ſævitiæ causâ.

51. Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo & tenuerunt eũ.

52. AT ILLE REJECTA SINDONE, ne per eam teneretur. Ex quo patet non fuiſſe genus veſtis, aptatæ toti corpori, niſi per modum ſtraguli aut pallii: NUDUS PROFUGIT AB EIS. Quod ita narrat Marcus, ut conſtaret, quanta eſſet violentia comprehendentium, ut qui nec adoleſcentulo caſu occurrenti parcerent; & quanta inde aliorum trepidatio circa Dominum, ne ſine cauſa Apoſtoli fugiſſe viderentur.

52. At ille rejecta ſindone, nudus profugit ab eis.

53. Et adduxerunt Jeſum ad ſummum ſacerdotem: & convenerunt omnes

ſacerdotes, & Scribæ, & ſeniores.

54. Petrus autem à longè ſecutus eſt eum, uſque intro in atrium ſummi ſacerdotis: & ſedebat cum miniſtris ad ignem, & calefaciebat ſe.

55. Summi verò ſacerdotes, & omne conciljum, quærebant adverſus Jeſum teſtimonium ut eum morti traderent, nec inveniebant.

56. Multi enim teſtimonium falſum dicebant adverſus eum: & convenientia teſtimonia non erant.

57. Et quidam ſurgentes, falſum teſtimonium ferebant adverſus eum, dicentes:

58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego diſſolvam templum hoc manu factum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.

59. Et non erat conveniens teſtimonium illorum.

60. Et exurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogavit Jeſum, dicens: Non reſpondes quidquam ad ea, quę tibi obiciuntur ab his?

61. Ille autem tacebat, & nihil reſpondit. Rurſum ſummus ſacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Chriſtus, Filius Dei benedicti?

62. Jeſus autem dixit illi: Ego ſum: & videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli.

63. Summus autem ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes?

64. Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis.

65. Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem ejus, & colaphis eum cædere & dicere ei: Prophetiza: & miniſtri alapis eum cædebant.

66. Et cùm eſſet Petrus in atrio deorſum, venit una ex ancillis ſummi ſacerdotis:

67. Et cùm vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum, ait: Et tu cum Jeſu Nazareno eras.

44. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset.

45. Et cùm cognovisset à centurione, donavit corpus Joseph.

46. Joseph autem mercatus sindonem, & deponens eum involvit sindone, & posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, & advolvit lapidem ad ostium monumenti.

47. Maria autem Magdalene, & Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur.

CAPUT XVI.

1. Et cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Jesum.

2. Et valde manè una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole.

3. Et dicebant ad invicem: quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?

4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

5. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt.

6. Qui dicit illis: Nolite expaveſcere, Jesum quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hîc, ecce locus ubi posuerunt eum.

7. Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

8. At illæ exeuntes fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor & pavor, & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.

9. Surgens autem manè, prima sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.

10. Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus.

11. Et illi audientes quia viveret, & visus esset ab ea, non crediderunt.

9. SURGENS AUTEM MANE, PRIMA SABBATI, APPARUIT PRIMO MARIÆ MAGDALENÆ. Hieron. Epist. 150. ad Hedibiam quæst. 3. dicit ferè in omnibus Græciæ libris istud capitulum ab hoc loco non haberi, eo quòd cæteris Evangelistis contrarium videatur. Sed Irenæus lib. 3. cap. 11. finem istum Evangelii Marci expressè ponit, quem nos habemus, neque jam ulla dubitandi ratio supereſt. Notat autem idem Hieronym. itémque Theophyl. ponendam esse distinctionem post, *Surgens autem*, sive, ut Græcus legit, *Cùm surrexisset:* & istud, *mane prima sabbati*, jungendum esse cùm verbis sequentibus, *apparuit primò Mariæ Magdalenæ*; idque quia putant tempus Dominicæ resurrectionis incertum esse. Sed nihil vetat, quin sublata distinctione jungantur, & quidem multò suavius, hoc modo: *Surgens mane prima Sabbati*: ut sensus sit Christum ipso diluculo surrexisse *prima sabbati*, id est, die Dominica, & ita citrà omnem ambiguitatem expressit Cyrus. Apparuit autem primò Mariæ Magdalenæ, nempe inter discipulos Domini, & apparitione ad veritatem resurrectionis persuadendam ordinatâ: ita ut nihil vetent hæc verba, quin antea apparuerit beatissimæ matri suæ. DE QUA EIECERAT SEPTEM DÆMONIA. Idem dicitur Lucæ 8. versu 2. ideóque videtur litteraliter intelligendum, quòd à septem spiritibus immundis corporaliter eam possidentibus liberata fuerit: sicut intelligit Ambros. lib. de Salomone capite 5. Maldonatus & alii: quamvis S. Gregor. Beda, Theophyl. & alii intelligant vitia septem vel plura capitalia, numerum certum pro incerto poni volentes. Sed circumstantia loci apud Lucam, & miraculorum corporalium, de quibus agit, omninò suadet sensum illum, quem primò dedimus, & hîc verbum,

ejiciendum, hoc videtur postulare. Expressit hoc Evangelista non distinctionis causâ, quasi fuisset & alia Maria Magdalena, sed ut ita pateret ibi superabundasse gratiam, ubi peccatum abundaverat, & ut sexus fœmineus primò videret vitam, quæ mortem primò gustaverat.

12. Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam;

12. POST HÆC, eâdem videlicet die sub vesperam, DUOBUS EX HIS. Nomen alterius expressit Lucas cap. 24. vocando eum Cleophas; nam ab illo latiùs ista historia narratur: OSTENSUS EST IN ALIA EFFIGIE, non reverâ alia, sed prout ipsis videbatur. Effigies enim semper mansit eadem, sed non secundùm omnes colores, figuram, lineamenta, gestus, aliásque corporis proprietates, oculos videntium immutabat, neque plenè repræsentabatur eis, & idcirco videbatur alia. Idem judicium de voce. Unde Lucas notanter dicit, *quòd eorum oculi tenebantur, ne eum agnoscerent*. Non enim aliter, quàm erat, sed sicut erat, apparuit eis, quorum oculi tenebantur, agnoscerent eum, inquit August. 3. de consensu c. 25. cujusmodi aliquid vel caligine vel humore oculis offuso posse ibidem docet. EUNTIBUS IN VILLAM: nomen expressit Lucas *Emaus*, quod non villa, sed pagus vocabatur. Villam autem fuisse Cleophæ, tradit Hieron. Epitaphio Paulæ Epist. 27.

13. Et illi euntes nuntiaverunt cæteris nec illis crediderũt.

13. ET ILLI EUNTES NUNTIAVERUNT CÆTERIS. Quo tacitè intelligendum relinquit, eos Christi effigiem agnovisse, sicut hoc Lucas narrat: NEC ILLIS CREDIDERUNT, nempe aliqui ex eis, ut notat Augustin. loco citat. Nam alios credidisse satis colligitur ex Luca cap. 24. versu 34. & 35. sicut etiam Augustin. observat. Causa non credendi videtur fuisse rei insolentia, & timor, ne non esset verum, quod maximè verum esse desiderabant.

14. Novissimè recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum & duritiã cordis, quia iis qui viderant eũ resurrexisse non crediderunt.

14. NOVISSIME RECUMBENTIBUS ILLIS UNDECIM APPARUIT. S. Gregor. in Evangel. putat hanc ultimam fuisse apparitionem, quando ascendit in cœlum, quod & S. August. lib. 3. De consensu c. 25. probabile putat. Movet eos vox, *novissimè*: sed longè veritus est, Marcum eamdem apparitionem narrare, quam Lucas cap. 24. versu 36. & Joan. cap. 20. versu 19. & seqq. ita ut hæc fuerit apparitio non absolutè novissima, sed novissima primæ ut est versu 9. ad quem respicit, hoc est diei resurrectionis. Nam in hac primò apparuerat Mariæ Magdalenæ soli, secundò eidem cum cæteris mulieribus, tertiò Simoni, quartò duobus illis discipulis euntibus in Emaüs, quintò undecim discumbentibus, de qua hîc agitur, & apud Lucam loco cit. Quam sententiam tradit & explicat etiam August. loco cit. Itaque pro, *novissimè*, Græcè est ὕστερον, *tandem* seu *postea*: quo significatur hoc contigisse, postquam apparuisset Mariæ Magdalenæ, & illis duobus discipulis, quorum neutris crediderant. RECUMBENTIBUS ILLIS, id est, mensæ accumbentibus seu cœnantibus, initio scilicet noctis, sub finem cœnæ, dum inter se fabularentur, Lucæ 24. versu 36. UNDECIM APPARUIT: nam quamvis Thomas deesset, eodem tamen numero Apostolica societas nuncupabatur,

inquit Augustin. à majore scilicet parte. Plures adfuisse ex versu 33. Lucæ constat ; sed hîc nominantur præcipui, & propter quos fiebat apparitio. ET EXPROBRAVIT, increpando, INCREDULITATEM EORUM ET DURITIAM CORDIS, hoc est, tarditatem ad credendum, & stuporem animi ex insolentia & magnitudine rei natum. Non enim erat illa incredulitas voluntaria obstinatio, qualis hæreticorum: QUIA IIS, QUI VIDERANT EUM RESURREXISSE, NON CREDIDERUNT, oculatis scilicet testibus resurrectionis, Mariæ Magdalenæ & duobus discipulis : respicit enim ad versus 11. & 13. Plura ex hac apparitione contigerunt, quæ locis citatis ex Joan. & Luca videnda sunt.

15. Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.

15. ET DIXIT EIS, non tunc, sed alio tempore in monte Galilææ, de quo Matth. 28. Mos est enim Evangelistarum, res diversis temporibus factas ita conjungere, ut eis, qui visum istum non intelligunt, non aliunde magis error oriatur, quo putent eos non sibi congruere, ut August. lib. 3. de consensu cap. 25. & aliis locis sæpè monet. EUNTES IN MUNDUM UNIVERSUM, q. d. non in Judæam tantùm, sed in universum terrarum orbem, PRÆDICATE EVANGELIUM OMNI CREATURÆ, capaci scilicet prædicationis, id est, omnibus hominibus, cujuscumque conditionis & nationis fuerint, quos Deus creaverit. Nec obstat, Apostolos hoc præceptum in ista amplitudine non impleviſse : nam Apostolis ità loquitur, ut in ipsis etiam successores eorum & adjutores ad finem usque mundi intelligat. Revellit ergò hîc Christus terminos, quos posuerat Matth. 10. & non alios Evangelii fines, quàm orbis terrarum, ponit.

16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur.

16. QUI CREDIDERIT, Evangelio à vobis prædicato, idque fide non qualibet, sed per dilectionem, sive perfectam sive imperfectam, operante, cujusmodi fides pœnitentiam includit, hoc est, fide credente & faciente id, quod faciendum credit. ET BAPTIZATUS FUERIT : nec enim sufficit credere sine baptismo subsequente tamquam causa, quæ salutem operatur ; neque baptizari sine fide præcedente, & animum præparante. Porrò ex versu præcedente manifestum est, de adultis esse sermonem, quibus solis Evangelium prædicari potest : ut proinde ineptè in hoc loco errorem suum de parvulis non baptizandis Anabaptistæ fundent, eo quòd illi credere nondum possint. SALVUS ERIT : ex quo quidam alium errorem confinxerunt, putantes eum, qui crediderit, & baptizatus fuerit, perire non posse ; contra quos August. tum aliis locis, tum lib. De fide & operibus disputat. Sed hujusmodi sententiæ generales, quibus salus vel alius effectus quispiam fidei attribuitur, semper intelligendæ sunt, nisi alia ex parte ponatur impedimentum. Quamquam fides intelligatur non quælibet, sed fides praxim dirigens, seu per dilectionem operans, cujusmodi fide creditur medico, cujus præceptis obtemperatur. Unde S. Greg. Homil. 29. in Evangel. Tunc veraciter fideles sumus, cùm, quod verbis promittimus, operibus complemus. Vera enim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contra-

dicit, juxta illud Joan. Apoſt. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* QUI VERO NON CREDIDERIT, illâ fide jam dicta, CONDEMNABITUR. Non repetit alterum membrum, *& baptizatus non fuerit*, quia baptiſmus non eſt neceſſitatis tam abſolutæ, quàm fides: nam abſque fide ſalvari nullo pacto poteſt, abſque baptiſmo poteſt, ſi ſacramentum iſtud non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludat, ut Auguſt. lib. 4. de baptiſmo c. 22.

17. SIGNA AUTEM, id eſt, miracula, veluti ſigilla veritatis divinitùs annunciatæ & creditæ, EOS, QUI CREDIDERINT, HÆC SEQUENTUR, me ſcilicet operante: qu. d. Nolite ſoliciti eſſe, ne vobis prædicantibus res inviſibiles, omnémque captum ſuperantes, nemo credat, ego miraculis veritatem prædicationis veſtræ ſigillabo, vobiſque auctoritatem conciliabo & fidem. Cæterùm notandum eſt, Chriſtum non dicere, quòd iſta ſigna ſequentur omnes fideles, neque quòd ſemper, neque quòd ſingulos omnia, quòd ſtatim à ſuſcepta fide: ſed ſenſus eſt, quòd, ſicut ipſe ſignis prædicationem ſuam credibilem fecerat, quando opus erat; ita nec credentibus in ſe, ſeu Eccleſiæ ſuæ deerunt, cùm ad propagandam ſtabiliendamque fidei prædicationem fuerit neceſſarium: finis enim miraculorum eſt publica utilitas. Ex quo facilè intelligitur, cur nec omnibus fidelibus illa ſigna dentur, nec omni tempore, nec omni loco, nec omnia, quia neceſſitas Eccleſiæ, vel prædicantium hoc non expoſcit, ſicut initio prædicationis expoſcebat, ut Greg. loco cit. Miraculis enim multitudo credentium, velut arbores recenter plantatæ, rigationibus erat nutrienda, ut per ea Chriſtianæ Eccleſiæ fundaretur auctoritas, quâ ſemel fundatâ, & Eccleſia jam per orbem diffuſa, nec miracula illa durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum novitate flagrat, ut Auguſt. lib. de vera relig. cap. 25. LINGUIS LOQUENTUR NOVIS, quas ſcilicet antè non noverant, nec didicerant, aliarum nempe gentium: quod initio Eccleſiæ erat familiare, ut citò & facilè fides toto orbe propagaretur.

17. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis:

18. SERPENTES TOLLENT, id eſt, venenata animalia auferent ex locis, quibus erant infeſta: ET, SI MORTIFERUM QUID BIBERINT, NON EIS NOCEBIT: ſive coacti à perſecutoribus, ſive caſu per ignorantiam; non enim oſtentatoribus talis gratia promittitur. Videndus eſt Euſeb. lib. 3. Hiſtoriæ cap. 29. Porrò ſub his miraculis crebrioribus & minoribus alia rariora & graviora intellecta voluit, ut ſuſcitationem mortuorum, &c. Nec verò ulla hîc promittit miracula terrifica, qualia fuerunt Moyſis, ſed ſolùm beneficia & utilia, ut non terrore, ſed beneficientia ſalutem Evangelii annuntiandam, & mundum ad fidem trahendum ſignificaret. Exponit omnia hæc miracula myſticè S. Greg. Hom. 29. in Evang. & Bernardus Serm. 1. de Aſcenſione, ut fideles *dæmonia ejiciant*, ſive exorcizando, ſive pœnitentiam in corde generando; *linguis loquantur novis*, Dei laudes reſonando; *ſerpentes tol-*

18. Serpentes tollent: & ſi mortiferū quid biberint, non eis nocebit: ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.

lant, malitiam de alienis cordibus auferendo. Vide cætera apud Gregorium.

19. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei.

19. ET DOMINUS QUIDEM JESUS POSTQUAM LOCUTUS EST EIS, quæcumque scilicet eis dicta voluit & oportuit post resurrectionem: non enim dicit, *Postquam hæc locutus est eis*, sed generaliter, ut colligitur de omnibus, quæ post resurrectionem apparens eis locutus est de regno Dei, ut August. notat 3. de consensu cap. 25. ASSUMPTUS EST IN CŒLUM, secundùm humanam naturam. Dicitur autem *assumptus*, & Act. 1. *elevatus*, quasi ab alio; sicut etiam dicitur à Patre suscitatus à mortuis, scilicet per attributionem, per quam ea, quæ magnæ potentiæ sunt, Patri attribuuntur; quamvis juxtà Symbolum ipsemet etiam suâ virtute & resurrexerit à mortuis, & in cœlum ascenderit, non aërium tantùm, sed æthereum: adeóque, ut Apostolus ad Ephes. 4. *super omnes cœlos*, ut impleret omnia. Assumptus est autem in cœlum tum suâ, tum fidelium suorum causa. Sua quidem, ut glorioso & immortali corpori locus gloriæ & incorruptionis congrueret; ut inde ab omni natione sub cœlo coleretur; ut totum universum inde regeret; ut reipsa ostenderet, regnum suum non esse de hoc mundo: fidelium verò causa, ut eorum corda sursum trahendo: ipsi discerent ex fide vivere, & ea, quæ sursum sunt, quærere; ut spem daret, membra esse caput suum secutura; ut viam peccato clausam aperiret; ut eis locum & mansionem pararet, ut Spiritum sanctum inde mitteret. ET SEDET A DEXTRIS DEI, tamquam Deo Patri æqualis natura, potentia, gloria, imperio, dominando creaturis omnibus. Hæc enim sessio à dextris Dei significat auctoritatem & æqualitatem cum Deo Patre in regnando, & opponitur ministerio Angelorum, tamquam inferiori, ad Heb. 1. versu 13. & 15. & 1. ad Corinth. 15. v. 25. Vide plura dicta Matth. 22. versu 44.

20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis

20. ILLI AUTEM PROFECTI, in mundum scilicet universum, sicut eis præceptum erat versu 15. nam eò respici notat Greg. Homilia cit. Profecti autem non statim, sed post Spiritus sancti missionem, PRÆDICAVERUNT UBIQUE, non in Judæa tantùm, sed in omnibus Gentibus. Quod ideò Marcus contigisse dicit, quia cùm scriberet hoc Evangelium, jam fieri cœperat, & Prophetico more quod certissimò futurum erat, tamquam factum narrabat. DOMINO COOPERANTE, intrinsecùs scilicet Evangelio suo, tam in iis, qui prædicabant, quàm qui credebant: illis dando os & sapientiam, cui nemo adversariorum resistere posset; his cor aperiendo, fidemque inspirando. ET SERMONEM, prædicationis, CONFIRMANTE SEQUENTIBUS SIGNIS, extrinsecùs miracula jungendo prædicationi, tum auctoritatem, legitimamque missionem prædicantium, tum Evangelii sui veritatem quodammodò sigillabant, ut operatio Dei interna, & externa confirmatio miraculorum simul juncta, testatissimum & credibilem nimis efficerent prædicationem.

FINIS.

IN EVANGELIUM JESU CHRISTI SECUNDUM LUCAM.

PRÆFATIO.

LUCAM Antiochiâ, Syriæ Metropoli, oriundum esse inter veteres convenit, non minùs quàm arte Medicum fuisse, ut ex c. 4. ad Coloss. v. 14. Chrysost. Homil. 12. in illam Epistol. & alii colligunt, qui eo loco hunc Evangelistam Medicum charissimum *vocatum volunt. Nicephorus pictorem egregium fuisse tradit, lib. 2. cap. 43. & Christi Domini, Matris ejus, ac Principis Apostolorum effigiem adumbrasse, eamque inde in cæteras orbis partes delatam. Nec desunt, qui Lucam tradant fuisse unum ex* LXXII. *discipulis, à quo non abhorret Gregor. Præfat. in Iob. cap. 1. dum eum vult fuisse unum ex duobus discipulis euntibus in Emaüs. Sed Lucas ipse satis manifeste adversatur, quàndo in præfatione Evangelii sui declarat, se illud ex aliorum traditione scripsisse. Vnde antiquiores Scriptores testantur eum non Domini, sed Apostolorum discipulum fuisse, ut Iren. lib. 1. cap. 20. & Hieron. qui in cap. 65. Isaiæ à Paulo genitum fuisse dicit. In Evangelio Græci sermonis non ignarus fuit: unde stylo cæteris elegantiori usus est, tum in hoc libro, tum in Actibus Apostolorum describendis. Scripsit autem Evangelium in partibus Achaiæ & Boëotiæ, ut Hieron. Præfat. in Matth. cum Paulo simul peregrinando, adeóque circa secundum Neronis annum, hoc est, ut Baron. Christi 58. Scriptionis occasio fuit,*

quòd multos videret Evangelicam historiam non rectè texuisse, quos initio Evangelii sui sugillat. Auctor scribendi, & hortator putatur fuisse Paulus, quem idcirco, quoties in Epistolis nominat Evangelium suum, *hoc Lucæ Evangelium designare tradit Hier. de Scriptorib. Eccl. c. 7. Vnde Tertull. lib. 4. contra Marcionem, Lucæ digestum, inquit, Paulo adscribere solent: cœpit magistrorum videri, quæ discipuli promulgarint. Paulo adhæsit comes usque ad vincula ejus Romæ. Vnde discedens prædicavit primùm in Dalmatia & Gallia, tum in Italia ac Macedonia, ut Epiphan. Hæresi 51. Quamquam Oecumenius in Lucam eum quoque Libyam petiisse tradat, Thebanosque Christiana instituisse religione. Vitam duxit cœlibem ad annum ætatis octogesimum-quartum, ut Hieron. in Scriptoribus. Martyrio vitam finivisse insinuat Nazianz. Orat. 1. in Iulian. & aperte dicunt SS. Paulinus & Gaudentius. Modum describit Nicephorus loco cit. ubi dicit ex olea arbore fuisse suspensum, quòd aridi ligni, unde crux fieret, copia non esset: hocque apud Patras Achaiæ civitatem contigisse, testis est idem Gaudentius.*

CAPUT I. CAPUT PRIMUM.

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum.

QUONIAM QUIDAM MULTI CONATI SUNT, Taxari hîc Pseudo-apostolos, & Pseudo-scriptores Evangeliorum, sententia ferè veterum est. Hos Epiphan. Hæresi 51. putat fuisse Cerinthum & Merinthum: Origenes Basilidem, Beda, etiam Apellem: sed hi omnes fuerunt ætate posteriores, quàm Lucas, ut patet ex Euseb. lib. 4. Hist. c. 7. & aliis ejus locis. Credibile est respici ad auctores Evangeliorum illorum, quæ dicebantur Thomæ, Matthiæ, duodecim, secundùm Ægyptios, &c. Nam quòd Maldonatus putat significari Matthæum & Marcum, omni vetere auctoritate caret, neque isti videntur multi posse dici. Unde August. lib. 4. de consensu cap. 8. illis verbis *(conati sunt)* significari putat, eos non potuisse susceptum onus implere, cui & Græci, Origenes, Euseb. & Epiphan. assentiuntur. ORDINARE NARRATIONEM, QUÆ IN NOBIS COMPLETÆ SUNT, RERUM, id est, historiam texere rerum, quæ in nobis certò creditæ firmiterque receptæ sunt. Nam quamvis Latinum verbum significare possit res non à Christo Domino perfectas & gestas, Græcum tamen & Syriacum magis indicant, plenam earum fidem, & persuasionem nobis esse factam: quod & Orig. Hom. 1. in Luc. & Ambr. hîc magis probant.

2. Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

2. SICUT TRADIDERUNT NOBIS, vivâ voce prædicando publicè, & privatim narrando, QUI AB INITIO, non solùm prædicationis, sed etiam nativitatis, & conceptionis, tam ipsius Christi quàm præcursoris ejus, sub quibus proindè & B. Virgo, & B. Joseph in primis continentur, quia quarumdam rerum sibi testes fuerunt, itemque mulieres,

& alii discipuli, Zacharias, Anna, pastores. Unde August. lib. 3. de consensu cap. 1. quæ in Christi nativitate, infantiâ, pueritiâ divinitùs gesta sunt, & digna memoriâ, discipuli Domini, sive ab ipso Domino, sive à parentibus ejus, sive à quibuslibet aliis requirere, & cognoscere potuerunt. IPSI VIDERUNT, supple, sermonem: nam Græcè legitur αὐτόπται *spectatores*, ET MINISTRI FUERUNT SERMONIS, id est, qui testes oculati fuerunt, itemque prædicatores sermonis, seu Evangelii, cujus prædicatio *Ministerium* appellari solet: quamquam sermo hic non malè Hebraica phrasi pro rebus ipsis accipi possit, sicut infrà cap. 2. v. 15. Porrò refertur hic versus non ad sequentem, ut quidam voluerunt, sed ad prædicationem; ita ut significetur, multos pollicitos fuisse, & professos historiam rerum texere, sicut eas tradiderant spectatores earum, & ministri, etsi non fuerint assecuti. Hinc verò patet manifestè, traditionem Evangelii ipsa scriptione ejus fuisse priorem; imò certissimam fuisse, plenissimeque creditam, antequam scriberetur.

3. VISUM EST ET MIHI, aliorum quidem exemplo, sed alio spiritu, nempè ut benè scribam, quod illi malè: illis enim visum est spiritu humano, mihi Spiritu sancto inspirante. Quo sensu & Apostoli dixerunt, *Visum est Spiritui sancto & nobis*, quia Spiritus sanctus, ut id, quod bonum est, nobis quoque bonum videri possit, operatur, inquit Ambros. ASSECUTO OMNIA A PRINCIPIO DILIGENTER, id est, omnibus rebus, altè petito principio, perveſtigatis & percognitis. Nemo enim tam altè historiam Evangelicam exorsus est, quàm Lucas, ab ipsa scilicet præcursoris conceptione. His autem verbis commendans diligentiam suam, obliquè aliorum taxat negligentiam in perveſtigandis rebus, & consequenter fidem eorum in narrandis. EX ORDINE TIBI SCRIBERE, id est, congruo servato ordine, non semper minutarum rerum & verborum, sed historiæ, rerumque capitalium, ut scilicet conceptio Joannis conceptionem Christi præcedat, hæc nativitatem, nativitas circumcisionem, ista purificationem, hæc educationem, educatio baptismum, iste prædicationem, hæc mortem, &c. Non addit autem, *omnia*, tametsi assecutus esset omnia: qui elegit ex omnibus ea, quæ judicavit apta, & sufficere officio dispensationis suæ, inquit Augustinus lib. 4. de consensu Evang. cap. 8. qui propterea notat libr. 3. cap. 5. Evangelistas multa novisse, quæ non scripserunt: ut ita diversa in Evangelio singulorum gratia refulgeret, & propriis quibusdam singuli libri mysteriorum, gestorumque miraculis eminerent, inquit Ambrosius. OPTIME THEOPHILE. Multi veteres Ambros. Epiphan. Hæresi 51. & Orig. Hom. 1. in Luc. putant *Theophilum* nomen commune esse, prout significat eum, qui diligit Deum, vel, ut alii, qui diligitur à Deo: sed epithetum adjunctum, & versus primus cap. 1. Actorum satis indicant fuisse peculiarem hominem: quis autem fuerit, non constat. Nam quamvis quibusdam videatur ille fuisse, qui apud Nicephorum lib. 3. cap. 25. ponitur sextus Antiochenus Episcopus, ætate tamen videtur posterior. Quisquis fuerit, in dignitate fuit constitutus, & illustris, ut probat honorificus ille titulus, *Optimè*; quo & Paulus appellat Felicem, ac Festum, Judææ Præsides; quibus fuisse titulum peculiarem, ex eo patet, quod & Claudius Lizeas scribat

3. Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile.

Felici optimo Præsidi. Tam honorificus autem erat, ut Dio in Traiano testetur, nullum ei gratius fuisse, quàm cognomen *Optimi*; unde *Optimates* dicti sunt. Tali ergò viro inscripsit Lucas Evangelium suum, & librum Actorum, ut illud nomine ejus insignitum à multis legeretur, minusque haberet invidiæ & periculi, & plus gratiæ; denique propter rationem, quam ipse Lucas dat.

4. Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

4. UT COGNOSCAS, id est, agnoscas, seu recognoscas, scilicet tamquam in speculo, EORUM VERBORUM, seu rerum, de quibus eruditus es, Græcè κατηχήθης, de quibus catechizatus, seu de quibus viva voce institutus es, VERITATEM, firmam scilicet certitudinem, ut Græca vox ἀσφάλεια sonat. Non enim parvæ utilitatis & voluptatis est, res magnas, quas viva voce didicerimus, etiam scripto historicè, & cum summa fide à dignissimo Auctore traditas, recognoscere, & ordine legere, cum voluerimus.

5. Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth.

5. FUIT IN DIEBUS HERODIS: illius primi, qui filius Antipatri fuit, & ab industria, ac felicitate, rebusque gestis *Magnus* dictus est. REGIS JUDÆÆ, totius, prout terram totam duodecim tribuum complectitur. Regnum istud acceperat à Romanis, invitisque Judæis tenuit: quem tamen sub finem regni in legitimum Regem susceperunt, circa quod tempus Joannes Baptista, & Christus nati sunt. Hujus Herodis filius Herodes etiam dictus tantùm Tetrarcha fuit, qui Joannem Baptistam occidit. SACERDOS QUIDAM NOMINE ZACHARIAS: non summus, qui præerat omnibus, quamvis August. Tract. 49. in Joan. & alii nonnulli hoc putaverint, sed unus DE VICE ABIA, id est, de classe & familia Sacerdotum illorum, quorum caput erat Abias. Nam cùm filii Aaron sacerdotes in magnum olim excrevissent numerum, ita ut simul in templo servire non possent, ne inter fungendum sacerdotio esset confusio, divisit eos David in viginti quatuor classes, ordines seu familias, quæ per vices suas ministrarent in templo, facta sortitione, quænam esset classis prima, secunda, tertia, &c. Sors autem octava cecidit in Abiam. Hujus divisionis mentio fit 1. Paralip. 24. & apud Josephum libr. 7. Antiquit. cap. 11. ubi dicit unamquamque classem, seu familiam ministrasse Deo per dies octo, à sabbato usque ad sabbatum, quod satis insinuatur etiam 2. Paralip. c. 23. vers. 8. Zacharias igitur erat de familia, seu classe eorum sacerdotum, quorum vices ministrandi erant octavo loco: nam divisionem illam durasse ad sua usque tempora, idem Josephus testis est. ET UXOR ILLIUS DE FILIABUS AARON: pari scilicet cum marito nobilitate, quia uterque erat de stirpe sacerdotali. Nam alioquin licebat Zachariæ de quavis tribu uxorem ducere, etsi de tribu Levi non cogebatur ducere filiam sacerdotis. Unde Ambros. Non solùm à parentibus, sed etiam à majoribus sancti Joannis nobilitas propagatur, non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis.

6 Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.

6. ERANT AUTEM IUSTI AMBO ANTE DEUM. Quo significatur, quidquid in eis fuerit justitiæ, non fuisse ad homines simulatum, inquit August. lib. 2. ad Marcellinum cap. 13. sed justos fuisse verâ justitiâ, quæ est ex fide, coram oculis Dei intimos cordis recessus penetrantibus. Itaque evertitur hîc figmentum Calvini, tribuentis ejs tantùm justitiam

imputativam: quod enim in oculis Dei tale est, hoc revera & solidè tale est, quia decipi nequit. Justitia verò intelligitur generalis, prout omnem virtutem complectitur, in habitu animi sita, quem à creaturæ dilectione avellit & affigit Deo. Unde effectum, imò & causam talis justitiæ explicans adjicit: INCEDENTES IN OMNIBUS MANDATIS. Non enim sufficit quædam observare, quibusdam neglectis, sed omnium observatio ad justitiam necessaria est. ET IUSTIFICATIONIBUS DOMINI, quas quidem ita differre à mandatis volunt, quòd justificationes ad religionem, mandata ad mores pertineant: sed revera videntur eædem esse, quæ mandata, ut ex Psalm. 118. patet, ubi sæpiùs videntur confundi: nam vox Hebræa חקים *Chuckim*, quam LXX. ibi vertunt *Justificationes*, significat *Statuta*. Vocantur autem *Justificationes*, quòd earum observatione homo se justum ostendat, justum conservet, & magis magisque justificetur, juxtà illud Jacobi 2. vers. 24. *Vides quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.* Unde Paulus ad Rom. 2. *Factores legis justificabuntur.* SINE QUERELA: ita ut nemo de illis justè conqueri posset, etsi non viverent sine peccatis. Non enim qualecumque etiam tentationis humanæ, sed grave peccatum est, quod in querelam venit, inquit Augustin. Epistola 95. Unde Tract. 41. in Joan. *Sine querela* intelligit sine crimine. Nulla quippe querela justa est de iis, qui non habent crimen, hoc est peccatum grave, inquit, accusatione & damnatione dignissimum. Quis enim justè queratur de homine, qui nemini malè vult, & quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, etsi pro quotidianis delictis veraciter dicat, *Dimitte nobis debita nostra?* ut explicat in lib. De perfectione justitiæ.

7. ET NON ERAT ILLIS FILIUS, EO QUÒD ESSET ELISABETH STERILIS; naturâ scilicet etiam tum, cùm esset in flore ætatis: ET AMBO PROCESSISSENT IN DIEBUS SUIS, id est, senes essent. Duplex ergò tangitur causa orbitatis, naturalis infœcunditas uxoris, & utriusque senectus. Nam si in summam ducti amborum conjugum anni centenarium numerum excesserint, dicuntur non posse filios procreare, etiamsi mulier non sit sterilis, ut notat Augustin. lib. 3. contra Julianum cap. 11.

7. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

8. FACTUM EST AUTEM CUM SACERDOTIO FUNGERETUR, muniis scilicet sacerdotalibus, IN ORDINE VICIS SUÆ, id est, in illa septimanâ, quâ recurrentibus in orbem vicibus, juxta constitutionem Davidis, classis Abiæ vocabatur ad ministrandum. ANTE DEUM, id est, in templo Dei, ubi Deus habitare censebatur in Sancto Sanctorum.

8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum.

9. SECUNDUM ORDINEM SACERDOTII, id est, prout moris erat inter sacerdotes, SORTE EXIIT, UT INCENSUM PONERET, id est, sorte obtigit ei hoc munus. Itaque consuetudo illa non refertur ad illas vices, de quibus v. 8. seu ad sortitionem illam, quam olim David fecerat, vices distribuendo, ut putavit Beda: sed ad illam, quâ sacerdotes unius vicis sorte designabantur, quis quod ministerium obiret, itemque ad oblationem incensi, seu thymiamatis, quod unus sacerdotum quotidie mane & vesperi in altari thymiamatis ex lege offerre cogebatur. Ergò sorte obtigit, ut hoc faceret Zacharias, INGRESSUS IN TEMPLUM DOMINI, id est, illam templi partem, in qua erat altare thymiamatis. Hoc

9. Secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini.

autem ſtabat in parte anteriori, quæ vocabatur Sanctum, ſeu Sanctuarium, quod velo dirimebatur à Sancto Sanctorum, ubi tempore Salomonis arca collocata erat. Itaque nullo modo hinc colligitur Zachariam fuiſſe ſummum ſacerdotem, ut multi veteres putaverunt; tum quia dignitatem illam non tacuiſſet Evangeliſta, tum quia incenſum in altari thymiamatis offerre quibuſlibet ſacerdotibus licebat, ut patet Exod. 30. verſ. 19. & 20. Neo-ſummus ſacerdos juxtà ordinem vicis per ſeptimanas miniſtrabat: nec habitare ſolebant in montanis Judææ, ſed Jeroſolymis: denique quia nulla apud Joſephum Zachariæ iſtius tamquam ſummi ſacerdotis fit mentio.

10. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi.

10. ET OMNIS MULTITUDO POPULI ERAT ORANS, preces ſuas ſacerdotis ſacrificio jungendo, FORIS, in atrio ſcilicet Iſraëlis, quod erat proximum atrio ſacerdotum, & utrumque extra ſepta templi, HORA INCENSI; hoc enim mane & veſperi ſtata hora offerebatur, ſicut & juge ſacrificium, quò populus magno numero confluebat.

11. Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans à dextris altaris incenſi.

11. APPARUIT AUTEM ILLI. Quo verbo Ambroſ. ſignificari vult, repentinum fuiſſe conſpectum: quod maximè verum eſt in illis rebus, quarum naturæ eſt non videri, voluntatis autem videri; cujuſmodi eſt natura Dei & Angelorum. ANGELUS DOMINI STANS A DEXTRIS, tamquam miniſter læta nuntiaturus, utpote qui divinæ inſigne miſericordiæ deferebat, inquit idem, ALTARIS, incenſi. Ex quo etiam colligitur Zachariam hoc loco non fuiſſe functum officio ſummi ſacerdotis in Sancto Sanctorum. Benè autem Angelus & in templo, & juxta altare, & à dextris apparet, quia & veri ſacerdotis adventum, & myſterium ſacrificii univerſalis, cœleſtia doni gaudium annuntiabat.

12. Et Zacharias turbatus eſt videns; & timor irruit ſuper eum.

12. ET ZACHARIAS TURBATUS EST VIDENS: quia, ut Ambroſ. alienamur ab affectu noſtro, quando perſtringimur alicujus ſuperioris poteſtatis occurſu, ſicut hoc notat de ſe Daniel, cap. 10. tit. 8. ET TIMOR IRRUIT SUPER EUM. Quo ſignificatur fuiſſe vehementem, fortaſſis ex illa Judæorum opinione natum, quâ vulgò putabant, ſe etiam Angelo conſpecto morituros, ut patet Judic. 6. verſ. 22. 23. & 24. & Judic. 13. verſ. 22. quamquam Athanaſ. in Vita S. Antonii notet, quòd metus non tantùm ex mali apprehenſione, quantùm ex magnarum rerum ſæpè incutiatur aſpectu.

13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

13. AIT AUTEM ANGELUS, NE TIMEAS ZACHARIA. Notarunt enim veteres, Athanaſ. Hieron. in cap. 28. Matth. & Beda, Angelicæ benignitatis eſſe turbatos aſpectu ſuo blandiendo ſolari: contrà verò dæmoniacæ eſſe ferocitatis, eos, quos ſui præſentiâ territos eſſe ſenſerint, ampliore horrore concutere. QUONIAM EXAUDITA EST DEPRECATIO TUA: quam pro filio obtinendo fudiſti, inquit Maldonatus. Sed quid petierit, teſtatur illa celebris gratiarum actio, de qua infrà, & deſperatio ejus de filio accipiendo, quæ patet verſ. 18. Itaque verisimilius eſt, deprecationem ejus fuiſſe, ſicuti decebat ſacerdotem, pro populi ſalute fuſam, ut notat Auguſt. lib. 2. Quæſt. Evangelicarum quæſt. 1. & omnes penè veteres conſentiunt. Nimirum oraverat, ut ad ſalutem populi Meſſiam exſpectatum Deus mittere dignaretur: quam fuiſſe quotidianam veteris Eccleſiæ orationem, maximèque ſacerdotum ex inſtituto ſacris operantium, notat Euthymius. Unde non ſubjungit,

quia uxor tua, &c. ut ratio esse posset orationis pro filio obtinendo fusæ, sed ET UXOR TUA: q. d. Itaque UXOR tua quamvis sterilis pariet filium. Pandit enim ordinem & modum, quo Messiæ adventus futurus esset, ET VOCABIS NOMEN EIUS JOANNEM. Quod nomen à *Gratiâ* deductum est, quasi dicat *Gratiosum*, quia per gratiam parentibus datus, gratiâ plenus, & gratiæ per Messiam dandæ præco futurus erat. Notat autem Ambros. hoc habere merita Sanctorum, ut à Deo nomen accipiant: nam in sacris litteris mutatio veteris nominis, vel novi anticipata impositio, semper aliquod mysterium continet, ut patet in nomine *Abraham*, *Isaac*, *Israël*, JESU, & aliis.

14. ET ERIT, scilicet ille filius, GAUDIUM TIBI, id est materia gaudii non vulgaris, sed tanti, ut è corde erumpat, quod vocatur Exultatio, quia scilicet sterilitatis & senectutis filius, quia virtute magnus, quia Propheta altissimi, quia Præcursor Messiæ. ET MULTI IN NATIVITATE EIUS GAUDEBUNT: Non domesticum tantùm tibi ac tuis, sed toti populo erit gaudium, quia ex signis mirabilibus persuasi erunt, cùm ad populi salutem esse datum, sicut hoc patet vers. 58. & 66.

14. Et erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt:

15. ERIT ENIM MAGNUS VIRTUTE ET OFFICIO CORAM DOMINO: id est, in ministerio, ac negotiis Domini: quamquam alii significatum velint magnum futurum, non simulatione, non hominum opinione, sed judicio Domini. Redditur ergò ratio non nominis *Joannis*, ut quidam putant, sed gaudii. VINUM ET SICERAM, pro quo Hieronym. Numer. 6. secutus vim radicis Hebraïcæ, vertit, *omne*, *quod inebriare potest*. Tertull. libr. de Jejuniis, cap. 9. uno verbo vocat *ebriamen*: comprehendit enim & vinum, & cerevisiam, potum ex dactylis, ex pomis, ex melle, & quemcumque inebriantem. NON BIBET; nempe toto tempore vitæ, tamquam perpetuus Nazaræus, & perpetuo fungens sacerdotio. Nam & Nazaræi omnibus diebus consecrationis suæ, & sacerdotes, quamdiu agerent in tabernaculo, vino & sicerâ abstinebant, ut patet Numer. 6. vers. 3. & Levit. 13. vers. 9. ET SPIRITU SANCTO REPLEBITUR, eum sanctificante, & magna donorum copia implente, ita ut in alios etiam foràs redundet, quod illa repletione insinuatur. ADHUC EX UTERO MATRIS SUÆ; quod hæretici aliqui exponunt, ab infantia, seu statim ab utero: sed per illud, *adhuc*, significatur, eum replendum ex eo ipso tempore, quo adhuc utero gestabatur. Unde Syrus & Arabs verterunt *adhuc in utero*, & sic illam phrasim Græcam accipiendam patet, Act. 3. vers. 2. Tacitè autem simul insinuat, ab infantia per totam vitam Spiritu sancto plenum futurum. Atque ita Joannem accepisse Spiritum sanctum & gratiam ejus in ipso utero passim veteres sentiunt, Orig. Hom. 4. & 7. in Lucam, qui apertè eum sanctificatum dicit, Cyprian. Epist. 13. Itaque his duobus membris explicat magnitudinem Joannis ex sobrietate & Spiritus sancti donis, nunc ex officio.

15. Erit enim magnus coram Domino: & vinum & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ:

16. ET MULTOS FILIORUM ISRAEL CONVERTET, efficacissimâ pœnitentiæ prædicatione; AD DOMINUM DEUM IPSORUM: Christum videlicet, partim ut ei credant, partim ut mandatis ejus obediant. Itaque non significatur, Judæos ab idololatria convertendos ad Deum, cùm tempore Christi non aberrarent à religione veri Dei, sed multos eorum credi-

16. Et multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum:

turos, JESUM, quem digito ostendit & prædicavit, esse Dominum Deum ipsorum, ejusque mandatis parituros. Hoc probat id quod sequitur.

17. Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.

17. ET IPSE PRÆCEDET ANTE ILLUM: scilicet eundem Deum ipsorum Christum Dominum, id est, proximè tamquam præco ante Regem, jamjam adfuturum, præcurret IN SPIRITU, id est, zelo & fervore, seu cum vehementiâ atque impetu de intimis prorumpente: nam in Græco deest hîc articulus, quo Spiritus sanctus designari solet. ET VIRTUTE, Græcè δυνάμει, *potentia*, id est, efficacia. Unde Eccles. 4. vers. 13. de Elia dicitur, quòd potentiâ nemo vicit illum. Significatur ergò virtus insuperabilis dicendi & redarguendi impios, quantumvis potentes, Pharisæos, Herodem, Herodiadem. ELIÆ, id est, qualis fuit Eliæ adversus Achab, Jesabel, Pseudo-prophetas, Baal, &c. & præcipuè qualis erit Eliæ in secundo adventu. Nam hanc similitudinem officii significari hîc plerique veteres notant, Euthymius, Theoph. & Ambros. hîc. Unde August. Tract. 4. in Joan. Quid est *in spiritu & virtute Eliæ?* In eodem spiritu vice Eliæ? Quare vice Eliæ? quia quod Elias secundo, hoc Joannes primo adventui fuit. Hanc similitudinem officii, & simul effectum, ac finem istius spiritus & virtutis Eliæ, ut declararet, adjicit, UT CONVERTAT CORDA PATRUM IN FILIOS. Nam ista sunt verba Malachiæ cap. 4. vers. 6. de Elia propheticè dicta, quæ hîc Joanni accommodantur. Significant autem Joannem effecturum, ut *corda Patrum*, id est animus, seu amor Patriarcharum & Prophetarum, convertantur *in filios*, id est, posteros eorum, seu sui temporis Israëlitas. Cùm enim Patriarchæ & Prophetæ non ex lege, sed ex fide Christi venturi, non pecudum, sed sanguine Christi se justificandos credidissent, sanctisque moribus vixissent: filii eorum ab eorum fide & moribus degeneres, ita ex lege justificari voluerunt, ut putarent se suis viribus eam facere, & pecudum sanguinem esse remissionem peccatorum: contrà quos Paulus in Epist. ad Romanos & ad Ephesios disputat.

Propter istam & fidei & morum discrepantiam, Patriarchæ à filiis alieni erant Isaïa testante, *Abraham nescivit nos*, id est, pro filiis non agnovit nos. Joannes verò contra istos posterorum errores prædicando, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, & ad sanctos mores eos provocando, convertit Patriarchas & Prophetas, à Judæis alienos, ad amandos filios suos, ET INCREDULOS, filios scilicet, Græcè ἀπειθεῖς impersuasibiles, AD PRUDENTIAM IUSTORUM, Patrum, ut scilicet similiter Patribus suis antiquis credant de Messia, & sapiant. Hæc est enim periphrasis alterius partis Prophetiæ, quâ Malachias de Elia dixerat: *Et cor filiorum ad Patres.* Sensus est igitur, quòd Joannes instar Eliæ corda Patrum & filiorum inter se mutuò conciliaturus sit prædicatione suâ, ut ejusdem sint fidei, sententiæ, sapientiæ, vitæ & morum. Quem ferè sensum aliis verbis dat Augustinus cap. 29. lib. 20. de Civit. PARARE DOMINO PLEBEM PERFECTAM, id est, ut ita præparet ac disponat rudem populum Judaïcum, carnali fidei, spei, ac desideriis assuetum, ad Christum Domini & justitiam fidei ejus, & ad perfectionem salutis, quam Evangelium ejus continet, recipiendam: nihil enim, ut Apostolus, ad perfectum adduxit lex. Unde & Zacharias hoc officium Joannis velut maximum prædicat, infra v. 76.

18. Et

18. Et dixit, &c. Unde hoc sciam? id est, quo signo? nec enim nudis verbis tuis ausim fidere, cùm naturæ cursus repugnet. Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis, id est, provectioris ætatis est, quàm ut naturæ ordine concipere possit. Hæsitat igitur diffidentiâ, non de potentiâ Dei, seu de objecto fidei, ut Calvinus voluit, sed de teste fidei, & veritate verborum ejus, ut indicatur versu 20. cùm ei satis apertè & inter sacra apparenti, & signa divinæ legationis præferenti, facilius credere debuisset: ideóque peccavit. Abraham verò Genes. 17. versu 17. similibus verbis utens non peccavit, quia, ut August. q. 29. super Numeros, Deus non de verbis, sed de cordibus judicat: eadem enim dici possunt inquirendo modum, vel etiam dubitando, déque veritate diffidendo; ut idem Homil. 44. Itaque Angelus planiùs exponens conditiones personæ suæ & causas credendi sibi, respondit:

18. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis:

19. Ego sum Gabriel, populo Judaïco & tibi satis notus, ex diversis legationibus, quibus ad Danielem functus sum: Qui adsto ante Deum, id est, qui in cœlo adstare soleo, velut minister familiarissimus in conspectu Dei, ad excipienda prima ejus imperia. Est enim metaphora à servis, qui parati sunt in suo quisque ordine ad nutum dominorum. Et missus sum, tamquam legatus à Deo. Mitti enim Angelorum proprium est, ita ut etiam inde nomen acceperint, & ab Apostolo vocentur omnes *administratorii spiritus*. Hæc tibi Evangelizare, id est, hoc tibi lætum nuntium perferre, tamquam Evangelii de Messia quoddam præludium. Ut autem auctoritatem suam probaret, simul punit incredulitatem ejus, & dat signum, quo credat, ut eadem res ei esset supplicium & beneficium.

19. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui adsto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui. Græci Interpretes primam partem, *tacens*, ferè exponunt, surdus eris, idque quia ex versu 62. satis patet, etiam surdum fuisse; & qui naturâ mutus, ille quoque simul surdus est: & quia alioqui videretur esse tautologia, *eris tacens*, & *non poteris loqui*. Unde & D. Ambros. dicit: Incredulitas Zachariæ affatum eripuerat & auditum. Quia enim non obedierat, condemnatur, ut surdus sit; & quia contradixerat, ut non possit loqui, ut ait Theophyl. Posset tamen juxtà Latinum textum aliqua esse differentia, ut explicetur, quomodo esset futurus tacens, scilicet non solâ voluntate propter Angeli imperium, sed etiam invitus ex loquendi impotentiâ; idque non perpetuò, sed usque in diem, quo fiant, donec scilicet noveris per eventus ipsarum rerum te jure punitum, pro eo, quod non credidisti verbis meis. Datur enim hîc ratio supplicii, quod infligitur, non illa, quòd de divinæ potentia dubitasset, sed quòd nuntii verbis non credidisset. Quæ implebuntur in tempore suo: singula scilicet diverso, prout rerum diversitas exigit.

20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

21. Et erat plebs exspectans, eò quòd non soleret discedere, nisi peracto thymiamatis sacrificio, & accepta à sacerdote benedictione. Nam & Aaron Levit. 9. versu 22. sacrificiis completis benedixit populo. Et mirabantur, quod tardaret in templo, plus videlicet solito: quòd contingere potuit ex illo solo colloquio descripto,

21. Et erat plebs exspectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo.

& ex turbatione Zachariæ, verba ruminantis, ſuóque ſupplicio attoniti. Ut nihil neceſſe ſit cum quibuſdam ſuſpicari, Angelum plurib. eſſe collocutum, quàm hîc deſcribitur. Qui enim divinitùs apparent, ut animæ, Angeli, & ipſe Deus, verbis ſunt præciſiſſimi.

22. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos, & cognoverunt quod viſionem vidiſſet in templo. Et ipſe erat innuens illis & permanſit mutus.

22. EGRESSUS AUTEM NON POTERAT LOQUI: Ita ſentiens reipſa eſſe veram Angeli teſtificationem, quantùm ad pœnam, ut crederet etiam eſſe veram, quantum ad prædictionem beneficii. ET COGNOVERUNT, QUÒD VISIONEM VIDISSET: quia credibile eſt eum adhuc fuiſſe ex viſione animo attonitum, corpore pallidum, ex culpa mœſtum, ex pœna trepidum. ET IPSE ERAT INNUENS ILLIS, id eſt, quia loco verborum geſtibus utebatur: ſic enim, &, nonnunquam Hebraicè ſumitur. ET PERMANSIT MUTUS; ſimul & ſurdus, ut annotat Euthymius: Græca enim vox κωφὸς, & חרש Syriaca mutum ſimul & ſurdum ſignificat. Porrò peculiare eſt illis, qui cœleſtes vident viſiones, ut non ſolùm toto corporis habitu mutentur, ſed & vocem nonnunquam, ipſo ſaltem tempore viſionis, amittant. Unde Moyſes dicit, ſe impeditioris linguæ factum, ex quo ei locutus erat Deus: & Daniel c. 10. v. 17. halitum ſuum intercluſum fuiſſe.

23. Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam:

23. ET FACTUM EST, UT IMPLETI SUNT DIES OFFICII EIUS: Qui ex more erant ſeptem dies, ut ſuprà ex Joſepho & Scriptura diximus; quorum initium & finis erat ſabbatum. Toto autem illo tempore habitabant in exedris templi, ſeparati ab uxoribus, teſte Hieronym. libro 1. contra Jovinian. ut negotiis familiaribus liberi toti vacarent Deo. ABIIT IN DOMUM SUAM. Ex quo colligas, eum nec propter illum adverſum caſum officium ſuum deſeruiſſe.

24. poſt hos autem dies concepit Elizabeth uxor ejus, & occultabat ſe menſibus quinque, dicens:

24. POST HOS AUTEM DIES CONCEPIT ELIZABETH. Quod circa initium Octobris aut finem Septembris contigiſſe, ex verbis Angeli v. 26. ac tempore conceptionis Chriſti ſatis colligitur. ET OCCULTABAT SE, id eſt, celabat ſe eſſe gravidam, publicum declinando, conceptúmque non propalando. Cauſam reddit Origen. Homil. 6. in Lucam, & latiùs hîc Ambroſ. verecundiam. Eſt enim, inquit, unicuique officio præſcripta ætas, & quod tempore decet, tempore dedecet. Senectus regendis liberis aptior eſt, quàm creandis, &c. Unde & Sara dicebat Geneſ. 18. *Poſtquam conſenui, voluptati operam dabo?* quaſi diceret, hoc verecundum eſſe ætati ſuæ. Colligit autem hinc Ambroſ. Zachariam & Elizabeth concubitu abſtinuiſſe. Neque enim, inquit, ea, quæ ſimilem non erubeſceret coitum, erubeſceret partum. MENSIBUS QUINQUE, Menſe ſexto per viſitationem B. Mariæ ceſſavit occultatio; & ceſſare debuit, ne partus videretur ſuppoſititius: DICENS interim apud ſeipſam;

25. Quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.

25. QUIA SIC FECIT MIHI DOMINUS: ſcilicet ut præ verecundia occultarem me, IN DIEBUS, QUIBUS RESPEXIT AUFERRE OPPROBRIUM MEUM: Ita ſcilicet auferens mihi opprobrium ſterilitatis, ut alteri opprobrio intempeſtivi concubitus me exponeret. Simul tamen his verbis tangit beneficium ablatæ ſterilitatis, quæ apud Judæos maximè erat opprobrio, quòd pœna videretur eſſe inflicta à Deo, ut indicant verba Phenennæ, 1. Reg. 1. verſu 6. ad Annam; tum quòd pudor ſit in fœminis, inquit Ambroſ. nuptiarum præmia non habere,

quibus hæc sola est causa nubendi: videntur enim uti conjugio non ad fructum, sed ad voluptatem. Unde qui certò deprehenderant, se esse steriles, infructuosum thorum de mutuo consensu præ pietate separabant, sicut Abraham & Saram fecisse notat Augustin. in Epistol. ad Galatas: Zachariam verò & Elizabeth Ambros. in hunc locum. Sed quia fieri poterat, ut neutra ex causa opprobrium haberet locum apud Deum, sicut in sanctissimis mulieribus patuit, Sara, Rebecca, Rachel, matre Samuelis, & matre Samsonis; hinc addit, INTER HOMINES.

26. IN MENSE AUTEM SEXTO, à concepta scilicet prole per Elisabeth, quamvis juxta computum sacrum mensium & anni fuerit mensis primus, videlicet Nisan, & vigesimus quintus Martii nostri. Ex quo intelligemus sex mensibus Joannem Christo fuisse seniorem. MISSUS EST ANGELUS GABRIEL: nomine suo significans fortitudinem Dei. Quem Hieronym. in cap. 8. Danielis præliis præpositum esse docet, ut ita ratione officii aptus esset, qui Christum, Dei virtutem, ad præliandum cum diabolo nascituram nuntiaret. A DEO, immediatè scilicet, non per Angelum superiorem interpositum, sicut solent inferiores à superioribus mandata accipere, ut notat Bernardus Homil. 1. super Missus. Nam Gabriel unus est ex iis, qui adstant immediatè ante Deum. IN CIVITATEM GALILÆÆ, inferioris. Est enim duplex Galilæa: superior, quæ in Septemtrionem recedit; & inferior, quæ magis versus Austrum, habens ab ortu mare Tyberiadis, ab occasu mediterraneum. CUI NOMEN NAZARETH: quæ vox scribenda esset non per, s, neq; per, z, ut ferè fit Græcè & Latinè, sed per Tzade, sicut notat Hieron. in Nominib. Hebraicis, & ex titulo Crucis Romæ asservato constat.

26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,

27. AD VIRGINEM. Quod epitheton deinceps matri Dei tam stabiliter adhæsit, ut Epiphan. Hæres. 78. num. 8. dicat, neminem extitisse, qui nomen S. Mariæ proferre ausus sit, & non statim Virginis vocem adjiceret. DESPONSATAM VIRO, id est, recenter nuptam, licet incognitam. Nam quamvis vox tam Latina quàm Græca significet promissam, usurpari tamen solet pro nupta, ut patet ex cap. 2. vers. 5. ubi eodem modo *desponsata* vocatur, cùm jam esset prægnans, & in mariti potestate. *Desponsatam* ergo maluit quàm *nuptam* vocare, ut incognitam significaret: quo loquendi usu sponsus & sponsa vocantur, quamdiu nullus interceſſit concubitus. Causas desponsationis dedimus Matth. 1. CUI NOMEN ERAT JOSEPH: ut ipso nomine castitatem alterius Joseph referret, fidémque pudicitiæ, quàm servaret Mariæ, tamquam dominæ suæ, ut Bernardus latiùs. Itaque officio fuit custos virginitatis, curâ pater familiæ, arte faber; cui desponsata Maria, ut omnem typum carnalis nobilitatis extingueret, inquit Augustin. libr. De catechizandis rudib. cap. 22. DE DOMO DAVID. Addit hoc præcipuè, ut ejusdem stirpis intelligamus fuisse B. Virginem familiæ heredem; quia juxta legem Numer. 36. cogebatur viro non solùm ejusdem tribus, sed & ejusdem familiæ nubere, sicut diximus Matth. 1. idque ut hereditas maneret non solùm in tribu, sed & in familia. ET NOMEN VIRGINIS MARIA. Græcè est ipsissimum nomen Syriacum *Mariám* dissyllabum indeclinabile, quod Hebraicè dicitur *Miriám*, vertique

27. ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen virginis Maria.

poteſt *Amaritudo maris*, vel *Domina maris*. Quomodo autem & illuminatricem maris ſeu ſtellam maris juxtà multos ſignificet, vide quæ diximus Exodi 15.

28. Et ingreſſus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

28. ET INGRESSUS AD EAM ANGELUS. Non ergò foris vagabatur, ſed in conclavi fuit, ut notat Bernardus Homil. 3. in Miſſus; & Ambr. hîc, Sola, inquit, in penetralibus, quam nemo virorum videret, ſolus Angelus reperiret: ſola ſine comite, ſola ſine teſte, ne quo degenere depravaretur affatu. DIXIT AVE: Græcè χαῖρε, quod à χαίρειν, *Gaudere*, deducitur. Unde Baſil. Homil. 21. dicit Mariam ab Angelo gaudere juſſam; ſicut & Raphael Tobiæ dixit ſalutando, *Gaudium tibi ſit ſemper*: & Eccleſia precatur Virgini, *Gaude & lætare*, &c. & *Regina cœli lætare*. &c. Noſter Interpres vertit *Ave*: quæ vox eſt ſalutem apprecantis & gratulantis. Et ita exponendum videtur, ut reſpondeat communiſſimæ ſalutationi Hebraicæ שלום לך *Schalóm lach*, id eſt, *Pax tibi*, ſicut & Syriacè legitur. Ubi *Pax* non aliud ſignificat quàm Latinis *Salus* & *omne bonum*, ſive Angelus hoc dixerit apprecando, ſive potiùs cum quadam veneratione gratulando: quo ſenſu ab Eccleſia vox illa frequentatur in Angelica ſalutatione; & quando dicimus Cruci: *O crux*, *Ave ſpes unica*; & chriſmati: *Ave ſanctum Chriſma*.

GRATIA PLENA. Græcè eſt participium κεχαριτωμένη, quod hæretici, Vulgatam verſionem vitantes, diverſiſſimis modis reddiderunt *grata*, *gratiam conſecuta*, *dilecta*, *accepta*, *juſtificata*, plerique *gratioſa*: ita ſuâ diſſenſione confirmantes Catholicorum etiam veterum conſenſionem, qui reddiderunt *gratiâ plenam*, Ambroſ. Auguſt. in Enchiridio cap. 26. & alii. Gratiâ autem plena dicitur, eo quòd Spiritu ſancto, ejúſque donis omnibus, quibus grati efficimur Deo, abundaret, propter quæ Deo eſſet acceptiſſima, ita ut Domini ſui, imò Domini omnium mater futura eſſet, inquit Auguſt. loco cit. Quod plenitudinis genus omnem omninò gratiam comprehendit, quam decebat habere eam, quæ jamjam fieret mater Dei, ſive illa eſſet immunitas à peccato, tam originali quàm actuali, ſive ab omni, quod quovis modo ad peccatum incitat, Deóque diſplicet, ut concupiſcentia & ignorantia, &c. ſive eſſet omnis gratia & virtus, quam ullus Sanctorum numquam acceperit, ſive aliud quidpiam nobis ignotum. Unde quamvis aliis nonnullis plenitudo gratiæ & Spiritus-ſancti tribuatur, ut Joanni ſuprà verſu 13. Stephano & ſeptem Diaconis, Act. 6. & aliis: non tamen propterea Virgini comparandi ſunt. Unicuique enim plenitudo tribuitur, officio, cui dedicatur, congrua. Cùm ergò matrem Dei eſſe ſit ſupremum, ad quod præter unionem hypoſtaticam humana natura poſſit aſſumi, plenitudo hîc intelligi debet tanta, quanta congruit tantæ dignitati. Nam & fons, & fluvius, & rivulus pleni ſunt, etſi diverſa ſit in ſingulis aquarum abundantia: Chriſtus fons omnis gratiæ; Maria fluvius fonti proximus; reliqui rivuli. Unde non caret emphaſi, quòd Angelus, nomine ejus proprio ſuppreſſo, vocet eam nomine appellativo, κεχαριτωμένην, *Gratiâ plenam*, tamquam proprio. Quod fieri non ſolet, niſi cùm nomen aliquod ita ſingulariter alicui, ut penè ſoli, competit, & omnes ſuperat; ut cùm *Sa-*

piens ponitur ſimpliciter pro Salomone, *Juſtus* pro Chriſto, *Apoſtolus* pro Paulo.

DOMINUS TECUM; per incarnationem, inquit Bernardus, Serm. 3. in Miſſus: ſed hoc videtur repugnare verſu 31. & 35. Unde alii exponunt, *Dominus tecum*, per incarnationem mox futuram. Sed Angelus non videtur ſignificare, qualis futura eſſet, ſed qualis jam eſſet. Unde nec ſubaudiendum videtur verbum *ſit*, ſed potiùs *eſt*: ut non ſit optantis, quemadmodum Ruth 2. verſ. 4. ſed gratulantis, conformiter ad prima verba. Dicitur autem Dominus eſſe cum illis, quibus favet, quos cuſtodit, quos regit, quibus proſperos ſucceſſus tribuit, quos ad magna evehit, ſicut dicebatur eſſe cum Joſeph, & cum David, & cum Moyſe, Joſue 1. v. 5. & cum Paulo, Act. 18. v. 10. Itaque tangitur hîc cauſa, cur ſit gratiâ plena, videlicet favor Dei; cujus effectus ampliùs explicatur, verbis ſequentibus. BENEDICTA TU; ſupple, *es*: phraſi Hebræis uſitatiſſimâ, id eſt, benedictionibus ſeu beneficiis ampliſſimis à Domino, qui tecum eſt, cumulata. IN MULIERIBUS, id eſt, inter mulieres, ſicut eadem omninò verba Græca vertuntur verſu 42. quod non ſignificat aliud, quàm præ mulieribus, ſeu ſuper omnes mulieres. Quas potiùs nominat quàm viros, tum quòd comparatio inter ea fieri ſoleat, quæ ſunt ejuſdem generis, tum quòd benedictiones aliquæ, ut electio ad dignitatem matris Dei, conceptus ſine libidine, ſalvâ virginitate, &c. ſexui muliebri eſſet peculiaris: tum denique quòd Chriſtus Dominus vir ſolus eſſet, ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, ut notat Bernard. Serm. cit.

29. QUÆ CUM AUDISSET: Græcè & Syriacè eſt *cùm vidiſſet*. Unde Ambr. tum hoc loco, tum lib. 1. Offic. c. 18. & Hieron. Epiſt. ad Lætam, collegiſſe videntur, eam turbatam fuiſſe ad peregrinam ſpeciem ſexus virilis, in qua Angelus apparebat. Quod ſicut negari non debet fuiſſe verum; ita quia viſus generalis quodammodò ſenſus eſt, ut Auguſt. loquitur, & pro omnibus ſenſibus poni ſolet, videtur hîc poni generaliter tam pro viſu quàm auditu, maximè quia ſequitur: TURBATA EST IN SERMONE EIUS, qui nonniſi auditu percipitur. Itaque & aſpectu Angeli, tamquam viri, & verbis ejus perturbata eſt, partim anxietate, partim verecundiâ. IN SERMONE EIUS, id eſt, propter tam inſolitam ſalutationem tot laudibus plenam, quas humilitas, & verecundia reſpueret. ET COGITABAT, id eſt, præſenti & attento animo conſiderabat: quo inſinuatur, non ita turbatam, ut mens obnubilata fuerit. QUALIS ESSET ISTA SALUTATIO, id eſt, quid ſibi vellet, quorſùm tenderet ſalutatio, quâ, ut Bernard. Serm. de Nativitat. ſe reputabat indignam: item qualis, ſincera an doloſa; divina, an illuſoria. Unde etiam tacitè hæc volvens animo, præ modeſtia nullum reſponſum retulit, quamvis eſſet humilis, ut ibidem Ambroſius.

29. Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.

30. ET AIT ANGELUS EI, ut dando cauſam ſalutationis, itemque ſuæ legationis, timorem abſtergeret: NE TIMEAS, ſive aſpectu, ſive verbis meis attonita aut anxia, MARIA; proprio nomine, quaſi familiariùs notam appellans. Unde Ambroſius obſervat, Virginem audito nomine ſuo, Angelum recognoviſſe, videlicet ſimili ferè modo, quo Magdalena, audito nomine ſuo, Dominum agnovit. IN VE-

30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum:

NISTI ENIM GRATIAM, id est, beneplacentiam & benevolentiam, APUD DEUM. Nam istis verbis videtur dare rationem, cur eam dixerit *gratiâ plenam, & benedictam in mulieribus*. Gratiâ quidem plenam, eo quòd placeret Deo: benedictam verò, quòd Deus ei esset benevolus: quorum utrumque significatur per illud, *invenisti gratiam*: ut proinde his verbis non solus gratuitus Dei favor, sed potiùs simul dignitas quædam personæ & meritum insinuetur. Nam & Genes. 6. cùm Noë similiter dictus esset inveniisse gratiam coram Domino, capite seq. exponitur hoc fuisse causa, & meritum evadendi diluvii: *Ingredere in arcam, te enim vidi justum, &c.*

31. ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM.

31. ECCE CONCIPIES. Explicat per signum, quòd gratiam invenerit: & quia res admirabilis erat, attentum animum postulans, ideo dicit, Ecce, & ut indicaret eam tunc nondum concepisse, addit in futuro, *concipies*. Quo refellitur quorumdam magnorum virorum sententia, qui putaverunt jam tum Virginem concepisse. Ut autem veritatem humani conceptus, tam secundùm humanæ naturæ materiam, quàm concipiendi locum exprimeret, addit, IN UTERO, ut notat Theophyl. Non enim illud, *in utero*, superfluum est, nihil addens significationi, ut putavit Maldonatus, sed omnia sensu prægnantissima sunt. Nam his verbis refellitur error iste, qui ponebat Christum conceptum circa cor B. Virginis, ex tribus guttis sanguinis cordis, qui Romæ præsente Caïetano damnatus est, ut ipse testatur in 3. p. D. Th. quæst. 3. art. 5. ET PARIES FILIUM: qui proinde ratione veræ conceptionis, & veri partus, verè filius tuus erit; & tu vera mater ejus. Alludit autem apertissimè ad prophetiam Isaiæ 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, &c.* ut indicaret eam esse, de qua locutus est Isaias, quod Virginem intellexisse non est dubium. ET VOCABIS NOMEN EIUS JESUM, utpote qui salvum facturus est populum suum à peccatis eorum. Porrò Isaias dixit *vocabunt Emanuel*, id est, nobiscum Deus. Ubi non tam nomen ejus proprium prophetatur, quàm quid revera filius iste futurus sit, & vocari possit, nempe Deus in natura humana nobiscum conversans: quo incarnationis mysterio idoneus fuit, qui merito sanguinis sui effusi esset Jesus, & salvaret populum suum.

32. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: & regnabit in domo Jacob in æternum,

32. HIC ERIT MAGNUS: absolutè scilicet omni magnitudinis modo. Quo significat maximum futurum hominem, qui maximus erat Deus, ut Bernardus Hom. 3. in Missus: loquitur enim de illo, ut homine futuro. ET FILIUS, id est, quia Filius, ALTISSIMI VOCABITUR, id est, non tantùm erit Filius Dei, sed etiam talis credetur & celebrabitur, jure scilicet, non solâ hominum opinione. Nam juxtà phrasim Hebraicam ita vocandum significatur, ut etiam sit Filius altissimi consubstantialis. ET DABIT ILLI DOMINUS DEUS EIUS: id est, non tyrannicè invadet, sed Deus illi tamquam homini daturus est SEDEM DAVID PATRIS EIUS, id est, thronum ac regnum David ex quo tamquam filius nasciturus est. Quibus verbis eum significat futurum Messiam, seu Christum, illum videlicet Davidis filium, qui ei promissus erat, successurus in regnum, & illud restauraturus, de quo Isaiæ 9. vers. 6. & Psalm. 131. vers. 11. Regnum autem intelligitur, quo non solùm Judæis, sed omnibus gentibus regnaturus; intùs quidem per fidem & cha-

ritatem, exteriùs verò per leges, pœnas, & præmia. Cujuſmodi regimen in Chriſti regno, id eſt in Eccleſia jam videmus. Hujus jus ei datum in conceptione, exercitium in prædicatione, perfectio cùm collocatus eſt ad dexteram Patris, complementum poſt judicium. Vocatur autem *Regnum David*, quia ſicuti promiſſum, ita etiam datum eſt David, ſed in filio, & inchoatum in ſubditis David, nempe Judæis, ac denique, ut Bernard. Hom. 4. in Miſſus, quia in carnali Davidis regno, veluti typo adumbratum, ſicut etiam in Davide Chriſtus: ita ut hac de cauſa etiam David appelletur, Jerem. 30. v. 9. & Eccleſ. 34. v. 23.

33. Et regnabit in domo Jacob, tota ſcilicet, non una vel altera tribu: per quam intelligit univerſam Eccleſiam, etiam omnium gentium, quâ à poſteris Jacob inchoata fuit, & Gentes merito fidei in familiam Jacob adſcitæ. Nam ex Judaïco populo velut oliva, & ex Gentibus velut oleaſtro in olivam illam inſerto, una arbor, unus populus, una familia, una Eccleſia, velut una domus Jacob facta eſt. In æternum, id eſt, non per ſolos annos quadraginta, non per ſucceſſores, non cum interruptione alicujus captivitatis, ſicuti David, ſed interruptæ, per ſe, in æternum. Ut autem Auguſt. notat lib. contrà Priſcillianiſtas cap. 7. id, quod dixerat *in æternum*, expoſuit, addendo: et regni eius non erit finis, ne quiſquam *æternum* acciperet pro longo temporis intervallo. Itaque ſignificatur, tam Regem quam Regnum, ſeu cives ejus æternos ſine fine futuros, nec ita, ut, aliis moriendo decedentibus, aliis ſuccedentibus oriendo, ſpecies perpetuitatis appareat, ſicut arbor perenni fronde veſtitur; ſed ita, ut totum regnum, & cives ejus ſint immortales, ut Auguſt. lib. 22. de Civit. cap. 1.

33. & regni ejus non erit finis.

34. Dixit autem Maria ad Angelum, quem videlicet jam Angelum ſentiebat: Quomodo fiet istud? Ergò credidit id futurum, cujus modum inquirebat, ut Auguſt. 16. de Civit. c. 24. & Ambr. hîc: Hæc, inquit, jam de negotio tractat; ille (Zacharias) adhuc de nuntio dubitat. Nam, ut & Beda obſervat, Zacharias rogabat, *Unde hoc ſciam?* Virgo, *Quomodo fiet iſtud?* quia ordinem obſequii ſui inquirebat, non ſignum, cui crederet. Ex quibus patet imperitia & impietas Calvini, qui ex his verbis colligit Virginem reſtrinxiſſe Dei potentiam, non minùs malignè quàm Zachariam. Quoniam virum, ſcilicet meum Joſeph, non cognosco. Hæc eſt ratio, cur quærat modum, non ſcilicet curioſitas, ſed quia ipſius magnopere intererat. Porrò illud, *Cognoſco*, non poteſt intelligi tantùm de facto: futilis enim eſſet interrogatio, quia poſſet in futurum cognoſcere, nec de nuda conſuetudine aut propoſito, ſicuti dicimus, Non bibo vinum, quia poſſet conſuetudinem & propoſitum pro re tanti momenti propriâ, & prudenti voluntate mutare: ſed de conſuetudine ſeu propoſito ita firmato, ut reſilire non poſſet: quaſi diceret, non poſſum, aut licet mihi virum cognoſcere. Quod cùm fieri non ſoleat, niſi ex voto, hinc eſt quòd Bernard. Hom. 4. in Miſſus, Beda, Niſſenus Oratione in Nativitatem Chriſti, & in primis Auguſt. libr. de Virginit. cap. 4. conſtanter inde colligant, eam fuiſſe voto virginitatis adſtrictam, antequam

34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?

Angelus ei loqueretur: imò antequam nuberet, ut Auguſt. Quia enim votum virginitatis, inquit, Iſraëlitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs contra violentos cuſtodituro, quod illa jam voverat.

35. Et reſpondens Angelus dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.

35. ET RESPONDENS ANGELUS, ut modum illius conceptûs ſalvâ virginitate, de qua ſollicita erat, explicaret, DIXIT: SPIRITUS SANCTUS SUPERVENIET IN TE, id eſt, loco viri cælitùs, ſeu deſuper veniet in te. Nominat autem Spiritum ſanctum magis, quàm Patrem aut Filium, duabus de cauſis: Primò, quia Spiritui ſancto appropriantur opera gratiæ, ut propterea eum Apoſtolus ad Hebr. vocet *Spiritum gratiæ*. Summum autem opus gratiæ fuit talis conceptus, & Virgini, ut ſic fieret mater Dei; & ipſi Filio hominis, quia nullis meritis propriis tanta dignitas ei obtigit, ut eſſet ſimul Filius Dei, prout declarat Aug. lib. de Corrept. & Gratiâ c. 11. & de dono perſeverantiæ cap. ultimo; & humano generi, quia eadem gratia fit quiſque Chriſtianus, qua ille homo factus eſt Chriſtus, ut ait idem lib. de Prædeſt. Sanctorum c. 15. Secundò, quia ille eſt Spiritus ſanctificationis, & ejus fons, cui opera ſanctitatis appropriantur, ut hoc ipſo intelligeret Virgo conceptum illum ſumma puritate eſſe peragendum. ET VIRTUS ALTISSIMI, ſcilicet Dei Patris. Hanc *Virtutem* plerique veteres intelligunt Filium Dei, qui ab Apoſtolo vocatur *Dei Virtus & Sapientia*, ut ita tota Trinitas hîc exprimatur. Poſſet tamen pro more Scripturæ uſitato eſſe repetitio & explicatio præcedentis, ut ſit idem quod Spiritus ſanctus efficaciſſimus, ut ſentit Euthymius. Summæ enim potentiæ opus fuit conceptus Virginis ſine viro; unde & cap. 24. de Spiritu ſancto dicitur, *Donec induamini virtute ex alto*. OBUMBRABIT TIBI. Locutio eſt metaphorica, cujus obſcuritas multas explicationes peperit. Recentiores aliqui putant honeſtiſſima metaphora ſignificari fœcundationem Spiritus ſancti, loco complexus virilis: q. d. Spiritus mundiſſimus divina virtute caſtiſſimè ſine viro te gravidam reddet. Qui ſenſus quamvis non videatur omninò incongruus, & à Theophyl. ac Tito Inſinuatus, qui exponunt, *Obumbrabit*, id eſt, undique te circumdabit & complectetur te: antiquiores tamen alias metaphoras in hoc verbo notarunt. Auguſt. per *obumbrationem* ſignificari ſentit virtutem Altiſſimi velut umbra quadam refrigeraturam carnem Virginis, ut ſine ullo libidinis æſtu conciperet. Unde Epiſt. 57. q. 2. dicit, quòd Virgo, cui dictum eſt, *obumbrabit tibi*, ſub tali umbraculo nullo ardore concupiſcentiæ carnalis æſtuabit: quod etiam tangit Gregor. libr. 3. Moral. cap. 3. Hilarius lib. 2. de Trinit. accipit pro protegere & confirmare, quia umbraculum protegit: q. d. proteget & juvabit te, ut concipere ſine viro poſſis, itemque ut in conceptu & partu ab omni injuria contaminationis defendaris. Theophyl. etiam accipit, pro tegere ad fovendum, ſicut avis, inquit, pullos tegit, ut eos foveat & vivificet. IDEOQUE, ſcilicet propter illam Spiritus-ſancti operationem, *Quod naſcetur*, Græcè τὸ γεννώμενον quod generatur, ſeu quod genitum fuerit; non enim agit de nativitate, ſed conceptu, ſicut & Matth. 1. v. 20. Accuratè autem obſervat & urget Epiph. Hæreſ. 54. dici, *& quod*, ut intelligatur id, quod naſcetur, adhuc ſemel eſſe genitum, ex Patre

ſcilicet

ſcilicet ante tempora, & jam iterum eſſe naſciturum ſecundùm carnem. EX TE, id eſt, ex ſubſtantia tua; ut indicet filium Dei non allaturum corpus de cœlo, inquit Athanaſ. Epiſt. ad Epictetum, vel per Virginem ut canalem tranſiturum. Ne quis videlicet cum Eutiche putaret, quia conceptus Virginis fuit divini operis, quòd non de natura concipientis facta eſſet caro concepti, ut inquit Leo Epiſt. 10. cap. 12. SANCTUM. Jungendum eſt cum, *naſcetur*, & conſtruendum ex parte poſteriori, non anteriori, ut habeat vim adverbii, potiùs quàm nominis: q. d. Quod naſcetur ex te ſanctè, id eſt, ſancto modo, ex Spiritu ſancto ſine viro: & ideò etiam ſanctus tamquam gratiâ ſanctificationis plenus, ſine omni peccati originalis immunditia. Indicat hunc ſenſum Greg. 18. Moral. c. 27. Non ergò hoc verbo unio hypoſtatica directè, ſed puritas conceptus ſignificatur. VOCABITUR FILIUS DEI; propriè dictus, ſicut & erit: quod phraſi Hebraïcâ per *vocari* ſæpè jam diximus ſignificari. Vanum enim eſſet ita tantùm ſignificari, ſi non eſſet. Ideò ergò quia ex virtute Altiſſimi obumbrante conceptus, erit etiam Filius Dei: non quaſi purus homo non potuiſſet ita concipi, ſed quia talis nativitas ſine viro, ſupplente Deo vices viri, nemini conveniebat, niſi Filio Dei, ſicut nec Filium Dei aliter decebat concipi.

36. ET ECCE. Domeſticum ſcilicet exemplum in promptu poſitum: q. d. Non magis difficile Deo erit tibi Virgini, quàm illi ſterili ſupra naturam conceptum dare. Neque hoc adfert, ut incredulitatem aut dubitationem Virgini tolleret, ſed ut rem arcaniſſimam ſenſibili exemplo, humano more, confirmaret, & juxtà Bernardum Hom. 4. in Miſſus, miraculum miraculo addendo, gaudium gaudio accumularet. ELISABETH COGNATA TUA; quia Judæa, ut Ambroſ. initio lib. 3. in Lucam: nam omnes Judæi vocantur *cognati ſecundum carnem*, ad Rom. 9. verſ. & præcipuè quia materno genere erat ex tribu Juda & familia David, quamvis ex parte patris eſſet de filiabus Aaron. Unde quidam Mariam & Eliſabeth filias fuiſſe putant duarum ſororum ex tribu Juda, quarum una nupſerit in tribu Levi, Anna verò mater Virginis in tribu Juda. Fœminis enim licebat extra tribum ſuam nubere, quando non erant heredes; & ita periculum deerat, ne poſſeſſiones tribuum & familiarum permiſcerentur. Sic enim David duxit Michol ex tribu Benjamin, & Joiada Pontifex duxit Joſabeth filiam Regis ex tribu Juda. ET IPSA CONCEPIT FILIUM IN SENECTUTE SUA: id eſt, etiam ipſa, ſicuti tu, concepit divinitùs in ſenectute, cùm in juventute non potuiſſet. Comparat enim conceptum in ſenectute conceptui in virginitate, quia utrobique impotentia. Et ne exiſtimes rem incertam eſſe, HIC MENSIS EST SEXTUS, à conceptu, ita ut eum quilibet facilè externis indiciis cognoſcere poſſit, ILLI, QUÆ VOCATUR STERILIS, id eſt, cujus ſterilitas vulgò eſt notiſſima, ita ut non ſine probro paſſim ſterilis vocari ſoleat. Probat autem hypotheſin ex generali theſi.

36. Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua: & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis:

37. QUIA NON ERIT IMPOSSIBILE APUD DEUM OMNE VERBUM: id eſt, nulla res Deo impoſſibilis; Duplici Hebraiſmo, *non omne*, pro nullum, ſicut Pſal. 142. v. 2. & *verbum* pro re, quam Deus dixerit,

37. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.

aut promiſerit. Nullum ergò verbum Deo impoſſibile : quia apud Deum nec verbum diſſidet ab intentione, quia veritas eſt : nec factum à verbo, quia virtus eſt ; nec modus à facto, quia ſapientia eſt, inquit Bernard. Serm. ult. in Miſſus. Generalis igitur regula eſt, omnia Deum poſſe præter ea, quæ ſi poſſet, non eſſet omnipotens, ut mori, falli, mentiri, & ſimilia, juxtà Aug. 5. de Civit. c. 10.

38. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini; fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

38. DIXIT AUTEM MARIA, incunctanter verbis credendo, & promiſſis conſentiendo, ECCE ANCILLA DOMINI. ſupple, Ego : ſunt enim verba ſe promptiſſimam offerentis Deo. Quo ſenſu Hebræi uſitatiſſima phraſi dicere ſolent, *Ecce ego*, pro præſto ſum, ut patet 1. Reg. 3. verſ. 4. 5. 6. 9. Porrò nomen *Ancillæ* ſpirat ſublimem humilitatem ; ut Bernard. Hom. 4. in Miſſus, quæ cedere non novit honoribus, nec gloriâ inſoleſcit. Spirat & obedientiam divinæque potentiæ commendationem : q. d. Ego ancilla, ipſe Dominus, cujus imperio me paratiſſimam decet obſequi, qui jure ſuo de me poteſt quidquid velit. FIAT MIHI SECUNDUM VERBUM, ſeu promiſſum, TUUM. Verba ſunt non ſolùm perſeverantis in obedientia, quam veteres auctores paſſim prædicant, ut Iren. lib. 3. cap. 33. qui dicit, quòd Maria obediens & ſibi, & univerſo generi facta eſt cauſa ſalutis, ſicut Eva inobediens cauſa damnationis : ſed ſunt etiam verba conſenſum dantis, quem ab ea Deus expetebat, ut Auguſt. Serm. 18. de Sanctis : itemque deſiderantis : deſiderii enim ſignum eſt, inquit Bernard. non dubitationis indicium. Unde Ambr. Ecce Ancilla Domini, apparatus officii eſt : contingat mihi ſecundùm verbum tuum, conceptus eſt voti. Conſenſu igitur Virginis accepto, diſceſſit ab illa Angelus tanquam legatione perfecta, ne videlicet ipſemet in ea incarnatus crederetur, ut notat Athanaſ. Serm. de Deipara, qui conſequenter docet, tunc obumbrante Virginem virtute Altiſſimi ſalutarem conceptum fuiſſe conſummatum. Quod longè veriſimilius quàm id, quòd putavit Bernard. Serm. 3. in Miſſus, quod Filius Dei in Maria ſuum nuntium præveniſſet. Nam tunc non dicendum fuiſſet, Fiat, ſed Placet : omniáque verba Angeli rem non factam, ſed futuram loquuntur.

39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda.

39. EXURGENS AUTEM MARIA ABIIT. Pleonaſmus eſt Hebraïcus, qualis iſte, *Convertit & abiit*, & *Reſpondens dixit*. IN DIEBUS ILLIS, id eſt, paucis pòſt diebus, IN MONTANA, id eſt, régionem montanam JudÆÆ (ſunt enim & montana Galilææ :) quæ incipiunt ab Emaüs, ſeu Nicopoli, & conſurgunt paulatim uſque ad montem Oliveti, ut Hieron. in cap. 10. Danielis. Extendunt ſe tamen etiam procul ad Auſtrum Jeruſalem, versùs Hebron. CUM FESTINATIONE ; quæ ſerii & ardentis affectus teſtis erat. IN CIVITATEM JUDA, in ſorte ſcilicet tribus Judæ ſitam. Hanc aliqui Jeruſalem fuiſſe putant, quòd ibi ſacerdotes commorari ſolerent. Sed ratio hæc parvi momenti eſt : erant enim ſacerdotales civitates per diverſas tribus diſperſæ. Nec propriè Jeruſalem erat civitas Juda, ſed Benjamin. Alii volunt fuiſſe Hebron, quæ ſacerdotalis erat in tribu Juda & in montanis ſita, alii aliam. Cauſa hujus itineris & feſtinationis erat, non quòd eſſet incredula de oraculo, vel incerta de nuntio, vel dubitans de exemplo Elizabeth, ut aliqui ſuſpicantur, ſed ut Ambroſ. quia læta pro voto (quo diu

optaverat tolli ſterilitatem Elizabeth) & religioſa pro officio, & feſtina præ gaudio.

40. Et intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Elizabeth.

40. ET INTRAVIT DOMUM ET SALUTAVIT ELIZABETH. Ubi obſervat Ambr. quòd venerit junior ad ſeniorem, priorque ſalutaverit: decet enim, ut quantò caſtior virgo, tantò humilior ſit. Noverat deferre ſenioribus.

41. Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth:

41. ET FACTUM EST, UT AUDIVIT SALUTATIONEM MARIÆ, id eſt, ſimul atque audivit. Vult enim per hoc ſignificare ſalutationem Mariæ fuiſſe cauſam exultationis, quâ EXULTAVIT INFANS IN UTERO EIUS, præ gaudio, ut additur verſ. 44. Porrò Græcum ἐσκίρτησεν, convenit propriè animalibus ſaltu laſcivientibus, & inde ad fœtum transfertur à Græcis Medicis. Itaque Aug. Epiſt. 57. putat hanc exultationem factam eſſe divinitùs in infante, non humanitùs ab infante, hoc eſt ſine rationali cognitione: quamvis ibidem non abhorrere videatur, ut divinitùs dicatur acceleratus uſus rationis. Quod ſanè magis placuit cæteris Patribus, tam ante, quàm poſt Auguſtinum. Nam Iren. lib. 3. cap. 18. dicit, quòd Dominum cognoſcens exultando ſalutaverit: Tertull. libr. De carne Chriſti, cap. 21. Domini ſui conſcium infantem vocat, & Origen. Homil. 7. docet idem latiùs: Ambroſ. verò: habebat intelligendi ſenſum, qui exultandi habebat affectum. Itaque hîc impletum eſt, quod Angelus dixerat v. 13. Spiritu ſancto replendum adhuc ex utero matris, nempe non ſolùm ſanctificante infantem, ſed & illuminante, & præcurſorem Prophetam conſtituente, ut Origen. Theophyl. Euthym. Quam tamen illuminationem tranſeuntem fuiſſe, non permanentem, ſicut propheticæ illuſtrationes eſſe ſolent, veriſimilius eſt; etſi non deſint etiam antiqui, qui contrarium ſentiant. ET REPLETA EST SPIRITU-SANCTO ELIZABETH, ſcilicet ex filii ſui exultatione. Nam quamvis Chriſtus locutus ſit per os matris ſuæ, & quamvis per aures ſuæ matris audiverit, non tamen priùs Elizabeth impleta eſt Spiritu-ſancto, quàm filius; ſed, ut Ambr. cùm filius eſſet repletus, replevit & matrem, & utraque mater prophetat ſpiritu parvulorum.

42. & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

42. ET EXCLAMAVIT VOCE MAGNA, præ ſpiritûs divini fervore non ſe continere valens, ET DIXIT: BENEDICTA TU INTER MULIERES, ſeu, *in mulieribus*: nam Græca eadem omninò verba ſunt quæ verſ. 28. Ut hinc liqueat eam ex Spiritu-ſancto eſſe locutam: nam, ut Ambr. novit ſermonem ſuum Spiritus-ſanctus, nec unquam obliviſcitur: & prophetia non ſolùm rerum completur miraculis, ſed etiam proprietate (id eſt identitate) verborum. ET BENEDICTUS, id eſt, omni divinorum beneficiorum affluentiâ repletus ſecundùm humanam naturam, quia ipſo fonte omnis benedictionis verbo Dei hypoſtaticè plenus, FRUCTUS VENTRIS TUI, id eſt, verus filius tuus: quis enim fructus uteri ſeu ventris, qui non ex utero germinavit? qui non in utero radicem egit? inquit Tertull. loco cit. His itaque verbis & rationem dat, cur Maria ſit benedicta, & tacitè alludit ad promiſſionem Davidi factam, Pſal. 131. v. 11. & venerando quodam modo ſalutat Chriſtum Dominum.

43. Et unde hoc mihi ut veniat

43. ET UNDE HOC MIHI? Verba ſunt non ignorantis: aut dubitantis, ſed admirantis præ mentis humilitate dignationem matris Domini.

mater Domini mei ad me?

VENIAT MATER DOMINI MEI, id est Dei seu Verbi incarnati, de quo similiter dixit David, *Dixit Dominus Domino meo*, interprete ipso Domino, Matth. 22. v. 44. Si ipsa mater Domini, consequenter necesse est, ipsum Dominum fuisse filium Mariæ, atque ita contra Nestorium utramque naturam in eadem persona conjunctam esse: qua de causa veteres Orthodoxi vocarunt B. Virginem Θεοτόκον, id est Deiparam. Itaque prophetico spiritu plena divinitùs agnovit jam impletum, quod Angelus futurum dixerat, eum, qui nasciturus erat Sanctus, futurum Filium Dei.

44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.

44. ECCE ENIM UT FACTA EST, id est simul ac facta est, VOX SALUTATIONIS TUÆ IN AURIBUS MEIS; ita ut vix mente esset percepta, nec animum adhuc meum gaudio effecisset. EXULTAVIT IN GAUDIO INFANS, id est, subsiliit præ exultatione, seu lætitia. Significat itaque & hîc vocem salutantis fuisse causam exultationis infanti, & hanc sibi fuisse signum, unde cognoverit matrem Domini. Non quòd illa sola exultatio ad hoc sufficeret, quæ alia ex causa poterat contingere; sed, ut inquit August. Epist. 57. Spiritu sancto revelante cognovit, quid illa exultatio significasset infantis, id est, illius venisse matrem, cujus præcursor ipse & demonstrator futurus esset.

45. Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

45. ET BEATA QUÆ CREDIDISTI; quia fides inchoat beatitudinem. Tacitè autem opponit illam credentem marito suo incredulo, quia cùm ille negasset, hæc correxit errorem, inquit Ambros. QUONIAM PERFICIENTUR. Cùm enim credita eveniunt credenti, cedunt illi ad gloriam; cùm eveniunt non credenti, cedunt ad ignominiam & confusionem: QUÆ DICTA SUNT TIBI A DOMINO, per Angelum nuntium ejus. Porrò in his paucis verbis Elisabeth dicendo, *Quæ credidisti*, vaticinatur præterita; dicendo, *Mater Domini*, præsentia; dicendo *perficientur*, futura, ut observat Greg. Hom. 1. in Ezech.

46. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum:

46. ET AIT MARIA, Spiritu sancto incitante, Filio dictante: MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINUM: quasi responderet, Tu magnificas matrem Domini, ego Dominum; ut scilicet sic indicaret, se nihil sibi retinuisse, sed præ humilitate & gratitudine totum refudisse, & omnia nos refundenda docuisse in Deum, ut Bernard. Serm. de duodecim stellis. Itaque *Magnificat anima mea Dominum*, id est, ex intimis animæ meæ medullis magnificentiam Domini erga me admiror & prædico.

47. & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

47. ET EXULTAVIT, id est, præ lætitiæ vehementiâ gestiit & exilivit, SPIRITUS MEUS. Idem est quòd anima mea: nisi quòd magis superiorem animæ partem significare videatur, ut indicet omnes animæ suæ vires magnificasse, seu magnum prædicasse Dominum, & exultasse IN DEO, Græcè ἐπὶ τῷ Θεῷ, *super Deo*, seu de Deo & propter Deum; significatur enim objectum exultationis. SALUTARI MEO, Græcè τῷ σωτῆρί μου, *Salvatore meo*, pro quo frequenter *Salutare* in Scripturis accipitur. Itaque nomine *Dei* magnificentiam majestatis ejus extollit; nomine *Salvatoris* beneficentiam: ut & jure metuendum & dilectione dignissimum ostenderet.

48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc bea-

48. QUIA RESPEXIT, benignis scilicet & misericordibus oculis: q. d. Non est aversatus, aut dedignatus HUMILITATEM ANCILLÆ SUÆ. Humilitatis virtutem intelligit Orig. & Bernard. aliquoties Serm. 42. in

Cant. & alibi : ut proinde ille ſenſus eſſet, quòd exultaret in illo Dei judicio, quo beneplacitum ei fuit humilitatis virtutem, quam ſibi donaverat, attendere, & ejus intuitu majora donare, videlicet incarnationem Filii ſui ; ut ſimilis hæc eſſet exultatio, & ex eadem cauſa, ex qua exultatio Chriſti, Lucæ 10. verſ. 21. cùm dixit, *Confitebor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & revelaſti ea parvulis*, id eſt humilibus. Commodior tamen videtur ſenſus, ut humilitas ſignificet abjectionem perſonæ, veluti tanto beneficio indignam, quomodo uſurpatur Geneſ. 29. verſ. 32. & alibi ; ita ut eam opponat tacitè magnitudini Dei, quo modo exponunt Græci Titus, Theophyl. & Euthym. qu. d. Ideo exulto, quia cùm ipſe maximus ſit, reſpexit, in tanto beneficio exhibendo, non divitem, non in ſæculo ſublimem, ſed abjectam : ſe enim deprimit, Deum extollit, & humilitatis virtutem potiùs exercet opere, quàm voce prædicet, vel animo agnoſcat. Veræ enim humilitatis eſt, de humilitate non gloriari, ſed eam reipſa exhibere. Unde etiam ſe *Ancillam* vocat, ita ut humilitas ancillæ idem ſit, quod humilis ancilla, id eſt, non magni pretii, ſed inter Dei ancillas minima : non quòd reverâ talis eſſet, ſed quòd talem ſe reputaret.

tam me dicent omnes generationes.

Ecce enim ex hoc, id eſt, deinceps ex hoc tempore, beatam me dicent omnes generationes, per ſæcula ſibi ſucceſſuræ : nam verba hæc, teſte Epiphanio Hæreſi 30. vaticinium continent futurorum præconiorum, quæ in finem ſæculi uſque beatæ Virgini ab Eccleſia deferuntur, & deferenda ſunt.

49. Quia fecit mihi magna : Græcè μεγαλεῖα, *magnalia*, quia hactenus inaudita & admiranda, & omnes naturæ vires ſuperantia, conceptum ſcilicet Virgini ſine viro, & matrem Dei, & virtutum apparatum tantis myſteriis congruentem : Qui potens est, mirabilia ſcilicet operari. Nam in iſtis myſteriis tota ratio facti eſt potentia facientis, ut Auguſt. Epiſt. 3. Et sanctum nomen eius : ſupple, *fecit mihi magna* : vel potiùs, *cujus nomen ſanctum eſt*. Uſitatè enim Hebræi ponunt unum relativum pro altero. Itaque potentia Dei reſpicit hîc incarnationis ſublimitatem, ac difficultatem ; ſanctitas verò puritatem, tum conceptionis, tum præviæ præparationis ipſius Virginis, quantum ad corpus & animam.

49 Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.

50. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum :

50. Et misericordia eius a progenie in progenies, id eſt, in infinitas progenies, ſeu generationes ſibi mutuò ſuccedentes. Timentibus eum ; ſupple, *expoſita eſt* : qu. d. Non mirum eſſe, quòd tantam erga ſe miſericordiam exercuerit, cùm illa ſoleat per omnes ætates timentibus benefacere. Reſpicit autem ad verſ. 17. Pſalm. 102. Et hæc quidem de miſericordia Dei : nunc de judicio.

51. Fecit potentiam in brachio ſuo : diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

51. Fecit potentiam, id eſt, exercuit potentiam ſuam, fortiter ſe geſſit, in brachio suo. Humano more loquitur, quia robur hominum in brachio, cujus proinde plerumque ſymbolum eſt in Scripturis. Putant aliqui hîc Virginem universè de mirabilibus Dei operibus, vel creationis, vel eductionis Iſraël ex Ægypto loqui. Veriſimilius credo, juxta Iren. libr. 3. cap. 11. hinc uſque ad verſum 54. eſſe prophetiam de futuris, prophetico more verbis præteriti temporis expreſſam. In hoc

ergò fecit potentiam, quia DISPERSIT SUPERBOS MENTE CORDIS SUI, id est, quia Judæos, cogitatione cordis sui, seu animo superbos, & ex superbia incredulos, dispersit per orbem terrarum.

52. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.

52. DEPOSUIT POTENTES: Græcè δυνάστας, id est, principes & primates Judæorum, tam reipublicæ quàm religionis, detraxit DE SEDE, Græcè ἀπὸ θρόνων, *de thronis*, principatus videlicet & sacerdotii, propter superbiam adversus Christum Dominum. ET EXALTAVIT HUMILES, id est, populum gentilem priùs abjectum, & Spiritus sancti missione humilem factum, in regnum & regale sacerdotium exaltavit.

53. Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.

53. ESURIENTES IMPLEVIT BONIS, id est eosdem Gentiles omni virtute vacuos, & ideo justitiam Dei anhelantes, *implevit bonis*, justitiâ, virtutibus, omnisque generis beneficiis: ET DIVITES, quasi saturos, qui seipsos justos esse putabant, & ad justitiam cum sola cognitione legis sibi datæ sufficere, quasi non indigentes Christi auxilio, aut redemptione, DIMISIT INANES, quales videlicet erant. Cujus prophetiæ veritatem in effectibus suis nunc conspicimus, & ad divini sui judicii profunditatem meritò contremiscimus. Nam in omni populo & ætate eadem potentibus seu superbis & humilibus, eadem esurientibus & divitibus semper accidunt.

54. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

54. SUSCEPIT ISRAEL PUERUM SUUM, id est, Israëlem filium suum, qui à prima istius populi ætate populus Dei fuit, quasi suppositâ manu sustinuit & erexit, cùm prostratus miseriis jaceret. Hanc enim vim habet verbum *suscipiendi* in Scripturis. RECORDATUS MISERICORDIÆ SUÆ, cujus propter longam subveniendi moram quasi oblitus videbatur. Nam Deus *recordari* dicitur, cùm postquam ita se gessit, ac si nostri oblitus esset, tandem subvenit. Hæc autem misericordia duo respicit: primò salutem, quam per Christi incarnationem Judæis, tunc temporis viventibus, attulit: nam, ut Leo Serm. 1. de Jejunio decimi mensis, causa reparationis nostræ non est nisi misericordia Dei, secundò, salutem, quàm Israëli, per multa sæcula abjecto, tandem circà mundi finem allaturus est: ut ita B. Virgo perseveret in prophetandis rebus futuris. Recordatus est autem istius misericordiæ suæ.

55. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula.

55. SICUT LOCUTUS EST, hoc est, misericordiæ promissæ, sive quam promisit, quæ solet in Scripturis vocari Veritas, ut patet ad Rom. 15. v. 8. Unde Psalm. 97. *Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israël:* quia misericordia, quæ secundùm promissa conceditur, fit veritas. Itaque recordatus est illius misericordiæ, sicut locutus est ac promisit, AD PATRES NOSTROS, id est, Patribus nostris, (nam & Græcum & Latinum verbum utrumque casum regit; & hujusmodi casuum enallage seu permutatio non inusitata est Hebræis, ut Psal. 102. v. 18.) videlicet ABRAHAMO (est enim dativus) & SEMINI, [illegible]u posteris, EIUS, Israëlitis, permulta SÆCULA: nam utraque salus per diversos Prophetas prænuntiata & promissa fuit. Posset tamen illud, *Abraham & semini ejus*, referri ad *recordatus*, &c. ut sensus sit, quòd memor fuerit misericordiæ, Abrahamo & posteris ejus, qui usque in finem sæculi duraturi sunt, exhibendæ: ita ut illa verba (*sicut locutus est ad Patres nostros*) per parenthesin inserta legantur.

56. Mansit au-

56. MANSIT AUTEM MARIA CUM ILLA, officii, obsequii & pietatis

causâ, ut Ambr. tum hîc, tum lib. 2. De Virginibus. Addit etiam, causâ profectus tanti vatis, quod & Origen. notat: qui significare videntur usum rationis Joannis in utero permansisse, ut qui primo ingressu exultaverat, ad præsentiam Virginis paulatim proficeret. Unde & illa verba Zachariæ, *Tu puer Propheta Altissimi*, eum intellexisse volunt. QUASI MENSIBUS TRIBUS, id est, ferè mensibus tribus: quo probabiliter significari volunt Theophyl. Euthymius, & Niceph. lib. 1. c. 8. Virginem ante partum Elisabeth recessisse, cui sive causâ decentiæ, sive disciplinæ virginalis sanciendæ interesse noluerit. Suadet hanc sententiam, quòd statim à discessu ejus subjungatur, impletum esse Elisabeth tempus pariendi, & quòd legitima nativitas fermè decimi mensis ingressus sit, ut loquitur Tertull. libr. De anima c. 37. intelligé, saltem inchoati. Quamvis non desint, maximè recentiores, qui Virginem partui interfuisse putant.

tem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reversa est in domum suam.

57. ELISABETH AUTEM IMPLETUM EST TEMPUS PARIENDI, postquam scilicet Maria discessisset. Impletio autem illa temporis, quæ etiam infrà tribuitur B. Virgini, significat, legitimo naturalique tempore peperisse, decimo scilicet mense, quo & virgo peperit & proindè sine abortu aut intempestivo partu.

57. Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium.

58. ET AUDIERUNT VICINI, QUIA MAGNIFICAVIT, id est, quòd magnificasset seu magnam fecisset, DOMINUS MISERICORDIAM SUAM CUM ILLA, sterili & effœtæ non solùm conceptum, sed & felicem partum dando. Et CONGRATULABANTUR EI. Græcè *συνέχαιρον*, *congaudebant*; ut indicet impletum, quod versu 14. Angelus prædixerat.

58. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

59. ET FACTUM EST DIE OCTAVO, à partu, juxtà Legem, Genes. 17. v. 12. quo octavo die Aug. significatum voluit, quòd nos per Christi resurrectionem, quæ post septimum sabbati diem octavo die contigit, spiritualiter à vitiis carnis & omni corruptione circumcidimur. VENERUNT, scilicet amici CIRCUMCIDERE PUERUM. Unde intelligas circumcisionem tunc solemnem fuisse, uti nunc baptismus. Venisse autem non in synagogam, sed in domum Zachariæ, suadet Elisabethæ puerperæ præsentia. Nam quamvis Judæi nunc circumcidant in synagogis, exempla tamen Scripturæ probant, tum domi, tum alio quovis opportuno loco factitatam. ET VOCABANT EUM, seu vocare voluerunt; de eo tractando. Ex quo colligas, in circumcisione nomen plerumque imponi solitum, sicut nunc in baptismo; fortassis ad imitationem Dei, mutantis ipso die circumcisionis nomen Abrahæ, Genes. 17. v. 5. NOMINE PATRIS SUI ZACHARIAM, tamquam gratius futurum patri, ut filio unico etiam nomine quasi superviveret. Quòd cùm displiceret matri, dixit:

59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.

60. NEQUAQUAM, SED VOCABITUR JOANNES: sive quòd scripto ei hoc nomen maritus indicasset, sive quòd juxtà Ambros. à Spiritu sancto hoc didicisset; & ideò cum tanta auctoritate se eis opponit.

60. Et respondens mater ejus, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Joannes.

61. ET DIXERUNT, QUIA NEMO EST IN COGNATIONE TUA, QUI VOCETUR HOC NOMINE. Ex quo liquet, illius ætatis fuisse consuetudinem, ut liberis nomina parentum aut cognatorum imponerentur. Primis tamen sæculis videntur ferè ex eventis imposita, ut patet de nomini-

61 Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.

bus filiorum Adam, de Isaac, Jacob, ejúsque filiis, & aliis multis passim.

62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

62. INNUEBANT AUTEM PATRI EIUS, nutibus ac signis interrogando, ut etiam surdum fuisse liqueat. QUEM VELLET VOCARI EUM, ut paternâ auctoritate controversiam istam dirimeret.

63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus: & mirati sunt universi.

63. ET POSTULANS, similiter nutibus, PUGILLAREM, id est, tabellam, in qua scribitur stylo, quales & apud nos in usu, memoriæ causâ. Ex cera fuisse Tertull. notat lib. De idololatria, cap. 23. dum ait: Zacharias loquitur in stylo, auditur in cera, manus omni sono clarior. Modus ille scribendi tunc usitatissimus erat: unde Hieron. etiam epistolas longas in cera dictasse indicat Epist. 142. in fine. SCRIPSIT, DICENS, id est, in hanc sententiam: IOANNES EST NOMEN EIUS; quasi diceret, Vos petitis, quo nomine velim vocari filium: id non est meæ voluntatis; nam Joannes jam est nomen ejus, ipsi jamdudum ab alio divinitùs impositum, ut Ambr. ET MIRATI SUNT UNIVERSI, conspirationem utriusque in peregrinum nomen, & præcipuè quia intelligebant hoc à Deo impositum esse.

64. Apertum est autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum.

64. APERTUM EST AUTEM ILLICO OS EIUS, id est, in vocem solutum est; nam mutis os quodammodò clausum videtur. Quòd autem dicit, *illicò*, hoc est, mox ut scripserat nomen, significat nominis impositionem fuisse causam solutionis linguæ, ut observat Origen. Homil. 9. quia tunc quasi manu suâ subscripsit id, quod Angelo nuntianti credere noluerat: ut hinc Ambr. dicat, Linguam, quam infidelitas vinxerat, fides solvit.

65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum: & super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.

65. ET FACTUS EST TIMOR, id est, reverentia hominum erga Deum, existimantium tot signis divinitùs editis non posse nisi aliquid admirandum portendi. Itaque DIVULGABANTUR, hominum sermone, OMNIA VERBA HÆC, id est, res istæ omnes, apparitio scilicet Angeli, cæteráque omnia, quæ in textu narrata sunt.

66. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis putas, puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

66. ET POSUERUNT IN CORDE SUO: non tamquam vanos rumores præterire sinendo, sed illa, tamquam magnarum rerum portenta & præludia, attento animo exponendo: DICENTES, QUIS PUTAS, Græcè τίς ἄρα, quisnam, PUER ISTE ERIT? id est, quantus vir & Propheta futurus est, cujus conceptus & ortus tot miraculis nobilitatur? ETENIM MANUS DOMINI ERAT CUM ILLO. Verba sunt Lucæ, rationem reddentis sermonum vulgi, quia videlicet ista non poëtica fictione, non fortunâ aut casu, sed Dei potestate gerebantur.

67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto, & prophetavit, dicens:

ET ZACHARIAS PATER EIUS REPLETUS EST SPIRITU SANCTO: non ad eum justificandum: nam erat & antè justus: sed ad prophetandum, ut explicando subjungit: ET PROPHETAVIT DICENS. Simul enim vim loquendi & spiritum prophetandi accepit, ita ut prophetica verba primò ex ejus ore proruperint.

68. Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.

68. BENEDICTUS DOMINUS DEUS ISRAEL, id est, benedicatur & laudetur Deus populi Israëlitici: quæ est periphrasis veri Dei, & oponitur Diis gentium dæmoniis. QUIA VISITAVIT, supple, *plebem suam Judaicam*: nam de gentibus dicit per Prophetam, *Non plebs mea vos*. Sumitur autem *Visitatio* in Scripturis & in malam partem, pro pœnis affligere, ut Levit. 26. v. 16. *Visitabo vos in egestate*, &c. & sæpissimè

in bonam, pro beneficiis afficere, aut liberare, maximè quando Deus Prophetam aut Angelum aliquem mittit. Hîc autem, *visitavit*, idem est, quòd in propria persona carnem indutus invisit populum suum: idque non ad puniendum, quia FECIT REDEMPTIONEM PLEBIS SUÆ, id est, redemit eam à captivitate Satanæ, & servitute peccati. Redemptio enim captivitatem respicit, & soluto pretio peragitur, quod juxtà Scripturas fuit Sanguis Christi. Utitur autem verbo præteriti temporis, partim quia jam per incarnationem fieri cœperat, partim propheticè, quia jamjam futurum erat.

69. ET EREXIT CORNU SALUTIS NOBIS, id est, cornu salutare seu salutiferum; ut scilicet non solùm nos tueatur ab hostibus, sed etiam salutem adferat. Per *Cornu* autem significari metaphoricè solet potentia & robur, eo quòd animalia cornuta totum in cornibus offendendi ac tuendi robur habeant. Unde consequenter significat sæpiùs regnum seu gloriam ejus: ita ut hîc significetur, quòd regnum Davidis jam collapsum per Messiam in antiquum splendorem & robur restituerit, ad adferendam salutem nobis: ideò enim addit, IN DOMO DAVID, id est, in familia David, cui regnum illud promissum erat, ut dictum est vers. 32. & 33. PUERI SUI, id est, servi, quia Deo placuit, & regnum sibi à Deo creditum fideliter administravit. Simili ferè phrasi dicitur, 1. Reg. 2. v. 10. *Dominus dabit imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui*: & Psalm. 131. v. 17. *Illic producam* (Hieron. *oriri faciam*) *cornu David*; ad quem locum Zacharias alludere videtur.

69. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

70. SICUT LOCUTUS EST PER OS SANCTORUM, &c. id est, ita fecit, quemadmodum promiserat per os Prophetarum sanctorum omnium, qui ab initio sæculi floruerunt: omnes enim proximè vel remotè Christi incarnationem, passionem, & regnum, & consequenter salutem populi Dei vaticinati sunt. Nam quid Deus locutus sit per os Prophetarum, explicat per sequentia, videlicet,

70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum ejus:

71. SALUTEM EX INIMICIS NOSTRIS. Refertur enim hoc ad verbum *locutus est*. Intelligit autem salutem seu salvationem ab illis inimicis, quos Christus vicit: hos autem certum est fuisse non visibiles Romanos, aut Græcos, cujusmodi redemptionem & salutem carnales Judæi exspectabant; sed spirituales dæmones, qui humano generi dominabantur. Itaque Zacharias interpretatur hîc omnes illas prophetias, quæ de mittendo Israeli liberatore ab hostibus loquuntur. ET DE MANU OMNIUM, QUI ODERUNT NOS. Repetitio est Hebræis familiarissima, in Proverbiis, & Psalmis, & Canticis. Unde hæc eadem repetitio habetur bis in eodem Psal. 17. v. scilicet 18. & 41.

71. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos:

72. AD FACIENDAM MISERICORDIAM CUM PATRIBUS NOSTRIS: ut sic Filium suum mittendo, misericordiam seu gratiam ergà patres antiquos reipsâ exhiberet, id scilicet præstando, quod eis tam pro se, quàm pro posteris promiserat. Nam & ipsi patres fide & gratiâ Christi justificati sunt, & ejus adventu è limbo liberati. ET MEMORARI TESTAMENTI SUI SANCTI. Græca constructio est, pro *ad memorandum*, id est, ut ita se memorem declararet reipsâ post longam illam quasi oblivionis moram, fœderis sive pacti cum patribus initi, videlicet de Christo

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorari testamenti sui sancti.

ex semine Abraham nascituro. Respicit enim ad illud fœdus, quod pepigit cum Abraham, Genes. 22. v. 16. & 18. ut clarius patet Act. 3. v. 25. ex verbis S. Petri; & ipse Zacharias hoc explicat sequentibus verbis.

73. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

73. JUSJURANDUM, QUOD JURAVIT AD ABRAHAM PATREM NOSTRUM. *Jusjurandum* est quartus casus Græcè, & regitur à *memorari*: nam sicut Græcum μνησθῆναι, ita & Latinum, *meminisse*, pro quo hîc sumitur, *memorari* regit indifferenter genitivum & accusativum. Sensus est ergò, ut se memorem ostenderet testamenti jurisjurandi, seu testamenti, quod est jusjurandum, ad Abraham factum, ut diximus. Ita Theophyl. & Euth. & favet ei textus Syriacus. Simile quid vide sup. v. 55. DATURUM SE NOBIS, id est, ad hoc, ut daret, nobis, vel nimirum daturum se nobis ea, quæ sequuntur: explicat enim quid contineatur illo jurejurando, videlicet:

74. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi;

74. UT SINE TIMORE DE MANU INIMICORUM NOSTRORUM, &c. id est, ut ex potestate inimicorum nostrorum, Satanæ, peccati, mundi, carnis, per gratiam Christi liberati, deinceps serviamus Deo, sine timore eorum, ut pote quorum vires per Christi redemptionem fractæ sunt. Unde Christus ipse Joan. 16. v. 33. *Confidite, ego vici mundum*, & infrà c. 12. *Nolite timere pusillus grex*. Et sic ista verba & sequentia de presenti vita intelligerentur, in qua justi serviunt Deo in sanctitate, sine timore saltem servili, & illo immodico & anxio, qui mentis hilaritatem tollit. Sed quia hoc beneficium satis videtur indicatum versu 71. hinc malim istum & sequentem versum ad statum æternæ salutis referri. Neque enim æquum est, ut hoc summum beneficium in isto Cantico prætermittatur, quod & ipsa verba magis postulant. Æternitas enim verè omnes dies nostros comprehendit, ubi, juxtà Haiam, timore omnium malorum sublato; sedebit populus in pulchritudine pacis, & tabernaculis fiduciæ, UT SERVIAMUS ILLI,

75. In sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

75. IN SANCTITATE, quæ Deum respicit, & cujus cultus est sanctitas colentis, ET JUSTITIA, id est, omnium virtutum perfectione, quæ generaliter *justitia* in Scripturis vocari solet, CORAM IPSO, Deo scilicet facie ad faciem seipsum demonstrante, OMNIBUS DIEBUS NOSTRIS, per totam æternitatem, ubi nulla dies erit à Dei servitio, justitiáque feriata. Postquam autem celebravit beneficia, per Christi adventum nobis allata, utitur apostrophe ad puerum recèns natum, sive quòd usus rationis in utero datus ei permanserit, ut Origen. & Ambr. hîc, & ferè Græci; sive poetico & prophetico more, personam fingendo, sicuti Moyses Deut. 32. v. 1. & David, 2. Reg. 1. v. 21. ut ita adstantes doceret, quantus puer ille futurus esset, dicendo:

76. Et tu puer propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus:

76. ET TU PUER, non cum aliis Prophetis promiscuè Propheta Domini, sed singulariter PROPHETA ALTISSIMI VOCABERIS, seu eris: ut pote quem ALTISSIMUS ANGELUM SUUM, per Malachiam cap. 3. v. 1. vocat. PRÆIBIS ENIM ANTE FACIEM DOMINI, in carne præsentem; vide dictam vers. 17. PARARE VIAS EIUS, id est, ut pares & disponas mentes Judæorum ad hoc, ut Christum salvatorem & sponsum recipiant. Prædicabis enim pœnitentiam, ne Domini doctrina; prædicabis baptismum, ne Domini disciplina: prædicabis Spiritum sanctum

& ignem, ne Domini gratia rudes ſibi mentes hominum inveniat, & imparatas exhorreat. Nam explicans modum parandi vias Domini, addit:

77. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus in remiſſionem peccatorum eorum:

77. AD DANDAM SCIENTIAM SALUTIS PLEBI EIUS, id eſt, ut magiſterio tuo des populo Judaico primam cognitionem eorum, quæ ad ſalutem ſub novo Teſtamento erunt neceſſaria, IN REMISSIONEM PECCATORUM EORUM, per Chriſtum videlicet obtinendam. Non enim doctrina Joannis eam dabat, ſed eò diſponebat, Agnum Dei, tollentem peccata mundi, demonſtrando, quod explicat clariùs ſequenti verſu. Nam quaſi quæreres, per quem danda eſſet hæc ſalus & remiſſio peccatorum, reſpondet:

78. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: in quibus viſitavit nos: oriens ex alto:

78. PER VISCERA MISERICORDIÆ DEI NOSTRI, ſeu per viſcera miſeratione plena, id eſt, per miſericordiam Dei, ex intimis ejus viſceribus & affectu prodeuntem. IN QUIBUS, id eſt, quâ profundiſſimâ miſericordiâ impellente, VISITAVIT NOS, in propria perſona ad nos veniendo, ut dictum eſt verſu 68. Viſitavit autem, veniendo EX ALTO, quia à ſummo cœlo, ſeu ſinu Patris, egreſſio ejus, ad nos viſitandos in aſſumpta carne ORIENS, id eſt, is, qui *Oriens* à Prophetis vocari ſolet, ſcilicet Chriſtus. Porrò, *Oriens*, non eſt hîc participium, ſed nomen reſpondens Græco, quod hîc habetur ἀνατολὴ, *ortus*. Reſpicit autem ad loca Zachariæ 3. v. 8. & ibid c. 6. v. 12. ubi Hebraicè eſt צמח, *Tzémach*, quod Hieron. ibi vertit *oriens*, & LXX. Interpretes ἀνατολὴ, id eſt, *oriens* ſeu *ortus*: alibi verò Hieron. ſubindè vertit, *germen*, quod etiam oritur ex terra. Nam Hebraica radix צמח, *Tzamách*, propriè quidem *germinare* aut *pullulare* ſignificat; uſurpatur tamen etiam generatim pro, *oriri*. Utrumque ergò eſt Chriſtus, & *germen*, quia ex reſciſo trunco Davidicæ ſtirpis, ſine viri opera, repentè pullulavit, & in arborem ampliſſimam crevit; & *oriens*, quia ipſe eſt lux mundi, & Sol juſtitiæ, qui Malachiæ 4. oritur timentibus Deum; & ſtella, quæ oritura dicitur ex Jacob, Num. 24. v. 17. quam rationem nominis conſideravit Orig. Homil. 13. in Levit. Gregor. lib. 20. Moral. c. 18. aliàs 21. Theophyl. Euthym. Beda hîc, & alii paſſim. Nam ipſe Zacharias explicans, cur orientem dixerit, adjicit:

79. Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent: ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

79. ILLUMINARE, id eſt, ut lumen præbeat, ſeu illuceſcat HIS, QUI IN TENEBRIS ET IN UMBRA MORTIS SEDENT, id eſt, qui habitant in tenebris denſiſſimis, & in afflictiſſimo rerum ſtatu triſtiſſimam mortis imaginem referente. Metaphora eſt à locis obſcuris, ut ſepulchris & carceribus, quæ mœſtiſſimâ rerum facie præſentis mortis horrorem incutiunt. Transfertur autem ſpiritualiter ad ſignificandum teterrimum animæ ſtatum, per ignorantiam erroréſque mirabiles, & peccata, tamquam æternæ mortis veſtibula. AD DIRIGENDOS PEDES NOSTROS IN VIAM PACIS, id eſt, ut lumine doctrinæ & charitatis, quod mentibus infundit, dirigat affectus, conſilia, & opera noſtra in viam, quâ tenditur ad pacem æternæ beatitudinis. Hæc autem via non eſt alia, niſi via veritatis & juſtitiæ, ut ſobriè, juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo.

80. Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu; quamvis creſcentibus pari paſſu virtutibus,

80. PUER AUTEM CRESCEBAT, ætate & mole corporis; &, creſcentibus pari paſſu virtutibus, CONFORTABATUR SPIRITU ſuo; quamvis

fortabatur ſpiritu: & erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

nonnulli intelligant ipſum Spiritum divinum gratiæ & confortationis auctorem. ET ERAT IN DESERTIS, ſtatim ſcilicet à prima pueritia, ut videtur ſentire Orig. Hom. 11. in Lucam, & apertiùs Hieron. libr. contrà Luciferianos, ubi dicit, quòd poſt materni ventris hoſpitium eremi deſerta ſectatus ſit, & parvulus de ſerpentibus luſerit. Occaſio petendi deſerti videtur fuiſſe tyrannis Herodis pueros Bethleem perſequentis, ut Chriſtum aſſequeretur: quod Nicephorus notat lib. 1. cap. 4. Addit Cedrenus, in Compendio hiſtoriæ, curam ejus ab Angelo ſuſceptam, eo quòd Elizabeth paulò poſt fugam cum puero in deſertum obiiſſet. USQUE IN DIEM OSTENSIONIS SUÆ AD ISRAEL, id eſt, uſque ad tempus, quo inter homines prædicando & baptizando converſari cœpit, quod fuit circà annum ætatis ejus trigeſimum, ſicut & Chriſti.

CAPUT II. CAPUT SECUNDUM.

1. FActum eſt autem in diebus illis exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis.

FACTUM EST AUTEM IN DIEBUS ILLIS, circa tempus ſcilicet nativitatis Joannis, & paulò pòſt, Deo hujuſmodi deſcriptionem orbis, vel procurante, vel certè tempus ejus illud potiùs, quàm aliud ordinante, ut illius occaſione Beata Virgo in Bethleem veniret. EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO, nempe Octavio, cui nomen *Cæſaris*, à Julio Cæſare à quo adoptatus fuerat, adhæſit: cognomine verò dictus *Auguſtus*, quòd urbem & imperium auxiſſet, & fideliter adminiſtraſſet. Hinc omnes Romani Principes poſteà ſunt appellati *Cæſares* & *Auguſti*, apud Syros *Antiochi*; apud Perſas *Arſacidæ*; apud Philiſtiim, *Abimelech*; apud Egyptios olim *Pharaones*, & poſt Alexandrum uſque ad Cleopatram Ptolomei, ut Hieron. in cap. 29. Ezech. UT DESCRIBERETUR UNIVERSUS ORBIS, Romanis ſcilicet ſubjectus, hoc eſt, ut numerus capitum in acta publica referretur, & tributum pro facultatibus uniuſcujuſque ſolutum. Nam facultates ſingulorum in hujuſmodi deſcriptionibus fuiſſe cenſas teſtis eſt Joſephus lib. 18. Antiq. cap. 1. Capita etiam ſingulorum non tantùm adultorum, ſed etiam puerorum, deſcripta fuiſſe probat immunitas quæ poſtea Syriæ conceſſa fuit, ut ſoli puberes tabulis adſcriberentur, ut patet ex L. Forma. D. de cenſibus. Unde Juſtinus Martyr Orat. ad Antonium Pium audacter dicit, Chriſtum natum in Bethleem ex deſcriptionibus cenſûs acti, quæ ſub Cyrino, primo veſtro in Judæa Procuratore, ſunt confectæ, intelligere poteſtis; & Tertull. libr. 4. contra Marcionem cap. 7. Cenſum, inquit Auguſt. teſtem fideliſſimum Dominicæ nativitatis Romana archiva cuſtodiunt. Ut credibile ſit hac de cauſa Deum voluiſſe hanc deſcriptionem fieri, ut Chriſtiani inde probarent infidelibus Chriſtum in Bethleem de familia David natum eſſe.

2. Hæc deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino:

2. HÆC DESCRIPTIO PRIMA FACTA EST A PRÆSIDE SYRIÆ CYRINO, non prima abſolutè, ſed prima ſub iſto Cyrino, ſeu Quirino, ut alii nominant: nam egit ipſe & ſecundum cenſum poſt mortem Archelai, filii Herodis, multis ſcilicet annis poſt iſtum primum, de quo loquitur Joſeph. ſuprà cit. Quem cùm Euſebius putaſſet eumdem eſſe cum eo, de quo hîc Lucas, hinc factum eſt, ut Joſephum graviter

erraſſe plerique Annalium Scriptores exiſtimaverint, cùm fuerit error Euſebii, non Joſephi. Prima igitur hæc deſcriptio dicitur facta à Cyrino, quia inchoavit eam: perficiendam verò reliquit Sentio Saturnino, ut Tertull. 4. contra Marcion. cap. 19. inſinuat. Quamquam aliqui putent, hunc cenſum à Cyrino extraordinariè fuiſſe actum in Syria, cùm neque Conſul eſſet, neque Præſes Syriæ, ſed Saturninus, cui eum propterea adſcribit Tertull. Et ideò id, quod Lucas dicit, *à Præſide Syriæ*, Græcè eſt ἡγεμονεύοντος, id eſt, *imperante*, ſcilicet per Præfecturam extraordinariam. Quam rationem exponendi difficultatem eſſe ſimpliciſſimam, & à pluribus remoris expeditam, putat Dionyſius Petavius. Sed quia iſtam extraordinariam illius Præfecturam probare difficile eſt, hinc aliqui ſuſpicati ſunt, ſolutionem ex Græca phraſi petendam, quam ſic exponi poſſe volunt, ut ſenſus ſit: Hæc deſcriptio facta eſt, priuſquam præſideret Syriæ Cyrinus, ſcilicet Sentio Saturnino. Nam Cyrinus adhuc diu poſt præſedit Syriæ, juxtà teſtimonium Joſephi de cenſu agentis.

3. ET IBANT OMNES, UT PROFITERENTUR: Græcè eſt idem verbum, quod v. 1. ἀπογράφεσθαι, *ut deſcriberentur*, id eſt, ut nomina & familias ſuas apud acta denuntiarent, & cenſum pro facultatibus ſolverent. SINGULI IN SUAM CIVITATEM, ſcilicet ibant, ubi nimirum familiæ caput erat. Nam Romani videntur in Judæa ſervaſſe modum cenſendi, in illo populo uſitatum, qui ſolebat fieri per tribus, & inde per tribuum familias, & familiarum capita: nam illa ratio datur verſu 4.

3. Et ibant omnes ut profiterentur ſinguli in ſuam civitatem.

4. ASCENDIT AUTEM ET JOSEPH A GALILÆA: quia Judææ ſitus altior erat, quàm Galilææ. Et hinc eſt, quod in Scripturis paſſim dicuntur *adſcendere in templum Domini*, quia altiſſimo loco ſitum, *& deſcendere in domum Regis*: & rurſum Chriſtus dicitur *aſcendiſſe Jeroſolymam*, & *deſcendiſſe Capharnaum*, quæ erat vicina Galilææ, DE CIVITATE NAZARETH, ubi habitabat: nam in deſcriptione nulla habebatur ratio, ubi quis natus eſſet, vel habitaret, vel domum, aut bona ſua haberet, ſed loci familiæ celebris. IN CIVITATEM DAVID, QUÆ VOCATUR BETHLEEM: quod additur diſtinctionis causâ. Erat enim & alia civitas David, arx Sion, quam armis occupaverat, ſed in Bethleem natus erat: quam parum ſplendidam, parumque populoſam Dominus prælegit nativitati, ſicut Jeroſolymam paſſioni, inquit Leo Serm. 1. de Epiphania. Accedebat & nominis congruentia: nam ex Bethleem, id eſt, domo panis conveniebat panem vitæ procedere. Eo QUOD ESSET DE DOMO ET FAMILIA, id eſt de familia DAVID: nam prius nomen exponitur per poſterius. Quamvis alioqui *Familia* & *domus* diſtingui poſſint: ut *Tribus* dicantur à primis filiis Jacob & Joſeph; *Familiæ* à celebribus quibuſdam nepotibus eorum; *Domus* à ſingulis patribus familias. Sed hæc diſtinctio non ſemper ſervatur in Scripturis. Inſinuatur autem hîc, omnes omninò de ſtirpe David ſimiliter in Bethleem eſſe deſcriptos.

4. Aſcendit autem & Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem: eo quod eſſet de domo & familia David,

5. UT PROFITERETUR, Græcè eſt iterum ἀπογράφεσθαι, *ut deſcriberetur*, ſed Interpres noſter cauſam deſcriptionis reſpexit; quæ fiebat, ut quiſque ſe hujus, vel illius eſſe familiæ, & Imperatori perſoluto cenſu

5. Ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore pregnante.

subjectum esse profiteretur. CUM MARIA: nam & fœminæ censebantur, maximèque quia unigenita, & hæres erat de familia David. DESPONSATA SIBI UXORE, id est, sibi nupta, sed incognita, ut dictum est cap. præced. v. 24. PRÆGNANTE, id est partui jam proximâ; ut satis constet actum hoc divinitùs, ut tale iter in illo statu susciperet, videlicet in publicis tabulis censuum profiteretur Maria se Josephi uxorem, ortam ex tribu Juda, ex familia David, subjectam Cæsari, atque ita indubitata fides fieret posteris. Et hinc est, quòd Christiani, ut suprà diximus, ad illas tabulas censuum provocabant.

6. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

6. FACTUM EST AUTEM CUM ESSENT IBI, id est, cùm aliquot diebus ibi hærerent, IMPLETI SUNT DIES, UT PARERET: naturales scilicet & legitimi, quos dies Augustin. libr. 83. Quæst. Evangel. qu. 56. ponit ducentos septuaginta sex, hoc est novem menses, & sex dies; tot enim inveniri ait inter VIII. Kalendas Aprilis, quo conceptus est, & VIII. Kal. Januarii, quo natus est Dominus, sicut à majoribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodiat auctoritas, inquit idem, lib. 4. de Trinit. cap. 5. ubi hoc latiùs tractat.

7. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diversorio.

7. ET PEPERIT, enixa, aliarum matrum more, quâdam activitate; sine qua quidem Christus de matre natus, non tamen mater ita propriè filium peperisse diceretur. In quo partu Augustin. 10. de civit. cap. ult. agnoscit cum Ecclesia proprium Salvatoris miraculum, quòd scilicet Virgo peperit, quòd fieri non potuit, nisi claustro virginitatis non reserato, & consequenter non sine penetratione dimensionum. Peperit & sine dolore: quia sine corruptione conceperat, ut Bernardus in illud Apocal. *Signum magnum, &c.* Additur apud Zenonem Serm. 6. de Nativit. filium sine sordibus delibutum prodiisse, cum quibus proles solent. Sed Hieron. refragatur, qui lib. contra Helvidium, sicut dicit Virginem per genitalia peperisse filium, ita & tegmine membranarum soluto circumvolutum, & Epist. 22. cruentatum. Non enim, inquit, erubescimus, non silemus, quanto sunt humiliora, quæ pro me passus est, tanto plus ei debeo. FILIUM SUUM PRIMOGENITUM, id est, ante quem nullum alium genuerat: non enim habet hîc respectum ad secundogenitum; ita ut primogenitus & unigenitus reipsa hîc idem sint. Quamquam Epiphan. Hæresi 78. velit primogenitum vocari non respectu Virginis, quasi diceretur, primogenitum suum, sed absolutè primogenitum omnis creaturæ, sicut Apostolus vocat. ET PANNIS EUM INVOLVIT: Græcè ἐσπαργάνωσεν, *fasciavit*, seu *fasciis involvit*, sicut infantes involvi solent. Nulla enim ibi obstetrix, nulla mulierculorum sedulitas intercessit: ipsa pannis involvit infantem, ipsa & mater & obstetrix fuit, ut Hier. contra Helvidium. Quod & clariùs ex eo patet, quia REELINAVIT EUM, præ teneritudine consistere, aut sedere non valentem. Nam fasciare & reclinare, & similia opera facere, non est mulieris decumbentis, aut obstetricibus utentis, ut quidam deliraruut: IN PRÆSEPIO, tamquam in cunis. Causa erat, QUIA NON ERAT EIS LOCUS, hospitandi. IN DIVERSORIO; sive propter confluxum populi, describendi causa accurentis, sive simul potiùs, quòd odiosa esset paupertas, & instans mulieris puerperium. Porrò insinuat istis verbis Evangelista Christum in stabulo, cujus præsepe est velut

mensa, natum esse; quod quidem Ambrosius putat fuisse appendicem diversorii. Euseb. tamen lib. 7. de demonstrat. Evang. & Hieron. qui illis in locis versati fuerunt, aliique communiùs tradunt in agro Bethleemitico, seu in suburbiis ejus fuisse. Fuit autem spelunca, ut Orig. lib. 1. contra Celsum omnibus aliis consentientibus, ad quam pastores agere solerent de more pecora sua. Unde bovem & asinum præsepi stetisse alligatos, juxtà prophetiam Habacuc 3. secundùm LXX. tradit. Hieron. Epist. 27. Nazianz. de Christi nativit. Nyssen. Paulinus & alii. Spelunca ista marmore postea tecta fuit, & super eam structa grandis Ecclesia.

8. ET PASTORES ERANT IN EADEM REGIONE, Bethleemitica, nempe circa turrim Ader, seu Gregis dictam, ubi Jacob paverat gregem suum, ut Hieron. tum lib. Quæst. in Genes. tum Epist. 27. Græcum autem ἐν τῇ χώρᾳ τῇ αὐτῇ, sonat potiùs *in eodem agro*, quo videtur magis insinuari in agro fuisse locum nativitatis Christi. VIGILANTES, Græcum ἀγραυλοῦντες significat in agro tabulantes, seu pernoctantes, ut exponit Euthymius quod etiam hyeme in regionibus calidis frequens est: ut imperitè colligat hinc Scaliger non esse natum Christum hyeme. ET CUSTODIENTES VIGILIAS NOCTIS, id est, quatuor illas notissimas noctis vigilias vicissim ordine suo peragentes pro gregibus adversus lupos & fures, sicut milites contra hostes. Itaque indicatur plures fuisse, quos Beda de locis sanctis & Bernard. Serm. 6. de Nativit. tres fuisse ponit. Porrò quo mysterio primos discipulos Deus elegit piscatores, eodem & pastores, infirma videlicet mundi præferens, ut confunderet fortia.

8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

9. ET ECCE, ex improviso, ANGELUS DOMINI, qui creditur fuisse idem Gabriel. Unde Beda, verbis ex Ambr. mutuatis: Angelus Mariam, Angelus Josepha, Angelus pastores instruit, & concipiendum, & conceptum & natum, cæli cives Dominum loquuntur; eumdem Angelum fuisse insinuans. STETIT JUXTA ILLOS, visibili scilicet corpore, & propter nativitatem Christi in humana carne jam familiarior. Nam, ut August. 9. de Civit. c. 9. ad ærumnas hujus vitæ (scilicet ex peccato damnatæ) pertinet, quòd Angeli nobis non eâ, quâ homines, familiaritate misceantur. ET CLARITAS DEI, id est, splendor quidam eximius divinitùs circumfusus, CIRCUMFULSIT ILLOS, id est, fulsit circùm illos, ut & tenebræ noctis dispellerentur, & divinitùs missum intelligerent: TIMUERUNT TIMORE MAGNO, humana videlicet infirmitate, quam ad subitam Dei, vel Angelorum apparitionem experiri solent.

9. Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

10. ET DIXIT ANGELUS: NOLITE TIMERE. Ita quippe boni Angeli solent timorem abstergere, ut animo tranquillo verba sua accipi possint. Ecce enim non est causa timendi, sed gaudendi, QUIA EVANGELIZO VOBIS, pro cæteris, qua in re singularis vestra fœlicitas est, GAUDIUM MAGNUM, id est, causam, seu objectum gaudii magni: QUOD ERIT, non vobis tantùm privatim, sed publicum OMNI POPULO, Judaico. Non enim ad Gentiles respici, sed ad exspectationem Judæorum suadet circumstantia personarum, ad quas loquitur.

10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnū, quod erit omni populo:

11. QUIA NATUS EST VOBIS, Israëlitis in Messiæ sibi promissi exspectationem attentissimis, SALVATOR: quo nomine sæpe promissus erat

11. Quia natus est vobis hodie

Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.

à Prophetis, ut Isaïæ 62. vers. 11. Zachariæ 9. vers. 9. QUI EST CHRISTUS, Messias ille vester, seu unctus, non quolibet modo, sicut & alii *Christi* vocantur, sed CHRISTUS DOMINUS, qui scilicet unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, ut non aliorum Christorum conditione servus sit, sed Dominus, quò divinitas ejus indicatur. IN CIVITATE DAVID, scilicet Bethleem, ut suprà dictum. Maluit hac periphrasi uti, quàm nomine proprio, ut indicaret promissionem Davidi factam, jam impletam esse, ut Iren. lib. 3. cap. 11.

12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, & positum in præsepio.

12. ET HOC VOBIS SIGNUM, erit, non probativum, Salvatoris humilitas scilicet & paupertas nascentis, ut S. Bernardus voluit, moraliter potiùs quàm litteraliter: sed signum distinctivum illius infantis ab aliis, quos quærere potuissent. INVENIETIS INFANTEM PANNIS INVOLUTUM, fasciis puerilibus, POSITUM IN PRÆSEPIO, quasi natum more pastoris, qui pastor unus & bonus futurus est, juxtà Prophetas. Cùm autem ex nomine præsepii locum pastores intellexerint, consequens videtur, præsepium fuisse publici stabuli, pastoribus passim notum, vel certè non omnia Angeli verba hîc esse expressa. Porrò pastoribus maluit Deus primò revelare Christum suum, tum ex illa generali, & archiva regula divinæ providentiæ, ex qua stulta, & infirma, & ignobilia mundi solet eligere; tum quia quantò vilior eorum persona erat ad humanam prudentiam, tantò pretiosior erat ad faciendam fidem, inquit Ambr. nescit enim fucare, vel palliare simplicitas: tum denique, ut essent typus pastorum Ecclesiæ, quos primos Deus elegit illiteratos & simplices, ad prædicandam aliis Christi nativitatem.

13. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium,

13. ET SUBITO FACTA EST CUM ANGELO MULTITUDO MILITIÆ CŒLESTIS, id est, magna cœlestium Angelorum multitudo, instar exercitûs: quo nomine passim Angeli vocantur, quia numero innumerabiles sunt, Job 25. vers. 3. quia ordine per choros tanquam legiones dispositi sunt, quia potentissimi, quia Deo, Imperatori summo, ad nutum præsto sunt, ad debellandos hostes, tum visibiles, tum aërias dæmonum potestates. Et hinc vocatur Deus ipse, *Dominus virtutum, exercituum, sabaoth*, quæ idem sunt. LAUDANTIUM DEUM, de tanto beneficio, non sibi quidem, sed hominibus præstito. Utilis fuit ista tantorum testium multitudo, ut non offenderentur paupertate nascentis, cujus majestati & gloriæ servirent.

14. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

14. GLORIA IN ALTISSIMIS DEO: id est, gloria, honor, & laus debetur Deo, qui habitat in altissimis, nempe cœlo, vel Angelis: vel potiùs gloria debetur, ac defertur Deo in altissimis, scilicet cœlo & cœlestibus Angelis, ut significetur, glorificationem esse fructum, qui Angelis, altissimum creaturæ locum obtinentibus, ex Christi nativitate obtigit. ET IN TERRA, sedibus altissimis opposita: PAX HOMINIBUS, scilicet cum Deo, quia per Christi nativitatem homines Deo reconciliati sunt: quæ pax in eis fons est omnium bonorum BONÆ VOLUNTATIS, quod Augustin. 4. de Civit. cap. 8. & alibi exponere solet de bonâ voluntate hominum, quasi dicerent, pax hominibus, habentibus bonam voluntatem: sed Græcè est in Nominativo *eudocia bona voluntas*, quod significare solet in Scripturis bonam

bonam voluntatem, non hominum, ſed Dei, quam vocamus benevolentiam & beneplacitum Dei erga homines. Itaque Græci nonnulli trimembrem faciunt hunc hymnum; ut prima pars ſit, *Gloria in altiſſimis Deo*: ſecunda, *Et in terra pax*; tertia, *Hominibus bona voluntas*. Sed longè rectiùs illa poſtrema in unum conjunguntur, & quidem in Genitivo, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: ſic enim omnes Latini & antiquiores aliqui Græci legerunt; & ita illud, *bonæ voluntatis*, referendum eſt, vel ad *pacem*, ut ſenſus ſit, pax bonæ voluntatis, id eſt, pax non profecta ex meritis, ſed ex gratuita Dei benevolentia, obtigit hominibus: vel faciliùs & molliùs ad illud, *hominibus*, hoc ſenſu: Pax data eſt hominibus, quos Deus benevolè dilexit, ſeu in quibus ſibi complacuit. Quo nomine electi & prædeſtinati vocari ſolent; nam illis præcipuè Salvator venit, & pax allata eſt.

15. ET FACTUM EST, UT DISCESSERUNT ANGELI IN CŒLUM; quo ſe Angelos bonos fuiſſe ſignificabant, & ad hunc tantum actum extra ordinem miſſos à Deo: PASTORES LOQUEBANTUR AD INVICEM. Inſinuaverant enim Angeli operæ pretium eſſe, Deóque gratum, ſi oculis rem explorando viſionem adhuc magis credibilem redderent. VIDEAMUS HOC VERBUM, QUOD FACTUM EST, id eſt rem quæ accidit, phraſi Hebraicâ: quamvis hîc ſatis commodè accipi poſſit propriè pro verbo, ſeu nuntio, quod ipſis annuntiatum erat, conformiter ad verſ. 17. & ad id, quod mox ſequitur. QUOD DOMINUS OSTENDIT NOBIS, annuntiando per Angelum. Quod indicant ſe non tantùm rei novitate, ſed & Domini oſtenſione moveri ad explorandum, ne beneficio viderentur ingrati, aut increduli. Quod verò Ambroſ. & Bernardus Serm. 22. in Cant. intelligunt verbum incarnatum, ſeu factum hominem, videtur minùs hoc loco congruere.

15. Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum: paſtores loquebantur ad invicem: Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.

16. Et venerunt feſtinantes: & invenerũt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio.

17. VIDENTES AUTEM, ſcilicet Mariam, Joſeph, & infantem in præſepio, COGNOVERUNT DE VERBO, id eſt, re ipſa compererunt verum eſſe, quod Angelus dixerat DE PUERO HOC: quatenùs dixerat inveniendum in præſepio. Nam eumdem eſſe Salvatorem non viderunt, ſed crediderunt, illâ prædictione & Dei internâ illuſtratione permoti.

17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18. ET OMNES, QUI AUDIVERUNT, MIRATI SUNT: quo ſignificatur paſtores ea divulgaſſe. Unde verbum Græcum, θαυμάσαν, quod verſ. 17. vertitur, *cognoverunt*, quidam transferunt *divulgaverunt*. ET DE HIS, QUÆ DICTA ERANT A PASTORIBUS. Græcè & Syriacè deeſt, &, videturque ſenſum impedire. Unde quidam ſic exponunt, ut mirati dicantur, quia audiverant concentum Angelicum, & ea, quæ dicebantur à paſtoribus: alii, ut dicantur mirati non ſolùm rem, quam audiverant, ſed etiam ea, quæ dicebantur à paſtoribus de nuntio Angelico: quamvis ſimpliciùs, &, accipi poſſit pro, *id eſt*.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt: & de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.

19. MARIA AUTEM CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC, id eſt, omnes res iſtas geſtas, tum circa ſe in concipiendo, & pariendo, tum circa paſtores, CONFERENS IN CORDE SUO, ſequentia ſcilicet cum præcedentibus, in quibus videbat magnam omnium conſpirationem ad ejuſdem myſterii confirmationem & fidem. Singulare exemplum da-

19. Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.

20. Et reverſi-

tur virgineæ taciturnitatis, prudentiæ, & modeſtiæ, quòd non ipſa-met in vulgus jactaret omnia, ſed corde perpenderet, ut notat Ambroſius.

21. Et poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circũcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Jeſus quod vocatum eſt ab Angelo prius quàm in utero conciperetur.

21. ET POSTQUAM CONSUMMATI SUNT DIES OCTO. Conſummatio refertur non ad ipſos dies, quaſi expletis omninò totis octo diebus ſit circumciſus, ſed ad dierum numerum, quia ſeptem dies integri completi erant, & octavus inchoatus, qui per ſynecdochen dicuntur octo dies, phraſi Hebræis familiari, ut patet Matth. 27. verſ. 63. & clarè Geneſ. 40. verſ. 13. & 19. collatis cum verſu 20. UT CIRCUMCIDERETUR PUER, id eſt, quo juxtà legem circumcidendus erat, idque ſine legalis quidem præcepti neceſſitate; ſed ut propriâ dignatione factus ſub lege, legis obedientiam nobis commendaret; ut declararet ſe veram aſſumpſiſſe carnem, contra Manichæum: ut oſtenderet ſe non cœleſte corpus detuliſſe de ſupernis, contrà Valentinum, neque conſubſtantiale divinitati, contrà Apollinarem: ut Judæis tolleret excuſationem, quod ideò non recepiſſent eum, quia circumciſione caruiſſet, ſicut hæc indicat Epiphanius Hæreſi 30. Circumciſus autem fuit ſecundùm quoſdam à Maria, quod Epiphan. videtur improbare; ſecundùm alios à Joſeph. Auguſt. tamen lib. 2. contra Parmenian. cap. 17. dicit hoc fieri ſolitum à Judæis, cui Epiphan. magis favet, & res magis poſtulat, ut veritas circumciſionis ejus per publicum extraneorum teſtimonium eſſet extra ſuſpicionem. ET VOCATUM EST NOMEN EIUS JESUS, de cujus etymologia dictum eſt Matth. 1. verſ. 21. QUOD VOCATUM EST AB ANGELO: ſignificans ita non temerè, non caſu, non humano, ſed divino impoſitum fuiſſe conſilio: PRIUSQUAM IN UTERO CONCIPERETUR. Quo clariſſimè oſtenditur, Chriſtum conceptum non niſi abſolutâ Angelicâ legatione, non autem antè, ut quidam putaverunt.

22. Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino,

22. ET POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURGATIONIS EIUS, Mariæ ſcilicet: eſt enim Græcè fœmineum καθῆς, id eſt, dies, quibus legaliter purganda videbatur, SECUNDUM LEGEM MOYSI: quæ ſtatuit Levit. 12. ut, ſi peperiſſet maſculum, immunda eſſet ſeptem diebus, juxtà dies ſeparationis menſtruæ, hoc eſt ſicut immunda erat mulier menſtruata, quæ quidquid tangeret, reddebat immundum, etiam homines. Deinde alios triginta tres dies manebat immunda, juxtà ritum obſervatu faciliorem, quo ſolùm arcebatur à Sanctuario, & à contactu rei ſanctæ; ita ut dies purgationis eſſent ſimul quadraginta. Eáque de cauſa totidem ſunt à die nativitatis Dominicæ uſque ad diem purificationis utrimque incluſivè. Itaque *poſtquam impleti ſunt dies, &c.* Phraſis omninò ſimilis eſt præcedenti, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo.* Nam quadrageſima dies purgationis adhuc agebatur, in quo per oblationem ſacrificii finiebatur purificatio. Lex iſta in Virgine non habuit locum, partim, quia non pepererat ſuſcepto ſemine, ut lex loquitur, ſed de Spiritu-ſancto, partim, quia fœdi illi & horrendi ſanguinum & ſordium fluxus, quos puerperæ per plurimos dies pati ſolent, & quibus purgantur, non eſt paſſa, quæ ſine dolore naturæque contumelia peperit, ut Auguſt. libr. De quinque hæreſib. cap. 15. & Cyprian. Serm. De nativitate Domini. Eam tamen obſervavit, ſicut filius Legem de didrachmo ſolvendo, ne videlicet ignorantes puritatem ejus offenderent-

tur. TULERUNT EUM IN JERUSALEM, UT SISTERENT EUM DOMINO, id est, ut eum tamquam Domino debitum ratione primogenituræ Domino offerrent.

23. SICUT SCRIPTUM EST IN LEGE DOMINI. Hæc est alia Lex, quæ habetur Exodi 13. vers. 12. De masculis primogenitis, tam in pecoribus quàm hominibus, ista videlicet: OMNE MASCULINUM ADAPERIENS VULVAM. Periphrasis est primogeniti ex matre, qu. d. Omne quod primò nascitur; hoc enim videtur matris uterum adaperire, ut aliis nascituris viam faciat. Hinc est, quòd Ambros. & Hieronym. 2. contrà Pelag. & alii quidam, putent hanc Legem soli Christo conveniisse, eo quòd ipse solus matris vulvam clausam, licet permanentem, nascendo adaperuerit, quod aliis mulieribus fit concumbendo. Sed certum est, Legem Exodi etiam brutis conveniisse, itemque hominibus. Alii volunt Christo soli non convenire, eo quòd ne nascendo quidem matris vulvam adaperuerit: sed hæc sententia videtur Evangelio repugnare, utpote quod hanc Legem Christo adaptare videatur. Rectiùs ergò dixerimus, periphrasim esse nativitatis primogeniti, sicut suprà indicavimus, sive illa fiat aperiendo vulvam, sive aliter. Loquitur enim Scriptura juxtà morem nascendi usitatum. Nam Hebraicum verbum פטר, *Péter*, solummodò significat uteri laxationem, seu dimissionem, quâ fœtus ab utero dimittitur, sive interim adaperiatur uterus, ut communiter fit, sive clausus maneat. Et hinc est, quod Scriptura aliquando soleat illam jam dictam periphrasim explicare nomine primogeniti, ut patet Levit. 27. vers. 26. SANCTUM DOMINO VOCABITUR, id est, dedicatum Domino erit ad opera religionis: nam primogenita mundorum animalium immolabantur Deo, primogenitum hominis redimebatur pretio quinque siclorum, eo quòd Levitæ in locum primogenitorum successissent ad serviendum Deo.

23. Sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur.

24. ET UT DARENT HOSTIAM, supple, profecti sunt in Jerusalem, non autem tulerunt eum: nam ad offerendam hostiam non erat necesse ferre puerum ad templum. SECUNDUM QUOD DICTUM EST, seu statutum, IN LEGE DOMINI. Hæc est tertia Lex de sacrificio purificationis puerperæ, quæ habetur Levit. 12. & statuit, ut, si mulier pauper fuerit, & non potuerit Agnum offerre, offerrat PAR TURTURUM, AUT DUOS PULLOS COLUMBARUM: unum scilicet in holocaustum, quod cremabatur Deo, in gratiarum actionem pro fœlici partu; alterum pro peccato, scilicet legalis immunditiæ, à qua mulier purgabatur. Nam pro muliere immediatè offerebatur illa hostia, ut manifestè patet Levit. 12. vers. 7. Mediatè tamen videtur hæc oblatio etiam fuisse pro ipsâ prole, ut à peccato originali mundaretur, ut Augustin. sæpiùs, & maximè Quæst. 40. in Levit. & Leo Epist. 4. cæterùm Lucas non indicat, utrum obtulerint turtures, an columbas, quia verba Legis nudè recitat, omittens primam ejus partem de offerendo agno anniculo in holocaustum: quæ ad divites pertinebat, ut per hoc significaret eorum tantam fuisse paupertatem, ut vel non possent eum offerre, vel certè non deceret eos oblatione divitum fastum eorum præferre. Porrò utrâque oblatione, sive turturum, sive pipionum castitas significatur: turtur enim quacumque ætate casta est, columbæ verò libidinosæ quidem, sed in pullis earum

24. Et ut darent hostiam secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

per ætatem adhuc libido ſopita eſt, ut Bernardus Serm. 59. in Cant.

25. Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus-ſanctus erat in eo.

25. Et ecce, rem novam & opportunam, HOMO ERAT IN JERUSALEM: quâ epitheti ſimplicitate ſignificatur fuiſſe vulgarem & laicum; nec enim ſacerdotis dignitatem, qualem quidam fuiſſe putant, taciturus fuiſſe videtur Lucas. CUI NOMEN SIMEON, ſeu Simon, Hebræis enim & Syris idem nomen eſt: ET HOMO ISTE IUSTUS ET TIMORATUS: timore, qui Deum reveretur & offendere timet: Græcè enim eſt, *δίκαιος καὶ εὐλαβὴς*, *pius & religioſus*. EXSPECTANS CONSOLATIONEM ISRAEL, quam Chriſtus Dominus allaturus erat adventu ſuo; ut ſcilicet finem acciperèt peccatum, & adduceretur juſtitia ſempiterna, ſicut prædixit Angelus apud Danielem: hoc enim ardentibus votis antiqui exſpectabant. ET SPIRITUS-SANCTUS ERAT IN EO: non ſolùm quia juſtus erat, ſed etiam quia prophetavit. Nam videtur reſpicere ad id, quod ſequitur, & cauſam dare, propter quam

26. Et reſponſum acceperat à Spiritu-ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini.

26. RESPONSUM ACCEPERAT A SPIRITU-SANCTO, qui in ipſo tamquam templo ſuo habitans reſponſa dabat. Quale enim templum, in quo non loquitur, nec reſpondet Deus? inquit Auguſt. prologo in libros De doctr. Chriſtiana. Loquitur autem diverſis modis, ſive cognitas ſemper virtutes in memoriam revocando, ſive novas abſtruſaſque revelando, ſicut hoc loco: NON VISURUM, ſeu experturum, SE MORTEM, id eſt non moriturum: quæ phraſis in Scripturis uſitata, ut Pſal. 88. verſ. 49. & alibi. NISI VIDERET, non ſolâ fide, quemadmodum juſti & Prophetæ cæteri, ſed oculis corporis CHRISTUM DOMINUM, illum videlicet qui præ cæteris omnibus à Domino unctus eſt Spiritu-ſancto, qui omnium unctorum, Regum videlicet & Sacerdotum, architypus & ſcopus fuit: unde Græcè additur articulus *τὸν χριστὸν*.

27. Et venit in ſpiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Jeſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo.

27. ET VENIT IN SPIRITU, id eſt Spiritu-ſancto eum inhabitante inſtigatus: nam quos ille inhabitat, eos etiam dirigere ſolet, & in eis tales effectus operari. ET CUM INDUCERENT, ſeu inferrent, PUERUM JESUM PARENTES EIUS, UT FACERENT SECUNDUM CONSUETUDINEM LEGIS PRO EO: non quæ jubebat offerre ſacrificium: nam hoc non fiebat propriè pro prole, ſed quâ proles debebat ſiſti Domino tamquam primogenita, & quinque ſiclis redimebatur.

28. Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas & benedixit Deum, & dixit:

28. ET IPSE ACCEPIT EUM IN ULNAS SUAS: ubi illud, *&*, quidam ſuperfluum eſſe putant, ſicut apud Hebræos frequenter; alii pro, *tunc*, accipi: ſed propriè accipi poteſt, ut copulet Simeonem cum parentibus Jeſu, tamquam qui videns puerum in ulnis portari, ex manibus Virginis etiam ipſe eum acceperit, ut Iren. libr. 3. cap. 18. indicat. ET BENEDIXIT DEUM, cum gratiarum ſcilicet actione laudando, quòd conſolationis exſpectatæ fructu non eſſet fruſtratus; nec tantum videre Chriſtum Domini, ſed & ulnis dilectionis amplecti licuiſſet.

29. Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace:

29. NUNC DIMITTIS: quod multi pro, *dimittes*, poſitum volunt; ſed potiùs pro præſenti uſurpari dixeris, quaſi ſignificaret, quem hactenus contrà propriam quaſi inclinationem naturæ in vita detinuiſti, ut promiſſum tuum erga me impleres, NUNC tandem DIMITTIS SERVUM TUUM, ut juxta naturæ inclinationem in mortem decidat, idque SECUNDUM VERBUM, ſeu reſponſum TUUM, quia non ultra hoc tempus ſe ex-

tendit promissionis tuæ veritas, ut mortem non videam IN PACE, quod refer ad *dimittis*: q. d. Nunc dimittis me contentum tranquillo pacatóque animo; quo modo Jacob dixit, *Jam lætus moriar*, quia vidi faciem tuam & superstitem te relinquo. Causam enim omnino similem hîc subjicit:

30. QUIA VIDERUNT OCULI MEI, etiam corporis, SALUTARE TUUM, id est salutem tuam, Christum videlicet salutis nostræ auctorem. Verbum enim Hebraïcum, quod LXX. Interpretes plerumque *Salutare* vertunt, nihil aliud quàm salutem significat: sed *Salutare* potiùs vertere maluerunt, ut causam salutis, sive Deum, sive Christum insinuent: quem loquendi modum hîc Lucas sequitur.

30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.

31. QUOD, supple Salutare, seu quem salutis auctorem, PARASTI ANTE FACIEM OMNIUM POPULORUM, id est, oculis totius mundi proposuisti, ut in eum credendo salutem assequantur. Loquitur autem prophetice de re per prædicationem futura, tamquam de præterita.

31. Quod parasti ante faciem omnium populorum:

32. LUMEN, id est lucem, quartus enim casus est AD REVELATIONEM GENTIUM, id est parasti eum, ut sit lumen ad illuminandas gentes, in summa veritatis ac Dei ignoratione versantes. Alludit enim ad prophetias, quæ Christum peculiariter ad miserabilem gentium cæcitatem auferendam missum prædicant: de quo Isaiæ c. 42. v. 6. *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum &c.* ET GLORIAM PLEBIS TUÆ ISRAEL, id est, ut sit gloria, ac decus Israëlitis, qui peculiaris tibi populus ab initio fuit. Magnam quippe gloriam attulit Christus Israëli, quòd ex illo populo carnem assumpsit in illo natus & conversatus est, ab illo gentibus prædicatus. Quamvis igitur & plebi Israël Christus lumen fuerit, & gentibus gloria, utrique tamen populo tribuit id, quod ei maximè peculiare fuit.

32. Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

33. ET ERAT PATER EIUS, Græcè, *Joseph*, qui pater dicitur, non tantùm ex hominum opinione, putantium Jesum ex Joseph more aliorum natum, sed etiam jure conjugii, quo multò conjunctiùs dicitur pater ejus, qui ex ejus conjuge natus fuit, quàm si esset aliundè adoptatus, ut Augustin. lib. 2. De consensu cap. 1. ET MATER MIRANTES: nam & ipsi matri ordo mysteriorum, quæ jam generatim Angelo nuntiante noverat, enucleatiùs innotescebant. SUPER HIS, QUÆ DICEBANTUR DE ILLO. Euthymius ad sola jam dicta Simeonis verba refert, Origen. Homil. 16. ad omnia præcedentia: sed non malè referri possunt simul etiam ad sequentia, ut sit & epilogus præcedentium, & præfatio sequentium; quæ ipsis maximè mirandi causam præbere potuerunt. Cùm enim Simeon benedixisset eis, sive benè precando sive talem eis filium gratulando:

33. Et erat pater ejus & mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo.

34. DIXIT AD MARIAM MATREM EIUS: nam Joseph, cùm hæc contingere debebant, scilicet in prædicatione & passione Domini, juxta multorum opinionem, ex hac vita migraverat, ECCE POSITUS EST HIC IN RUINAM, id est ad ruinam, seu ut sit ruina & perditio multorum in Israël: effectum enim positionis, non finem significat. Alludit autem ad prophetiam Isaiæ c. 8. ubi dicitur Dominus futurus *in lapidem offensionis, & petram scandali*, id est, in lapidem, in quem offendant

34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum

in Israël, & in signum cui contradicetur.

& cadant, metaphorâ sumptâ ab offendiculis pedum : nam exponens verba sua (scilicet Isaias) addit, *In laqueum & ruinam habitantibus Jerusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur & capientur.* Factum est hoc per Judæorum incredulitatem, sicut hic locus exponitur, 1. Petri 2. v. 7. ET IN RESURRECTIONEM MULTORUM IN ISRAEL, id est, non solùm ad perditionem, sed etiam ad salutem multorum in populo Israël positus est. Nam illud, *multorum*, ad utrumque referri debet ; differenter tamen : nam ad ruinam est ex hominum vitio ; ad resurrectionem ex Salvatoris beneficio : & utroque metaphoricè significatur perditio & salus. Quo sensu dicit & Apostolus, 1. ad Corinth. 1. Christum crucifixum, *Judæis esse scandalum, Gentibus autem stultitiam*, itemque seipsum *aliis esse odorem mortis in mortem, aliis odorem vitæ in vitam.* Et positus est etiam hic IN SIGNUM, in quod collimant sagittarii ; Græcè εἰς σημεῖον, *in scopum*, juxtà illud Thren. 3. v. 12. *Posuit me quasi signum ad sagittam. Cui contradicetur*, Syriacè, *In signum contradictionis*, seu *contentionis :* in quod certatim omnes & passim jaciant sagittas contradictionis suæ, tam manu, quàm linguâ, tam factis, quàm verbis, donec blasphemiis confixum, & calumniis oppressum in crucem egerint. Quò respiciens Apostolus, ait, ad Hebr. 12. *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem.* Et quia hoc toti corpori cum suo capite commune est, ideo Christus apud Isaiam dicit c. 8. *Ecce ego & pueri mei in signum & in portentum Israël* ; cui scilicet portentosè contradicetur.

35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

35. ET TUAM IPSIUS ANIMAM, Nonnulli, *ipsius*, ad Christum retulerunt, hoc sensu, animam Christi, quæ tua est ; vel etiam animam tuam, quæ est ipsius Christi : sed textus Græcus omnem solvit ambiguitatem, quia, *ipsius*, est fœmininum. Itaque verus sensus est : Non solùm Christo velut scopo contradicetur, sed etiam tuam propriam ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS : quem aliqui intelligunt verbum Dei ; alii amorem, quo vulnerata fuit ; alii etiam dubitationem in fide, tempore passionis : sed interpretationes istæ partim falsæ, partim à scopo alienæ sunt. Gladius igitur intelligitur tribulationis, quo materna anima vulnerata fuit doloris affectu, inquit August. Epist. 59. quæst. ult. Quo sensu dicit Psalmus 104. de Joseph, compedibus vincto. *Ferrum pertransiit animam ejus.* Tribulatio autem ac dolor intelligitur ille, quem sensit ex illa omnium contradictione, quæ præcedit, tamquam gladio, quo filius petebatur, & quo in cruce & filius & mater transverberati sunt ; ille patiendo, hæc audiendo & spectando. Incredibili namque dolore transfixum esse matris affectum fateri cogit cruciatuum acerbitas, diuturnitas, & infamia, blasphemiarum indignitas ac multitudo, omnium in unum conspiratio, omnis consolationis defectus, amoris denique magnitudo, quo talem filium, talia coram patientem, talis mater spectabat. Ut meritò S. Bernard. Serm. 29. in Cant. dicat compassionis affectum in dolore exsuperasse corporeæ passionis sensum. UT REVELENTUR EX MULTIS, seu multorum, CORDIBUS COGITATIONES. Referenda sunt ista verba ad versum præcedentem, ut illa, *& tuam ipsius animam*, &c. quasi per parenthesin

inserta legantur, & iste sensus sit. Positus est Christus in ruinam, & resurrectionem, & in signum, &c. Ut ita secreta cordium multorum, quæ antè latebant, in apertum proferantur, quo videlicet animo quisque sit erga Christum ac Deum, pio an impio, fideli an infideli. Nam ut Beda notat, incertum erat antea, qui Judæorum Christum & gratiam ejus, quem venturum noverant, & crepabant ac desiderabant, reciperent, qui respuerent, qui verâ, qui simulatâ pietate justitiam sectarentur. Adventu & prædicatione ipsius patefactum est, quis esset singulorum erga Deum, Christum, & justitiam animus.

36. ET ERAT ANNA PROPHETISSA, hoc scilicet cognomine passim nota: quo quidam recentiores nihil aliud significari putant, quàm quòd esset in Scripturis exercitata, docens juvenculas legem Dei. Sed rectiùs Augustin. lib. De bono viduit. capite 7. veram Prophetissam intelligit, quia, inquit, credendum est, eo spiritu prævidisse Christum ex virgine proximè esse venturum, quo potuit agnoscere & parvulum. FILIA PHANUEL DE TRIBU ASER. Nam ante adductam tribum Aser in captivitatem Babylonicam, multi de singulis tribubus transierant religionis causâ ad Judam & Benjamin, ut est 2. Paralip. 11. versu 16. Multi quoque captivitatem Assyriorum evaserant, etiam ex Aser, ut patet 2. Paralip. 3. versu 6. & 11. ex quorum reliquiis potuit esse Anna ista. Hæc cùm esset provectæ ætatis, VIXERAT CUM VIRO SUO SEPTEM ANNIS A VIRGINITATE SUA, id est, à die, quo virgo nupserat. Quibus verbis tacitè indicat castitatem ejus & virginalem ante nuptias, & conjugalem post nuptias; vidualem verò versu sequenti.

36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate sua.

37. ET HÆC VIDUA: quia noverat jam tempus esse, quo Christo non officio pariendi, sed studio continendi meliùs serviretur, inquit Augustin. loco citato. USQUE AD ANNOS OCTOGINTA QUATUOR, non viduitatis, sed ætatis. Meritum ergò Annæ eo maximè commendatur, inquit cap. 13. quia cùm tam citò in juventute expulisset virum, per prolixam ætatem suam diu cum carne conflixit & vicit. Et quia parum est esse viduam, nisi pietate commendetur, addit hyperbolicâ locutione. QUÆ NON DISCEDEBAT DE TEMPLO: non quòd in illo habitaret, sed in eo frequenter & penè assiduè studio religionis versaretur, JEJUNIIS ET OBSECRATIONIBUS SERVIENS, id est, per jejunia & orationes serviens Deo, Græcè λατρεύων, seu *latriam exhibens*; quod sacrorum Scriptorum usu cultum Deo debitum significat. Ex quo apertum reliquitur tam per jejunia secundùm se, quam per orationem coli Deum, non verò tantùm, quatenus carnem macerando, jejunia serviunt orationi, ut vult Calvinus in Harmonia sua Evangel. NOCTE AC DIE, id est, assiduè, præveniens jam tum præceptum Apostoli 1. ad Timoth. v. 5. ubi viduam jubet instare obsecrationibus & orationibus nocte ac die.

37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.

38. ET HÆC, tot videlicet nominibus commendata: nam, ut Ambros. notat, ideò Anna & stipendiis viduitatis & moribus talis inducitur, ut digna planè fuisse credatur, quæ redemptorem omnium venisse nuntiaret: IPSA HORA, qua Simeon de puero & matre prophetabat, opportunè & providentia Dei gubernante, SUPERVENIENS CONFITEBATUR DOMINO, id est, laudando gratias agebat pro accepto be-

38. Et hæc, ipsa hora supervenies confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus: qui expectabant re-

demptionem Israël.

neficio : illa quippe vis est verbi *Confitendi*, in Scripturis frequentissima. ET LOQUEBATUR DE ILLO, scilicet Domino, ut præcessit. Cùm autem constet intelligi puerum, consequenter de illo Domino tamquam omnium Domino loquebatur OMNIBUS, QUI EXSPECTABANT REDEMPTIONEM ISRAEL: eum videlicet declarans esse Messiam & redemptorem illum, quem Israël exspectabat.

39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suã Nazareth.

39. ET UT PERFECERUNT OMNIA SECUNDUM LEGEM, quæ de purificatione matris, de oblatione & redemptione primogeniti statuta sunt, REVERSI SUNT IN GALILÆAM: non immediatè ex Jerosolymis vel Bethleem, sed post interpositam fugam in Ægyptum. Nam Joseph ex Ægypto in Judæam, non verò in Galilæam redire voluit, ut patet Matth. 2. vers. 22. non aliâ sanè de causa, ut videtur, nisi quia ex Judæâ fugerat. Itaque etiam hîc notanda est consuetudo Evangelistarum, ita connectentium gesta diversa, quasi nihil intercesserit, cùm tamen multa interposita fuerint.

40. Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo.

40. PUER AUTEM CRESCEBAT, corpore, ET CONFORTABATUR, robore membrorum, ut pueri solent. Has enim vicissitudines ætatum subire voluit, ne, si plenâ statură prodiisset, phantasma fuisse videretur: PLENUS SAPIENTIA, q. d. non tamen simpliciter crescebat sapientiâ, sed ab initio plenus erat; sicut & GRATIA DEI, stabilis scilicet sine incremento, erat in illo. Nam his verbis quodammodò præmunivit nos Lucas, ne perperam intelligeremus id, quòd infrà v. 52. dicit, eum sapientiâ & gratiâ profeciisse, nimirum ita, ut profectus ille cum hac stabili plenitudine consistere possit.

41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

41. ET IBANT PARENTES EIUS PER OMNES ANNOS IN JERUSALEM, videlicet ad templum Domini. Præceptum enim erat Deuteron. 16. versu 16. ut ter in anno appareret omne masculinum in conspectu Domini, in solemnitate Hebdomadarum, id est, Pentecostes, & in solemnitate Tabernaculorum, & præcipuè IN DIE SOLEMNI PASCHÆ, ut videlicet ista frequentatione in Dei veri cultu continerentur. Et quamvis virgo ista lege non teneretur, pro suâ tamen pietate virum comitata est. Sed cur non timuerunt Archelaum, qui, ut colligitur ex Josephi 17. Antiquit. cap. 15. tunc adhuc superstes regnabat in Judæa? Respondet Augustin. 2. De consensu c. 10. habitationem in Jerosolymis timuisse parentes propter Archelaum, non tamen brevem peregrinationem, cum tanta turba undique confluente, facilè esset latere. Unde & Christus ipse quasi in occulto dicitur ascendisse aliquando ad diem Festum, Joan. 7. v. 10.

42. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundùm consuetudinem diei festi,

42. ET CUM FACTUS ESSET ANNORUM DUODECIM. Hoc unico actu Christi pueritiam & adolescentiam complexus est: idque opportunè, ut, quia totum illud disciplinæ suscipiendæ tempus est, adolescentiæ præberet formulam discendi, tractandique cum doctoribus, sicut postea vir vitis exemplum fuit agendi cum discentibus.

43. Consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes.

43. CONSUMMATISQUE DIEBUS, Azymorum, qui septem erant, CUM REDIRENT in Galilæam, REMANSIT PUER JESUS IN JERUSALEM, ET NON COGNOVERUNT PARENTES, id est, mansit infciis parentibus. Causa non fuit error, non casus, aut inobedientia, sed Dei consilium, ut ostenderet se in sui Patris cœlestis negotiis esse suæ libertatis & auctoritatis,

tatis, independentem à parentibus carnis : ut ſpecimen aliquod ſuæ divinitatis in illa ætate præberet ; ut modeſtiæ magnitudinem intelligeremus, qui, cùm talia poſſet, & antè & poſtea tot annos in ſilentio privatus ignotúſque latuit, nihil more vanorum hominum & fervidorum moliens ante tempus.

ſus in Jeruſalem, & non parentes ejus.

44. EXISTIMANTES AUTEM ILLUM ESSE IN COMITATU : in quo negotiis aliquibus in urbe implicati eum veriſimiliter reliquerant. Addit hoc, ut omnem incuriæ culpæque ſuſpicionem à parentibus removeret, tacitéque inſinuaret, puerum cum parentibus aſcendere redireque ſolitum : nam illa conſuetudo videtur eis fuiſſe cauſa talis probabilis exiſtimationis. VENERUNT, ſeu progreſſi ſunt, ITER DIEI, tamquam ſecuri, quòd in communi diverſorio ſub veſperam eum invenirent : diſtat enim Nazareth Jeroſolymis itinere circiter triduo. Itaque REQUIREBANT EUM INTER COGNATOS ET NOTOS, civitatis Nazarenæ ; ſive quod eum inter illos reliquerant, ſive quòd gregatim oppidani ejuſdem urbis maximéque conſanguinei ſimul redire ſolerent.

44. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu : venerũt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos.

45. ET NON INVENIENTES INGRESSI SUNT IN JERUSALEM : eò quòd nec præceſſiſſe comitatum, nec eum cum aliis egreſſum ſatis intelligerent. In hoc iter ſecundus dies impenſus eſt : REQUIRENTES EUM, tamquam depoſitum curæ ſuæ chariſſimum illius ætatis. Sed cur tanta ſollicitudo de illo, quem Deum eſſe non ignorabant ? nimirum quod, ſicut cætera corporis incommoda, famem, ſitim, imbecillitatem ambulandi, & ſimilia patiebatur, inſtar puerorum cæterorum, niſi parentum cura arcerentur ; ita meritò ſolliciti erant, ne & iſtis itineris & errorum incommodis ſubjaceret, quibus cæteri pueri ſolent : nec enim divina poteſtas ejus patentes à ſollicitudine & cura paterna eximebat.

45. Et non invenientes, regreſſi ſunt in Jeruſalem requirentes eum.

46. ET FACTUM EST, POST TRIDUUM INVENERUNT ILLUM, id eſt, tertio die ab amiſſione. Phraſis eſt enim Scripturæ familiaris, ut id, quod certo die futurum ſignificare velit, dicat futurum poſt diem illum, ſcilicet inchoatum, ut ſuprà verſ. 21. & 22. Itaque primo die amiſſus, ſecundo regrediendo quæſitus eſt, tertio invenerunt eum, IN TEMPLO, aliquo ſcilicet ejus loco, ſive in atrio, ſive in exedra, ad docendam legem, ac diſputandum deputato. Unde Paulus Act. 24. verſ. 12. *Neque in templo invenerunt me cum aliquo diſputantem :* & alibi dicit, ſe juxtà pedes Gamalielis eruditum. SEDENTEM IN MEDIO DOCTORUM : non cum illis occupando locum Doctoris, ut aliqui putaverunt, ſed inſtar diſcipuli inter Doctores hinc inde in ſubſelliis conſidentes : non enim invenerunt eum docentem ; ſed, pro illius ætatis congrua decentia AUDIENTEM ILLOS, docentes, ET INTERROGANTEM, id eſt, quæſtiones ex iis, quæ tradiderant, excitantem, ut, cùm eos docere vellet, ſervatâ decentiâ diſcere velle videretur. Nam, ut optimè Orig. in hunc locum, uno ex doctrinæ fonte manat interrogare & reſpondere ſapienter : & ejuſdem ſcientiæ eſt, ſcire quid interroges, quidve reſpondeas. Itaque ſervavit hîc præceptum, quod per Eccleſiaſticum adoleſcentulis dederat, *In multis eſto, quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.*

46. Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47. STUPEBANT AUTEM OMNES, id eſt, quaſi extra ſe in extaſin

47. Stupebant

autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus.

rapti mirabantur, ut ſonat Græcum ἐξίσταντο, SUPER PRUDENTIA, ſeu intelligentia, quæ in interrogando, dubiiſque proponendis, ſervato ubique decoro, elucebat: ET RESPONSIS EIUS, quæ ipſe viciſſim ad interrogata dabat, dum admirabundi, quid de profundis myſteriis dicturus eſſet, explorare vellent. Itaque voluit hîc admirandæ ſuæ ſapientiæ ſpecimen dare Chriſtus, ut ipſos Doctores ad inquirendum de adventu Meſſiæ excitaret, & faciliùs poſt annos octodecim reciperetur.

48. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

48. ET VIDENTES, parentes ejus, ADMIRATI SUNT, actum illum pueri duodecennis tam inſolitum: ET DIXIT MATER EIUS AD ILLUM, tamquam potiori jure, geniti dolore amiſſi, amore & gaudio inventi filii: FILI, QUID FECISTI NOBIS SIC? Mirantis dolentiſque, non reprehendentis verba ſunt: nec rogat, cur manſerit, aut cur diſputaverit cum Doctoribus, quæ jure ſuo facere poterat, ſed *quid feciſti nobis ſic?* ut ſcilicet nobis inſciis remanſeris, qui tuo amore & dolore torquebamur. Hanc enim cauſam iſtius interrogationis produnt verba ſequentia: Ecce PATER TUUS ET EGO (maritum præponit ſibi, ut ubique humilitate eſſet prima) DOLENTES quia ſummopere amantes, QUÆREBAMUS TE: quaſi dicerent, cùm te hoc ſcire non ignoremus, miramur, cur feceris nobis ſic, ſi facere conſtitutum erat. Nam ſicut mater non minùs affectuosè, quàm humiliter & fiducialiter exprimit animum ſuum.

49. Et ait ad illos: Quid eſt, quod me quærebatis? neſciebatis quia in his, quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe?

49. ET AIT AD ILLOS: QUID EST, QUOD ME QUÆREBATIS? ubi ſpecie reprehendentis non tam reprehendit curam eorum, quàm docet altiora de ſe eſſe cogitanda, ut notavit Beda: NESCIEBATIS QUIA IN HIS, QUÆ PATRIS MEI, cæleſtis, SUNT, OPORTET ME ESSE, ſeu occupari? Templum intelligunt quidam, quaſi noluiſſet Jeroſolymis, ſed tantùm in templo quæri. Verùm non locum loco, ſed negotia Patris negotiis humanis, ſocietati videlicet parentum, opponit; quaſi diceret eis: Cùm ſciretis officium meum, & cauſam adventus mei in hunc mundum, cogitandum vobis erat officii illius mei causâ, in quo à vobis non dependeo, me manſiſſe Jeroſolymis. Ita tacitè cauſam doloris eorum, & culpam omnem à ſe removet: ipſoſque docet, cujuſmodi cogitationes de ipſo habere deberent.

50. Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.

50. ET IPSI NON INTELLEXERUNT VERBUM, QUOD LOCUTUS EST, &c. non illud, quo ſatis clarè Patrem ſuum Deum eſſe, & ſe ejus negotiis occupandum indicaverat. Sed quia non ſatis intelligebant, quænam eſſent illa negotia Patris, & quo pacto iſta diſputatio cum Doctoribus ad ea negotia pertineret: ut pote ante eventum rerum, non ſatis conſcii, quo ordine ſalutem populi procuraturus eſſet, primùm ſcilicet docendo, deinde moriendo. Cùm autem etiam non intellecto ſermone nihil amplius interrogant, ſed obticeſcunt, ſatis hinc elucet, quanta fuerit parentum erga Chriſtum reverentia & veneratio: quo tamen non obſtante,

51. Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth: & erat ſubditus illis. Et mater

51. DESCENDIT CUM EIS, ut oſtenderet ſe nondum ab eorum poteſtate emancipandum eſſe; ET ERAT SUBDITUS ILLIS, declarans in perferendis unà cum ipſis laboribus, quibus quotidianum ſibi victum quæritabant, morigeram obedientiam ſuam, ut Baſil. in Conſtitutio-

nibus monaſt. cap. 4. Quo exemplo graviter monet Ambroſ. itemque Origenes Hom. 20. in Luc. hoc officium & exemplum pietatis omnibus filiis imitandum, qui longè amplius quàm Chriſtus carnalibus parentibus debent. ET MATER EIUS CONSERVABAT OMNIA VERBA HÆC, dicta ſcilicet & facta Jeſu omnia, ea excipiendo, non tamquam pueri, ſed perfecti viri, non tamquam hominis puri, ſed filii Dei, & proinde myſteriis plena. Hanc diligentiam etiam ſuprà cap. 19. commendaverat, ut videlicet hac repetitione indicaret, & fidei ejus, & venerationis magnitudinem erga puerum, ex qua talis cura naſcebatur. IN CORDE ſuo, ea ruminando, eorumque myſteria perſcrutando, quibus intellectum paſceret, & aliis poſtea divulganda proferret. Quo inſinuatur & modeſtia Virginis, & ſimul prudentia, quæ nihil de filio muliebri loquacitate jactitaret.

ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.

52. ET JESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA ET GRATIA, id eſt, ſapientiæ & gratiæ operibus, ſeu effectis & ſignis, quæ in Scripturis, nomine *Sapientiæ* & *Gratiæ* ſignificari ſolent, ut patet de *Sapientia*, infrà cap. 11. verſ. 31. & Jacobi 3. verſ. 13. & 14. de *Gratia* verò Pſalm. 44. verſ. 3. Non enim profecit habitu ſapientiæ vel gratiæ, quibus ab initio conceptionis plenus fuit, ſed emicatio ſapientiæ & gratiæ, ut loquitur Theophyl. profectus ejus fuit, quia hominibus ignaris ſecundùm proportionem ſingularum ætatum magis magiſque paulatim emicando apparebant, ut Nazianz. Orat. in vitam Baſilii, & Orig. Hom. 20. Ita ergò proficiebat, quemadmodum Sol ab ortu in meridiem progrediens claritate quoque dicitur proficere, non quòd illa in ſe creſcat, ſed in effectu tantùm, quia majorem lucem apud nos paulatim diffundit. ET ÆTATE: Græcum ἡλικία etiam *ſtaturam* ſignificat, ſicut vertitur cap. 12. verſ. 25. Profecit ergò ætate, ut teſtaretur ſe veram humanitatem aſſumpſiſſe, inquit Auguſt. Epiſt. 3. & ut in profectu ſuo per ſingulas ætates quamlibet ætatem noſtram conſecraret accipiendæ gratiæ Dei, ut latiùs Iren. lib. 2. cap. 39. APUD DEUM ET HOMINES, id eſt, non fictè, non ſimulatè, ſed verè ac ſincerè, Deo ac hominibus teſtibus ac judicibus. Nam quemadmodum lex naturalis eſt, ut homo non ſubitò, ſed paulatim ſecundùm profectum corporis ſapientiâ & virtute proficiat, ita Jeſus iſti legi ſeſe accommodans, paulatim etiam juxta quamque ætatem opera ſapientiora magiſque grata & meritoria edebat, magis magiſque revelans ac detegens ſapientiam ac gratiam animi, quâ ſemper plenus erat, nube quaſi corporis, & ætatis infirmitate tectam, ut explicat Cyril. libr. 10. Theſauri cap. 7. Si enim virilem ſapientiam & gratiam edidiſſet ante ætatem, viſus fuiſſet monſtrum aut prodigium, ut Theophyl. ſuprà in verſ. 40. His itaque paucis verbis complexus eſt Lucas totam Chriſti vitam, ab anno duodecimo, uſque ad baptiſmum, quòd videlicet parentibus obediverit, quòd in omnibus ſapientiæ & virtutis operibus juxtà incrementa ætatis profecerit, velut radios ſuæ divinitatis magis magiſque ſemper demudando.

52. Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.

CAPUT III.

CAPUT TERTIUM.

RELICTIS igitur pueritiæ & adoleſcentiæ geſtis, tam Joannis quàm Chriſti, ad virilem ætatem utriuſque tranſit, expreſſis omnibus temporis, loci, ac perſonarum circumſtantiis, ad majorem hiſtoriæ claritatem ac certitudinem & fidem.

1. ANno autem quinto-decimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha.

1. ANNO QUINTO DECIMO IMPERII TIBERII CÆSARIS: qui ſucceſſit Auguſto, adoptatus ab eo in filium, & imperii heredem. Ex quo Lucæ loco manifeſti erroris arguitur Tertull. qui libr. contra Judæos cap. 8. docet, Chriſtum anno iſto decimo quinto Tiberii eſſe paſſum, cum triennio circiter poſt contigerit. PROCURANTE PONTIO PILATO JUDÆAM, ſtrictè dictam, ut à Galilæa cæteriſque vicinis regionibus diſtinguitur. Hæc poſt mortem Herodis Magni erat Archelao filio ejus Tetrarchiæ nomine attributa: quo in exilium pulſo Præfectura ejus in provinciam redacta eſt, & adjecta Syriæ, cui tamen proprius Procurator, ſeu Præſes datus eſt. *Pontius* autem prænomen eſt, *Pilatus* nomen ejus, quemadmodum dicitur *Caius Antonius*. Miſſus fuit hic à Tiberio Cæſare, anno duodecimo imperii ejus in Judæam, revocato Valerio Grato. Præfuit Judææ annos decem, ipſoque anno mortis Tiberii, qui viginti duos annos imperavit, Romam à Vitellio Syriæ Præſide remiſſus eſt, ut criminibus objectis reſponderet, teſte Joſepho 18. Antiquit. c. 5. & 5. Ex quo colligitur, Joannem & Chriſtum anno Pilati tertio prædicare cœpiſſe. Dicitur autem procuraſſe Judæam, non ſolùm, quia Cæſaris juſſu, ac nomine adminiſtrabat, ſed etiam, quia ſubjacebat Præſidi Syriæ, cui Judæa erat attributa. Unde quamvis Græcum ἡγεμονέυοντος ſubindè vertatur *præſidere*, ut ſup. c. 2. v. 2. magis tamen propriè procurator quàm Præſes erat. TETRARCHA AUTEM GALILÆÆ HERODE, Antipa, Herodis Magni, ſeu Aſcalonitæ filio. Nam Auguſtus Cæſar, juxtà teſtamentum Herodis, aſſignaverat dimidium regni ejus, ſcilicet Judæam, Idumæam, & Samariam, Archelao, reliquum dimidium partitus eſt inter duos Herodis filios, ita ut quiſque haberet quartam partem; Herodes ſcilicet Antipas Galilæam & Peræam, Philippus verò Ituræam & Traconitidem, quæ hîc nominantur, unà cum Batanæâ, Auranitide, & parte domus Zenodori, ut vocabatur, teſte Joſepho 17. Antiquit. cap. 13. Et hinc patet, quòd iſti duo filii vocantur hîc Tetrarchæ à quarta regni parte; quamquam latiùs poſtea hoc nomen uſurpari à Romanis cœperit pro præfectura infrà Regiam. Vide dicta Marci 6. v. 14.

PHILIPPO AUTEM FRATRE EIUS, ex alia tamen matre Jeroſolymitana, cum Herodes eſſet ex Samaritide, ut Joſeph 17. Antiquit. cap. 1. nam Herodes Magnus eodem tempore novem habebat uxores. TETRARCHA ITURÆÆ, quæ initium ſumens à Jordane fluvio juxtà Libanum verſus occidentem pertendit uſque ad montes Tyri ac Sidonis, ET TRACONITIDIS REGIONIS, ſic dictæ Græcè, quia aſpera & ſaxoſa eſt. Hæc itidem in fontibus Jordanis & monte Libano verſùs Orientem tendit, ex oppoſito Iturææ, in qua dimidia tribus Manaſſæ olim ultra Jordanem collocata fuit. ET LYSANIA ABILINÆ TETRARCHA,

Quis ille *Lysanias* fuerit non constat, nisi quòd non fuerit Herodis filius, ut aliqui perperàm putaverunt. Mentionem Lysaniæ cujusdam facit Josephus 15. Antiq. c. 13. & Tetrarchiam nominat 19. Antiquit. cap. 4. quem filium fuisse istius prioris non est incredibile. Regio autem Abilina ab Abila civitate dicta est, apud montem Libanum sita.

2. sub principibus sacerdotum: Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto.

2. Sub Principibus sacerdotum, Anna et Caipha. *Annas* iste vocatur passim *Annanus* à Josepho, qui in eo mirificè laudat eloquentiam, virtutem, consilium, gratiam, auctoritatemque apud populum, denique felicitatem præ omnibus Pontificibus maximam, eo quòd ad satietatem functus Pontificatu quinque filios post se Pontifices habuerit. Constitutus fuerat ipse Pontifex à Quirino Syriæ Præside statim post mortem Archelai, sed amotus à Valerio Grato Judææ Præside, successorem habuit post aliquot Pontifices interpositos Josephum Caïpham generum suum, paulò ante adventum Pilati in Judæam, qui Caïphas toto tempore Pilati videtur Pontifex mansisse. Videndus Josephus lib. 18. Antiq. c. 3. & lib. 20. c. ult. Difficultas igitur est, quomodo vocentur hîc simul duo Pontifices, seu Principes Sacerdotum. Nonnulli hoc factum probabiliter volunt, non quòd essent simul duo Pontifices, quod numquam in Josepho factum legitur, in quantacumque perturbatione Reipublicæ, sed quòd Annas nomen Pontificis retinuerit, quod semel habuerat, & quod maximæ esset auctoritatis; sicut Episcopi vocantur etiam, qui Episcopatum dimiserunt. Unde Josephus 20. Antiquit. & lib. 4. de bello Jud. passim Pontifices vocat eos, qui semel illâ dignitate functi fuerant. Alii hoc factum volunt, quòd cùm essent omnia venalia apud Romanos, ita ut Pontifices contra antiquam Dei institutionem creberrimè mutarentur, duo isti alternis annis fungerentur Pontificatu: favet Scriptura Joan. 11. vers. 49. ubi Caïphas vocatur Pontifex anni illius.

Factum est verbum Domini super Joannem, &c. id est, facta est inspiratio, locutio, & jussio Domini cælitùs ad Joannem. Phrasis est Scripturæ usitata, quâ significatur aliquis Propheta non ex se prosilire, sed divinitùs vocari, seu mitti ad prophetandum, vel prædicandum. Ex quo rectè colligitur, nullos esse veros Doctores, nisi qui speciali vocatione Dei, sive ordinariâ, sive extraordinariâ, ad hoc munus vocantur, sicut victus veritate fatetur hîc in Harmonia sua Evang. Calvinus, seipsum, & omnes sectarios jugulans.

3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum,

3. Et venit in omnem regionem Jordanis, id est, circa Jordanem sitam. Matthæus dicit eum in deserto Judææ prædicasse, quod procul à Jordane collocant: sed non negat eum ad regiones Jordani vicinas excurrisse, quod hîc indicat Lucas, quamquam circa Jordanem loca deserta fuisse notum sit. De reliquis in v. 3. & 4. contentis vide dicta Matth. 3. & Marci 1.

4. sicut scriptum est in Libro sermonum Isaïæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas ejus:

5. Omnis vallis implebitur. Prophetia est ex Isaia sumpta, per quam metaphorica locutione à consuetudine Regum derivata significat Christo, tamquam Regi venturo, omnia itinera esse paranda, & rectas

5. Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabi-

tur, & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas:

faciendas vias, id eſt, æquandas, ſeu complanandas, per quas tranſiturus eſt. Modus autem parandi Regibus viam eſt, vallibus & collibus complanatis tota via æqua & recta fiat. Hoc eſt ergò, quòd hîc dicit, futuris utens pro imperativis, Hebraïco more, OMNIS VALLIS IMPLEBITUR, id eſt, impleatur, ET OMNIS MONS ET COLLIS HUMILIABITUR, id eſt, humilietur, ſeu deprimatur: ET ERUNT PRAVA IN DIRECTA, id eſt, viæ diſtortæ, ſeu curvæ ſint, ac fiant rectæ: ET ASPERA, id eſt, aſperæ viæ, propter ſentes aut petras, aut offendicula atque inæqualitatem, fiant IN VIAS PLANAS. Qua metaphora ſignificatur, omnem puſillanimitatem ac deſperationem animi in ſpem divinæ gratiæ, & virtutis erigendam, omnem præſumptionem ſapientiæ ac juſtitiæ ſuæ, omnemque ſuperbiam eſſe deprimendam: omnem pravitatem, & aſperitatem vitæ in mores rectos, ſeu rationi conſentaneos, tractabiles & manſuetos eſſe mutandam.

6. & videbit omnis caro ſalutare Dei.

6. ET VIDEBIT, pro, quia videbit, modo loquendi Hebræis ſatis familiari. Datur enim ratio parandi vias, quia ſcilicet VIDEBIT OMNIS CARO SALUTARE DEI, id eſt, omnis homo corporeis oculis conſpiciet Chriſtum ſalutis mundi auctorem à Deo miſſum: quem quiſquis cum fructu videre & excipere volet: ei via ſeu mores iſta ratione æquandi & parandi ſunt. Itaque per verſ. 5. paulò latiùs declaratur prima pars prædicationis Joannis, quam alii Evangeliſtæ ponunt, ſcilicet *Pœnitentiam agite:* verſu verò 6. pars altera, *Appropinquavit regnum cœlorum.* Quæ ſequuntur uſque ad verſum 10. explicata ſunt Matth. 3. Itaque cùm magna verborum acrimonia ex tota turba præcipuè Phariſæos perſtrinxiſſet, ſolæ turbæ, id eſt, plebs ſimplicior ejus oratione commota interrogavit:

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipſo: Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?

8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.

9. Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

QUID ERGO FACIEMUS, ad adferendos ſcilicet fructus dignos pœnitentiæ? Qui reſpondit:

11. Reſpondens autem dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.

11. QUI HABET DUAS TUNICAS; id eſt, veſtimenta ſuperflua, ſeu plura, quàm ipſi opus fuerit: ponitur enim numerus certus pro incerto, & ſpecies pro genere. Nam fieri poteſt, ut etiam pluribus quàm duobus veſtimentis opus habeat, ad tutandam vitam, nec tamen juxtà præceptum Joannis danda ſit pauperi. In binario igitur ſuperfluitas notatur. DET NON HABENTI, id eſt, indigenti, ſive unam habeat, ſive non. Itaque obligationem dandæ eleemoſynæ ex duabus præfinit partibus; ex ſuperfluitate divitis, ſi plus habeat, quàm ipſi ſit neceſſarium, & ex inopia pauperis, ſi vitæ tuendæ deſint neceſſaria. ET QUI HABET ESCAS, id eſt, ſuperfluum cibum, SIMILITER FACIAT, det ſcilicet eſurienti ſeu indigenti. Itaque, ut notat Ambr. illa ſervatur miſericordiæ menſura, ut non ſibi unuſquiſque totum eripiat, ſed quod habet, cum paupere partiatur. Sub duobus autem operibus miſericordiæ, quorum unum tangit veſtitum, alterum victum, tamquam maximè neceſſariis & communibus omnia miſericordiæ opera comprehendit, ut videlicet

12. Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magiſter, quid faciemus?

ſuccurramus proximorum indigentiæ de ſuperfluo. Et quidem in turbis dat præceptum omnibus commune benefaciendi : in Publicanis verò & militibus propria ipſorum vitia prohibet. Publicanis enim dicebat:

13. NIHIL AMPLIUS QUAM QUOD CONSTITUTUM EST VOBIS, à Principe vel magiſtratu, FACIATIS, id eſt, exigatis : hoc enim propriè ſignificat verbum Græcum, πράσσητε, ut Commentatores Græci exponunt. Itaque permittit exigi vectigalia, ſed vetat excedi Principis conſtitutionem. Militibus autem dixit Judæis ſcilicet, ſive Herodi, ſive Romano Imperatori militantibus ; nam & hoc Judæis licitum erat.

13. At ille dixit ad eos : Nihil amplius, quam quod conſtitutum eſt vobis faciatis.

14. NEMINEM CONCUTIATIS, id eſt, neminem malè tractetis vi metuque aliquid extorquendo: NEQUE CALUMNIAM FACIATIS, falſa crimina impingendo, tamquam inſidiatoribus, vel fautoribus hoſtium, &c. ET CONTENTI ESTOTE STIPENDIIS VESTRIS : Græcè ὀψωνίοις, *obſoniis*, quia cibaria ſæpè militibus in ſtipendii partem ſolvi ſolent. Hac ultima præcepti parte præcîdit radicem concuſſionis & calumniæ, ſeu violentiæ & fraudis : nam ideò illis injuriarum generibus utuntur plerumque milites, quia non ſunt contenti ſtipendiis ſuis.

14. Interrogabant autem eum & milites, dicentes : Quid faciemus & nos ? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calũniam faciatis : & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.

15. Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, ne fortè ipſe eſſet Chriſtus:

16. Reſpondit Joannes, dicens omnibus : Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me, cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus : ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.

17. Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

18. Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.

19. Herodes autem tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris ſui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes:

20. Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Joannem in carcere.

21. Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt cœlum.

22. Et deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum : & vox de cœlo facta eſt, Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

23. ET IPSE JESUS ERAT INCIPIENS QUASI ANNORUM TRIGINTA. Omnes penè Annalium Scriptores locum iſtum velut anchoram ſacram arripuerunt, qua nixi verum Dominicæ nativitatis annum figerent. Itaque Baronius, Franciſcus Lucas, Scaliger, & alii tamquam certum putant ſignificari, quod Lucas hîc expreſſerit annum Chriſti trigeſimum expletum, & trigeſimum primum per paucos dies inchoatum, ex eo quòd tunc aliquis propriè dicatur eſſe triginta annorum, cùm eos expleverit, atque illud, *quaſi*, volunt non dubitativè, ſed aſſertivè ſumi, ſicut Joan. 1. *Gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Pro qua ſententia citatur maximè S. Ignatius Epiſt. ad Trallianos, cùm revera nihil ſtringat. Alii contrà putant ſignificari, quòd Chriſtus inchoaſſet tantum trigeſimum annum per tredecim dies, tum quia dicitur, *erat incipiens*; tum quia illud, *quaſi*, diminutionem ſignificat. Ita clarè tenet Iren. lib. 2. cap. 39. Sed reverà videtur illud, *quaſi*, dubitativè ſumi, ſicut ſumitur c. 22. v. 41. ut aliqui legunt : & ſuprà c. 1. v. 56. & paſſim uſurpari ſolet, ut ſimpliciſſimus ſenſus ſit, quòd Chriſtus eſſet circiter, ſeu

23. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur, filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,

24. qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph,

25 qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heſli, qui fuit Nagge.

26. qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda,

27. qui fuit Joanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28. qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,

29. qui fuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi,

30. qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim,

31. qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David,

32. qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon,

33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ,

34. qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

plus minus triginta annorum, ſicut apertè intellexit Juſtinus Dialogo cum Triphone. Illud autem, *Incipiens*, non ſignificat, quòd inciperet eſſe triginta annorum, ſed eſt ſenſus, quòd erat circiter triginta annorum, cùm inciperet officium ſuum, ſeu prædicationem ſuam, ut ſatis indicant alia Scripturæ loca Act. 1. v. 22. & ibidem, cap. 10. v. 37. Ut proinde propter locum iſtum nemo cogatur recedere ab ea ſententia de anno natalis Domini, quam ei argumenta prægnantia ſive Hiſtoriæ, ſive Matheſeos certam demonſtrare videantur. Permittere enim videtur libertatem aliquam, ut nono præcisè anno trigeſimo ætatis, ſed circiter, hoc eſt, vel vigeſimo non inchoato, vel trigeſimo primo expleto baptizatus dici poſſit. Quo verò anno præcisè ſit & conſequenter natus & mortuus, lis Chronologorum penè interminabilis eſt. Hoc ferè inter omnes recentiores Chronologos conſtat, epocham illam, ſeu computum communem, qui Dionyſianus dicitur, juxta quem nos vulgò annos à Chriſto nato computamus, eſſe æquo breviorem, hoc eſt aliquot annos ei adjiciendos. Unde Baronius ei adjicit duos, quem multi alii ſecuti ſunt, volentes Chriſtum eſſe natum Lentulo & Meſſallino Conſulibus, anno ſcilicet Julianæ correctionis quadrageſimo tertio. Quæ ſententia gravibus difficultatibus non caret, maximè quia cogitur fidem abrogare Joſepho & Dioni magnæ auctoritatis Scriptoribus, quorum primus de rebus recentiſſimis, quas penè viderat, ſcribebat. Unde alii nonnulli quatuor annis communem computum antevertunt, ita ſcilicet, ut, quem vulgò dicimus annum à Chriſto nato milleſimum ſexcenteſimum trigeſimum tertium, ſit reverâ milleſimus ſexcenteſimus trigeſimus ſeptimus, dicuntque Chriſtum natum anno Julianæ Correctionis 41. Auguſt. 12. Cornelio Sulla Conſulibus. Favent ei admodum teſtimonia veteſtiſſimorum Hiſtoricorum Joſephi & Dionis, & quòd hoc ipſo anno Janus clauſus fuerit, pace per totum orbem compoſitâ, itémque Judæi ſe ſceptro Herodis alienigenæ ſuâ voluntate ſubjecerint, quæ Chriſti naſcituri ſigna à veteribus traduntur. Nec ei quidquam difficultatem facit, niſi locus iſte S. Lucæ. Cogitur enim hæc ſententia ita exponere illud, *quaſi*, ut Chriſtus illo anno decimo quinto Tiberii, cùm baptizaretur, expleviſſet annum ætatis trigeſimum primum, & inchoaſſet trigeſimum ſecundum per tredecim dies; ut ſic mortuus conſequenter dici debeat annis triginta quatuor expletis, & trigeſimo quinto per tres circiter menſes inchoato. Ex Evangeliſtis enim conſtat, poſt baptiſmum per tres annos & totidem menſibus prædicaſſe. Quæ difficultas non videtur eſſe tanta, ut dici poſſit illud, *quaſi*, latitudinem illam admittere; maximè quia in ætatibus, ſeu annis exprimendis rotundi numeri in Scriptura ſæpè aſſignantur, omiſſis minutiis.

De Eccleſia verò, quæ in libris ſuis computu Dionyſiano utitur, difficultas exigua eſt: nam illum computum uſurpat quidem, ſed non probat; ſicut annos ante nativitatem Chriſti computat juxtà editionem LXX. Interpretum, & juxtà computum eorum, in quo multas centurias annorum redundare nemo paulò eruditior negat, & fateri coguntur quotquot voluerint auctoritatem editionis Hebraïcæ & noſtræ vulgatæ ſequi. Et hæc de ætate Chriſti naſcentis & baptiſati ſatis.

Ut

UT PUTABATUR FILIUS JOSEPH, Græcè additur ὤν, id est, *existens*, seu cùm esset, ut putaretur filius Joseph, id est, vulgi opinione & famâ non naturâ filius Joseph. QUI FUIT HELI. Difficultas hîc magna est, quomodo Joseph dicatur filius Heli, cùm Matth. 1. dicatur filius Jacobi. Recentior quidam facilè non expedit, dicendo illud, *qui*, referendum esse non ad Joseph, sed ad Jesum, ut sensus esset, qui Jesus erat filius Heli, matre scilicet Mariâ interpositâ, quia Heli iste pater erat Beatæ Virginis, alio nomine dictus Eliachim & Joachim: Nam ista nomina eadem sunt, ut patet ex nomine Pontificis, qui Judith 4. vers. 5. & 11. vocatur Eliachim, & tamen cap. 15. vers. 9. dicitur Joachim: unde & 4. Reg. 23. vers. 34. nomen Eliachim vertitur à Pharaone in Joachim. Alii quoque recentiores, qui putant ipsum Josephum vocari filium istius Heli, ita hoc explicant, ut fuerit gener ejus: nam generi socerorum filii vulgò dici solent, & soceri eorum patres. Utroque modo describeretur hîc genealogia Beatæ Virginis ex parte patris. Sed utraque Sententia difficultatem gravem patitur, eo quòd isto modo promissiones Davidi factæ de Christo nascituro non essent impletæ per Salomonem, sed per Natham. Itaque longè satiùs diceretur istum Heli esse patrem non Mariæ, sed Annæ matris ejus, avum scilicet maternum Mariæ, ut Joseph dicatur filius ejus, quia nepos ejus, non consanguinitate, sed affinitate, quia Maria, quam duxerat uxorem, erat neptis Heli: & sic describeretur hîc genealogia Beatæ Mariæ ex parte matris, sicut apud Matthæum ex parte patris, ut ex utroque latere ipsa & Christus ex Regali stirpe descenderint. Plerique tamen veteres duas alias solutiones amplexi sunt. Prima est ut Joseph fuerit filius Jacob natura, filius Heli adoptione, sicut contigit Ephraim & Manasse, qui à Jacobo adoptati sunt, à Joseph geniti. Tradit hanc latè Augustin. libr. 2. De consensu cap. 3. & lib. 2. Quæst. Evang. qu. 5. Secunda solutio est, quam plures probaverant, Joseph fuisse filium Jacob naturalem, Heli verò legalem, eo quòd Jacob juxtà legem Deut. 25. versu 5. coactus fuerit ducere viduam Heli fratris sui uterini, id est, ex eadem matre, sed alio patre nati, & sine liberis defuncti, ex qua genuerit Josephum. Hanc primus tradidit Julius Africanus in Epistol. ad Aristidem, tamquam acceptam ab ipsis cognatis Christi post ascensionem, quam tota antiquitas postea maximè probavit, ut Euseb. libro primo Historiæ cap. 7. Hieron. in Matth. Ambros. in Luc. & in primis August. 2. Retract. cap. 7. & alibi.

Sed objiciunt, quid ad rationem genealogiæ filiatio illa legalis, quâ filius naturalis secundogeniti dicebatur filius primogeniti, absque liberis defuncti? Respondetur, quia filiatio illa legalis in veteri Testamento tanti momenti erat, ut etiam familiæ perinde, ut per filiationem naturalem propagarentur: deinde, quia lex illa Deuteron. in typum Christo erat lata, ut scilicet significaretur, quod Christo mortuo fratres ejus Apostoli non sibi sed primogenito in multis fratribus Christo scilicet spirituales filios generare deberent. Cùm ergò lex illa in Christo debuerit impleri, operæ quoque pretium erat, ut in ipsius etiam genealogia ad litteram impleretur.

35. qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

35. QUI FUIT ZOROBABEL, QUI FUIT SALATHIEL. Isti duo planè diversi sunt à Zorobabel & Salathiel, qui recensentur à Matth. cap. 1. versu 12. sicut & omnes, quos Lucas posuit ab Heli patre Joseph usque ad Nathan filium Davidis, alii sunt ab iis, quos Matth. enumeravit à Jacob patre Joseph, usque ad Salomonem. Per diversos enim filios Davidis, Lucas ascendendo & Matth. descendendo pertexit genealogiam.

36. qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,

36. QUI FUIT CAINAN. Genes. 11. vers. 12. Cainan iste à Moyse prætermittitur, secundùm textum Hebraicum & vulgatum: sed insertus fuit à LXX. Interpretibus, quos Lucas hîc sequitur. Discordiam istam conciliavimus in illum locum *Geneseos*, eo sensu, ut Cainan à LXX. prophetico spiritu adjectus sit, & certi mysterii causâ à Moïse prætermissus, salva veritate. Sunt tamen qui putant Cainan à LXX. malè fuisse interpositum: Lucam verò non ex opinione sua, sed juxtà librorum censualium tabulas loqui, in quibus Cainan insertus reperiebatur: & hoc satis significari illa voce maximè Græcâ, quæ habetur vers. 23. (*ut putabatur*) quam ad omnia sequentia referri volunt, ut scilicet Lucas significet se de Christi parentibus loqui, quemadmodum in tabulas relati erant. Neque mirum hoc esse, cùm simile quid reperiatur 2. Esdræ 7. v. 5. & seqq. ubi recensentur nomina eorum, qui ascenderant ex Babylone, juxtà tabulas publicas: quæ tamen recensentur in multis longè aliter ab Esdrâ juxtà propriam scientiam lib. 1. Esdræ cap. 2.

37. qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malalel, qui fuit Cainan,

38. qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

38. QUI FUIT ADAM. A Christo ad Adam usque Lucas progressus est, ut ostenderet primum & secundum Adamum ejusdem esse naturæ, Christumque venisse, ut etiam ipsi Adæ, & omnibus ab eo oriundis gentibus salutem adferret. Matthæus autem quia Judæis scripsit, ab Abraham Judæorum & fidei parente, genealogiam suam incœpit: idque descendendo, Lucas verò ascendendo, quia ab illo significatur nostrorum susceptio peccatorum, ab hoc eorum abolitio: quam quia consequimur per baptismum Christi, ideo Lucas baptizato tandem Domino seriem generationis ejus exorsus est, eamque perduxit usque ad Deum, quia per peccati remissionem Deo reconciliati reddimur filii ejus, non naturales, sed adoptivi; qua de causa filios etiam adoptivos catalogo suo intexuit. Vide plures consonantias & dissonantias utriusque scalæ genealogiæ apud August. 2. De consensu Evang. cap. 4. QUI FUIT DEI, scilicet filius, quod supplendum in omnibus præcedentibus, non quòd Adam à Deo generatus sit, sed factus, & eâ locutione filius, quâ dicitur Job 33. vers. 28. *Quis est pluviæ pater?* Benè autem respondet finis hujusce scalæ principio, ut & Adam dicatur filius Dei, & Joseph filius Heli, neuter propriè scilicet generatione naturali: itemque ut credibilius fiat Christum, novum Adam, sine semine & terreno patre esse natum, quàm credibile est veterem Adam sine semine, & matre terrena prodiisse.

CAPUT QUARTUM.

CAP. IV.

1. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Jordane ; & agebatur à Spiritu in desertum.
2. Diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducavit in diebus illis : & consummatis illis esuriit.
3. Dixit autem illi diabolus : Si filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.
4. Et respondit ad illum Jesus : scriptum est : quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.
5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,
6. Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam illorum : quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.
7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.
8. Et respondens Jesus, dixit illi : Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.
9. Et duxit illum in Jerusalem, & statuit eum super pinnam templi, & dixit illi : Si filius Dei es, mitte te hinc deorsum.
10. Scriptum est enim quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te :
11. & quia in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.
12. Et respondens Jesus ait illi : Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.
13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.
14. Et egressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam ; & fama exiit per universam regionem de illo.
15. Et ipse docebat in synagogis eorum & magnificabatur ab omnibus.

16. ET VENIT NAZARETH : non primum statim à tentatione, sed cùm jam alia Galilææ loca peragrasset, ut satis patet & hîc v. 14. & 15. & Matth. v. 13. & seqq. Nam quod ibi dicitur *relictâ Nazareth*, intelligitur prætermissa & neglecta Nazareth oppido educationis suæ. INTRAVIT SECUNDUM CONSUETUDINEM SUAM, quam scilicet jam ab initio prædicationis observabat, ut diebus sabbatinis synagogas officii sui causa ingrederetur, de quo Marci 1. vers. 21. ET SURREXIT, honoris & venerationis causâ, LEGERE, scilicet Scripturam sacram. Moris enim erat tunc in synagogis aliquid de Lege, & Prophetis legere, ut patet Actor. 13. vers. 15. & clarissimè ibidem, cap. 15. vers. 21. quibus etiam indicatur lectioni prædicationem subjungi solitam : nam lectio Scripturæ permittebatur, ut inde materia prædicandi sumeretur. Quem morem postea Ecclesia videtur imitata, dum concionibus Episcoporum Scripturæ lectionem per lectores præmittebat, ut videlicet quemadmodum ait Cyprian. initio libri De mortalitate, vigore pleno, & sermone de Dominica lectione concepto, ad populum cum fructu diceretur.

16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, & intravit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere.

17. ET TRADITUS EST ILLI LIBER ISAIÆ, divina scilicet providentia procurante, ut ille traderetur, ubi clarissimè de Christo prophetatum erat. Ex qua etiam factum est, ut libro revoluto quasi casu inveniret locum, per quem Nazarenis, inter quos diu privatus vixerat, auctoritatem prædicandi, & munus publicum legati agendi velut per litteras patris sui probaret.

17. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat;

18 Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde,

18. SPIRITUS DOMINI SUPER ME, supple, *est*, vel *requiescit*: quibus paucis verbis mysterium Trinitatis exprimitur. *Spiritus* enim Spiritum-Sanctum, *Dominus* Patrem, *me* Christum ipsum, juxtà dispensationem tamen carnis assumptæ significat: q. d. Nihil humano spiritu, aut consilio mihi præsumo, sed ipse Spiritus Dei Patris super me requievit, qui me agit & regit.

PROPTER QUOD UNXIT ME, supple *Dominus*, ut additur Hebraicè Isaiæ 61. vers. 1. hoc est, quia spiritus mihi datus est à Patre, non secundùm mensuram, ideo per spiritum illum omne genus gratiarum in me diffudit, velut unguentum, quo me tamquam unctum suum & Messiam consecravit ad officium prædicationis. Primum enim est causa posterioris, ut significavit & Apostolus ad Romanos 5. vers. 5. *Charitas diffusa est per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* Alludit autem ad unctiones antiquas, quibus ad certa munera consecrabantur Deo. Hæc unctio obtigit Christo ab initio conceptionis; designatio autem publica ad officium prædicandi in baptismo, ubi Spiritus-sanctus super eum descendit visibiliter, non ut ungeret propriè, sed ut unctum, & plenum Spiritus-sancti donis esse demonstraret. Explicans autem finem istius unctionis seu consecrationis,

EVANGELIZARE, inquit, PAUPERIBUS MISIT ME: pauperibus, inquam, secundum sæculum. Unde & alibi hoc dat signum sui adventus, *Pauperes evangelizantur*; qui sicut à fastu solent esse remotiores, ita Evangelio recipiendo propinquiores. Nam quod Beda & alii intelligunt pauperes spiritu, difficile reperias tales, quibus Christus passim evangelizaverit, quamvis per ejus prædicationem tales facti sunt. SANARE, seu ad sanandum, CONTRITOS CORDE: per pœnitentiam, inquiunt quidam; sed longè rectiùs intelligas non bonum, sed miserabilem animæ statum describi, sicut circumstantia loci clamat, ut contriti corde sint fracti ac desperabundi animo, propter peccatorum multitudinem: nam ut Basil. in Catena, peccatum cor humanum præ cæteris prosternit: unde & Scriptura, *Qui alligat contritiones eorum:* est enim metaphora ab iis qui vulneribus contusi & contriti sunt.

19. prædicare captivis remissionem, & cœcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.

19. PRÆDICARE CAPTIVIS REMISSIONEM, seu demissionem, id est, ad proclamandam omnibus captivis libertatem redeundi ad patriam ex captivitate. Quâ metaphorâ significatur Christum prædicaturum & allaturum libertatem ex captivitate Satanæ & peccatorum vinculis, ut Deo vero Domino nostro restituamur & justitiæ serviamus. ET CÆCIS VISUM: nam unum ex præcipuis beneficiis Christi est, quod genus humanum ex horrendis ignorantiæ & peccatorum tenebris vocavit in admirabile lumen suum: de quo etiam capite 1. versu 79. prophetavit Zacharias & capite 2. versu 32. Simeon. DIMITTERE CONFRACTOS IN REMISSIONEM, id est, ad dimittendos liberos eos, qui peccatorum jugo obtriti & fracti sunt animo, vel etiam eos, qui omnibus facultatibus exuti, pro gravissimis tamen peccatorum debitis tenentur in vinculis; ad hos, inquam, dimittendos liberos, juxta illud Isaiæ 58. ad quod per hanc metaphoram alluditur, *Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos.* PRÆDICARE ANNUM DOMINI ACCEPTUM, id est, tempus divini beneplaciti, quo scilicet Deo placuit benevolentiam ac benefi-

centiam ſuam hominibus declarare. Ubi certum eſt, alluſionem fieri ad annum jubilæi, in quo ſimilis proclamatio libertatis & remiſſionis debitorum fiebat, ut patet Levit. 15. verſu 10. & Deuteron. 13. Hoc autem tempus non fuit ſolus primus annus prædicationis Chriſti, ut putavit Epiphan. Hæreſi 51. exiſtimans neminem tunc contradixiſſe Chriſto neque Judæos, neque Samaritanos, neque Gentes; cùm contrarium ſatis pateat hîc verſu 19. ſed eſt totum tempus ab adventu Chriſti, uſque ad ſæculi conſummationem, in quo vocantur hi, qui accepti fiunt à Deo, ut Iren. libr. 2. capite 38. & ſic perſpicuè exponit ipſe Apoſtolus, 2. ad Corinth. 2. ET DIEM RETRIBUTIONIS: Hieron. vertit *ultionis*, nempe extremi judicii, quam Chriſtus paſſim prædicavit: vel potiùs quia tota hæc prædicatio læta eſt, intelligitur ultio de inimicis generis humani, diabolo & Angelis ejus. Unde idem tempus eſt ſalutis ſeu acceptabile, & retributionis ſeu ultionis, ſicut utrumque etiam conjungit Iſaias capite 35. verſu 4. *Dicite puſillanimis: Confortamini, ecce Deus veſter ultionem adducet retributionis*, ſcilicet in hoſtes, *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos.*

20. ET CUM PLICUISSET LIBRUM, REDDIDIT MINISTRO, Synagogæ, ET SEDIT, more Doctoris, ET OMNIUM IN SYNAGOGA OCULI ERANT INTENDENTES, id eſt, defixi, IN EUM curioſitate potiùs quàm docilitate audiendi, quid dicturus eſſet, qui cum tanta fama repentè prodiiſſet, cùm numquam litteras didiciſſet, ut eſt Joan. 5. Dixit autem,

20. Et cùm pliciuiſſet librum, reddidit miniſtro & ſedit: Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum.

21. QUIA, quod redundat hîc, ſicut alibi ſæpiſſimè in Scripturis, HODIE IMPLETA EST HÆC SCRIPTURA IN AURIBUS VESTRIS, id eſt, impletur, vobis audientibus, quando vobis Evangelium prædicantem auditis. Quo tacitè ſignificat, ſe eſſe illum, de quo Propheta loquebatur, hoc eſt Meſſiam, divinóque actum ſpiritu & auctoritate ſe facere, quæ faceret.

21 Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris.

22. ET OMNES TESTIMONIUM EI DABANT, ſapientiæ, doctrinæque ſingularis, ut ſatis colligitur ex Marci 6. verſu 2. ET MIRABANTUR IN VERBIS GRATIÆ: id eſt, propter verba ejus, gratiæ decoriſque plena: quod alii eodem ſenſu exprimunt per hypallagen, propter gratiam verborum, juxtà illud jam olim de eo vaticinatum, *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Significat autem *Gratia* non compoſitionem verborum, ſed vim divinam, quâ ejus oratio in animos auditorum decorè, ſuaviter, & efficaciter influebat. ET DICEBANT, non cauſam admirationis proferendo, ſed auctoritati verborum gratiæ derogando: nam Matth. in fine c. 13. dicit quòd ſcandalizabantur in eo, in carnalis ſcilicet originis abjectione.

22. Et omnes teſtimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius & dicebant: Nonne hîc eſt filius Joſephi?

23. DICENTES: NONNE HIC EST FILIUS JOSEPH, plebeii ſcilicet & fabri.: ET AIT ILLIS: UTIQUE DICETIS MIHI HANC SIMILITUDINEM, id eſt, hanc parabolam, ut Græcè, ſeu hoc proverbium vulgare, quod in Medicos cum convitio jaci ſolet, ſi artem medendi aliis profitendo, ſe ſubſque juvare nequeant, MEDICE CURA TEIPSUM: qu. d. ſi ars ſua valeret aliquid, primò ſibi ferret opem. Applicat autem proverbium Chriſtus: QUANTA AUDIVIMUS FACTA IN CAPHARNAUM, civitate ſcilicet tibi exterâ, FAC ET HIC IN PATRIA TUA, cui tam-

23. Et ait illis: Utique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura teipſum: quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patria tua.

quam propinquiori magis obſtrictus es: quaſi dicerent, Non credimus illa eſſe facta, quæ fama vulgavit, cùm nihil hîc talis beneficii præſtes nobis. Idem omninò proverbium aliis verbis Chriſto in ipſa cruce objectum fuit, Matth. 27. v. 42. Reſpondet autem hîc Chriſtus, retorquendo proverbium ſimile, quo docet nullibi minùs miracula debere ſe facere, quàm ubi ipſi maximè putabant.

24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

24. QUIA NEMO PROPHETA ACCEPTUS EST, id eſt, in honore & pretio eſt, IN PATRIA SUA: unde apud Matth. *Non eſt Propheta ſine honore niſi in patria.* Cauſam dat Cyrillus libro 2. in Joann. capite 113. quia ſolemus id quod tritum eſt atque quotidianum, etiamſi magnum ſit, parvipendere: imò & in iis, quæ ejuſdem ſortis nobiſcum ſunt, ſi in aliqua re excelluerint, invidere. Cauſam ergò tacitè in ipſos retorquet: cùm enim miracula in eum fiant finem, ut credantur, minimè autem credantur, ubi Propheta ſine honore eſt, & contemnitur, minimè in patria fieri debent. Quod declarat ex factis aliorum Prophetarum Eliæ & Elizæi. Nam

25. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël: quando clauſum eſt cælum annis tribus & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra:

25. MULTÆ VIDUÆ, egenæ ſcilicet laborantes inediâ, ERANT IN DIEBUS ELIÆ IN ISRAEL, QUANDO CLAUSUM EST CŒLUM, id eſt, non pluit, ANNIS TRIBUS ET MENSIBUS SEX: quod tempus non exprimitur in Scriptura veteris Teſtamenti, ſed ex propria ſcientia Chriſtus tradit, & ex Chriſto Jacobus c. 5. v. 17.

26. Et ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

26. ET AD NULLAM ILLARUM MISSUS EST ELIAS, NISI, quod non exceptivè intelligendum eſt, quia non erat vidua Iſraëlitis, verum adverſativè pro, *ſed*, qu. d. ſed IN SAREPTA SIDONIÆ, Græcè Σιδῶνος id eſt, urbem illam ſpectantem ad ditionem Sidonis ſeu Sidoniorum: duobus enim milliaribus ab illa diſtabat, & ejus incolæ Gentiles erant. AD MULIEREM VIDUAM: cujus præ omnibus viduis Iſraël tantopere excelluit fides, & charitas, & veneratio ergà Prophetam, ut unius diei cibum, quem ſolum habebat, appoſuerit, & Prophetæ eſuriem neceſſitati ſuæ & filii prætulerit, inquit Leo Serm. 4. de Quadrageſ. Maximæ enim fidei fuit, quòd verbis ſimplicibus hominis eſurientis, & tamen ei victum promittentis, crederet; maximæ charitatis & honorificentiæ, quòd ſatiùs judicaret ipſum, quam ſe vel filium, vivere.

27. Et multi leprosi erant in Iſraël ab Eliſæo propheta: & nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus.

27. ET MULTI LEPROSI ERANT IN ISRAEL, &c. ET NEMO MUNDATUS EST NISI NAAMAN SYRUS, id eſt, extraneus Iſraëlitis. Cauſa erat etiam hîc, fides in Deum Iſraël, & Prophetas ejus, ex qua tantum laborem itineris ſuſceperat; & gratitudo in benefactorem Prophetam. Unde Ambroſ. Cur non curabat frattes Elizæus, cùm ſanaret alienos? niſi quia voluntatis eſt medicina, non gentis: & divinum munus votis elicitur, non naturæ jure defertur: faſtidioſos viros cæleſtium profectus munerum non ſequuntur. Hæc Ambroſius. Itaque Chriſtus tacitè & verecundè ſignificat etiam geſtis antiquorum congruere, quòd nulla ibi faceret miracula, culpam in ipſis eſſe, non in ſe, videlicet contemptum ſui, ingratitudinem, & ut Matth. incredulitatem eorum. Hunc verborum Chriſti ſenſum, cùm ipſi ſatis intelligerent.

28. Et repleti

28. REPLETI SUNT OMNES IN SYNAGOGA IRA: partim quòd ſui

taxationem non ferrent, ut peſtilentes homines ſolent; partim quòd ipſe ſe Prophetis antiquis comparet; ac denique quòd ab eis Dei beneficia auferenda, & in alienigenas transferenda inſinuaret.

ſunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes.

29. ET SURREXERUNT, abruptâ ſcilicet Chriſti concione, ET EJECERUNT ILLUM EXTRA CIVITATEM, tamquam reum mortis, quâ extra civitatem ſontes plectere ſolebant, ut colligitur ex morte Chriſti, & Stephani, Act. 7. verſ. 57. ET DUXERUNT EUM, protrahendo, inquit Tertull. 4. contra Marcionem cap. 8. USQUE AD SUPERCILIUM, ſeu verticem & eminentiſſimum aliquod jugum, MONTIS, SUPER QUEM CIVITAS ILLORUM ERAT ÆDIFICATA, in aliqua ejus planitie decliviori.

29. Et ſurrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem: & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata: ut præcipitarent eum.

30. IPSE AUTEM TRANSIENS PER MEDIUM ILLORUM, ita, ut eum videntes tenere non poſſent, inquit Ambroſ. Orat. contra Auxent. nec enim ſe inviſibilem hîc Chriſtus reddidit, ſicut putatur feciſſe apud Joan. quando abſcondit ſe, & exivit de templo. Variis autem id modis fieri potuit, ſive reſolvendo manus eorum, quibus tenebatur, ſive mutatâ ſubitò, ſive obſtupefactâ furentium mente, ut ſentit Ambroſius. IBAT, id eſt, intrepidus ſine feſtinatione abibat, non ut fugientes ſolent occultè, ſed libero gradu ambulans, ut ſolebat, inquit Cyril. 12. in Joann. cap. 22. Nullam autem aliam furentibus inflixit pœnam, tamquam qui ſanare adhuc mallet, quàm perdere, ut inefficaci furoris exitu deſinerent velle, quod implere non poſſent, ut idem Ambroſ. ait.

30. Ipſe autem tranſiens per medium illorum, ibat.

31. Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos ſabbatis.

32. Et ſtupebant in doctrina ejus, quia in poteſtate erat ſermo ipſius.

33. Et in ſynagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna,

34. Dicens: Sine, quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te quis ſis, Sanctus Dei.

35. Et increpavit illum Jeſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab eo. Et cùm projeciſſet illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.

36. Et factus eſt pavor in omnibus, & colloquebantur ad invicem, dicentes: Quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt?

37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

38. Surgens autem Jeſus de ſynagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magis febribus: & rogaverunt illum pro ea.

39. Et ſtans ſuper illam, imperavit febri: & dimiſit illam. Et continuo ſurgens miniſtrabat illis.

40. Cùm autem ſol occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens, curabat eos.

41. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei: & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.

42. FACTA AUTEM DIE, id eſt, primo crepuſculo, ſeu, ut Marcus, DILUCULÒ VALDE: inſinuatur autem Chriſtum tota nocte curandis ægris operam dediſſe; IBAT AD DESERTUM LOCUM, non tantùm orandi causâ, vel fugiendi turbam, ſed in primis vitandi jactantiam, ut Ambr. Ita nos docens exemplo ſuo à perfectis viris omnem vanitatis cupiditatem ex præſtitis beneficiis vel magnalibus abeſſe debere. ET TURBÆ REQUIREBANT, ſeu quærebant eum nocturnis illectæ beneficiis. Ad quem modum pulchrè Ambroſ. docet Chriſtum ſpiritualiter quærendum, non nocte, ſed die, non in foro, ſed in deſerto.

42. Facta autem die egreſſus ibat in deſertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt uſque ad ipſum: & detinebant illum ne diſcederet ab eis.

43. Quibus ille ait: Quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo miſſus ſum.

44. Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ,

CAPUT V.

CAPUT QUINTUM.

1. Factum est autem, cùm turbæ irruerunt in eum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.

FACTUM EST AUTEM, &c. Utrùm hæc historia sit eadem cum ea, quam narrat Matth. cap. 4. vers. 18. non ita constat. Multa suadent esse diversam, & quidem tempore priorem, sicut tenet Augustin. libro 2. De consensu cap. 17. nam ibi Christus dicitur juxtà mare ambulasse, hîc stetisse: ibi nulla turbæ mentio, hîc plurimæ: ibi Christus in littore dixit, *Faciam vos fieri piscatores hominum*, hîc in navi ait, *Eris homines capiens*: ibi Petrus & Andræas mittebant rete in mare; Joannes verò & Jacobus reficiebant, hîc omnes lavabant retia sua. Sunt tamen quædam aliæ circumstantiæ ita similes, ut non videatur diversa esse historia. Itaque verum videtur esse id, quod Augustinus ait præcessisse quidem hanc historiam ante vocationem, quam Matthæus narrat, sed sic tamen, ut illa vocatio ei prorsus conjuncta fuerit.

2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autē descenderant, & lavabant retia.

2. ET VIDIT DUAS NAVES STANTES SECUS, id est, juxta STAGNUM; & proinde in ipso littore: PISCATORES AUTEM DESCENDERANT ET LAVABANT RETIA. Quo pulchrè significatur eos, qui piscantur homines, debere statutis temporibus à piscatione feriari, ut sordes adhærentes verbis & officiis, quibus homines quasi retibus ad Christum trahunt, per pœnitentiam abluant & corrigant, ut in posterum mundiora & expeditiora sint retia.

3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum à terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas.

3. ET ASCENDENS IN NAVEM, ut quietiùs & minùs à turba pressus doceret, QUÆ ERAT SIMONIS; ut mysterium adumbraretur, quòd ipse præficiendus esset Ecclesiæ, in qua doceret Christus: ROGAVIT EUM, ne in hominem sibi necdum adhærentem imperium usurpare videretur, A TERRA REDUCERE PUSILLUM quantùm sufficeret; ut vox quidem ejus audiri posset à turba, non tamen ipse comprimi. Quo significatum vult Gregor. 17. Moral. cap. 12. eos, qui erudiunt turbam, nec in profundum mysteriorum se abripere debere, nec etiam in terra quasi terrena prædicare, sed pro captu turbæ medium tenere. Cùm ergò finita concione Petrus IN VERBO DOMINI, id est, juxtà jussum Christi, projiciendo laxasset rete suum capta multitudine piscium copiosâ,

4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.

5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatus autem rete eorum.

7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt & implevérunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.

7. ANNUERUNT SOCIIS, id est, signis non voce advocarunt ad adjuvandum. Quod factum fuit non tam ex stupore & timore, quo loqui non possent, ut quidam putant (statim enim loquebatur Petrus Christo) quàm propter nimiam distantiam.

8. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, adorabundus: mirabatur enim Dominici præcepti virtutem, & tamquam in arte

trus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

arte piscandi exercitatissimus satis cernebat, non nisi divinâ virtute rem esse gestam: DICENS, EXI A ME, id est, discede à me. Causam adjicit, QUIA HOMO PECCATOR SUM, id est, multis peccatis obnoxius, tu vero sanctissimus, ut proinde consortio tuo indignus sim. Itaque verba ista videntur profecta ex duplici affectu: primò ex humilitatis magnitudine, ut fuerint similia verbis Centurionis, *Non sum dignus ut intres sub tectum meum:* quasi diceret Petrus, non sum dignus, ut sis in navi mea. Secundò ex timore: unde Cyril. in cap. 6. Isaiæ dicit, Petrum ex reverentia horruisse esse cum Christo, velut peccatorem cum sancto. Timor ergò iste fuit, sive carnalis, ut aliqui putant, quasi timuisset, ne fortè illâ occasione vindicta iniquitatum ejus sumeretur; quo sensu mulier Sareptana, 3. Reg. 17. v. 18. ingressui Eliæ imputabat mortem filii sui: sive potiùs timor religiosus ac pavor ex admiratione divinæ virtutis præsentis, quam ex illo facto sentiebat; nam hoc indicare videtur id, quod sequitur.

9. Stupor enim circumdederat eū, & omnes qui cum illo erant, in captura piscium, quā ceperant:

9. STUPOR ENIM CIRCUMDEDERAT EUM, nempe quo animus ex admiratione attonitus percellitur. Cujusmodi stupor nimius quia animum impedit, neque sui satis compotem esse sinit, hinc Dominus:

10. Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.

10. NOLI TIMERE, perculsus ex conscientia peccatorum tuorum, meæque virtutis: q. d. non exerui eam, ut te quamvis peccatorem à præsentia mea deterrerem, sed potiùs, ut longè majus meum in te beneficium figurarem. Nam EX HOC IAM, seu ἀπὸ τοῦ νῦν, *ex hoc nunc*, ut est Græcè, id est, ex præsenti hoc tempore posthac non pisces ad mortem, sed, quod longè sublimius est, HOMINES ERIS CAPIENS, scilicet ad vitam; Græcum enim ζωγρῶν propriè significat vivum capere. q. d. Homines capies, non ut ad servitutem tuam & mortem eos capias, sed ut libertati & vitæ tamquam ex hostium manibus erepti serventur. Est autem hæc prædictio non vocatio Petri: nam verba ista in navi Christus protulit. Vocavit autem eum cum fratre, cùm jam ad littus appulisset, juxta Matth. & inde paululum digressus etiam Jacobum & Joannem, filios Zebedæi, qui similiter parumper à piscatione jam digressi fuerant. Itaque Lucas relicta vocatione quatuor Apostolorum, ipsisque verbis, quibus vocati sunt, & Matth. 4. narrantur, effectum dumtaxat vocationis omnium exprimit, nempe quod omnes quatuor,

11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

11. SUBDUCTIS AD TERRAM NAVIBUS, RELICTIS OMNIBUS scilicet piscibus, retibus, navibus, adeóque instituto piscandi, SECUTI SUNT EUM, ut tamquam discipuli jam Christo inseparabiliter adhærerent. Eadem est igitur vocatio, quæ apud Matth. & Marc. & quæ hîc apud Lucam texitur: ita tamen, ut illi omittant celebris istius piscationis miraculum, quod hîc narratur, & animum eorum ad obtemperandum vocationi disposuit. Reliqua vide Matth. 4. Porrò piscationem istam mysterii alicujus causâ gestam esse res ipsa clamat: unde Ambros. passim & Gregor. 17. Moral. c. 12. aliàs 13. & Aug. diversis locis, præcipuè vero Tractat. 122. in Joan. allegoricè eam explicant. Navis enim Petri significat Ecclesiam cui Petrus præfuit, & ex cujus auctoritate Christus turbas docet: binarius navium sunt duo populi, circumcisio & præputium: jubetur Petrus in altum ducere, ut scilicet Evangelium

12. Et factum est, cùm esset in una civitatum, & ecce vir plenus lepra, & videns Jesum, & procidens in faciem, rogavit eum: dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

apud remotiores gentes prædicet: ruptura retium sunt hæreses & schismata, quæ per multitudinem hominum carnalium cum suis malis moribus in Ecclesiam intrantium fieri solent, per quos fit, ut penè mergantur naves, id est, periclitentur Ecclesiæ. Vide cætera latiùs apud Augustum.

13. Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.

14. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret: sed, Vade, ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis.

15. Perambulabat autem magis sermo de illo: & conveniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis.

16. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

17. Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, & Judææ, & Jerusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.

18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

19. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum.

20. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.

21. Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

22. Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?

23. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula?

24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: & abiit in domum suam, magnificans Deum.

26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

27. Et post hæc exiit, & vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me.

28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.

29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.

30. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

31. Et respondens Jesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.

32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

33. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt?

34. Quibus ipse ait: Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?

35. Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.

36. Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à novo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & novum rumpit, & veteri non convenit commissura à novo.

37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin rumpet vinum novum utres, & ipsum effundetur, & utres peribunt.

38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, & utraque conservantur.

39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim: vetus melius est.

CAPUT SEXTUM.

CAPUT VI.

MAGNA pars Capitis hujus diversis locis apud Matth. & Marcum explicata est: quædam supersunt notanda.

1. FACTUM est autem in sabbato secundo, primo, cùm transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, & manducabant confricantes manibus.

2. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis quod non licet in sabbatis?

3. Et respondens Jesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit David, cùm esuriisset ipse, & qui cum illo erant:

4. Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his qui cum ipso erant: quos non licet manducare nisi tantùm sacerdotibus?

5. Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis etiam sabbati.

6. Factum est autem & in alio sabbato, ut intraret in synagogam, & doceret. Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida.

7. Observabant autem Scribæ, & Pharisæi, si in sabbato curaret: ut invenirent unde accusarent eum.

8. Ipse verò sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit.

9. Ait autem ad illos Jesus: Interrogo vos, si licet sabbatis benefacere, an malè; animam salvam facere, an perdere?

10. Et circumspectis omnibus dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus ejus.

11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu.

12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

13. Et cùm dies factus esset, vocavit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominavit)

14. Simonem, quem cognominavit Petrum, & Andream fratrem ejus, Jacobum, & Joannem, Philippum, & Bartholomæum,

15. Matthæum, & Thomam, Jacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes,

16. & Judam Jacobi, & Judam Iscariotem, qui fuit proditor.

17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis,

18. Qui venerant ut audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur.

19 Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

20. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.

21. Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis.

22. Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis.

23. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces vestra multa est in cælo: secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

24. VERUMTAMEN VÆ VOBIS DIVITIBUS. Quatuor generibus hominum, quos beatos prædicaverat, quatuor alia opponit, quibus væ intentat, id est, æternam miseriam prædicit: & primò quidem divitibus scilicet spiritu, hoc est animo & affectu, sive divitias simul habeant, sive non habeant: opponuntur enim hîc divites pauperibus spiritu, quos Matth. expressit, sicut ibi explicuimus. *Divites* ergò hîc vocantur, qui divitiis inhiant, vel incubant, amore scilicet cum divitiis colligati, ut inde avelli nequeant: nam si qui divitias habeant tamquam non habentes, & observent præceptum Apostoli, 1. ad Ti-

24. Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.

moth. 6. verſ. 17. ſeq. & ab hoc væ immunes ſunt: non enim cenſus ſed affectus in crimine eſt, inquit Ambroſ. QUIA HABETIS CONSOLATIONEM VESTRAM, id eſt, recipitis in hac vita ex divitiis beatitudinem veſtram: nemo enim divitias diligit eo quo diximus, modo, quin ex iis beatitudinem ſive ex toto ſive ex parte percipere velit: hoc eſt enim commune omnibus, qui frui volunt creaturis.

25. Væ vobis, qui ſaturati eſtis: quia eſurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.

25. VÆ VOBIS QUI SATURATI ESTIS, id eſt, qui in hoc ſtudetis, ut cibo potúque farti genio indulgeatis: illis enim væ minatur, quorum, ut Apoſtolus loquitur, Deus venter eſt, qui in comeſſationibus & potationibus ſuam fœlicitatem ponunt. QUIA ESURIETIS: nam per quæ quis peccat, per hæc & punietur: unde & Iſaias, *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſervi mei bibent*, &c. Nam ſub eſurie etiam ſitis hic comprehenditur: & ſub his duobus omnium rerum neceſſariarum inopia. VÆ VOBIS, QUI RIDETIS NUNC, id eſt, qui hoc unum ſpectatis, ut in rebus hujus mundi tranſitoriis gaudium capiatis in laſcivia, in luxu, cæteriſque divitiis, QUIA LUGEBITIS, animo, ET FLEBITIS, corpore, hoc eſt intus & extra voluptas vobis in dolorem animi & cruciatum corporis commutabitur.

26. Væ cùm benedixerint vobis homines: ſecundùm hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorum.

26. VÆ CUM BENEDIXERINT VOBIS HOMINES, id eſt, cùm major pars Judæorum (nam de Judæis illius temporis loquitur) vobis prædicantibus applauſerit: hoc enim ſignum eſt vos eis loqui placentia, vitia potiùs eorum demulcendo, quàm redarguendo: unde Chriſtus, *Me odit mundus, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala ſunt.* SECUNDUM HÆC ENIM FACIEBANT PSEUDOPROPHETIS PATRES EORUM, ſcilicet Judæorum, inter quos jam vivitis. Atteſtatur hoc Jeremias c. 5. v. 31. *Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis, & populus meus dilexit talia.* Hoc igitur poſtremum væ deterret diſcipulos à captando hominum plauſu per doctrinam, & opponitur beatitudini, quæ. v. 22. & 23. promittitur ex hominum maledictione, propter doctrinam & fidem Chriſti.

27. Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.

28. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

29. & qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.

30. Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.

31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter.

32. Et ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? nam & peccatores diligentes ſe diligunt.

33. Et ſi benefeceritis his, qui vobis benefaciunt; quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.

34. Et ſi mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.

34. ET SI MUTUUM DEDERITIS HIS, A QUIBUS SPERATIS RECIPERE, nempe ſimile beneficium, vel mutui, vel alterius beneficentiæ, QUÆ GRATIA EST VOBIS, quàm magnam initis gratiam apud Deum, ut ab eo magnam mercedem ſperetis? Unde Matth. dicit, *Quam mercedem habetis?* NAM ET PECCATORES PECCATORIBUS FŒNERANTUR, id eſt, mutuum dant, quia Græcè eſt δανείζουσι, eadem vox, quæ initio hujus verſus: UT RECIPIANT ÆQUALIA, id eſt, parem mutui, vel beneficii vicem in ſua neceſſitate. Itaque

35. Verumtamen

35. MUTUUM DATE, NIHIL INDE SPERANTES, id eſt, nullam ex-

ſpectantes ex iſto beneficio parem beneficii vicem : non enim hîc agitur de recipienda pecunia ultra ſortem. Sic ergò duos iſtos verſus plerique exponunt, ut excludatur à beneficentia Chriſtiani omnis proprii commodi conſideratio. Quamquam videatur valdè congrua (quæ adhuc perfectiorem præſcribit benefaciendi modum) interpretatio S. Ambr. Præfat. in Lucam, *Date mutuum, nihil inde ſperantes*, id eſt, etiam cum deſperatione recuperationis, ſeu recuperandæ ſortis. Quod clariùs docet libr. de Tobia cap. 16. Date, inquit, mutuum iis, à quibus non ſperatis vos, quod datum fuerit, recepturos : quando videlicet petitur non donum, ſed mutuum causâ honeſtatis, vel verecundiæ, quamvis videas præ paupertate numquam eſſe reddendum. Ita ut Chriſtus hîc pro tempore & loco mutuum dare jubeat, non ſolùm ſine uſura, ſpe ſimilis beneficii, ſed etiam ſine ſpe recuperandæ ſortis, ſubveniendo ſcilicet iis, qui præ verecundia non audent eleemoſynam petere, ſed mutuum : quod reipſa quidem eſt idem, quod donare, non tamen in modo. Unde rectè obſervat Hieron. in cap. 18. Ezech. profectum virtutis ac legis, ut initio lex quidem à fratribus uſuram tolleret, *Non fœnerabis fratri, ſed alieno :* deinde propheta ab omnibus, Ezech. 18. v. 8. denique Dominus in Evangelio præciperet mutuum dare etiam iis, à quibus non ſperaremus ſortem recipere. Qua de cauſa pulchrè Tertull. lib. 4. contra Marcionem cap. 17. annotat in hunc Lucæ locum. Prius fuit, ut Dominus fructum fœnoris, (id eſt, uſuram) eradicaret, quo facilius aſſuefaceret hominem ipſi quoque fœnori (id eſt, ſorti in mutuum datæ) perdendo, cujus fructum (id eſt, uſuram) didiciſſet amittere. Conſentit Auguſt. lib. 1. de ſerm. Domini in monte, ad verba, *Qui vult à te mutuari, ne averſeris, &c.*

diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes : & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos : 36. Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt.

37. NOLITE IUDICARE ET NON IUDICABIMINI : qua de re diximus Matth. 7. Solùm notandum, nihil hâc juſtitiâ benignius, nihil retributione clementius dari poſſe, ubi ſententia Judicis in poteſtate ponitur judicandi.

37. Nolite judicare, & non judicabimini : nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.

38. DATE ET DABITUR VOBIS, &c. Quibus verbis diffidentiæ ſollicitudo, & avaritiæ eſt amputata cunctatio, ut quod reddituram ſe promittit veritas, ſecura expendat humilitas, inquit Leo Serm. 6. de jejunio decimi menſis. MENSURAM BONAM : q. d. Dantibus non ſolùm dabitur, ſed ad eos redibit magno cum fœnore beneficium ; quod exprimit per metaphoram menſuræ frumentariæ. *Menſuram* itaque *bonam*, id eſt, plenam, cujus integritati nihil deeſt, ET CONFERTAM, Græcè πεπιεσμένον, *preſſam*, id eſt, manibus conſtipatam, ET COAGITATAM, vaſe ſcilicet concuſſo, quò amplius capiat, ET SUPEREFFLUENTEM, id eſt, ita impletam, ut redundet & undique diffluat : q. d. liberalitati veſtræ dabunt menſuram liberaliſſimam. Omnia hæc epitheta applicat S. Bernardus ipſi Deo, qui futurus eſt merces omnium. Ipſum vide Serm. 5. de Vigilia NATALIS, & 11. in CANT. DABUNT IN SINUM VESTRUM, id eſt, vobis, tamquam veſtrum, & firmiſſimè poſſidendum dabunt ; ſupple illi, qui retributioni præerunt. Quamquam Auguſt. lib. 2. Quæſt. Evang. qu. 8. referat ad eos, qui beneficium acceperint : non enim diceret, inquit, *dabunt*, &c. niſi quia per illorum

38. Date, & dabitur vobis: menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.

39. Dicebat autem illis & ſimilitudinem: Numquid poteſt cæcus cæcum ducere ? nonne ambo in foveam cadunt ?

merita, quibus dederint, mercedem cœlestem recipere merebuntur. EADEM QUIPPE MENSURA, QUA MENSI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS. Quod referri debet ad omnia tria præcedentia, ad judicium, ad condemnationem, ad dimissionem, ut patet ex Matth. 7. v. 1. & 2. maximè verò hîc refertur ad erogationem seu dationem, scilicet pro rata abundantiæ, quâ quis usus fuerit in erogando, restitutum iri mercedem incomparabiliter quidem in se majorem, proportione tamen quadam respondentem mensuræ liberalitatis. Ut idem significet, quod Apostolus, *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus*, id est, copiosè & abundanter, *de benedictionibus & metet.* Vide Matth. 7.

40. Non est discipulus super magistrū: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras?

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo: & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.

44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant uvam.

45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me Domine, Domine, & non facitis, quæ dico?

47. Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos: ostendam vobis cui similis sit:

48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit, & non facit: similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, & continuò cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

CAP. VII. CAPUT SEPTIMUM.

1. CUm autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum.

2. Centurionis autem cujusdam servus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.

3. Et cùm audisset de Jesu misit ad eum seniores Judæorum rogans eum ut veniret, & salvaret servum ejus.

4. At illi cùm venissent ad Jesum, rogabant eum solicite dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes.

5 Diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificavit nobis.

6. Jesus autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè esset à domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari: Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.

7. Propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te: sed dic verbo, & sanabitur puer meus.

8. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit, & alii veni, & venit, & servo meo, fac hoc, & facit.

9. Quo audito Jesus miratus est, & conversus sequentibus se turbis dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni.

10. Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.

11. Et factum est: deinceps ibat in civitatem, quæ

11. IBAT JESUS IN CIVITATEM, QUÆ VOCATUR NAIM. Civitas est Galilææ, ad radices montis Hermon minoris, duobus circiter milliaribus à monte Thabor, ut Hieronym. De locis Hebraïcis, juxta

torrentem Cyſon, ut ait in Epitaphio Paulæ. ET TURBA COPIOSA: quod addit, ut indicet multos miraculi fuiſſe teſtes. Qua de cauſa etiam divina providentia factum eſt, ut ad ipſam portam civitatis fieret, ubi & judicia olim fiebant, & maximus eſſe ſolebat hominum concurſus Voluit tamen fortuitum videri occurſum funeris, ne minor eſſet miraculi gloria, ſi quæſitus videretur.

vocatur Naim: & ibant cum eo diſcipuli ejus, & turba copioſa.

12. ECCE DEFUNCTUS EFFEREBATUR. Mos enim Judæorum erat, ut mortui extrà civitatem ſepelirentur, ut minùs facilè legalis immunditia contraheretur ex ſepulchrorum commercio. Unde & Chriſti ſepulchrum extrà civitatem extructum fuit. FILIUS UNICUS, Græcè μονογενὴς *unigenitus*, quod amplius eſt: unde & in unigeniti morte luctus eſt acerbiſſimus, Zachariæ 12. verſu 10. & Jeremiæ 6. v. 26. ET HÆC VIDUA; ideóque deſolatior, & viró, & filio, herede & ſolatio ſenectutis extincto: ET TURBA CIVITATIS MULTA CUM ILLA; ad meritum gravitatis, ut Ambroſ. ad conſolandam viduam mœroris ſocietate, funeris pompa & ſolemnitate: nam hæc, ut Aug. in Enchirid. magis pertinet ad vivorum ſolatium, quam ad ſuffragium mortuorum.

12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ: & hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa.

13. QUAM CUM VIDISSET DOMINUS, non ſolùm corpore, ſed in primis animo, expenſis cauſis luctus ejus, MISERICORDIA MOTUS SUPER ILLA, ſeu propter illam, ſponte ſcilicet doloris & compaſſionis motu in animum admiſſo. Unde colligit Ambroſ. citò flecti divinam miſericordiam lachrymis viduæ, præſertim quæ unici filii labore vel morte frangatur. DIXIT ILLI: NOLI FLERE, fide ſcilicet & ſpe futuræ reſurrectionis, partim generalis omnium (quod ſolatium eſt verum, & ex virtute profectum) partim jam proximè inſtantis: q. d. inquit Beda, Deſiſte quaſi mortuum flere, quem mox reſurgere vivum videbis.

13. Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere.

14. ET ACCESSIT, ET TETIGIT LOCULUM, non ut contactu ſuſcitaret, ſed ut portantes loculum ſiſteret; & ait: ADOLESCENS TIBI DICO, ſeu impero, SURGE. Oſtendit enim ſe non aliena ſed ſua auctoritate, ideóque divina ſua virtute mortuum ſuſcitare. Qua conſideratione dixit Ambroſ. Mortuis vitam imperare ſolius divinæ eſt poteſtatis. Petrus autem non dixit in Actis *Tabitha ſurge*, niſi præmiſſa oratione, qua etiam uſi ſunt Elias & Elizæus.

14. Et acceſſit & tetigit loculum (Hi autem, qui portabant, ſteterunt) Et ait: Adoleſcens, tibi dico ſurge.

15. ET RESEDIT, QUI ERAT MORTUUS, id eſt, erexit ſe ad ſedendum, ut qui in lectica ſupernè patula jaceret, ET CŒPIT LOQUI. His duobus manifeſtiſſimis effectis & indiciis verè reſuſcitatum indicans, ut notant Titus ac Theophyl. ET DEDIT ILLUM MATRI SUÆ: in argumentum, quod ipſius commiſeratione, & in ejus præſidium eum ſuſcitaverat. Allegoriam hujus hiſtoriæ proſequitur Ambroſ. Quid verò ſignificetur per tres mortuos à Chriſto ſuſcitatos ſcilicet archiſynagogi filiam, hunc adoleſcentem, & Lazarum, pulchrè ad mores informandos tractat Auguſtinus Serm. 43. de verbis Domini cap. ult. & 44. toto, & Tract. 49. in Joan. Summa eſt, quòd puella mortua in domo jacens ſignificet eos, qui intùs in corde peccatum decernunt; adoleſcens foras elatus, eos, qui actibus externis perpetrant; Lazarus quatriduanus in ſepulchro fœtens, eos, qui conſuetudinis pondus ſuprà ſe habent, & in peccatis putent, ſive fœtent. Hi omnes à Domi-

15. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ.

no ſuſcitantur, ſed ita ut poſtremi magnâ ejus voce, hoc eſt, potentiſſimâ gratia, ad vitam revocari debeant. Vide ibidem latiùs.

16. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitavit plebẽ ſuam.

16. ACCEPIT AUTEM OMNES TIMOR, id eſt, corripuit eos horror quidam & reverentia exerentis ſeſe divinitatis: *timor* enim pro reverentia, ſeu reverentiali timore frequenter apud Hebræos ponitur. Unde ſequitur effectus ejus, ET MAGNIFICABANT, id eſt, magnum prædicabant Deum, propter miſericordiam & potentiam, dicentes: QUIA PROPHETA MAGNUS SURREXIT IN NOBIS. Nec enim amplius quàm Prophetæ dignitatem videntur agnoviſſe in perſona ejus; in officio verò Meſſiam, per hoc, quod addunt: DEUS VISITAVIT PLEBEM SUAM; quæ erant & verba Zachariæ cap. 1. verſ. 68. Meſſiam adveniſſe gratulantis. Quamquam ita intelligi poſſint, ut generaliter gratulentur his verbis, quòd Deus plebem ſuam per multos annos à Prophetis deſertam denuò viſitaverit, & conſolatus ſit.

17. Et exiit hic ſermo in univerſam Judæam de eo, & in omnem circa regionem.

18. Et nunciaverunt Joanni diſcipuli ejus de omnibus his.

19. Et convocavit duos de diſcipulis ſuis Joannes, & miſit ad Jeſum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?

20. Cum autem veniſſent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptiſta miſit nos ad te dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?

21. (In ipſa autem hora multos curavit à languoribus & plagis, & ſpiritibus malis & cæcis multis donavit viſum.)

22. Et reſpondens, dixit illis: Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis, & vidiſtis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur:

23. Et beatus eſt quicumque non fuerit ſcandalizatus in me.

24. Et cùm diſceſſiſſent nuncii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui in veſte pretioſâ ſunt & deliciis, in domibus regum ſunt.

26. Sed quid exiſtis videre? prophetam? Utique dico vobis, & pluſquam prophetam:

27. Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

28. Dico enim vobis: major inter natos mulierum propheta Joanne Baptiſta nemo eſt, qui autem minor eſt in regno Dei, major eſt illo.

29. Et omnis populus audiens & publicani juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Joannis.

30. Phariſæi autem, & legis periti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus: Cui ergo ſimiles dicam homines generationis hujus, & cui ſimiles ſunt?

32. Similes ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus ad invicem, & dicentibus: Cantavimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis, lamentavimus, & non ploraſtis.

33. Venit enim Joannes Baptiſta, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet.

34. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis, Ecce homo devorator, & bibens vinum: amicus publicanorum, & peccatorum.

35. Et juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis.

36. Rogabat autem illũ quidam de Phariſæis ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit.

36. ROGAVIT AUTEM ILLUM QUIDAM PHARISÆUS. Infrà vocatur *Simon*, quem Auguſt. lib. 2. de conſenſu. cap. 79. diſtinctum fuiſſe putat ab eo, qui Matth. 26. & Marci 14. vocatur *Leproſus*, quaſi ad diſtinctionem hujus Simonis. Accedit locorum & temporis diverſitas. Sed nihil iſtorum cogit, ut diverſum fuiſſe credamus: potuit enim eadem mulier diverſis locis, ac temporibus Jeſum ungere, & Simon etiam habere duo domicilia in diſtinctis locis, in vico ſcil. Bethania, & in civitate Iraque Orig. Hom. 1. in Cant. & Cyprian. Serm. de ablutione pedum, eumdem fuiſſe cenſent.

37. Et

37. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti;

37. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, id est, quæ per civitatem passim habebatur famosa peccatrix, prout putat insinuari August. in Psalm. 125. Quamquam Græca simpliciter legant, *Ecce mulier in civitate, quæ erat peccatrix*, id est, meretrix, prout disertè nominant veteres, Ambr. Greg. in hæc verba & alii, ipsumque nomen *Peccatricis*, mulieribus tributum, hoc significare solet. Nomen honoris causa tacet; sed fuit Maria, quæ cap. seq. vers. 2. dicitur Magdelena, & alibi soror Lazari ac Marthæ. Ut COGNOVIT; quo significatur occasionem captasse accedendi ad Dominum: QUOD ACCUBUISSET IN DOMO PHARISÆI, tamquam in loco opportuno ad id, quod meditabatur, quod in plateis minimè licuisset. Attulit alabastrum ungenti, id est, vasculum ex alabastrite pleno ungenti. Nam quamvis Epiphan. putet, hoc esse nomen mensuræ, verius tamen esse nomen materiæ vasculi seu pixidis excavatæ, conservandis unguentis aptissimæ. Vide dicta Matthæi 26.

38. & stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.

38. ET STANS RETRO, à tergo propter verecundiam, malamque conscientiam. Nam hæc sola legitur ex professo ad Dominum causa remissionis peccatorum consequendæ accessisse. Stans autem cœpit, etsi prostrata perrexerit: quamquam illud, *stans*: generaliùs accipi posset pro, *existens*, seu *manens*, ut nullum certum situm corporis indicet. SECUS PEDES EIUS, Græcè παρὰ τοὺς πόδας, *ad* seu, *juxtà pedes*, in morem supplicantis. Facile hoc fuit, si more Orientalium ità in thoro jacuerit, ut caput spectaret mensam, pedes partem exteriorem: nam thori erant alti, & tres ferè personas capiebant, unde Triclinia dicta. Quamquam in Scriptura frequens sit, Judæos sedisse ad mensam, ut patet de fratribus Joseph, Gen. 37. Ruth. quoque sedit ad messorum latus, & 1. Reg. 20. vers. 5. David ex more sedere solebat juxtà Regem ad vescendum: & vers. 25. Rex sedit super cathedram suam. LACHRYMIS CŒPIT RIGARE PEDES EJUS. Quo significatur, fluvium fuisse lachrymarum, & consequenter dolorem maximum de peccatis. Observat autem ordinem humanitatis, hospitibus exhiberi solitæ, qui notatur v. 44. & seqq. ut primò pedes quasi à sordibus itineris ablueret, inde tergeret, oscularetur, ungeret: itémque ordinem pœnitentiæ, cujus primus effectus est fletus & planctus. ET CAPILLIS, quibus ad emphasim addit, CAPITIS SUI, ut pedibus eos opponeret, TERGEBAT, abluendis sordibus. Non quòd ei deessent lintea, sed quòd potiùs seipsam quàm sua Christi obsequio consecraret, & caput suum quasi calcandum pedibus Jesu pro suppedaneo præberet, ut loquitur Cyprian. Serm. de ablut. pedum. Spectabat autem & hoc ad testandam pœnitentiæ magnitudinem, ut in capillatura se deformaret, in qua mulieres solent esse curiosissimæ. Nam & idem Cyprian. lib. De lapsis, inter indicia mœroris reponit neglectum, capillitium, & ad publicè pœnitentes spectare dicit squallorem deformitatémque corporis. ET OSCULABATUR PEDES EJUS; in argumentum amoris, ut Ambr. quo jam Christum, ut justitiæ fontem diligebat; ac propterea etiam odio adversùs peccata movebatur. juxtà Trident. Sess. 6. ET UNGUENTO UNGEBAT, ex more regionis fecit hoc, non solùm honorificentiæ & amoris testandi causâ, sed etiam ut bonis ope-

ribus peccata compensaret. Nam & hoc officium verè pœnitentis est: cujus hîc omnes actus accuratè concurrunt, dolor in lachrymis, humilitas in abjectione ad pedes, deformatio in capillis, amor in osculis, peccatorum compensatio, & bonorum operum exhibitio in unguento. Nam & odor unctionis odorem bonæ conversationis allegoricè significat, ut Ambros. lib. 2. De pœnitentia c. 8.

39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.

39. VIDENS AUTEM PHARISÆUS, &c AIT: HIC SI ESSET PROPHETA, SCIRET QUIA PECCATRIX EST, id est sciret, quòd peccatrix sit, notæque impudicitiæ, & consequenter repelleret eam, ne contaminaretur. Itaque ex permisso contactu colligit Christum nescire, quænam esset mulier, ut observat August. in Psal 125. Insinuat ergò se repulsurum fuisse, illis videlicet verbis, *Recede à me, noli me tangere*, quia mundus sum. Itaque multis modis errabat: primò, quòd colligeret Christum ignorare mulierem: secundò, ulteriùs eum propterea non esse Prophetam, cùm Prophetæ non sciant omnia, ut ex Elizæo patet, 4. Reg. 4. v. 27. tertiò, quòd medicum ab ægroto tangi miraretur: quartò, quòd repellendam judicaret à Christo, quasi alioquin contaminando. Itaque Dominus declarans se nosse & mulierum & Simonis cogitationes, ut ita aperiret temerarium ejus judicium, ait:

40. Et respondens Jesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic.

40. SIMON HABEO TIBI ALIQUID DICERE. Reprehensurus enim, quasi veniam precatur, & suaviter attentionem captat. Nam, ut August. Hom. 25. & ipsum sanare cupiebat, ne gratis apud eum panem comederet. Cùm itaque tamquam magister morem hospiti suo detulisset, & veniam accepisset, ait:

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

41. DUO DEBITORES ERANT CUIDAM FŒNERATORI. Parabola est, quâ significare vult, non solùm Mariam, sed & Simonem, quantumvis sibi justus videretur, debitorem esse, & indigere peccatorum remissione. Dicitur autem Deus hîc fœnerator, id est, creditor ex mutuo, quia certa talenta unicuique credit, quæ reposcit etiam cum usura. Quamquam hîc magis aliâ consideratione Deus creditor, & peccata debita esse significantur, quia obnoxios nos faciunt Deo ad injuriam reparandam. UNUS DEBEBAT, ex mutuo accepto, DENARIOS QUINGENTOS, ET ALIUS QUINQUAGINTA. Duplices esse denarios diximus, minorem & majorem: ille drachmam, hic didrachmum valebat. Parum interest, uter hîc intelligatur; solùm enim habetur ratio proportionis quingentorum ad quinquaginta, id est, debiti nonies majoris ad minus.

42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?

42. NON HABENTIBUS ILLIS, UNDE REDDERENT. Nam sive multa, sive pauca peccata commiserimus, nemo pœnâ, sive æternâ, sive temporali pœnitendo, per se potest satisfacere. DONAVIT UTRIUSQUE, gratis scilicet & misericorditer. QUIS ERGO EUM PLUS DILIGIT? Proclive esset hoc intelligere de dilectione, quæ remissionem gratitudinis ergò consequitur; nam de illa verissimum est, quod major consequi soleat in debitoribus, quibus plura remittuntur: sed Christi exploratio videtur postulare dilectionem, quæ peccatorum remissionem præcessit. Enumerat enim officia multa maximè dilectionis, quibus magna remissio retributa fuit, ut patet vers. 47. Itaque *quis eum plus diligit?* id est, quem tu judicas, ex eventu rem conjectando, plus an-

tea creditorem ſuum dilexiſſe, ut illo intuitu utrique remitteret, uni plus, alteri minus? Ita videtur exponere Aug. qui Homil. 23. expreſsè legit, *Quis ergò plus eum diligit?* quamvis nunc in Græco textu legatur ἀγαπήσει, *diliget.*

43. ÆSTIMO QUIA IS, CUI PLUS DONAVIT. Hoc enim reſpondit, quod ratio reſpondere compellebat, ut Auguſt. ibidem. Cui Dominus, RECTE IUDICASTI: nam, ut Cyprian. lib. De lapſis, quàm magna aliquis deliquit, tam granditer deflere debet, ut pœnitentia non ſit minor crimine.

43 Reſpondens Simon dixit: Æſtimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei: Rectè judicaſti.

44. ET CONVERSUS AD MULIEREM: hactenùs enim à tergo ad pedes provoluta fuerat. Itaque in ſolatium pœnitentis etiam ipſe ſe corporaliter convertit, ut ipſo geſtu externo id interiùs impletum ſignificaret, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* DIXIT SIMONI, ut parabolam explicaret, & accommodaret propoſito ſuo: VIDES HANC MULIEREM? id eſt, videſne quid agat circa me? Confer illam tibi, & videbis te multùm ab eâ, mei dilectione ſuperari. Vehemens eſt enim & elegans antitheſis: Tu vir, iſta mulier; tu Phariſæus, iſta peccatrix; tu in domo tua, iſta in aliena; tu convivæ & hoſpiti, iſta ignoto; tu aquâ in promptu poſitâ non lavaſti pedes, iſta lacrymis profuſiſſimis & continuis rigavit eos; tu os meum ne quidem ſemel oſculatus es, illa non deſtitit oſculari pedes; tu nec caput quidem unxiſti, illa & pedes; tu nec vulgari pauperum oleo, illa etiam pretioſiſſimo unguento.

44. Et converſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, & capillis ſuis terſit.

45. Oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quò intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non unxiſti: hæc autem unguento unxit pedes meos.

47. PROPTER QUOD DICO TIBI: REMITTUNTUR EI PECCATA MULTA, per quæ mihi tamquam creditori obnoxia erat: QUONIAM DILEXIT MULTUM, id eſt, quia inſignem dilectionem tot tam magnæ pœnitentiæ officiis erga me creditorem ſuum teſtata eſt. Significatur enim, dilectionem ejus fuiſſe cauſam diſpoſitivam remiſſionis. Ita intelligit Auguſtin. Hom. 23. & in Pſam. 140 & res ipſa clamat, mulierem hanc imaginem pœnitentis, & remiſſionem peccatorum ambientis toto habitu præ ſe ferre. Unde & in Eccleſia velut effigies pœnitentis omnibus proponitur. Quare non rectè Calviniſtæ volunt illud, *quoniam*, ſignificare non cauſam rei, ſed probationis, q. d. Inde patet, quòd ei peccata multa dimiſſa ſunt, quia jam ex gratitudine accepti beneficii diligit multùm. Sed, ut dixi, clarum eſt acta & lacrymas mulieris non eſſe gratias agentis, ſed pœnitentis. Quod autem opponitur, charitatem non poſſe ante peccati remiſſionem poſſideri, ſicut hîc factum eſſet, hoc intelligi debet de charitate illa perfecta, & per modum habitûs infuſa, de qua Apoſtolus 1. ad Timoth. 1. verſ. 5. Sed eſt alius amor inferior, quo Deus tamquam juſtitiæ fons incipit diligi à pœnitentibus propter Deum. Ex quo amore dolor, abjectio, fletus procedunt, qualem dilectionem Conc. Trident. Seſſ. 6. pœnitentibus etiam ante baptiſmum poſtulat. CUI AUTEM MINUS DIMITTITUR, id eſt, qui pauca ſe putat habere peccata, quæ ſibi remittantur, inquit Auguſt. Hom. cit. ille MINUS DILIGIT, id eſt, ex illa opinone minorem dilectionem & inferiora dilectionis, ac pœnitentiæ officia parare ſolet ad remiſſionem conſequendam, ſicuti tu feciſti. Nam hæc verba propter Phariſæum eſſe dicta vult Auguſt. cap. 6. ejuſdem Homil. 23. non enim Dominum invitaſſet, niſi aliquantulum dilexiſſet, inquit: ſed ideò parum

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

diligebat, quia parum sibi dimitti suspicabatur. Quo sensu possunt hæc verba, vel ad aliquam consolationem Simonis esse dicta, ut qui rationabilem causam habuisset non exhibendi tantæ opera pœnitentiæ, scilicet minora peccata, ut quidam volunt; licitum est enim ei, qui pauciora peccavit, inferiorem agere pœnitentiam: vel ad reprehensionem Simonis tamquam minùs diligentis quàm deberet. Nam quamvis fortè pauciora peccata commisisset, debebat tamen omnia sibi dimissa deputare, quæ vel fecisset peccata, vel Deo regente non fecisset, juxtà illud August. 2. Confess. cap. 7. Omnia mihi dimissa esse fateor, & quæ meâ sponte feci mala, & quæ te duce non feci. Quo sensu sæpè exponit hæc verba Domini, ut loco citato Confess. & cit. Hom. 23. & de Virginit. c. 37. & 40. monens neminem debere putare, quod sibi pauciora quàm aliis dimittenda sint, ne ex illa opinione minùs Deum diligat.

48. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.

48. DIXIT AUTEM AD ILLAM: REMITTUNTUR TIBI PECCATA: Græcè ἀφέωνται, *remissa sunt*, scilicet me tibi loquente: nam Præteritum pro Præsenti accipitur; sicut vulgò dicimus, Hoc tibi donatum est, id est donatur: & sic intellexerunt convivæ, & ex versu seq. patet. Non enim fuissent offensi, si tantùm declarasset ei fuisse remissa peccata à Deo: hoc quippe & Nathan olim fecerat Davidi. Unde Cyrillus lib. 8. Thesauri, cap. 2. dicit hæc verba summâ cum potestate dicta. Ex quo etiam patet, amorem illum, quo Deus, ut justitiæ fons, juxtà Concil. Trident. incipit à pœnitentibus diligi, non habere ipso momento adjunctam peccati remissionem, sed cùm dispositio perfecta fuerit, vel Deo visum. Sed quomodo igitur versu præcedente dictum fuit, *Remittuntur ei peccata?* Respondetur, quia jamjam erant remittenda: erant enim verba narrantis, & remittere disponentis, quæ talem amplitudinem patiuntur; unde nec illis offensi fuerunt convivæ. Cùm ergò potestatem remittendi peccata non crederent esse in Christo, cœperunt in animo suo cogitare,

49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit.

49. QUIS EST HIC, qui tantam præsumit auctoritatem, ut non solùm se putet non contaminari tactu meretricis, sed etiam peccata dimittat? Sunt enim verba non admirantium, ut quidam putant, sed murmurantium & accusantium.

50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

50. DIXIT AUTEM AD MULIEREM, adhuc pedibus inhærentem: FIDES TUA, quâ credidisti me tibi posse remittere peccata. Fidem enim ejus opponit convivarum incredulitati, quæ præcesserat, ut fidei commendationem murmur eorum compesceret, & modestè à se invidiam tantæ potestatis amoveret. TE SALVAM FECIT, à peccatis tuis, quia radix fuerat spei obtinendæ remissionis, dilectionis & pœnitentiæ, quibus obtenta fuerat. Itaque declarat hîc, dilectionem ejus ex firma fide processisse, & fidem operibus pœnitentis fuisse cooperatam, & ex operibus consummatam, ut loquitur Jacobus. Non ergò agitur in isto loco de fide speciali, ut hæretici somniant, quâ quis scilicet credat sibi remissa esse peccata, sed de illa, quâ credidit sibi posse remitti: quam scilicet habebat etiam, antequam remitterentur, vi dilectionis, etiam cùm nesciret adhuc sibi remissa esse; hoc enim adhuc petebat tam magna pœnitentia. VADE IN PACE, id est, animo tranquillo, secura de dimissis peccatis.

Eſt formula dimittendi cum benedictione. Ex his ergò verbis Chriſti, & ex aliis verſ. 48. debuit hæc mulier credere ſibi jam eſſe remiſſa peccata; & ex verſ. 47. etiam ſe ſufficienter dignéque pœnituiſſe. Fuit igitur iſta fides quidem ſpecialis, non tamen juſtificans in ſenſu hæreticorum, ſed juſtitiam vi dilectionis jam factam conſequens & ſupponens. Myſticam ſingularum circumſtantiarum totius hiſtoriæ expoſitionem vide apud S. Greg. Homil. 33. in Evangelia.

CAPUT OCTAVUM.

CAPUT VIII.

ET MULIERES ALIQUÆ, ſupple, cum illo erant; quæ ſequebantur eum, oppida Galilææ peragrantem: QUÆ ERANT CURATÆ A SPIRITIBUS MALIGNIS, corporaliter eas poſſidentibus, ET INFIRMITATIBUS, corporis. Sequebantur itaque in teſtimonium gratitudinis. Erant autem MARIA, QUÆ VOCATUR MAGDALENE, vulgari ſcilicet & celebri nomine, ut ab aliis Mariis diſtingueretur: proinde unicam tantùm agnoſcit Lucas Mariam Magdalenam. Orta putatur ex vico Bethaniæ in Judæa, Joan. 11. verſ. 1. habitaſſe tamen ſubinde in Galilæa, in caſtello Magdalum dicto, ſitóque juxtà mare Tiberiadis, unde Magdalena dicta eſt. Viduam vocat Auctor Commentar. in Marcum apud Hieronym. in verſ. 40. cap. 15. DE QUA SEPTEM DÆMONIA EXIERANT, Chriſto ſcilicet ejiciente, ut teſtis eſt Marcus cap. 16. verſ. 9. Tertull. libr. De anima cap. 25. & Ambroſ. de Salomone, cap. 5. hoc ad litteram intelligunt de ſeptem dæmoniis obſidentibus, illa enim propriè ejiciuntur. Quod longè veriſimilius, quàm id, quod Greg. Hom. 33. in Evang. & Beda putant, univerſa vitia ſignificari, & numerum certum pro incerto poni.

1. ET factum eſt deinceps & ipſe iter faciebat per civitates & caſtella, Prædicans & evangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo.

2. & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus: Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem dæmonia exierant,

3. ET JOANNA UXOR CHUSÆ PROCURATORIS, ſeu œconomi HERODIS, qui Tetrarcha erat Galilææ. Indicat itaque & hanc, ſicut & SUSANNAM, fuiſſe, vel à ſpiritibus malignis, vel ab infirmitatibus liberatam. Nominat autem ſolùm celebriores: unde de reliquis addit, ET ALIÆ MULTÆ, QUÆ MINISTRABANT EI DE FACULTATIBUS SUIS: ſuppeditantes vitæ neceſſaria ipſi & Apoſtolis, urbes & rura aſſiduè peregrinantibus. Notat autem Hieronym. in cap. 27. Matth. conſuetudinis Judaicæ fuiſſe, ideóque ſine culpa, vel ſcandalo, ut mulieres de ſubſtantia ſua victum, atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc Paulus 1. ad Corinth. 9. verſ. 5. inter gentiles in ſe fieri non admiſit, ſive ſcandali inter eos vitandi cauſa, ſive ſtudio perfectionis. Chriſtus verò admiſit, ut more miſericordiæ ſuæ infirmioribus compatiens ſic oſtenderet, quid Dei miniſtris deberetur, ut, ſi quis eo uti nollet, ſicut Paulus noluit, amplius impenderet Eccleſiæ, inquit Auguſtin. De opere Monachorum, cap. 5.

3. & Joanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

4. Cum autem turba plurima convenirent, & de civitatibus properarent ad eum, dixit per ſimilitudinem:

5. Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, & dum ſeminat a-

liud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit ſupra petram & natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exorta ſpinæ ſuffocaverunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola.

10. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis: ut videntes non videant, & audientes non intelligant.

11. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei.

12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

13. Nam qui supra petram, qui cum audierint: cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt: qui audierunt, & à solicitudinibus, & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum.

15. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen,

17. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palam veniat,

18. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

19. Venerunt autem ad illum mater & fratres ejus, & non poterant adire eum præ turba.

20. Et nuntiatum est illi: Mater tua, & frates tui stant foris, volentes te videre,

21. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

22. Factum est autem in una dierum: & ipse ascendit in naviculam, & discipuli ejus, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.

23. Et navigantibus illis obdormivit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur.

24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum & tempestatem aquæ & cessavit, & facta est tranquillitas.

25. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timentes mirati sunt ad invicem, dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui habebat dæmonium jam temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum: & exclamans voce magna, dixit: Quid mihi, & tibi est Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas.

29. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus accipiebat illum & vinciebatur catenis & compedibus custoditus, & ruptis vinculis, agebatur à dæmonio in deserta.

30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit Legio: quia intraverant dæmonia multa in eum.

31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent,

32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte: & rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.

33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos: & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.

34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nunciaverunt in civitatem & in villas.

35. Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Jesum: & invenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente, ad pedes ejus, & timuerunt.

36. Nunciaverunt autem illis & qui viderant quomodo sanus factus esset à legione:

37. & rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est.

38. Et rogabat illum vir, à quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens,

39. Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus, & abiit per universam civitatem prædicans quanta illi fecisset Jesus.

40. Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba, erant enim omnes expectantes eum.

41. Et ecce venit vir, cui nomen Iairius, & ipse princeps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret, in domum ejus,

42. quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim & hæc moriebatur. Et contigit, dum iret à turbis comprimebatur.

43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari:

44. accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: & confestim stetit fluxus sanguinis ejus.

45. Et ait Jesus. Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis. Quis me tetigit?

46. Et dixit Jesus: Tetigit me aliquis. Nam ego novi virtutem de me exiisse.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes ejus: & ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.

48. At ipse dixit ei: Filia fides tua salvam te fecit, vade in pace.

49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.

50. Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum & salva erit.

51. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, & Joannem, & patrem & matrem puellæ.

52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit.

53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset.

54. Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, surge,

55. Et reversus est spiritus ejus, & surrexit continuò. Et jussit illi dari manducare.

56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

CAPUT NONUM.

CAPUT IX.

1. CONvocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.

2. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

4. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

5. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos.

6. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes & curantes ubique.

7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat eò quod diceretur,

8. à quibusdam: Quia Joannes surrexit à mortuis: à quibusdam verò: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit.

9. Et ait Herodes Joannem ego decollavi: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

10. Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ,

11. Quòd cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum, & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui cura indigebant, sanabat.

12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quæ circa sunt, divertant & inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus.

13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces; nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.

14. Erant autem fere viri quinque milia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos.

15. FACTUM EST AUTEM DUM COMPLERENTUR, id est, paulatim impleri inciperent, DIES ASSUMPTIONIS EIUS, id est, statutum tempus assumpti muneris prædicationis & redemptionis, juxtà illud

15. Et ita fecerunt Et discumbere fecerũt omnes,

Act. 13. *Segregate Paulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Quamquam verisimilius & phrasi congruentius accipi possint dies assumptionis ejus in cœlum peractâ passione. Illa namque frequentissimè & absolutè assumptio Domini vocari solet, ut patet Actor. 1. v. 2. & 11. & Marci 16. vers. 19. & alibi, quomodo intelligunt Græci Euthymius, Theophyl. Titus. ET IPSE FACIEM SUAM FIRMAVIT UT IRET IN JERUSALEM: Obfirmato proposito rectà tetendit in Jerusalem omni depositio incommodorum Jerosolymis impendentium metu. Duo enim includit hæc firmatio faciei: primum constantem animi & faciei directionem in Jerusalem, ita ut non ampliùs huc illuc vicos concionibus obeundo vagaretur: secundum animi fortitudinem sponte properantis ad passionem, ut Hieronym. quæst. 5. ad Algasiam. Quamquam hoc iter non videatur multis fuisse prorsus ultimum ad passionem, sed ad festum Scenopegiæ, quod septimo mense celebrabatur. Post quod ascendit adhuc iterum ad encœnia in hyeme, ac denique ad passionem, prout hæc videntur colligi ex Joan. cap. 7. vers. 3. & cap. 10. versu 22.

16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas.

17. Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

18. Et factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli, & interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ?

19. At illi respondentes, & dixerunt: Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò quia unus propheta de prioribus surrexit.

20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit Christum Dei.

21. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.

22. dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertia die resurgere.

23. Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam: qui perdiderit animam suam propter me salvam faciet illam.

25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?

26. Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & Patris & sanctorum Angelorum.

27. Dico autem vobis verè: sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

28. Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ascendit in montem ut oraret.

29. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera: & vestitus ejus albus & refulgens.

30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias.

31. visi in majestate, & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.

32. Petrus verò, & qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, & duos viros, qui stabant cum illo.

33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum: Præceptor bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, unum Tibi, & unum Moysi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.

35. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.

36. Et dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

37. Factum est sequenti die, descendentibus illis de monte occurrit illis turba multa.

38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi.

39. Et ecce spiritus apprehendit eum, & subitò clamat, & elidit, & dissipat eum cum spuma, & vix discedit dilanians eum.

40. Et

40. & rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, & non potuerunt.

41. Respondens autem Jesus, dixit: O generatio infidelis, & perversa, usquequo ero apud vos, & patiar vos? Adhuc huc filium tuum.

42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, & dissipavit.

43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, & sanavit puerum, & reddidit illum patri ejus.

44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei, omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

45. At illi ignorabant verbum illud, & erat velatum ante eos ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset.

47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum apprehendit puerum, & statuit illum secus se;

48. & ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est.

49. Respondens autem Joannes, dixit: Præceptor vidimus quendam in nomine tuo ejicientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum.

50. Et ait ad illum Jesus: Nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

51. Factum est autem dum compleretur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem.

52. ET MISIT NUNTIOS, Apostolos ante se, UT PARARENT ILLI, hospitium videlicet, & ea, quæ necessaria erant ipsi & comitibus ejus.

52. Et misit nuncios ante conspectum suum, & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut pararent illi.

53. ET NON RECEPERUNT EUM, hospitio scilicet adventantem. Causa erat, QUIA FACIES EIUS ERAT EUNTIS IN JERUSALEM, id est, eo quòd exteriori habitu præ se ferret speciem proficiscentis in Jerusalem, ut clarè reddit Cyrus. Erat enim summa contentio inter Samaritanos & Judæos de religione & loco adorationis, an esset Jerosolyma, an mons Gariſim, ut patet ex Josepho 12. Antiquit. cap. 1. & ex Joan. cap. 4. vers. 9. & 20. Itaque cùm intelligerent Samaritani Jesum ad festum Judaicum Scenopegiæ honorandum tendere, eum recipere noluerunt, putantes hoc esse injuriam suæ religionis. Ita ferè Hieron. quæstione citatâ.

53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.

54. CUM VIDISSENT AUTEM JACOBUS ET JOANNES; qui missi videntur fuisse ad parandum: ideóque atrociùs tacti illâ in hospitalitate dixerunt, VIS DICIMUS. Non petunt, ut Dominus faciat, quod scirent longè abesse ab ejus mansuetudine, sed se ministros offerunt, dummodò permittere velit. Insinuatur ergò, eos eamdem habuisse potestatem, quam Elias, ut notat Ambros. ut scilicet ad eorum preces, IGNIS DESCENDAT DE CŒLO, ET CONSUMAT ILLOS; quemadmodum Elias fecerat, quod Græcè additur, & à plerisque Latinis animadvertitur. Itaque respexisse videntur Apostoli, vel ad vindictam, quæ lege permitti videbatur, ut sentit Hieronymus quæst. 5. ad Algasiam, vel certè ad mandata, Matth. 10. accepta, ubi jussi erant pulverem, de pedibus excutere, eoque facto tolerabilius fore terræ Sodomorum, quæ igne cœlesti arserant, quam illi civitati.

54. Cùm vidissent autem discipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, & consumat illos.

55. ET CONVERSUS, quia à tergo videntur hæc suggessisse, INCREPAVIT ILLOS, quòd non meminissent doctrinæ suæ in monte traditæ, & benignitatis Evangelicæ, quæ jubet non resistere malo & inimicos diligere, ut Hieronym. suprà. Nam zelus eorum justus quidem fuit, quamvis non consentaneus vocationi eorum, cujus tamen executionem sententiæ judicis submiserunt: ut immeritò Calvinus hîc Apostolorum tamquam stultam fiduciam tam acriter carpat. NESCITIS CUIUS

55. Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis cujus spiritus estis.

SPIRITUS ESTIS, id est, ad quem spiritum pertineatis, & à me vocati sitis, nempe ad Evangelicum benignitatis & mansuetudinis, non ad legalem severitatis, qualem Elias habuit. Nam Spiritus-sanctus diversos effectus secundum diversos hominum status operatur; sub Lege præcipuè timorem, & consequenter severitatem; sub Evangelio amorem. August. tamen contra Adimantum, cap. 17. putat Apostolos adhuc imperfectos odii & vindictæ cupiditate contra inhospitales motos fuisse, ideóque nesciviſse, cujus spiritus essent, eo quòd sub prætextu zeli spiritu vindictæ moverentur, & eo se moveri non intelligerent.

56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum.

56. FILIUS HOMINIS NON VENIT ANIMAS PERDERE, id est, ut peccatores igne de cœlo misso perdat, sicut Elias suo tempore justè fecerat, SED SALVARE, id est sed ut pœnitentiâ & benignitate ad pœnitentiam trahat. Significat ergò non convenire scopo sui primi adventus, ut id concedat, quod postulaverant, ut Hieron. ad Algasiam. Primus adventus non est in potestate judicandi, sed in humilitate; non in Patris gloria, sed in hominis vilitate. Unde tacitè Christus innuit venturum tempus, quo rebelles, ac pertinaces pro meritis perditurus est: nam potestate puniendi morte corporali raro Christus ante ultimum judicii diem utitur; rarissimè Apostoli usi sunt, propter clementiam novi Testamenti, idque non nisi post acceptum Spiritum-sanctum, per quem potuerunt sine odio vindicare, ut August. loco citato.

57. Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris.

58. Dixit illi Jesus, Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

59. Ait autem ad alterum: Sequere me, ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.

60. Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, & annuncia regnum Dei.

61. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renunciare his quæ domi sunt,

61. ET AIT ALTER: SEQUAR TE DOMINE, id est, paratus sum in tuum discipulatum me penitùs tradere: sed PERMITTE MIHI PRIMUM, antequàm me prorsus tibi dedam, RENUNTIARE HIS, QUÆ DOMI SUNT. Græcè ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου: quod intelligi potest vel de personis, ut sit idem, quod valedicere domesticis, ut videtur accepisse Syrus, & August. Serm. 7. De verbis Domini, ubi exponit, ut nuntiem eis me sequi te, ne forte, sicut solent, quærant me; vel aptiùs & secundùm textum nostrum, de rebus, id est, permitte mihi renuntiare bonis meis, ac de illis disponere, ut Cyril. in Catena D. Thomæ.

62. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

62. ET AIT JESUS: NEMO MITTENS MANUM SUAM AD ARATRUM, id est, nemo stivam arripiens, ut aret, rectósque sulcos ducat, ET RESPICIENS RETRO, id est, ad ea, quæ à tergo sunt, oculos suos convertens: supplenda est altera pars parabolæ, videlicet, aptus est ad ducendum seu regendum aratrum, quia necesse est oculos habere ante se intentos in sulcum, ut rectus esse possit: quamadmodum etiam, ut scribas, ut pingas, &c. Christus verò relicto cortice parabolæ significantis subitò transilit ad rem significatam: APTUS EST REGNO DEI, promerendo & prædicando. Significat ergò parabola, quòd similiter, ut in arantibus contingit, nemo aratro ducendo convenit, qui à tergo respicere voluerit, ita nec aptus sit ad regnum Dei, id est, ad officium Christiani, religiosi, prædicatoris, qui cùm id susceperit se-

mel, deinde ad alia negotia, curas & negotiationes distrahitur, quæ eum inde deducant. Nam Evangelii sectatorem & prædicatorem instar militis expeditum esse oportet, & liberum, & nullis aliis affixum curis. Unde eodem sensu Paulus, 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus:* & 1. Corinth. 9. *Qui in stadio currunt, ab omnibus se abstinent.* Militare enim Deo, & in stadio currere, hoc est idem, quod mittere manum ad aratrum; quod qui fecerit, ea, quæ retrò sunt, obliviscì debet, & in ea, quæ sunt priora, se extendere, ut ait ad Philip. v. 13. & 14. hoc est non respicere retrò.

CAPUT DECIMUM.

CAPUT X.

1. POst hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quò erat ipse venturus.

2. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam salutaveritis.

5. In quamcumque domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui:

6. & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.

7. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum.

8. Et in quamcunque civitatem intraveritis, & susceperint vos manducate quæ apponuntur vobis.

9. & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non susceperint vos exeuntes in plateas ejus, dicite:

11 Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos: tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi civitati.

13. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaidá, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœnitèrent.

14. Verumtamen Tyro & Sidoni remissius erit in judicio, quàm vobis.

15. Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata usque ad infernum demergeris.

16. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

POST HÆC AUTEM. Ergò etiam post iter Jerosolymitanum vers. 51. præcedentis Capitis susceptum, DESIGNAVIT DOMINUS, hoc est, ex credentibus jam sibi selegit, ad promulgandum Evangelium suum, ALIOS. Nam etiam nuper Apostolos designaverat. SEPTUAGINTA DUOS, qui inferioris erant ordinis, quàm Apostoli. Libri Græci & Syriaci scribunt septuaginta, & ita nominantur à multis veterum. Sed contingit hîc, quod in senioribus, delectis à Moyse, Numer. 11. & in Scripturæ veteris Interpretibus, qui cùm fuerint LXXII. tamen plerumque dicuntur rotundo numero LXX. Itaque in regno Christi duodecim Apostoli quasi repræsentabant duodecim Patriarchas ac XII. tribus, ut

cuique quasi tribui suus esset Apostolus. Septuaginta verò duo Discipuli exhibebant quasi Synedrion LXXII. seniorum. Nomina eorum incerta sunt, quamvis à nonnullis recensentur : vide Epiph. Hæresi 20. Officium eorum fuit simile Apostolico scilicet propinquum Dei regnum prædicare, & miraculis asserere, cui rei Apostoli per totam Judæam minùs sufficiebant. ET MISSIT ILLOS BINOS ANTE FACIEM SUAM, seu ante se. Binos misit, ut essent mutuarum actionum testes, mutuo auxilio, consilio, solatio, denique ut firmius esset eorum testimonium. Est & ille numerus duplicis charitatis sacramentum, ut notat August. libro 2. Quæst. Evang. qu. 14. & Gregor. in Homiliis, itémque concordiæ, quam prædicatores inter se servare debent. IN OMNEM CIVITATEM ET LOCUM, QUO ERAT IPSE VENTURUS, eo scilicet consilio, quo Joannem Baptistam jam à principio præmiserat, ne veniret ad prorsus imparatos, sed ut venturum avidiùs exspectarent, & venientem attentiùs cognoscerent.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

17. REVERSI AUTEM SUNT SEPTUAGINTA DUO, ut Domino rationem redderent suæ legationis & successus, & fructus: CUM GAUDIO, de fœlici scilicet prædicationis & miraculorum successu, quod futurum prænuntiaverat Isaias cap. 9. v. 3. DICENTES, scilicet inter cætera, quæ de successu exponebant: DOMINE ETIAM DÆMONIA, id est, non solùm morbi, sed & dæmones, creaturæ spirituales, liberii arbitrii, summæ potestats, SUBJICIUNTUR NOBIS, tamquam servi dominis, ut ad nutum nostrum habitatione & loco cedant; non tamen nostra virtute, sed IN NOMINE TUO, id est, adhibitâ auctoritate tuâ, & invocatione nominis tui. Quo sensu totam gloriam Christo retulissent, nullâ elati prærogativâ, sed læti tantùm de prædicationis successu, prout sentit Theophyl. Nonnulli autem veteres putant, discipulos hoc animi quadam vanitate dixisse, ut Greg. 23. Moral. c. 4. aliàs 7. quod satis congruit versui 20. Dominus autem ut jam erectos in superbiam ad modestiam revocaret, vel etiam ne lætitiâ inordinatâ in superbiam erigerentur, ait illis:

18. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

18. VIDEBAM SATANAM SICUT FULGUR DE CŒLO CADENTEM. Hoc aliqui ad incarnationem Christi referunt: qu. d. Nihil novi mihi refertis, non ferri à dæmoniis nomen meum: hoc & antequam vos mitterem, imò cùm in mundum venirem, futurum videbam, quòd scilicet satanicæ vires meâ potestate de gloria sua ruerent. Ita Theophyl. Sed convenientior videtur sensus Ambros. lib. De fuga sæculi cap. 7. & Greg. diversis locis, qui referunt ad casum Angeli per superbiam, quem scilicet Christus viderit sua se voluntate à splendore justitiæ avertentem; & ita tacitè monuerit eos, ne simili superbia elati caderent. Quamvis possit casus intelligi non culpæ, sed pœnæ: q. d. Nolite mirari, dæmones vobis subjici in nomine meo: meum est enim hoc opus, non vestrum. Nam ego sum, qui etiam justo judicio satanam præcipitans, vidi eum de cœlo cadendem, instar fulguris, subitò, summa vi, irreparabiliter. Et ita est argumentum quasi à majori ad minus: ad quem sensum congruenter adjicit Dominus.

19. Ecce dedi vobis potestatem

19. ECCE DEDI VOBIS, id est, Itaque ut intelligatis, nihil vos vobis hac in re tribuere debere, ecce ego, penes quem dixi summam esse po-

teſtatem præcipitandi ſatanam, ſum ille, qui dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones. Quos ad litteram intelligunt quidam, uti ſonant: quomodo Paulo nihil nocuit vipera, quemadmodum Chriſtus diſcipulis ſuis promiſerat, Marci 16. verſu 18. Rectiùs tamen metaphoricè intelligi videntur diverſa dæmonum genera, hoc diſcrimine, quòd quia ſerpentes dente nocent, ſcorpiones cauda, ideò illi ſignificent dæmones apertè ſævientes, hi clanculùm inſidiantes. Ut ergò explicaret ſe de metaphoricis ſerpentibus, hoc eſt de dæmonibus loqui, generaliter adjicit, ſe iis dediſſe poteſtatem SUPER OMNEM VIRTUTEM INIMICI, id eſt, ſuper univerſum exercitum diaboli. ET NIHIL VOBIS NOCEBUNT, congredientibus cominus cum ipſis. Ubi notandum in illis verbis, *Ecce dedi vobis poteſtatem*, quòd opus ſit peculiarem accipere poteſtatem à Chriſto, ut invocatio nominis ejus effectum ſuum ſortiatur. Itaque Auguſt. lib. 83. Quæſt. Evang. qu. 79. docet aliquando dæmones nolle cedere, ipſo Deo occultis modis prohibente, ne cedant, cùm id juſtum & utile judicat. Hoc autem facit vel ad confundendos malos, quemadmodum Scevæ filiis contigit, Act. 19. verſu 15. vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide atque iſta non jactanter, ſed utiliter poſſint: vel denique ad diſcernenda dona membrorum Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus: *Numquid omnes virtutes?*

calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

20. VERUMTAMEN, quamvis magnum ſit Dei iſtud donum, IN HOC NOLITE GAUDERE, nempe principaliter, & in eo hærendo, ſicut ſuperbientes, & ſibi placentes, in gaudio de Dei donis hærere ſolent, QUIA SPIRITUS VOBIS SUBJICIUNTUR; exiſtimantes, ut Auguſt. ibidem in talibus factis majora dona eſſe quàm in operibus juſtitiæ, quibus æterna vita comparatur. Unde optimè monet S. Antonius apud Athanaſ. in vita ejus, ut magis nobis eſſet vitæ quàm ſignorum ſollicitudo, nullúſque ſigna faciens: aut ipſe ſuperbiâ intumeſceret, aut deſpiceret eos, qui facere non poſſunt. Nam ſigna facere, inquit, non eſt noſtræ parvitatis, ſed Domini poteſtatis, qui ad diſcipulos gloriantes ait, Ne gaudeatis, quia dæmonia vobis ſubjecta ſunt, ſed QUOD NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN CŒLIS; hoc enim & ſolidum gaudium eſt, & ſolis Deum diligentibus vel à Deo dilectis competit. Nam nomina in cœlis, hoc eſt in Dei memoria eſſe ſcripta, dupliciter intelligi poteſt, vel ratione preſentis juſtitiæ, qui Pſal. 68. v. 29. dicitur *liber viventium*, potiùs quàm vitæ; ubi Auguſt. docet, eo modo omnes juſtos in cœlo eſſe ſcriptos: vel ratione æternæ & immutabilis electionis ad ſalutem. Neutro verò modo Chriſtus hîc revelat, omnes Apoſtolos fuiſſe juſtos vel electos; ſed videtur per conceſſionem loqui, videlicet ſicut vos exiſtimatis & meritò confidere debetis. Itaque quia diſcipuli in lætitia privata & temporali mentem poſuerant, quando de miraculis gaudebant, revocantur hîc de lætitia privata ad communem, de temporali ad æternam. Diſcipulis enim veritatis gaudium eſſe non debet, niſi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent, ut Greg. lib. 9. Epiſt. 58.

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

21. In ipſa hora exultavit Spiritu ſancto, & dixit. Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam ſic placuit ante te.

22. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo ſcit quis ſit Filius, niſi Pater, & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

23. Et converſus ad diſcipulos ſuos, dixit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?

25. ET ECCE QUIDAM LEGIS-PERITUS SURREXIT. Alius videtur fuisse ab eo, quem Matthæus introduxit cap. 22. quærentem, quod sit mandatum magnum in Lege, sicut probabilius arbitratur August. & multis probat lib. 2. De consensu cap. 73. TENTANS ILLUM, id est, tam scire volens veritatem, quàm experiri, utrum aliquid à lege alienum traditurus esset, ut eum argueret: ideóque Dominus non ei respondet directè, sed ipsum rogat vicissim, ut ipse sibi responderet; & cùm rectè respondisset, addit: HOC FAC, ET VIVES, id est, possidebis vitam æternam, quod à me quæsivisti. Tantumdem hoc est atque illud Matthæi 19. versu 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

26. At ille dixit ad eum; In lege quid scriptum est? quomodo legis?

27. Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum.

28. Dixitque illi: Rectè respondisti: hoc fac & vives.

29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et qui est meus proximus?

29. ILLE AUTEM VOLENS IUSTIFICARE SEIPSUM, id est, ostendere, quam esset tenax ac studiosus justitiæ tam cognoscendæ quàm faciendæ. Videntur enim putasse proximum à Christo definiendum esse more Pharisaïco amicum, ut sic justus esse videretur, qui amicos tamquam proximos diligeret. Dixit itaque: ET QUIS EST MEUS PROXIMUS? Non petit quid proximo impendendum sit: nam in hoc non multùm differebat Lex ab Evangelio, sed quis sit proximus: quàm latè enim ille pateret & intelligendus esset, non erat veteris Testamenti tradere, ut August. lib. 83. Quæst. Evangel. quæst. 53. Cùm ergò proximus possit dici vel gente, vel amicitiâ, vel consanguinitate, vel humanæ naturæ communione, Christus ut legem perficeret, quæstionem illam ut tempestivam arripiens, & SUSCIPIENS, scilicet sermones seu vices respondendi, DIXIT, per modum parabolæ: HOMO QUIDAM, natione Judæus, ut August. Serm. 73. De verbis Domini: videtur enim vel vera historia, vel certè parabola ex eventis illius temporis verisimilis. Nam via ab Jerusalem in Jericho latrociniis erat obnoxia, ut Hieronym. tum in c. 10. Matth. tum Epistol. 27. ubi dicit locum Adomim inde vocatum, quia multus in eo sanguis crebris latronum fundebatur incursibus: qui præterquam quòd cœperunt eum, etiam DESPOLIAVERUNT EUM, id est, vestibus exuerunt: ut Græcè sonat, ET PLAGIS seu vulneribus IMPOSITIS, ABIERUNT SEMIVIVO RELICTO, hoc est, in miserrimo statu, in quo necesse erat perire, si nemo succurreret.

30. Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: & plagis impositis abierunt semivivo relicto.

31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præterivit.

31. ACCIDIT AUTEM, UT SACERDOS QUIDAM DESCENDERET EADEM VIA, versus Jerichontem, demissiori scilicet loco quàm Jerusalem sitam, prope Jordanem fluvium: ET VISO ILLO PRÆTERIIT, Græcè ἀντιπαρῆλθεν ex adverso seu contrà præteriit. Quo significatur non solùm eum non accessisse, sed potiùs retrocedendo transivisse, quòd scilicet horreret accedere, ut Theoph. notat, & ita perstringitur fera Sacerdotum inhumanitas. Idem dicitur in Græco eodem modo de Levita: moribus enim Sacerdotes & Levitæ similes erant.

32. Similiter & Levita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam

33. SAMARITANUS AUTEM QUIDAM, genere & religione alienus, & Judæis maximè invisus, eo quòd Samaritani soli vellent haberi populus Dei, & verum Dei cultum, verumque templum se habere jactita-

rent. Hic ergò VIDENS EUM, MISERICORDIA MOTUS EST, tamquam qui existimaret calamitatem ejus, tamquam proximi ad se pertinere, immemor omnis antiquæ contentionis.

iter faciens, venit secus eum, & videns eum, misericordia motus est.

34. ET APPROPIANS, trahente scilicet eum propriùs intimo miserationis affectu, ALLIGAVIT VULNERA EIUS, id est, fasciis obligavit, ne medicamentum infusum respuerent: INFUNDENS, id est, post quam ante infudisset OLEUM ET VINUM; quæ viatici loco secum sumpserat: *oleum*, ut opsonium ad panem, *vinum* loco potus. Et opportunè quidem: vinum enim purgat vulnera, arrodit putrida, constringit purgata: oleum lenit, fovet, & sanat. ET IMPONENS ILLUM IN IUMENTUM SUUM, quo ipse venerat, DUXIT, ipse pedes dux viæ factus, IN STABULUM, seu diversorium, ET CURAM EIUS EGIT, ac curatiorem in hospitio. Significatur ergò omnia, quæ habuit & potuit, afflicti istius necessitatibus impendisse.

34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum: & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam ejus egit.

35. ET ALTERA DIE, cùm itineris perficiendi necessitate premeretur, PROTULIT DUOS DENARIOS, expendendos in curationem saucii, & ait STABULARIO, seu hospiti: CURAM ILLIUS HABE, ET QUODCUMQUE SUPEREROGAVERIS, super impensam tibi traditam, seu de tuò, EGO CUM REDIERO REDDAM TIBI: quo declarat se non quieturum, donec sanatum viderit. In qua historia non solùm præclarè lucet pulcherrimus & plenissimus dilectionis modus, dum nihil omittit eorum, quæ ad proximum juvandum requiri poterant, sed etiam mysterium lapsus, & reparationis humani generis, quod in ea omnes penè veteres annotarunt. Videri potuerunt Amb. & Theophyl. & alii in hunc locum, Chrysost. Hom. hac de re, & latè Aug. Serm. 37. de verbis Domini, brevius verò lib. 2. Quæst. Evang. q. 19. Succinctissimè complexus est pleraque Orig. Hom. 34. in Luc. tamquam ab antiquiore presbytero sibi tradita, jam inde scilicet ab initio nascentis Ecclesiæ. Dicebat ille, inquit, *hominem*, *qui descendit*, esse Adam, *Jerusalem* paradisum, *Jericho* mundum, *latrones* contrarias fortitudines, id est, dæmones, *Sacerdotem* legem, *Levitam* Prophetas, *Samariten* Christum, *vulnera* inobedientiam, *jumentum* corpus Domini, quo incarnatus est, *pandocheum*, id est, stabulum, quod universos volentes introire suscipit, Ecclesiam interpretari. Porrò *duos denarios* patrem & filium intelligi; *stabularium* Ecclesiæ præsidem, cui desponsatio credita est, *reversionem Samaritani*, secundum Salvatoris adventum. Cum qua expositione ferè convenit illa Aug. loco cit. qui tamen per *Jerusalem* intelligit civitatem cælestis pacis, *Jericho* mortalitatem, *duos denarios*, duo præcepta charitatis, alii duo testamenta.

35. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaveris, ego cùm rediero reddam tibi.

36. QUIS HORUM TRIUM VIDETUR TIBI PROXIMUS FUISSE ILLI, QUI INCIDIT IN LATRONES? id est, agnovisse se illi & præstitisse proximum per charitatis officia: nam, ut Augustin. Tract. 43. in Joan. Samaritanus socio se præstitit proximum, quem non putavit alienum. Ex hoc autem colligendum relinquit Christus, illum saucium fuisse etiam proximum illius Samaritani, quia, ut idem August. lib. 1. De doctr. Christiana, c. 39. proximi nomen ad aliquid est: nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Sic ergò indirectè solvit quæstionem Legis periti, quis esset ejus proximus, circa quem deberet imple-

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

re legem, de diligendo proximo, nempe quoslibet opis indigentes, etiam extraneos.

37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac similiter.

37. AT ILLE DIXIT: QUI FECIT MISERICORDIAM IN ILLUM: nam ipso opere dilectionis declarabat Samaritanus, se proximum esse Judæo saucio, & consequenter illum sibi. Itaque respondit ei Dominus: VADE ET TU FAC SIMILITER, ut censeas tibi proximum esse non solum genere, patriâ, amicitiâ, religione conjunctum, sed quemvis hominem, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret, inquit August. loco cit. Omnis enim homo est omni homini proximus, nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis, ut idem Concione 8. in Psal. 118.

38. Factum est autem, dum irent, & ipse intravit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam:

38. FACTUM EST AUTEM DUM IRENT, id est, dum pergerent Jerosolymam: nam hæc in eodem itinere videntur contigisse. INTRAVIT IN QUODDAM CASTELLUM, Græcè εἰς κώμην τινὰ *pagum quemdam*, qui videtur fuisse Bethania; nam hæc Joan. 11. vocatur castellum Mariæ & Marthæ. ET MULIER QUÆDAM MARTHA NOMINE EXCEPIT ILLUM, sive quòd major esset natu, ut Bernard. Serm. 3. de assumpt. fuisse putat, sive quòd ipsa rem familiarem communemque procuraret & administraret; & ideò dicitur eum excepisse IN DOMUM SUAM, quamvis & Maria & Lazarus in ea habitarent.

39. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

39. ET HUIC ERAT SOROR, &c. QUÆ ETIAM SEDENS: q. d. non obiter, sed ex composito, ut August. Serm. 26. de verbis Domini notat, nempè cum quiete, attentione, diligentia, assiduitate, quæ per sessionem innuuntur: SECUS, seu juxtà, PEDES, prout & Paulus, *juxtà pedes Gamalielis* eruditus fuit; nam iste habitus est discipulæ, humilitatem & reverentiam ergà docentem declarantis. Unde August. ibid. Quantò humilius ad pedes sedebat, tantò ampliùs capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.

AUDIEBAT VERBUM ILLIUS loquentis de regno Dei, simul ad domum ingressus fuit, ne quid temporis sine fructu laberetur.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quod soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, ut me adjuvet.

40 MARTHA AUTEM SATAGEBAT, Græcè περιεσπᾶτο *distrahebatur*; CIRCA FREQUENS MINISTERIUM, id est, sollita erat in variis ministeriis ad convivium, & ad obsequium Christi, ad discipulorum ejus pertinentibus, ne quid talibus hospitibus deesset. QUÆ STETIT, nempe tandem vel lassata, ut Basil. in Constit. Monasticis c. 2. vel obeundis ministeriis omnibus non sufficiens, & interpellans Dominum concionantem, ait: DOMINE NON EST TIBI CURÆ, per temetipsum: verba videntur subaccusantis incuriam, vel certè excitantis ad respectum fuit, QUOD SOROR MEA RELIQUIT ME SOLAM MINISTRARE, in apparandis convivio necessariis: DIC ERGO ILLI, saltem à me admonitus, UT ME ADIUVET. Dici hoc vult à Domino, eo quòd se frustrà id Mariæ dicturam existimaret, vel indecens videretur, eam à docente avellere citra veniam.

41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.

41. ET RESPONDENS DIXIT, MARTHA, MARTHA: qua geminatione nominis compescit Martham, ac turbatam sedat, & tacitè sub reprehendit: quamquam August. Serm. illo 26. repetitionem nominis velit

velit esse indicium dilectionis, aut fortè, inquit, movendæ intentionis, ut audiret attentiùs, SOLLICITA ES ET TURBARIS ERGA PLURIMA, ea turbatione qualis consequi solet sollicitudinem de pluribus rebus uno tempore curandis.

tha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.

42. PORRO UNUM EST NECESSARIUM. Augustin. ad sequentia hoc referre solet, ut significetur, contemplationem illius unius Deitatis esse necessariam, quam opponit multis ministeriis hujus vitæ, bonis quidem; sed carnalibus, quibus occupabatur Martha. Alii unum intelligunt illud, quod Maria factitabat, scilicet audire verbum Dei: quod in idem ferè redit. Non incongruam tamen interpretationem dant plerique Græci, Titus, Theophyl. & in primis Basil. in Reg. fusiùs disputatis qu. 20. juxtà quam Christus significet unum esse necessarium, ut scilicet necessitati corporis fiat satis, ad quod paucis, vel uno opus est cibo, quia natura paucis contenta: ut ita unum tacitè opponatur pluribus ferculorum generibus, quibus Martha parandis intenta erat. MARIA OPTIMAM PARTEM ELEGIT: Græcè τὴν ἀγαθὴν, *bonam*, sed cum articulo emphasin significante, q. d. illam bonam seu excellenter bonam, quod noster *optimam* dixit, & consequenter meliorem, quàm Martha, sicut legit Augustin. Itaque non opus Marthæ reprehendit, sed partem, id est, functionem, studium, genusque vitæ Mariæ prætulit. Non tu malam, inquit Augustin. Serm. 27. de verbis Dom. sed illa meliorem. Pars autem illa est sedere ad pedes Jesu, & audire verbum ejus, hoc est, discendis & contemplandis rebus divinis incumbere, quod Maria elegerat, id est, toto vitæ studio, tamquam partem seu sortem sibi propriam sectandam ceperat, sicut è contrario Martha officia pietatis corporalia, de quo etiam Joan. 12. v. 2. QUÆ NON AUFERETUR AB EA, neque in hac vita, neque in futura. Auferetur enim aliquando onus necessitatis, seu corporalis hospitalitatis: æterna est dulcedo veritatis, inquit Aug. Per hoc ergò Dominus dat rationem, cur melior sit pars Mariæ, sicut & Apostolus charitatem dicit esse majorem fide, & spe, eo quòd his transeuntibus illa maneat in æternum. Hoc ergò signum est corporalia exercitia non per se intendi à Deo, sed ut media, per quæ ad optimam partem, hoc est, ad scientiam charitatemque veritatis veniatur. Notant autem plerique Patres, & in primis Aug. Serm. 26. & 27. de verbis Dom. duas vitas in his mulieribus figurari, tropologicè quidem activam & contemplativam, anagogicè verò præsentem & futuram, laboriosam & quietam, ærumnosam & beatam: temporalem & æternam. Vide Augustin. latiùs.

42. Porrò unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CAPUT UNDECIMUM.

CAPUT XI.

CUM ESSET IN QUODAM LOCO ORANS, UT CESSAVIT: neque enim fuit ausus discipulus ille orantem interpellare, cùm oratio tamquam colloquium cum Deo doctrinæ longè præferenda sit, nisi necessitas aliud postulet. DIXIT UNUS, DOMINE DOCE NOS ORARE, præscriptâ scilicet certâ quadam orationis formulâ. Quæ petitio congruentissima fuit authoritati Augustini, Tract. 7. in Joan. Qui enim habent

1. ET factum est: cùm esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine,

doce nos orare, ſicut docuit & Joannes diſcipulos ſuos.

cauſam, inquit, & volunt ſupplicare Imperatori, quærunt aliquem Juriſperitum, à quo ſibi preces (id eſt, libellus ſupplex) componantur: ne fortè ſi aliter petierint, quàm oportet, non ſolùm non impetrent, quod petunt, ſed & pœnam pro beneficio mereantur. Itaque DOCE NOS ORARE, id eſt, Juriſperite noſter, aſſeſſor Dei, imò confeſſor, compone nobis preces, ſeu libellum ſupplicem, inquit ibidem Auguſtinus. SICUT DOCUIT ET JOANNES DISCIPULOS suos. Ex quo conſtat, Joannem aliquam certam, antè non uſitatam orandi formulam ſuis tradidiſſe, ut & illi de proprio magiſtri ſui inſtituto aliter Deum orarent, inquit Tertull. 4. contra Marcionem cap. 20. Religionis enim pars non infima eſt oratio, quam propterea etiam novam inferre ſolet, quiſquis religionem innovaverit.

2. Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.

2. CUM ORATIS, DICITE. Eadem eſt hæc oratio, quantùm ad ſubſtantiam, cum ea, quam tradidit Matth. 6. Græcè etiam quantùm ad verba. Suppletur enim in ſingulis petitionibus non ſolùm id, quod explicationis gratiâ apud Matth. additur: ſed etiam ſupplentur petitiones duæ, quæ Latinè omittuntur. Verùm quia exemplaria Latina etiam antiquiſſima illis carent, veriſimile eſt à nonnullis quamvis perperam fuiſſe Græcè inſerta, ne fortaſſis manca hæc oratio videretur. Quinque igitur tantùm ſunt hîc petitiones; tertia verò & ſeptima deficiunt, ut notat Auguſtinus in Enchiridio cap. 116. quia ſeptima in ſexta utcumque comprehenditur, ſicut & tertia in prima & ſecunda. Nam nomen Patris à nobis ſanctificari non poteſt, neque regnum ejus ſerò optari, niſi velimus fieri voluntatem ejus: & à præcipuo malo liberatur, qui remiſſis debitis in tentationem nullam inducitur, cui liberatio à reliquis malis ſuo tempore velut merces dabitur. Itaque ut diſceremus in oratione, non tam de verbis quàm de rebus eſſe anxii, ac de ſpiritu orationis, diverſis verbis orationem tradidit, quam fidelibus quotidianam eſſe voluit. Nam circumſtantiarum hîc & apud Matth. tanta diverſitas eſt, ut videatur Chriſtus illas orandi formulas diverſo tempore tradidiſſe; utram priùs non conſtet. Explicationem autem totius orationis vide apud Matth.

3. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

4. Et dimitte nobis peccata noſtra, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem.

5. Et ait ad illos: Quis veſtrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

5. ET AIT AD ILLOS. Hactenus de orandi formula, nunc de orandi modo, ardore, & perſeverantia, de quibus per parabolam ſubjungit. QUIS VESTRUM HABEBIT AMICUM? q. d. Cui habenti amicum non id eveniet, quod dicturus ſum? Multò ergò magis eveniet oranti amicum Deum; eſt enim argumentum à minori ad majus, ſicut & verſu 13. ET IBIT AD ILLUM MEDIA NOCTE: quæ intempeſta dici ſolet, ut Auguſtinus notat Conc. 29. in Pſalm. 118. quia ad agendum importuna eſt. *Mediâ ergò nocte*, hoc eſt, importuniſſimo tempore, quod ad impetrandi difficultatem ſpectat. ET DICIT ILLI: AMICE, COMMODA MIHI, id eſt, da mihi commodatò, ſeu mutuò: quod ſpectat ad petentis verecundiam, & petitionis mediocritatem, quia minùs eſt, quam ſi dari peteret TRES PANES, unum ſcilicet hoſpiti, alterum mihi, tertium utrique communem, ſi unus uni non eſſet ſatis: eſt enim parabola ex uſu communi ſumpta.

6. quoniam amicus meus venit de via ad me, &

6. QUONIAM AMICUS MEUS VENIT DE VIA, &c. feſſus ſcilicet & famelicus, ET NON HABEO QUOD PONAM ANTE EUM, cùm nec tempus

permittat emi. Duas ergò causas allegat impetrandi: quòd non sibi petat, sed amico, quem iniquum est deserere; & quòd sibi etiam panis sit penuria. In utroque elucet petentis verecundia & humilitas.

non habeo quod ponam ante illum,

7. ET ILLE RESPONDENS DICAT, hoc est, vel quamvis ille responderet: est enim hypothesis, licet non omninò verisimilis, tamen apta ad ostendendum, quantum valeat ad impetrandum importuna perseverantia. JAM OSTIUM CLAUSUM EST, pessulis videlicet firmatum, ut aperiri molestum sit, & fortè intempesta nocte periculosum. ET PUERI, id est, filii, ut Græca insinuant & Syrus explicat, MECUM IN CUBILI, sive cubiculo, sive etiam lecto, ut vertit Syrus, qui proinde expergefieri deberent. Pertinent hæc omnia ad ostendendam justitiam repulsæ.

7. & ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi.

8. ET SI ILLE PERSEVERAVERIT PULSANS, id est, quòd si nihil territus excusatione instet rogando, urgeat, ac tundat ostium: PROPTER IMPROBITATEM TAMEN EIUS, Græcè ἀναίδειαν, *inverecundiam* seu *impudentiam*, hoc est, propter importunam & molestam perseverantiam, qua etiam post primam amici excusationem rogare, imò pulsando instare non destitit. Hoc enim cujusdam improbitatis speciem habere videbatur; quo sensu dicitur labor improbus omnia vincere. DABIT ILLI, & non solùm accommodabit; neque solùm tres dabit, sed QUOTQUOT HABET NECESSARIOS, id est, etiam plures, quàm postulaverit.

8. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eò quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

9. ET EGO DICO VOBIS, hoc est ad illum eumdem modum. Est enim accommodatio parabolæ ad propositum, quâ includit similes in petendo conditiones adhibendas erga Deum, verecundiam, humilitatem, & in primis perseverantissimam instantiam. Nam ab hoc pertinent illa tria, *Petite*, *Quærite*, *Pulsate*, sicut ex August. 1. Retract. cap. 19. patet, & in Matth. latiùs diximus. Delectatur enim Deus sibi quodammodò vim ab orantibus inferri. Vis autem illa non in sola petitione sita est, sed etiam in aliis orationis adjumentis: interque primò est continentia, de qua Hier. Epist. 22. ad Eustochium: Nisi, inquit, vim feceris, cœlorum regnum non capies: nisi pulsaveris importunè, panem non accipies sacramenti. An non tibi videtur violentia, cùm caro cupit esse, quod Deus est, & illuc, unde Angeli corruerunt, Angelos judicare conscendit? Secundò, pœnitentiæ quædam austeritas, de qua Tertull. in Apologetico, cap. 40. Nos jejuniis aridi, omni continentia expressi, ab omni vitæ fruge (id est, deliciis) dilati in sacco, & cinere voluntantes, invidia cœlum tundimus, Deum tangimus, misericordiam extorquemus. Tertiò, concordia orantium, de qua ibid. cap. 39. Corpus sumus de conscientia religionis, & disciplinæ unitate, & spei fœdere, quo imus in cœtum & congregationem, ut ad Deum, quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Ita Tertull. Ne quis verò peccator terreretur, putans impetrationem illam esse justis propriam, occurrunt illi suspicioni verba parabolæ, *Et si non dabit illi, quòd amicus ejus sit, &c.* sicut notat Basil. in Const. Monast. c. 2. ubi monet, & si complures anni in petendo prætereant, perseverandum esse tamen, donec impetretur. Unde Judith meritò reprehendit Oniam, quòd non ultra

9. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.

10. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur.

11. Quis autem ex vobis patrem petit panē, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi?

12. Aut si petierit ovum: numquid porriget illi scorpionem?

13. Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?

14. Et erat ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

quinque dies Dei auxilium exſpectandum eſſe judicaret, Judic. 8. v. 11. & 12.

15. Quidam autem ex eis dixerunt; In Beelzebub principe dæmoniorum ejecit dæmonia.

16. Et alii tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo.

17. Ipſe autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet.

18. Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia.

19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt.

20 Porro ſi in digito Dei ejicio dæmonia: profectò pervenit in vos regnum Dei.

21. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.

22. Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.

23. Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit.

24. Cum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem, & non inveniens dicit: Revertar in domum meam unde exivi.

25. Et cùm venerit, invenit eam ſcopis mundatam & ornatam.

26. Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus.

27. Factum eſt autem, cùm hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.

27. FACTUM EST AUTEM, &c. EXTOLLENS VOCEM QUÆDAM MULIER, admirata ſcilicet ſapientiam revincentem adverſarios, miraculorum virtutem, verborumque vim, non potuit ſe continere, quin admirationem ſuam clamore & laudibus expromeret. Quò indicatur magnitudo affectus ejus erga Jeſum eo ipſo tempore, quo calumniis Phariſæorum petebatur. DIXIT, BEATUS VENTER, QUI TE PORTAVIT, ET UBERA, QUÆ SUXISTI. Periphraſis eſt matris, ab iis partibus, quæ gignendo alendoque Chriſto ſervierunt: q. d. O tali filio felicem matrem! Honor enim filii in parentes redundat: unde & ipſa ſancta Virgo hanc beatitudinis prædicationem ſibi futuram prophetavit in Cantico dicendo, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c.* An autem hæc mulier ſolùm ſenſu muliebri hoc dixerit, ſicut ſolent matres beatæ prædicari propter filios, an verò ex fide incarnationis Chriſti non conſtat. Illud poſtremum ſentit Beda, qui hanc mulierem typum Eccleſiæ geſſiſſe notat; primum plerique poſteriores.

28. At ille dixit: Quin imo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

28. AT ILLE DIXIT: QUIN IMO BEATI. Græcum μενοῦνγε ſonant, *Imò verò*, quod Eraſmus notat, nec affirmare, nec negare illud, cui ſubjungitur. Auguſt. Tract. 10. in Joan. & lib. de ſancta Virginit. cap. 5. legit *Imo*. Videtur itaque Chriſtus apertè nec admittere, nec negare id, quod mulier dixerat: ne vel ſe, & matrem laudaret, vel falſum diceret: ſed aliud elogium ſubjicit, tamquam certius & potius, & pluris æſtimandum: q. d. Tu beatam prædicas matrem, &c. egò verò dico. BEATI QUI AUDIUNT VERBUM DEI; nam inde concipitur fides, quæ ex auditu eſt? ET CUSTODIUNT ILLUD, animo diligendo, & opere adimplendo, quia hoc hominem facit meliorem, Deo gratiorem, veraque dignum beatitudine. Nam, ut optimè Auguſtinus, materna propinquitas nihil Mariæ profuiſſet, niſi felicius Chriſtum corde quàm carne geſtaſſet: beatior enim percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti. Cùm ergò non neget Chriſtus matrem ſuam

29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam eſt: ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ prophetæ.

30. Nam ſicut fuit Jonas ſignum

beatam, neque primo illo genere beatitudinis, quatenus mater ejus fuit, neque ſecundo, quatenus Dei verbum audivit & cuſtodivit, immeritò reprehendit Eccleſiam Calvinus, quòd illa mulieris verba, *Beatus venter*, &c. abſolutè de Virgine Maria uſurpet, ſine adjecta Chriſti correctione : non enim eſt correctio attributæ beatitudinis, ſed extenſio.

Ninivitis: ita erit & Filius hominis generationi iſti.

31. Regina Auſtri ſurget in judicio cum viris generationis hujus, & condemnabit illos : quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis : & ecce plus quàm Salomon hic.

32. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam, quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plus quàm Jonas hic.

33. Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio : ſed ſupra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.

34. Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit : ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit.

35. Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint.

36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te.

36. SI ERGO CORPUS TUUM. Diximus de tota iſta comparatione apud Matth. Lucas hunc verſum adjicit, quo Matthæus caret, ac difficultatem facit, quia taurologiam videtur continere. Poſſet autem hoc modo explicari, & connecti cum præcedentibus, ut per oculum, ſicut in Matthæo dictum eſt, intelligatur mens hominis, ex intellectu conſtans & voluntate, quæ ſi munda fuerit, & ſoli intenta Deo, TOTUM CORPUS, reliquarum ſcilicet omnium facultatum & affectuum participata luce juſtitiæ & munditiæ fulgebit. Quod ſi fuerit, ita ut NON HABEAT ALIQUAM PARTEM TENEBRARUM, ita videlicet ut nihil pravæ cupiditatis ei adhæreat, ERIT LUCIDUM TOTUM; Non eſt hîc ſuppliendum, *corpus*; ſed eſt abſoluta locutio, id eſt, quidquid inde proficiſcetur, omnes ſcilicet actiones inde promanantes erunt rectè : q. d. Si corpus tuarum facultatum & affectuum, totum fuerit mundum, ac lucidum, nihil erit in te, quod non ſit lucidum. ET SICUT LUCERNA FULGORIS, ſeu fulgida, ILLUMINABIT TE, ſupple, oculus ille tuus ſimplex : ille enim diffundit lumen ſuum, inſtar lucernæ ſplendidiſſimæ ſuper omnes facultates, & affectus, & actiones.

37. Et cùm loqueretur, rogavit illum quidam Phariſæus ut pranderet apud ſe. Et ingreſſus recubuit.

37. ET CUM LOQUERETUR; videlicet præcedentia : quamvis Auguſt. lib. 2. De conſenſu, cap. 39. incertum eſſe putet, utrùm de præcedentibus intelligat, an de aliis alio tempore dictis; eo quòd non dicat, *Cùm loqueretur hæc*, ſed abſolutè, *Cùm loqueretur*, ſeu concionaretur, ſcilicet quodam tempore. ROGAVIT ILLUM QUIDAM PHARISÆUS, non ſatis fortaſſis ſincero animo, propter duriſſimam increpationem Chriſti, quæ ſecuta eſt : ET INGRESSUS RECUBUIT : ſtatim ſcilicet, ne lotis quidem priùs manibus, ut ita etiam exemplo ſuo Phariſaïcam ſuperſtitionem deſtrueret.

38. Phariſæus autem cœpit intra ſe reputans dicere, quare non baptizatus eſſet ante prandium.

38. PHARISÆUS AUTEM CŒPIT INTRA SE REPUTANS DICERE : id eſt, tacitâ ſecum cogitatione cœpit quærere cauſam. Quod Græcè clarè dicitur ἐθαύμασεν, *miratus eſt*; quia admiratio ex cauſæ ignoratione naſci ſolet : QUARE NON BAPTIZATUS ESSET, id eſt, locus ANTE PRANDIUM : tranſgrediens ſcilicet tam facilè traditiones Phariſaïcas. Nam in iſtis lotionibus cæremonialibus magnam ponebant religionem Phariſæi, neglectâ animi munditiâ, ut patet Marci 7. v. 3. & Matth. 15. initio.

39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi, quod de foris est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est vestrum plenum est rapina, & iniquitate.

39. ET AIT DOMINUS AD ILLUM, tamquam cognitor cordis & humanorum secretorum testis & judex, ut notat Aug. De unit. Ecclesiæ, c. 5. Nam Pharisæus iste nihil adhuc dixerat, unde mentem ejus colligeret, sicut nos facere debemus, antequam vituperemus: NUNC, quod significat hîc opportunitatem præsentis reprehensionis: q. d. Nunc opportunum est, ut vos præposteræ vestræ religionis admoneam. QUOD DEFORIS EST CALICIS, ET CATINI, seu disci, quibus continetur potus, ac cibus, MUNDATIS. Quo parabolicè significat, eos externam manuum & corporis munditiem affectare, internam verò animi, qui in corpore velut calice, aut catino continetur, negligere. Vide dicta Matth. 23. v. 24.

40. Stulti nonne qui fecit quod de foris est, etiam id, quod deintus est, fecit?

40. STULTI, quia hac in parte ab omni ratione alieni. Utitur illâ increpatione tam acerbâ non convitiandi, sed reprehendendi causâ, ut animus se dissimulans acrimoniâ istâ stimularetur, ad considerandam fœditatem suam, & præposteram munditiei curam. NONNE QUI FECIT, QUOD DEFORIS EST, id est, corpus humanum, calice & catino significatum, ETIAM ID, QUOD INTUS EST, FECIT? scilicet animum, mentem, & conscientiam: q. d. Si vos movet cultus Dei, ad servandam illam exactam corporis munditiem, quasi creaturæ Dei, quomodo non sapitis etiam conscientiam, seu animam multò maximè mundam esse servandam? Itaque post hanc increpationem suggerit Dominus modum legitimum obtinendæ dictæ munditiei, rejectâ superstitione Pharisaicâ.

41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis.

41. VERUMTAMEN, id est non obstante, quòd vos rapinâ & iniquitate plenos dixerim, non tamen est desperandum; sed QUOD SUPEREST, id est, quod unicum remedium restat, ut quodam loco Beda; seu si summam rei scire vultis: in quem sensum Syrus hoc exponit. Alii explicant, *quod superest*, id est, id quod cultui & victui necessario superfluum est. Ita S. Thomas & Beda alio in loco: sed Græcæ phrasi magis congruit, ut subintelligatur κατὰ, id est, *secundùm*: q. d. Secundùm quod adest, aut licet vobis, seu pro facultatibus vestris, ut quisque potest, DATE ELEEMOSYNAM, factâ scilicet priùs rapinarum restitutione. Qui sensus Græcis placet, Euthymio, Theophyl. & inter Latinos, Tertull. 4. contrà Marcionem, cap. 27. qui legit: *Date quæ habetis eleemosynam*, hoc enim avaris hominibus optimum remedium est, ut curentur. ET ECCE OMNIA, non solùm scilicet quod deforis est, seu corpus, sed etiam quod intùs est, seu anima, MUNDA SUNT VOBIS, id est, munda erunt à rapinis & omni iniquitate. Facit autem hoc eleemosyna, non quasi fides in Christum, & pœnitentia, & restitutio raptorum non requirantur, sed quia fidem in Christum & pœnitentiam impetrat à Deo, facilè miserente ejus, qui miseretur aliorum: pœnitentia autem non est vera, nisi malè parta restituantur. Itaque Angelus Tobiæ juxtà hunc sensum, cap. 12. v. 9. dicit, *Ipsa purgat à peccatis, & facit invenire misericordiam.* Augustin. tamen Serm. 30. De verbis Domini & in Enchiridio c. 75. per *eleemosynam* intelligit opus misericordiæ generaliter, etiam erga seipsum. Illa quippe ordinatè facienda est, ut à seipso quisque incipiat, juxtà illud Eccles. 3. *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Itaque vult monere Christus, ut eleemosy-

nam darent, à seipsis, recto misericordiæ & dilectionis ordine, incipiendo: quod fit per fidem, dilectionem, pœnitentiam, restitutionem, superflui erogationem, cujusmodi eleemosynas facere non curabant. Itaque hac consideratione August. Dominum subjecisse:

42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham et rutam, id est decimam partem minutissimorum olerum scrupulosè in eleemosynas erogatis. Et præteritis judicium, id est id, quod æquum & justum est, aliena rapiendo, et charitatem Dei, & proximi; quæ tamen est eleemosyna & beneficentia, quam præcipuè erogare debebatis: nam hæc oportuit facere, judicium scilicet, charitatem & fidem, ut addit Matth. et illa non omittere, quæ in corporales eleemosynas, decimas illas minutas dando, erogatis.

42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus & præteritis judicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.

44. Væ vobis, quia estis in monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes suprà nesciunt.

45. Respondens quidam ex Legis-peritis, id est, Legis Interpretibus, qui Scribæ dicebantur ait illi: magister, hæc dicens, adversus Pharisæos, etiam contumeliam nobis facis, ordini scilicet Scribarum, quem simul verbis istis contumeliosis lædis. Scribarum enim propriè erat docere & explicare Legem: Pharisæorum observare, doctrinæque traditæ insistere; rigidi enim observatores videri volebant Legis doctores. Quamvis idem esse posset Scriba & Pharisæus: unde Theophyl. Pharisæi, inquit, videbantur ut Monachi, quia ab aliis se segregabant, quasi majoris sanctitatis professione: Legis-periti verò doctores erant, qui solvebant quæstionem legis. Hæc ille. Itaque Christus per sequens, *Væ*, redarguit etiam Scribas, quòd gravissima docendo, onerarent homines, & nihil eorum facerent: præcedentia verò magis praxim Legis & vitam spectant. Hæc ergò cùm diceret tanta cum severitate.

45. Respondens autem quidam ex Legis-peritis, ait illi: Magister hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait: Et vobis Legis-peritis væ, quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

47. Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.

48. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.

49. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apostolos, & ex illis occident, & persequentur.

50. Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi à generatione ista,

51 à sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis.

53. Cœperunt Pharisæi, & Legis-periti, offensi tanta reprehendendi libertate, quia æstimatio sanctitatis Pharisæorum, & auctoritas doctrinæ Scribarum elevabatur, graviter instere, id est, vehementer instendo eum urgere: et os ejus opprimere, id est, loquentem reprimere, de multis, quæ dixerat: multa scilicet ex eis, quasi consequentia captiosè interrogando, ut perplexus fieret, nec ad tot hinc inde interrogata respondere posset: vel etiam multa simul objiciendo; ut tot argumentis pulsatus aliquid minùs consideratè responderet, nimirum ut sequitur.

53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi & Legisperiti graviter instere, & os ejus opprimere de multis.

cuique quasi tribui suus esset Apostolus. Septuaginta verò duo Discipuli exhibebant quasi Synedrion LXXII. seniorum. Nomina eorum incerta sunt, quamvis à nonnullis recensentur : vide Epiph. Hæresi 20. Officium eorum fuit simile Apostolico scilicet propinquum Dei regnum prædicare, & miraculis asserere, cui rei Apostoli per totam Judæam minùs sufficiebant. ET MISSIT ILLOS BINOS ANTE FACIEM SUAM, seu ante se. Binos misit, ut essent mutuarum actionum testes, mutuo auxilio, consilio, solatio, denique ut firmius esset eorum testimonium. Est & ille numerus duplicis charitatis sacramentum, ut notat August. libro 2. Quæst. Evang. qu. 14. & Gregor. in Homiliis, itémque concordiæ, quam prædicatores inter se servare debent. IN OMNEM CIVITATEM ET LOCUM, QUO ERAT IPSE VENTURUS, eo scilicet consilio, quo Joannem Baptistam jam à principio præmiserat, ne veniret ad prorsus imparatos, sed ut venturum avidiùs exspectarent, & venientem attentiùs cognoscerent.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

17. REVERSI AUTEM SUNT SEPTUAGINTA DUO, ut Domino rationem redderent suæ legationis & successus, & fructus: CUM GAUDIO, de fœlici scilicet prædicationis & miraculorum successu, quod futurum prænuntiaverat Isaias cap. 9. v. 3. DICENTES, scilicet inter cætera, quæ de successu exponebant: DOMINE ETIAM DÆMONIA, id est, non solùm morbi, sed & dæmones, creaturæ spirituales, liberii arbitrii, summæ potestatis, SUBIICIUNTUR NOBIS, tamquam servi dominis, ut ad nutum nostrum habitatione & loco cedant; non tamen nostra virtute, sed IN NOMINE TUO, id est, adhibitâ auctoritate tuâ, & invocatione nominis tui. Quo sensu totam gloriam Christo retulissent, nullâ elati prærogativâ, sed læti tantùm de prædicationis successu, prout sentit Theophyl. Nonnulli autem veteres putant, discipulos hoc animi quadam vanitate dixisse, ut Greg. 23. Moral. c. 4. aliàs 7. quod satis congruit versui 20. Dominus autem ut jam erectos in superbiam ad modestiam revocaret, vel etiam ne lætitiâ inordinatâ in superbiam erigerentur, ait illis:

18. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

18. VIDEBAM SATANAM SICUT FULGUR DE CŒLO CADENTEM. Hoc aliqui ad incarnationem Christi referunt: qu. d. Nihil novi mihi refertis, non ferri à dæmoniis nomen meum: hoc & antequam vos mitterem, imò cùm in mundum venirem, futurum videbam, quòd scilicet satanicæ vires meâ potestate de gloria sua ruerent. Ita Theophyl. Sed convenientior videtur sensus Ambros. lib. De fuga sæculi cap. 7. & Greg. diversis locis, qui referunt ad casum Angeli per superbiam, quem scilicet Christus viderit sua se voluntate à splendore justitiæ avertentem; & ita tacitè monuerit eos, ne simili superbia elati caderent. Quamvis possit casus intelligi non culpæ, sed pœnæ: q. d. Nolite mirari, dæmones vobis subjici in nomine meo: meum est enim hoc opus, non vestrum. Nam ego sum, qui etiam justo judicio satanam præcipitans, vidi eum de cœlo cadendem, instar fulguris, subitò, summa vi, irreparabiliter. Et ita est argumentum quasi à majori ad minus: ad quem sensum congruenter adjicit Dominus.

19. Ecce dedi vobis potestatem

19. ECCE DEDI VOBIS, id est, Itaque ut intelligatis, nihil vos vobis hac in re tribuere debere, ecce ego, penes quem dixi summam esse po-

teſtatem præcipitandi ſatanam, ſum ille, qui dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones. Quos ad litteram intelligunt quidam, uti ſonant: quomodo Paulo nihil nocuit vipera, quemadmodum Chriſtus diſcipulis ſuis promiſerat, Marci 16. verſu 18. Rectiùs tamen metaphoricè intelligi videntur diverſa dæmonum genera, hoc diſcrimine, quòd quia ſerpentes dente nocent, ſcorpiones cauda, ideò illi ſignificent dæmones apertè ſævientes, hi clanculùm inſidiantes. Ut ergò explicaret ſe de metaphoricis ſerpentibus, hoc eſt de dæmonibus loqui, generaliter adjicit, ſe iis dediſſe poteſtatem SUPER OMNEM VIRTUTEM INIMICI, id eſt, ſuper univerſum exercitum diaboli. ET NIHIL VOBIS NOCEBUNT, congredientibus cominus cum ipſis. Ubi notandum in illis verbis, *Ecce dedi vobis poteſtatem*, quòd opus ſit peculiarem accipere poteſtatem à Chriſto, ut invocatio nominis ejus effectum ſuum ſortiatur. Itaque Auguſt. lib. 83. Quæſt. Evang. qu. 79. docet aliquando dæmones nolle cedere, ipſo Deo occultis modis prohibente, ne cedant, cùm id juſtum & utile judicat. Hoc autem facit vel ad confundendos malos, quemadmodum Scevæ filiis contigit, Act. 19. verſu 15. vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide atque iſta non jactanter, ſed utiliter poſſint: vel denique ad diſcernenda dona membrorum Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus: *Numquid omnes virtutes?*

calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

20. VERUMTAMEN, quamvis magnum ſit Dei iſtud donum, IN HOC NOLITE GAUDERE, nempe principaliter, & in eo hærendo, ſicut ſuperbientes, & ſibi placentes, in gaudio de Dei donis hærere ſolent, QUIA SPIRITUS VOBIS SUBJICIUNTUR; exiſtimantes, ut Auguſt. ibidem in talibus factis majora dona eſſe quàm in operibus juſtitiæ, quibus æterna vita comparatur. Unde optimè monet S. Antonius apud Athanaſ. in vita ejus, ut magis nobis eſſet vitæ quàm ſignorum ſollicitudo, nullúſque ſigna faciens: aut ipſe ſuperbiâ intumeſceret, aut deſpiceret eos, qui facere non poſſunt. Nam ſigna facere, inquit, non eſt noſtræ parvitatis, ſed Domini poteſtatis, qui ad diſcipulos gloriantes ait, Ne gaudeatis, quia dæmonia vobis ſubjecta ſunt, ſed QUOD NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN CŒLIS; hoc enim & ſolidum gaudium eſt, & ſolis Deum diligentibus vel à Deo dilectis competit. Nam nomina in cœlis, hoc eſt in Dei memoria eſſe ſcripta, dupliciter intelligi poteſt, vel ratione preſentis juſtitiæ, qui Pſal. 68. v. 29. dicitur *liber viventium*, potiùs quàm vitæ; ubi Auguſt. docet, eo modo omnes juſtos in cœlo eſſe ſcriptos: vel ratione æternæ & immutabilis electionis ad ſalutem. Neutro verò modo Chriſtus hîc revelat, omnes Apoſtolos fuiſſe juſtos vel electos; ſed videtur per conceſſionem loqui, videlicet ſicut vos exiſtimatis & meritò confidere debetis. Itaque quia diſcipuli in lætitia privata & temporali mentem poſuerant, quando de miraculis gaudebant, revocantur hîc de lætitia privata ad communem, de temporali ad æternam. Diſcipulis enim veritatis gaudium eſſe non debet, niſi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent, ut Greg. lib. 9. Epiſt. 58.

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

21. In ipſa hora exultavit Spiritu ſancto, & dixit. Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam ſic placuit ante te.

22. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo ſcit quis ſit Filius, niſi Pater, & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

23. Et converſus ad diſcipulos ſuos, dixit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

cuique quasi tribui suus esset Apostolus. Septuaginta verò duo Discipuli exhibebant quasi Synedrion LXXII. seniorum. Nomina eorum incerta sunt, quamvis à nonnullis recensentur: vide Epiph. Hæresi 20. Officium eorum fuit simile Apostolico scilicet propinquum Dei regnum prædicare, & miraculis asserere, cui rei Apostoli per totam Judæam minùs sufficiebant. ET MISSIT ILLOS BINOS ANTE FACIEM SUAM, seu ante se. Binos misit, ut essent mutuarum actionum testes, mutuo auxilio, consilio, solatio, denique ut firmius esset eorum testimonium. Est & ille numerus duplicis charitatis sacramentum, ut notat August. libro 2. Quæst. Evang. qu. 14. & Gregor. in Homiliis, itémque concordiæ, quam prædicatores inter se servare debent. IN OMNEM CIVITATEM ET LOCUM, QUO ERAT IPSE VENTURUS, eo scilicet consilio, quo Joannem Baptistam jam à principio præmiserat, ne veniret ad prorsus imparatos, sed ut venturum avidiùs exspectarent, & venientem attentiùs cognoscerent.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.

17. REVERSI AUTEM SUNT SEPTUAGINTA DUO, ut Domino rationem redderent suæ legationis & successus, & fructus: CUM GAUDIO, de fœlici scilicet prædicationis & miraculorum successu, quod futurum prænuntiaverat Isaias cap. 9. v. 3. DICENTES, scilicet inter cætera, quæ de successu exponebant: DOMINE ETIAM DÆMONIA, id est, non solùm morbi, sed & dæmones, creaturæ spirituales, liberii arbitrii, summæ potestats, SUBJICIUNTUR NOBIS, tamquam servi dominis, ut ad nutum nostrum habitatione & loco cedant; non tamen nostra virtute, sed IN NOMINE TUO, id est, adhibitâ auctoritate tuâ, & invocatione nominis tui. Quo sensu totam gloriam Christo retulissent, nullâ elati prærogativâ, sed læti tantùm de prædicationis successu, prout sentit Theophyl. Nonnulli autem veteres putant, discipulos hoc animi quadam vanitate dixisse, ut Greg. 23. Moral. c. 4. aliàs 7. quod satis congruit versui 20. Dominus autem ut jam erectos in superbiam ad modestiam revocaret, vel etiam ne lætitiâ inordinatâ in superbiam erigerentur, ait illis:

18. Et ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

18. VIDEBAM SATANAM SICUT FULGUR DE CŒLO CADENTEM. Hoc aliqui ad incarnationem Christi referunt: qu. d. Nihil novi mihi refertis, non ferri à dæmoniis nomen meum: hoc & antequam vos mitterem, imò cùm in mundum venirem, futurum videbam, quòd scilicet satanicæ vires meâ potestate de gloria sua ruerent. Ita Theophyl. Sed convenientior videtur sensus Ambros. lib. De fuga sæculi cap. 7. & Greg. diversis locis, qui referunt ad casum Angeli per superbiam, quem scilicet Christus viderit sua se voluntate à splendore justitiæ avertentem; & ita tacitè monuerit eos, ne simili superbia elati caderent. Quamvis possit casus intelligi non culpæ, sed pœnæ: q. d. Nolite mirari, dæmones vobis subjici in nomine meo: meum est enim hoc opus, non vestrum. Nam ego sum, qui etiam justo judicio satanam præcipitans, vidi eum de cœlo cadendem, instar fulguris, subitò, summa vi, irreparabiliter. Et ita est argumentum quasi à majori ad minus: ad quem sensum congruenter adjicit Dominus.

19. Ecce dedi vobis potestatem

19. ECCE DEDI VOBIS, id est, Itaque ut intelligatis, nihil vos vobis hac in re tribuere debere, ecce ego, penes quem dixi summam esse po-

teſtatem præcipitandi ſatanam, ſum ille, qui dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones. Quos ad litteram intelligunt quidam, uti ſonant: quomodo Paulo nihil nocuit vipera, quemadmodum Chriſtus diſcipulis ſuis promiſerat, Marci 16. verſu 18. Rectiùs tamen metaphoricè intelligi videntur diverſa dæmonum genera, hoc diſcrimine, quòd quia ſerpentes dente nocent, ſcorpiones cauda, ideò illi ſignificent dæmones apertè ſævientes, hi clanculùm inſidiantes. Ut ergò explicaret ſe de metaphoricis ſerpentibus, hoc eſt de dæmonibus loqui, generaliter adjicit, ſe iis dediſſe poteſtatem SUPER OMNEM VIRTUTEM INIMICI, id eſt, ſuper univerſum exercitum diaboli. ET NIHIL VOBIS NOCEBUNT, congredientibus cominus cum ipſis. Ubi notandum in illis verbis, *Ecce dedi vobis poteſtatem*, quòd opus ſit peculiarem accipere poteſtatem à Chriſto, ut invocatio nominis ejus effectum ſuum ſortiatur. Itaque Auguſt. lib. 83. Quæſt. Evang. qu. 79. docet aliquando dæmones nolle cedere, ipſo Deo occultis modis prohibente, ne cedant, cùm id juſtum & utile judicat. Hoc autem facit vel ad confundendos malos, quemadmodum Scevæ filiis contigit, Act. 19. verſu 15. vel ad admonendos bonos, ut proficiant in fide atque iſta non jactanter, ſed utiliter poſſint: vel denique ad diſcernenda dona membrorum Eccleſiæ, ſicut Apoſtolus: *Numquid omnes virtutes?*

calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

20. VERUMTAMEN, quamvis magnum ſit Dei iſtud donum, IN HOC NOLITE GAUDERE, nempe principaliter, & in eo hærendo, ſicut ſuperbientes, & ſibi placentes, in gaudio de Dei donis hærere ſolent, QUIA SPIRITUS VOBIS SUBJICIUNTUR; exiſtimantes, ut Auguſt. ibidem in talibus factis majora dona eſſe quàm in operibus juſtitiæ, quibus æterna vita comparatur. Unde optimè monet S. Antonius apud Athanaſ. in vita ejus, ut magis nobis eſſet vitæ quàm ſignorum ſollicitudo, nullúſque ſigna faciens: aut ipſe ſuperbiâ intumeſceret, aut deſpiceret eos, qui facere non poſſunt. Nam ſigna facere, inquit, non eſt noſtræ parvitatis, ſed Domini poteſtatis, qui ad diſcipulos gloriantes ait, Ne gaudeatis, quia dæmonia vobis ſubjecta ſunt, ſed QUOD NOMINA VESTRA SCRIPTA SUNT IN CŒLIS; hoc enim & ſolidum gaudium eſt, & ſolis Deum diligentibus vel à Deo dilectis competit. Nam nomina in cœlis, hoc eſt in Dei memoria eſſe ſcripta, dupliciter intelligi poteſt, vel ratione preſentis juſtitiæ, qui Pſal. 68. v. 29. dicitur *liber viventium*, potiùs quàm vitæ; ubi Auguſt. docet, eo modo omnes juſtos in cœlo eſſe ſcriptos: vel ratione æternæ & immutabilis electionis ad ſalutem. Neutro verò modo Chriſtus hîc revelat, omnes Apoſtolos fuiſſe juſtos vel electos; ſed videtur per conceſſionem loqui, videlicet ſicut vos exiſtimatis & meritò confidere debetis. Itaque quia diſcipuli in lætitia privata & temporali mentem poſuerant, quando de miraculis gaudebant, revocantur hîc de lætitia privata ad communem, de temporali ad æternam. Diſcipulis enim veritatis gaudium eſſe non debet, niſi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent, ut Greg. lib. 9. Epiſt. 58.

20. Verumtamen in hoc nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.

21. In ipſa hora exultavit Spiritu ſancto, & dixit. Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quod abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Etiam Pater: quoniam ſic placuit ante te.

22. Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et nemo ſcit quis ſit Filius, niſi Pater, & quis ſit Pater, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.

23. Et converſus ad diſcipulos ſuos, dixit: Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt.

piſcentiis: ET LUCERNÆ ARDENTES IN MANIBUS VESTRIS, id eſt, bonis operibus fulgeatis. Itaque *lumbos habere præcinctos*, Auguſtino eſt declinare à malo; *lucernas tenere*, facere bonum. Senſus videtur magis moralis, quàm litteralis: nam ſi vim phraſeos iſtius ex Scripturis attendamus, præcinctio lumborum eſt habitus hominis expediti ad iter, ſeu ad opus miniſterii, ut patet infrà verſ. 37. & clariùs cap. 17. verſ. 8. *Præcinge te, & miniſtra*, aliiſque multis locis. Orientales enim olim, ſicut & nunc, talaribus utebantur veſtibus, quas elevatas, & collectas ad lumbos cingebant, ne operantibus eſſent impedimento. Itaque *ſint lumbi veſtri præcincti*, id eſt, ſitis expediti, & ſemper parati ad implendam voluntatem Domini veſtri, & ita parati, ut etiam *ſint lucernæ ardentes in manibus veſtris*, ita ſcilicet, ut nequidem accenſione opus ſit, cùm Dominus veſter venerit. Nam ſimili de cauſa fatuæ virgines excluſæ ſunt. Parabolica igitur locutio eſt, ab officio bonorum famulorum ſumpta, Dominum ſcilicet ſuum noctu exſpectantium, ut ſequitur, qui eum facibus præcedere ſolent. Itaque qui per *faces ardentes* intelligunt fidem, vel intentionem bonam, ut Auguſt. lib. Quæſt. Evang. q. 25. bonum, ſed moralem ſenſum explicant, per quem declaratur modus, quo quis debeat præcingere, & lucernas tenere. Senſum ergò genuinum eſſe, quem diximus, patet ex ſequentibus.

36. Et vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando revertatur à nuptiis: ut, cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei.

36. ET VOS SIMILES HOMINIBUS EXSPECTANTIBUS DOMINUM; qui omnia parata tenent, & attentè auſcultant, utrùm dominus pulſet fores. QUANDO REVERTATUR A NUPTIIS, ſeu convivio nuptiali, quod noctu celebrabatur, ut ex eadem parabola virginum patet, ideóque tunc homines minimè parati eſſe ſolent. Per hanc igitur ſimilitudinem indicat Chriſtus adventum ſuum redeuntis à nuptiis, quæ etiam nunc cum animabus juſtis in cœlo celebrantur, ad judicium. Hunc ſemper erectos animo, & fide, & operibus exſpectare nos jubet. UT CUM VENERIT ET PULSAVERIT, id eſt, indicia adventus ſui dederit, CONFESTIM APERIANT EI, id eſt, promptè & cum gaudio ipſum excipiamus, nullâ mortis tergiverſatione, nullâ interpoſitâ ſui præparandi morâ. Nam quamvis Chriſtus de ſuo adventu ad generale judicium loquatur, ut plerumque loqui ſolet, hoc ipſum tamen contingit unicuique tempore mortis ſuæ, ſicut latiùs in Matthæum diximus. Unde Gregor. Hom. cit. Pulſat, cùm per ægritudinis moleſtias mortem eſſe vicinam deſignat: cui confeſtim aperimus, ſi hunc eum amore ſuſcipimus; de quo ipſe latiùs. Itaque pulchrè S. Cyprian. lib. De mortalitate: Quàm præpoſterum eſt, quàmque peryerſum, ut, cùm Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos, & accerſit de hoc mundo, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & pervicacium more ſervorum, ad conſpectum domini cum triſtitia & mœrore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis. Et volumus ab eo præmiis cœleſtibus honorari, ad quem venimus inviti? Hæc ille.

37. Beati ſervi illi quos cùm venerit dominus, invenerit vigi-

37. BEATI SERVI ILLI. Perſiſtit adhuc in eadem metaphorâ ſeu parabolâ, QUOS CUM VENERIT DOMINUS, videlicet Chriſtus eo, quo dictum eſt, modo, INVENERIT VIGILANTES, ſeu paratos. AMEN DICO

VOBIS, QUOD PRÆCINGET SE, in mortem ministri, ET FACIET ILLOS DISCUMBERE, tamquam dominos: ET TRANSIENS, ultrò, id est, citróque obambulans, ut dispiciat, num quid desit, MINISTRABIT ILLIS, idest quidquid ad refectionem, recreationem, æternámque fœlicitatem fecerit, suppeditabit, instar per humani patrisfamilias, qui benè cœnatus ex nuptiis rediens famulos officiosos, & dilata propter dominum cœna incœnatos, vicissim copiosa cœna velut minister exciperet. Quòd quamvis carnalibus dominis nón sit usitatum, ideo tamen Christus libentiùs dixit, ut efficaciùs significaret inusitatum futurum honorem, quem eis exhibebit, quasi dominis, & coheredibus, secum in gloria confidentibus.

lantes: amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

38. ET SI VENERIT IN SECUNDA VIGILIA, quæ post mediam noctem incipit, & singulæ per tres horas durant, ut alibi dictum est. Quartæ vigiliæ, quæ terminatur ortu Solis, & primæ, quæ ab occasu incipit, non meminit, tum quia tantùm importunissimum inopinatissimúmque tempus adventus seu reditus sui significari voluit; tum quia metaphoræ redeundi à nuptiis non ita congruunt illæ vigiliæ: nec enim tam citò, nec tam serò rediri, sed circa noctis medium nuptiæ solvi solent. Scopus tamen est docere, quod omni ætate, quamdiu hæc vita durat, sit vigilandum. Reliqua usque ad versum 47. vide Matth. 24.

38. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, &

non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.

41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

42. Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?

43. Beatus ille servus, quem cùm venerit dominus, invenerit ita facientem.

44. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constitues illum.

45. Quod si dixerit servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere servos & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:

46. veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, & hora qua nescit, & dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.

47. ILLE AUTEM SERVUS, QUI COGNOVIT VOLUNTATEM DOMINI SUI, qualis ille, qui constitutus fuerit super familiam: ille enim tamquam habens concredita sibi omnia patris familias secreta, scit aut scire debet voluntatem ejus. De Episcopis enim futuris sermo est, ut Euthymius notat. ET NON PRÆPARAVIT, id est, nequidem animum suum composuit, ut voluntatem domini faceret, & proinde etiam NON FECIT: VAPULABIT MULTIS; gravior est enim cognitæ veritatis & præcepti prævaricatio.

47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis:

48. Qui AUTEM NON COGNOVIT, voluntatem Domini, quales plerúmque magis esse solent servi inferiores, & tamen FECIT DIGNA PLAGIS, à Domino scilicet prohibita, quæ ipsius erat noscere, & culpabiliter nescit, VAPULABIT PAUCIS, id est, paucioribus, quàm ille, qui novit, vapulabit tamen. Unde Basil. quæst. 267. inter brevfores, notat significari discrimen pœnæ non in æternitate, sed in acerbitate tantùm, hoc est utramque æternam fore, unam tamen altera mitiorem. Ne verò res suas in tuto positas existimarent, si neque scienter, neque

48. qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui com-

mendaverunt multum, plus petent ab eo.

ignoranter prævaricarentur officium, mox addit, etiam de bonis operibus reddendam esse rationem: quod OMNI, CUI MULTUM DATUM EST, id est, qui multis Dei donis ornatus fuerit, sive illa sit scientia voluntatis Domini, sive aliud quippiam, MULTUM QUÆRETUR AB EO, id est, multum reposcetur in judicio, cùm Dominus à nuptiis redierit, videlicet rectus usus singulorum, & lucrum ex eis. Unde Greg. Hom. 9. in Evang. Cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Nam inter homines quoque pluribus affectus beneficiis plùs debet gratitudinis, ET CUI COMMENDAVERUNT MULTUM, id est, cujus fidei magna functio fuerit concredita, scilicet salutis aliorum procurandæ. Videtur enim hîc distingui datum à commendato, ut datum referatur ad donum, quod propriam salutem spectat, commendatum ad alienam. PLUS PETENT AB EO, quia reddenda erit ei ratio etiam de animabus alienis. Itaque clarè indicat doctorum pastorúmque judicium, cæterorum judicio non parum gravius & periculosius futurum.

49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?

49. IGNEM VENI MITTERE IN TERRAM. Persecutionem quidam recentiores intelligunt; sed certè non rectè dicitur, Christum velle, ut illa accendatur, cùm eam tantùm permittat. Nec quisquam sanctiùs eam optat in se accendi; nam, ut August. 10. Confess. nemo quod tolerat, amat, tametsi tolerare amat. Rectiùs ergò dicitur, *ignem* esse charitatem, prout exponitur apud Ambros. Serm. 13. in Psalm. 118. & apud August. Serm. 108. De Tempore. Cum quo in idem redit, quod plerique veteres intelligunt Spiritum sanctum, ut Gregor. Homil. 30. in Evangel. & alii, quatenus scilicet non in se, sed in hominum cordibus ardet, & omnes immunditias consumit. ET QUID VOLO, id est, quid aliud volo, seu quantopere, quàm unicè desidero, UT ACCENDATUR? ad magis magisque benè orandum, & benè utendum donis Dei. Nam per hanc sententiam Christus declarat suæ voluntatis esse, ne dona & commendata, de quibus versu præced. sint otiosa. Et quia ignis ille incensæ charitatis per Domini passionem in hominum cordibus, maximè accendendus erat, hinc adjicit de sua passione.

50. Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor usquedum perficiatur?

51. Putatis quia pacem veni dare in terram? Non dico vobis, sed separationem:

52. erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, & duo in tres.

53. dividentur: pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

50. BAPTISMO, sanguinis mei, HABEO BAPTIZARI, id est, baptizandus sum seu perfundendus. Ex quibus verbis baptismus sanguinis in Scholis nomen accepit. ET QUOMODO COARCTOR, id est, angor, seu quantopere pavore, ac mœrore contrahor, ad quas angustias redigor? Qui sensus videtur esse ex mente Ambros. Alii tamen coarctationem illam intelligunt esse tristitiæ de dilata passione, seu vehementis desiderii ad patiendum: ut sint quasi impatientis amoris verba, cui omnis mora longa est. Sed primus sensus videtur congruentior, nam & verba hoc magis sonant, & similem affectum expressit passioni proximus: *Tristis est anima mea usque ad mortem:* USQUE DUM, id est, donec, PERFICIATUR, quo indicat se non tantùm passione imminente, sed toto prædicationis, vel vitæ tempore ad passionis mentionem aut recordationem, pavore (licet voluntario) contractum esse & contremuisse. Unde Joan. 12. facta passionis mentione per similitudinem grani cadentis in terram, mox exclamavit: *Nunc anima mea turbata est. Pater salvifica me ex hac hora.*

54. DICEBAT AUTEM ET AD TURBAS; nam superiora ad discipulos videntur dicta. CUM VIDERITIS NUBEM ORIENTEM AB OCCASU: STATIM DICITIS, NIMBUS VENIT, &c. quia cùm ab occasu Judææ sit mare mediterraneum, si vapores aquei inde surgunt, & in Judæam vento propelluntur, verisimile est, & experientia compertum, in aquas brevi resolvendos.

56. HYPOCRITÆ FACIEM CŒLI ET TERRÆ NOSTIS PROBARE, id est, dispositionem eorum explorare, & discernere nostis, ita ut ex hac, vel illa cœli constitutione sciatis, quid in terra futurum portendat: facies enim terræ secundùm cœli constitutionem modo jam dicto juvari solet. Hoc AUTEM TEMPUS, hujus præsentis adventus mei, & regni cœlorum propinqui, QUOMODO NON PROBATIS? id est, non dijudicatis & agnoscitis esse præsens, cùm ejus indicia extent plurima, longè certiora istis, quas dixi, aëris constitutionibus. Sententia ferè similis est Matth. 16. initio, & Sapientiæ 13. vers. 9. Sed quia turbæ causari possent, se mysteriorum occultorum ignaros non posse tempora illa discernere, prævenit eas Christus.

57. QUID AUTEM ET A VOBIS IPSIS, id est, ex iis, quæ inter vos juxta Prophetias adimplentur, & oculis vestris videtis, NON IUDICATIS, quod IUSTUM EST? id est, quod æquum est vos judicare, tempus scilicet exspectati Messiæ jam esse præsens. Ita ferè Tertullian. 4. contra Marcionem cap. 29. Perperam ergò verba illa, *ex vobis ipsis*, eò torquentur à Cassiano, Collat. 13. & aliis, quasi Christus significatum vellet, eos id posse agnoscere viribus naturalibus. Tantùm enim vult Christus ea, quæ contingebant inter illos, esse sufficientia argumenta externa, ut Judæi jam anteà fide imbuti agnoscerent Christum esse aliquid supra hominem, & eum quem exspectabant. Argumenta autem externa in credentibus non excludunt gratiam Dei, quâ juvante Judæi in notitiam & fidem Christi devenire potuissent, nisi malâ suâ voluntate hoc Dei adjutorium repulissent.

54. Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit! & ita fit.

55. & cùm austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit.

56. Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quo modo non probatis?

57. Quid autem & à vobis ipsis non judicatis quod justum est?

58. Cùm autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operâ liberari ab illo, ne fortè trahat te ad judicē, & judex trahat te exactori, & exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimū minutum reddas.

CAPUT TREDECIMUM.

CAPUT XIII.

1. ADERANT AUTEM QUIDAM IPSO IN TEMPORE, quo Christus ista prædicabat, NUNTIANTES EI, tamquam novum aliquid; & recenter gestum. Talia enim nuntiari solent, & res olim gestæ commemorari: ut satis hinc pateat, falli eos, qui historiam istam triginta circiter annis antè contigisse putant. De GALILÆIS, non tamen natione, quàm sectâ, ut videtur: nam alioqui natio Galilæa non suberat Pilato. QUORUM SANGUINEM PILATUS MISCUIT, &c. quia eos offerendis sacrificiis occupatos occîdit. De nulla hujusmodi Galilæorum clade extat usquam mentio. Unde aliqui putant per Galilæos hîc intelligi Samaritanos, tamquam Galilæis vicinos: nam eorum aliquos Pilatus prope montem Garizin occîdit, de quo Joseph. 18. Antiq. c. 5. & Hegesippus lib. 2. De excidio Jerosolymæ. Multò verisimilius, quod narrat Chrys. in Catena, & sequuntur, Theophyl. Euthym. Titus Bostrensis in hunc locum fuisse sectatores Judæ Galilæi, qui, teste Hieron. in

1. Aderant autem quidā ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.

Cap. 3. ad Titum, & Josepho, duraverunt usque ad tempora Christi, & ultrà. Docebant isti, non esse tributum dandum Cæsari, nec agnoscendum dominum, nisi Deum; proinde pro Imperatore, Romanoque imperio non esse sacrificandum. Propter istos vult Hieron. Apostolum scripsisse ad Roman. *Cui tributum, tributum*: & ad Titum, *Admone illos Principibus & potestatibus obedire*: & ad Timoth. *Obsecro fieri orationes, &c. pro Regibus.* Horum igitur aliquos in sacrificando deprehensos jussit Pilatus velut seditiosos opprimi. An autem hoc contigerit in Galilæa, an potiùs Jerosolymis, ubi erat sacrificandi locus, ex Scriptura, vel aliunde, non liquet.

2. Et respondens dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

2. ET RESPONDENS DIXIT: occasionem captans ex quolibet eventu corrigendi homines: PUTATIS QUOD HI GALILÆI, &c. more scilicet hominum, qui ex calamitate unius præ alio, statim augurari solent, majorem unius quàm alterius esse culpam. Hanc itaque vulgi opinionem corrigit Christus.

3. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

3. NON, DICO VOBIS, id est, non propterea Galilæi illi sceleratiores cæteris Galilæis, fuisse existimandi sunt; SED, hoc dico vobis, NISI PŒNITENTIAM HABUERITIS, OMNES, sive Judæi, sive Galilæi (intelligit autem multò maximam eorum partem) SIMILITER PERIBITIS: nempe gladio Cæsaris, morte violentâ in ipsis sacrificiis vestris, propter rebellionem adversùs Cæsarem. Nam eo modo multos periisse, & illam fuisse excidii Jerosolymitani originem, narrat Josephus. Sed quia tali modo pauci eorum, qui præsentes adhærant, perierunt, rectiùs dixeris, illud, *similiter*, non aliud significare; quàm perinde seu æquè, non minùs, quàm alii peribitis, sive in hoc sæculo, sive in futuro, quod maximè patet ex v. 5. Neque enim omnes, neque multi similiter lapsu turris perierunt: nam pauci à Deo in exemplum terroremque multorum pœnis illis extraordinariis puniri solent.

4. Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem?

4. SICUTI ILLI DECEM ET OCTO, Jerosolymitani, SUPRA QUOS CECIDIT TURRIS IN SILOE, id est, ad Siloë ædificata. Est autem fons ad radices montis Sion, ut tradit Hieron. in vers. 6. cap. 8. Isaiæ, itemque aquæductus ex eo fonte manans, qui efficit in Jerusalem piscinam, seu natatoriam Siloë, de qua mentio est Joan. 9. vers. 7. & 2. Esdræ cap. 3. vers. 5. Hîc ergò turris ædificata oppresserat lapsu octodecim viros. PUTATIS ergò, QUIA ET IPSI DEBITORES FUERINT, hujusmodi violentæ & intempestivæ mortis propter peccata scilicet sua, PRÆTER OMNES HOMINES, id est, præ omnibus, παρὰ πάντας sicut eadem phrasis Græca vertitur, v. 2. HABITANTES IN JERUSALEM? Per quod insinuat ibidem, scilicet juxtà natatoriam Siloë ruinam illam contigisse.

5. Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

6. Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invenit.

6. DICEBAT AUTEM HANC SIMILITUDINEM, Græcè parabolam: ARBOREM FICI HABEBAT QUIDAM, paterfamilias, qui Deum hoc loco videtur significare, PLANTATAM IN VINEA SUA, id est, agro vitibus consito; quia ficus sunt vitibus familiares. Augustin. Serm. 31. de verbis Domini & Greg. in hoc Evang. per *Ficum* intelligunt genus humanum. Sed genus humanum propter amaritudinem rectiùs comparatur Sicomoro & Oleastro: nec facilè ostendi potest, quænam sit vinea, in qua plantata erit ficus, si ficus est genus humanum. Itaque aptiùs per *Ficum* intelligas populum Jerosolymitanum, seu Jerusalem, de qua proximè præcesserat;

præcesserat; ut ita vinea Domini Sabaoth sit tota Domus Israël, juxtà prophetiam Isaiæ cap. 5. v. 7. in cujus medio Jerusalem plantata, & ad dulcedinem spiritualium fructuum proferendam per Prophetas & Sacerdotes exculta fuerat. ET VENIT, frequenter scilicet: nam Græcè præteritum est, ἦλθε, QUÆRENS FRUCTUM IN ILLA, pietatem, justitiam, bona opera; ET NON INVENIT, sed folia tantùm, solam scilicet externarum cæremoniarum pompam. Quæsivit autem non quasi nesciret ficum fructibus carere, sed ut sic ostenderet in figura, quòd fructus jam habere deberet, inquit Ambrosius.

7. DIXIT AUTEM, Deus scilicet, tamquam paterfamilias, AD CULTOREM VINEÆ, quem August. intelligit esse omnem Sanctum, quia intercedunt pro peccatoribus: Ambr. Apostolos, Hieron. in c. 3. Abacuc satis commodè Michaëlem & Gabriëlem, quibus Synagogæ fuerat commissa cura: sed opportunius videtur Titus, Euthymius & Theophyl. intelligere Christum Dominum, utpote quem Pater in mundum miserit, ut Judæos, velut vineam suam, & in primis Jerusalem tamquam ficum, doctrina & miraculis excoleret. ECCE ANNI TRES SUNT, quia tertius jam agebatur annus prædicationis Christi, quo toto tempore sterilis ficus permanserat. Rectè itaque tres annos exprimit, quòd illis sunt justum tempus exspectationis fructuum, respectu ficus, post quos si non ferat, numquam latura & sterilis judicatur. Itaque SUCCIDE ILLAM: UT QUID ETIAM TERRAM OCCUPAT? q. d. ne quidem digna est loco suo, quo plantata est, quia ille, si alia arbore esset consitus, fructus uberes proferre posset: unde Græcè καταργεῖ, *terram inertem facit.* Colonus verò respondit:

7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat?

8. DIMITTE ILLAM ET HOC ANNO, id est, uno adhuc anno quod Hieron. dictum putat tempore passionis Christi jam instantis, quo Jerusalem excidenda fuerat, nisi Christus ei adhuc tempus pœnitentiæ impetrasset. USQUE DUM FODIAM CIRCA ILLAM, ET MITTAM STERCORA, id est, donec extremam culturam fœcundandis arboribus utilem tentavero, quòd solet fieri effodiendo humum, ut radix aëris pateat, & humorem colligat, & rursum injecto fimo contegatur. Ista cultura quarto prædicationis anno & sequentibus per Apostolos adhibita fuit, ficut Acta Apostolorum testantur.

8. At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illum & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora:

9. ET SIQUIDEM FECERIT FRUCTUM. Oratio suspensa est, ut Hieronym. notat. quâ significare voluit, se judicium de ficu Domino relinquere. Suppleri autem potest hoc vel simili modo. Benè se res habebit, seu non erit opus eam succidere: SIN AUTEM, supple nullum fecerit fructum, cum tanta culturæ diligentia, IN FUTURUM SUCCIDES EAM, cùm scilicet placuerit. Non enim determinat tempus, quasi urgens Dominum, & statim à quarto anno succidatur, sed relinquit hoc prudentiæ & longanimitati Domini sui. Unde nonnisi post annos circiter quadraginta ficus illa Jerusalem à Deo per Romanos excisa est, cùm audita esset vox Angelorum, in templo dicentium, *Migremus hinc*, prout testatur Josephus in libris, De bello Judaïco.

9. & siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.

11. ET ECCE MULIER, supple aderat, QUÆ HABEBAT SPIRITUM INFIRMITATIS, id est, dæmonem, qui efficiebat in ea infirmitatem corporis. Dæmones enim ordinibus sibi congruis distributi sunt, ad

11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem

& octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

inferenda mala, tum corporis, ut patuit in Job; tum animi, unde dicitur *Spiritus fornicationis*, *superbiæ*, &c. sicut Angeli boni ad præstanda bona. Porrò genus infirmitatis erat, quod esset INCLINATA NEC OMNINO POTERAT SURSUM RESPICERE, hoc est, erat toto corpore & vultu in terram curvata, ita ut non posset dorsum & cervicem, & consequenter faciem atque oculos in cœlum erigere, idque ANNIS DECEM ET OCTO. Quo insinuat, inveteratam fuisse & à medicis desperatam infirmitatem. Non rectè autem putant quidam hîc magicam interveniisse incantationem: nam ut Tertullian. docet in Apologetico cap. 23. potestas dæmoniaca totis vitibus etiam per se studet operari, quod per magos operatur.

12. Quam cùm videret Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua.

12. QUAM CUM VIDERET Jesus, VOCAVIT AD SE, ut voluntatem ejus beneficio præveniret, cùm plerumque non nisi rogatus sanaret; ET AIT: MULIER, DIMISSA ES AB INFIRMITATE TUA. Græcè ἀπολέλυσαι, *soluta es*: eadem metaphora, qua vers. 19. dicitur satanas eam infirmitate quasi vinculis quibusdam deorsum ligasse. Porrò *dimissa es*, idem est quod *dimitteris*, seu liberaris, per hunc ipsum scilicet sermonem, qui operatorius fuit, ut potè faciens cœlesti potestate id, quod significabat.

13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

13. ET IMPOSUIT ILLI MANUS, hoc scilicet dicendo; simul enim fieri poterant, quæ non simul narrari. ET CONFESTIM ERECTA EST, id est, naturalem corporis habitum recepit, contactu simul & verbis absolutis: quæ operabantur quidem cùm essent, sed tamen effectum suum exprimunt in facto esse, non in fieri, eo quòd eis absolutis simul extaret. Allegoricè explicat istam erectionem August. Epistol. 156. & Ambros. Serm. 8. in Psalm. 118. quod Christus vinculis peccatorum in terrena curvatos erigat ad cœlestia. Itaque

14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati.

14. ARCHISYNAGOGUS, seu synagogæ præfectus, INDIGNANS, QUIA SABBATO CURASSET. Vera indignationis causa erat invidia gloriæ Christi, ut observat Cyrill. in Catena, sed ei prætexit sollicitudinem religionis. Quare veritus Christum ipsum reprehendere, quasi fungens officio suo, dicebat turbæ: SEX DIES SUNT, &c. q. d. Non vobis invideo beneficium sanitatis, sed sabbato dari non potest, ideóque nec peti, quia consentitis legis transgressioni. Christus autem larvam tali doctori detrahens, dixit ad illum, etiam reliquis consentientibus.

15. Respondens autem ad illum Dominus dixit: Hypocritæ unusquisque vestrûm sabbato non solvit bovem suum, aut asinum, à præsepio, & ducit adaquare?

15. HYPOCRITÆ, quia invidiam vestram religione palliantes, aliud corde premitis, aliud verbo præfertis, UNUSQUISQUE VESTRUM SABBATO NON SOLVIT, pro usitato scilicet & vulgato inter vos more, BOVEM AUT ASINUM, animal ignavum, nec homini comparandum, DUCIT ADAQUARE? Quod longè majoris operæ, quàm verbo aut manus contactu sanare. Ex quo patet Synagogam tunc tenuisse, quòd operibus, quæ spectarent ad vitam sanitatemque tuendam, non solùm hominum, sed & brutorum, non violaretur sabbatum.

16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce de-

16. HANC AUTEM FILIAM ABRAHÆ; quo dignitatis epitheto magis luculentè eam opponit vilibus illis, & stupidissimis animalibus, QUAM ALLIGAVIT SATANAS, tam miserabilis infirmitatis vinculo, idque tot annos, NON OPORTUIT SOLVI, &c. cùm opus, quod Lex permittit

fieri omni animæ: non deneget animæ humanæ, inquit Tertull. 4. contra Marcionem cap. 30. Spicant singula Christi verba rei indignitatem, quòd sanctionem hominis, pecoris curæ postponerent, argumento, quasi à minore ad majus: propter cujus evidentiam,

cem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die sabbati?

17. CUM HÆC DICERET, ERUBESCEBANT OMNES ADVERSARII EIUS, tamquam derisione digni, quorum improbitas simul, & imperitia patebant populo; qui GAUDEBAT IN UNIVERSIS, QUÆ GLORIOSÆ FIEBANT AB EO: non cum ostentatione scilicet & jactantiâ, sed publicâ approbatione & prædicatione. Nam eò magis diligebant gloriam Christi, atque operum ejus, ut fieri solet, quò luculentiùs constabat eam non affectari.

17. Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus: & omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriosè fiebat ab eo.

18. Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud?

19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & crevit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.

20 Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei?

21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

22. Et ibat per civitates & castella, docens, & iter faciens in Jerusalem.

23. AIT QUIDAM: SI PAUCI SUNT, id est, num pauci sunt, QUI SALVANTUR? quemadmodum scilicet ex doctrina observatu satis difficili videtur sequi. Ad quam quæstionem ita respondet Dominus, ut & causam aperiat, cur pauci salventur, & simul hortetur, ut salventur multi, dum dicit:

23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos:

24. CONTENDITE INTRARE, in regnum scilicet cælorum, PER ANGUSTAM PORTAM, viam virtutis: quâ de re plura diximus Matth. 7. v. 13. & 14. QUIA MULTI QUÆRENT INTRARE, id est, summo desiderio nitentur intrare, ut salvi sint, via videlicet jam absolutâ: ET NON POTERUNT, quia totâ viâ aberraverunt. Putaverunt enim se non per angustam portam, sed per spatiosas vias, quæ perditionis erant, deliciando, eo posse pertingere.

24. Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

25. CUM AUTEM INTRAVERIT PATERFAMILIAS, in regni sui possessionem, unà cum prudentibus virginibus, quæ per angustam portam intrando, eum secutæ fuerant: nam ad illam parabolam alludere videtur: ET CLAUSERIT OSTIUM, ita ut nemini ampliùs pateat ingressus, vel ingrediendi spes, INCIPIETIS FORIS STARE, vos videlicet Israëlitæ, seu vestrum plurimi, ET PULSARE OSTIUM, hoc est, ut Beda, à beatorum sorte secreti incipietis misericordiam, quam neglexeratis, frustrà flagitare, dicentes: DOMINE APERI NOBIS; non quòd illa ad litteram sic dicenda sint, vel agenda, sed magnitudo desiderii salutis exprimitur, simulque præsumptio de pristina familiaritate, quam cum patrefamilias habuerant in hac vita, cum eo scilicet conversando, vel etiam fidem, religionem, cultum ejus inaniter profitendor. Unde ille RESPONDENS DICET VOBIS: NESCIO UNDE SITIS: quia non estis ex Deo, nec eâ, quam straveram, via ad me veniftis. Vide dicta Matth. 7. vers. 23.

25. Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos unde sitis:

26. TUNC INCIPIETIS DICERE, id est, cum admiratione apud vos cogitabitis, quomodo ego non agnoscam vos, cùm fuerim inter vos, tam familiariter conversatus?, signa enim notitiæ meæ proferetis:

26. tunc incipietis dicere: Manducavimus coram te, & bi-

bimus, & in plateis noſtris docuiſti.

MANDUCAVIMUS CORAM TE ET BIBIMUS, cum ſcilicet multa ſimul millia panibus tuis miraculosè refecti fuimus, tecum vel te præſente in eadem urbe, in eadem ſubinde domo, converſati ſumus, ſimul edendo, bibendo, & ad prandium invitando: nam ad Judæos propriè hæc videntur dici. ET IN PLATEIS NOSTRIS DOCUISTI, nobis proinde præſentibus tamquam diſcipulis tuis notiſſimis, cujus doctrinam memoria retentam etiam recitare poſſumus: quaſi dicerent, Quomodo dicis, te non noviſſe nos, unde ſimus, cùm tecum fuerint omnia, tam profana quàm ſacra communia? Reliqua uſque ad verſ. 31. vide dicta diverſis locis in Matthæum.

27. Et dicet vobis: Neſcio vos unde ſitis: diſcedite à me omnes operarii iniquitatis.

28. Ibi erit fletus, & ſtridor dentium: cùm videritis Abraham, & Iſaac, & Jacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Auſtro, & accumbent in regno Dei.

30. Et ecce ſunt noviſſimi qui erunt primi, & ſunt primi qui erunt noviſſimi.

31. In ipſa die acceſſerunt quidam Phariſæorũ, dicentes illi. Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

31. IN IPSA DIE, qua hæc poſtrema jam dicta concio contigit, dixerunt ei, QUIDAM PHARISÆORUM: EXI ET VADE HINC. Ex Jeroſolymis, inquit Auguſt. 6. contrà Julianum, cap. 19. putàns hæc Jeroſolymis eſſe dicta; ſed quia pro ratione ſubjungunt, QUIA HERODES VULT TE OCCIDERE; qui nullam habebat juriſdictionem in Jeruſalem, rectiùs videtur idem Auguſt. tradere lib. 2. De conſenſu, c. 75. hæc alibi quam Jeruſalem contigiſſe, ſcilicet in ditione Herodis, ſive Galilæa, ſive potiùs Peræa, quæ ultra Jordanem erat. Putant autem non pauci Phariſæos ſpecie benevolentiæ erga Chriſtum hoc mendacium ei obtruſiſſe, ſed reverâ, ut terrore Herodis à ſe diſcederet, & in Judæam tranſiens ibi occideretur. Probabile hoc fit, quia Herodes numquam legitur Chriſtum perſecutus, ne quidem in paſſione. Sed quia Chriſtus alibi quoque, cùm audiſſet, quòd Joannes eſſet traditus, ſeceſſiſſe legitur ex Herodis ditione; & quia Phariſæis iſtis ita reſpondet, quaſi veritatem, non calumniam ei dixerint; veriſimile eſt, Herodem ſaltem tunc temporis mortem ejus quæſiviſſe, & Phariſæos invidiâ gloriæ Chriſti eum à ſe amotum voluiſſe. Reſpondet igitur:

32. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor.

32. ITE ET DICITE VULPI ILLI. Vulpes animal doloſum, ac timidum eſt, ut Auguſtin. in Pſalm. 62. ubi propterea hoc nomine Reges impios in Scripturis ſubinde vocari notat. Unde in Pſalm. 88. exponit hoc de Herode, quia vafer, ac timidus erat, inſtar vulpis, quem terrebat virtus aliena. Addit Beda de natura vulpis, odore eſſe tetro, putidum animal, ſemper tortuoſis anfractibus ambulans; quod in Herodem & ſimiles Reges optimè quadrat. Jeſus ergò velut Leo de tribu Juda intrepidus in argumentum auctoritatis ſuæ ei renuntiari jubet: ECCE, quidquid vos, vel Herodes moliamini, aut cogitetis, ego neminem timens, vitamque & mortem meam habens in mea poteſtate, EJICIO DÆMONIA, ET SANITATES PERFICIO, id eſt, pergam in opere beneficentiæ, quod ſuſcepi: præſentia enim ponuntur pro futuris. HODIE ET CRAS, id eſt, exiguo adhuc tempore, ET TERTIA DIE CONSUMMOR, id eſt, brevi autem poſtea per mortem conſummandus ſum. Mors enim Chriſti conſummatio etiam à S. Paulo vocatur, ad Hebr. 5. verſ. 9. ſive quod in illa omnia conſummaverit, omniouſque ſui officii

partibus perfunctus fuerit, juxtà quod ipſe dixit, *Conſummatum eſt*; ſive quòd per eam ipſe perfectè in gloria conſummatus fuerit. Senſum iſtum tradit Theophyl. & Euthymius velut genuinum. Auguſtin. verò lib. 2. De conſenſu, c. 75. & lib. 6. contrà Julianum, c. 19. & aliis locis hæc vult intelligenda eſſe de Chriſti corpore, id eſt, de Eccleſiâ, ut ſignificet, neminem impedire poſſe, quin in Eccleſia *demonia ejiciantur*, id eſt, peccata remittantur, & *perficiantur ſanitates*, id eſt, quotidianâ ſpiritus renovatione perficiantur, donec *tertiâ die fiat conſummatio*, id eſt, donec ad plenitudinem Angelicam per corporis etiam immortalitatem perducatur. Sed figurata & myſtica videtur hæc expoſitio, ſicut & Auguſt. eam vocat loco cit. De conſenſu: quamvis ipſe eam putet primò intentam, & maximè litteralem. Sed ſic nihil hæc verba ſpectarent ad id, quod de Herode Phariſæi dixerant, neque cohærerent cum ſequentibus.

33. VERUMTAMEN OPORTET ME HODIE, ET CRAS, ET SEQUENTI DIE AMBULARE; quaſi diceret. Quamvis mihi ſuperſit tam breve tempus, tamen non obſtantibus cujuſvis hominis inſidiis, aut minis, oportet me, juxtà divinæ providentiæ diſpoſitionem, toto illo tempore non hîc hærere, multò minùs mori, ſed adhuc per diverſa loca proficiſci, & in Jeruſalem pertingere. Itaque idem omninò tempus hoc verſu ſignificat, quod præcedenti; hoc tamen diſcrimine, quod in priore verſu ſignificet ſe tertia die moriturum, hîc verò ſe uſque ad tempus conſummationis mortis functurum eſſe officio prædicandi, ſanandi, &c. Nam, ut diximus, illud tempus tertiæ, ſeu ſequentis diei non conſiſtit in inviſibili, ſeu uno ſolùm die. QUIA NON CAPIT, Græcè ὅτι οὐκ ἐνδέχεται, non contingit, ſeu fieri non poteſt, ſpectato ſcilicet modo agendi hujus populi, itémque divinæ providentiæ, PROPHETAM, id eſt, quemcumque Prophetarum; nam generalem eſſe ſermonem ex ſequente verſu patet: PERIRE EXTRA JERUSALEM. Non quòd nulli extra Jeruſalem interfecti fuerint, ſed hyperbolicâ & uſitatâ locutione ſignificatum voluit, civitatem iſtam, in qua reſiderent Principes, Sacerdotes, Scribæ, Phariſæi, monitionum impatientes, quia ſapientes in oculis ſuis, eò malitiæ perveniſſe, ut neces Prophetarum aliis urbibus præriperet, ſolâque capax eſſet tanti ſceleris, quantùm in nece Sancti Sanctorum perpetrandum erat.

33. Verumtamen oportet me hodie & cras, & ſequenti die ambulare, quia non capit.

34. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti?

35. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAPUT QUATUORDECIMUM.

CAPUT XIV.

CUM INTRARET JESUS, invitatus ſcilicet ad prandium, ut patet ex verſu 7. & 12. SABBATO MANDUCARE PANEM, id eſt, ut cibum ſumeret, Hebraïcâ phraſi. Judæis autem uſitatum erat, in ſabbatis, ac feſtis convivium celebrare, propter lætitiam, ac celebritatem diei, ut colligitur Tobiæ 2. verſ. 9. Quod primos Chriſtianos ad ſe traxiſſe, excluſo exceſſu, indicare videtur Tertull. lib. De idololatria cap. 14. ET IPSI OBSERVABANT EUM. Legiſperiti ſcilicet & Phariſæi, de quibus ſequitur, utpote attenti in omnia, quæ agebat. Itaque occaſione præſentis hydropici.

1. ET factū eſt cùm intraret Jeſus in domū cujuſdam principis Phariſæorum ſabbato manducare panem, & ipſi obſervabant eum.

2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illū.

3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare?

4. At illi tacuerunt, Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

5. Et respondens ad illos dixit: Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?

6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

7. Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

8. Cùm invitatus fueris ad nuptias, nō discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo;

9. & veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

10. Sed cum vocatus fueris, vade recumbe in novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superiùs Tunc erit tibi gloria corā simul discumbentibus.

3. RESPONDENS Jesus, id est, loqui exorsus, Hebraïco loquendi modo, quem alibi notavimus, DIXIT; per pleonasmum, in Scriptura frequentem: SI LICET, id est, an licet, SABBATO CURARE? ut quod ipse noverat licere, bona eorum pace faceret, vel certè errorem corrigeret.

4. AT ILLI TACUERUNT, quasi ad quæstionem perplexam: invidia enim secuturæ gloriæ Christi non sinebat eos verum dicere, neque pudor & reprehensionis timor, falsum. IPSE VERO APPREHENSUM, id est, cùm eum apprehendisset manu, quasi ipsa manûs impositione curaturus, SANAVIT EUM, aqua subitò exhausta, & tumore depresso, AC DIMISIT, in testimonium restitutæ sanitatis, ac declinatæ ostentationis.

5. ET RESPONDENS, id est, cum illo loqui pergens, siquidem nihil adhuc dixerat: vide versum 3. DIXIT, CUJUS VESTRUM ASINUS, &c. & non continuò absque mora, absque conscientiæ scrupulo, absque publica reprehensione, vel ejus metu, EXTRAHET ILLUM, magno scilicet labore & molestiis? Argumentum est à minori ad majus, à liberatione scilicet bovis & asini ad liberationem hominis; ab opere tam molesto cupiditatis ad opus facillimum charitatis. Relinquit autem ipsis conclusionem inferendam, tamquam perspicuam. Nam propter argumenti evidentiam.

6. NON POTERANT AD HÆC RESPONDERE: atque ita tacuerunt, non tam approbatione veritatis, quàm pudore tuendæ veritatis. Sanato itaque morbo corporali, antequam accumberent mensæ, mox pergit ad sanandum spirituālem, scilicet ambitionem, qua maximè Pharisæi laborabant. Hoc igitur scopo,

7. DICEBAT AD INVITATOS PARABOLAM: ut sub similitudine, à ritu convivali sumptâ, doceret, humilitatem ubique esse servandam, ut patet ex conclusione v. 11. nam hoc præcipuè spectabat in hac parabola Christus. INTENDENS, QUOMODO, &c. id est, attendens, seu considerans; designabat enim non finem, sed occasionem hujus doctrinæ, quâ concertationes de primatu sanare volebat.

8. 9. 10. CUM INVITATUS FUERIS AD NUPTIAS, id est, convivium nuptiale, ut eo quasi de alio convivii genere loquente minùs offenderentur, & sine animi molestia ipsimet doctrinam ejus ad præsens convivium extenderent. NON DISCUMBAS IN PRIMO LOCO, id est, non te ingeras in locum honoratiorem, sive primus ille sit, sive medius; sed RECUMBE IN NOVISSIMO LOCO, id est, quàm potes humillimum eligas, quantùm in te est, licet tibi primo dignus videaris. UT, CUM VENERIT, id est, ex quo fiet, ut cùm venerit (non enim significat finem, qui sub fraudulentâ humilitate vitium ambitionis tegeret, sed eventum:) QUI TE INVITAVIT, cujus est loca hospitibus assignare ex honestate & consuetudine. Rectè autem monet D. Basil. in Catena citatus non minus vitium esse, pertinaciter contendere de ultimo loco, quàm de primo. sed per se appetendum esse id, quod Christus hîc monet, nobisque decorum est; ordinis tamen constitutionem alterius arbitrio reliquendam. DICAT TIBI, AMICE, ASCENDE SUPERIUS, cui planè similis parabola narratur Proverb. 25. v. 6. & 7. TUNC ERIT TIBI GLORIA, vera scilicet, quæ ab aliis datur, non ambitur.

11. QUIA OMNIS, in quocumque genere actionum, etiam civilium, QUI SE EXALTAT, suprà quàm meretur, imò etiam juxtà quod meretur, si exaltationem illam impatienter per se arripere, non ab aliis sibi deferri velit: HUMILIABITUR, propter ambitionis suæ impatientiam, non ferentem exaltationis moras: ET QUI SE HUMILIAT, EXALTABITUR. Talis enim retributio non solùm divino, sed & humano judicio conveniens videtur, & justa, ut propterea in omni genere hominum & actionum hæc sententia Domini habere locum debeat. Unde Bernardus Serm. 27. in Cant. applicat rebus spiritualibus, rectissiméque monet, quòd, si liquidè cognosceremus, in quonam statu unumquemque nostrum haberet Deus, nec suprà, nec infrà secedere deberemus, sed in omnibus acquiescere veritati. Nunc autem quia hoc occultum est, justius, ac tutius fuerit, juxtà ipsius veritatis consilium, minorem se reputare, quàm habeat occulta veritas: nam grande periculum si quis, vel modicè se amplius extollat. Hæc Dominus, instruens invitatos: nunc ad invitantem.

11. quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.

12. CUM FACIS PRANDIUM, &c. NOLI VOCARE AMICOS, &c. DIVITES. Referendum hoc est ad omnes præcedentes, q. d. Noli vocare divites, qui tibi sint, vel amici, vel fratres, vel cognati, vel vicini. Nec tamen etiam simpliciter tales divites vocare prohibet, sed tantùm sub conditione, si quis velit convivium suum quàm fructuosissimè collocare: dissuadet enim potiùs quàm prohibeat. Causa est, NE FORTE TE ET IPSI REINVITENT, id est, Ne fortè hoc spectes, aut eo contentus sis; affectus enim talis magis quàm effectus excluditur. Nam hospitalem esse remuneraturis, affectus avaritiæ est, inquit Ambr. quo sensu etiam præceptum esse potest.

12. Dicebat autem & ei, qui se invitaverat: Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: nè forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio;

13. SED VOCA PAUPERES. Refer & hoc ad omnia tria sequentia: nam alioqui possent esse debiles, claudi, & cæci divites, qui præcedenti versu excluſi sunt. Et ne quis vereretur perituras sibi impensas, quia non possunt par retribuere, ex hoc ipso docet crescere hominis felicitatem.

13. sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:

14. RETRIBUETUR ENIM TIBI IN RESURRECTIONE IUSTORUM, id est, loco pauperum habebis Deum, numquam obliviscentem debitorem, ut Chrysost. qui longè excellentius rependet epulum, de quo suprà, cap. 12. vers. 37. & infrà, cap. 22. vers. 30. Hanc Domini exhortationem aliqua ex parte implent, qui sumptus conviviis reliquos in pauperes distribuunt, si opportunum non fuerit adhibere mensæ: quamquam sine dubio plenior ipsa esset hospitalitas, & admonitioni Christi conformior. Porrò quia & pauperes malè, vel indifferenti fine invitari possunt, & divites bono, ut concordiæ fovendæ causâ & similibus, Dominus censendus est doctrinam de invitatione tradere, quemadmodum ut plurimùm fieri solet, affectu scilicet vel retributionis, vel amicitiæ carnalis, vel aliis indifferentibus causis.

14. & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.

15. HÆC CUM AUDISSET QUIDAM, præcipuè quod dixerat de retributione exhibiti convivii, erupit in hanc vocem: BEATUS QUI MANDUCABIT PANEM, id est cibum sumet, seu fruetur convivio, IN REGNO DEI, quod mox à resurrectione justorum futurum judicabat. Christus autem confirmat quidem beatos fore, quos ille dixerat, sed simul assi-

15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.

gnat causam, cur plerique Judæorum, secus quàm putabant; extra numerum & sortem illorum futuri sint. Itaque dixit ei per parabolam, seu similitudinem.

16. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

16. HOMO QUIDAM FECIT CŒNAM MAGNAM. *Homo* iste Deum hominem amatorem significat; *cœna* ineffabilem æternæ beatitudinis fruitionem, quia mentes hominum suavissimâ Dei contemplatione satiabit: quæ *cœna*, potiùs quàm *prandium* dicitur, quia in fine vitæ mortalis tamquam diei ita exhibenda est, ut eam nulla alia refectio sit secutura, & ei quies æterna velut nocturna conjungenda sit, ut Gregor. Hom. 36. in Evang. & Tertull. 4. contrà Marcionem, c. 21. Alia igitur est cœna ista, aliud prandium, de quo Matth. 22. ut ibi dictum est. ET VOCAVIT MULTOS, universum videlicet Judæorum populum, cui cœlestem beatitudinem in figuris per Prophetas proposuerat, eumque à longè per legis prædicationem & observationem præparaverat talem qualem.

17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia.

17. ET MISIT SERVUM SUUM. Greg. intelligit totum ordinem prædicantium regnum cœlorum; quamquam aptiùs intelligi posset ipse Christus Dominus, quia singulariter servus vocatur, prout sentit Cyril. in Catena & Theophyl. vel certè Christus cum Apostolis suis, per quos prædicatio Judæis facta est. HORA CŒNÆ, quâ jam mox accumbere licebat mensæ, quia jamjam in Ascensione Christi propalatâ Sanctorum viâ aperiendum erat regnum cœlorum. DICERE INVITATIS UT VENIRENT, id est, per fidem & Evangelii receptionem, ad regni cœlestis gaudia post mortem adeunda præpararent. QUIA PARATA SUNT OMNIA. Pretium scilicet sanguinis persolutum, ipse introïtus reseratus, ita ut nihil restet ad participationem ejus accipiendam, nisi tantummodò, ut fide vitæque bonitate venire velint.

18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam: rogo te habe me excusatum.

18. ET CŒPERUNT SIMUL OMNES, quasi ex condicto & communi pacto, EXCUSARE, persuasi se justis occupationibus detineri: sed excusatio est partim frivola, quia nihil ponderis habet ad rem tantam recusandam; partim nihil ad rem, quia vocatio spectabat bonum vocatorum, non vocantis. In quo errore olim fuerunt Judæi, putantes oblationes suas prodesse Deo, quod refutatur Psalm. 19. vers. 9. & seqq. PRIMUS DIXIT EI: VILLAM EMI, Græcè agrum, sed intellige cum domo conjuncta, ROGO TE HABE ME EXCUSATUM. Humilitas scilicet sonat in voce, sed superbia in actione, dum dicit, Rogo te, & tamen venire contemnit, ut notat Gregor. Hom. 39. in Evangelia.

19. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.

19. ALTER DIXIT: JUGA, seu paria, BOUM EMI QUINQUE, ET EO PROBARE ILLA, utrùm idonea sint ad labores trahendi currus & aratra. Porrò triplex illa classis se excusantium triplex hominum genus designat, virorum scilicet proborum judicio hujus mundi (nam de apertè sceleratis nullus hîc sermo est) qui humanis negotiis, ac per se licitis immersi, à cœlesti convivio revocantur. Et quamvis plerique recentiores non malè per duo prima genera intelligant eos, qui divitiis rerum, sive immobilium, quales agri & villæ sunt, sive mobilium, ut boum, &c. implicati sunt, per tertium verò carnalibus voluptatibus deditos: antiquiores tamen, August. 33. De verbis Domini, Prosper 3. parte Promiss. cap. 39. Greg. Hom. cit. intelligunt illa tria, quæ testatur Apostolus

Apostolus Joannes esse in mundo, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Docent enim per *villam* significari terrenarum rerum amplas possessiones, sive secundùm se, ut significetur juxtà Gregor. sola avaritia, sive quatenus per illas, homines hominibus præcellere, ac dominari volunt, hoc est superbiam vitæ; nam, ut Aug. sæpè repetit, proprius vermis divitiarum est superbia: per *juga boum quinque*, corporis sensus, hoc est concupiscentiam oculorum; seu curiositatem, inquietissimum malum, quia relictis internis exteriora scrutantur & explorant; unde rectè in parabola dicitur *eo probare*, idest, explorare illa: per *uxorem* concupiscentiam carnis, quæ cùm impotentissimè in homine dominetur, & animum prorsus obruat, iste tertius per istam animi impotentiam expers omnis civilitatis, quâ dixerant, *rogo te, &c.* absolutè dicit, 20. NON POSSUM VENIRE. Quod etiam propter maximas conjugii distractiones, seu (ut Apostolus loquitur) carnis tribulationes significandas dictum esse potuit.

20. Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum venire.

21. ET REVERSUS SERVUS NUNTIAVIT HÆC DOMINO. Quod additur propter parabolæ consequentiam, non quasi Deus hæc ignoraret. TUNC IRATUS PATERFAMILIAS, quòd & cœna luculenta, & humanitas invitantis tam abjectis occupationibus postponeretur, DIXIT SERVO suo, idem Christo Domino: EXI CITO, quasi diceret, tempus tuæ prædicationis breve est. Priusquam igitur te occupet mors, festina, egredere IN PLATEAS, spatiosas scilicet vias, ET VICOS, vias angustiores, ædibus utrimque septas, CIVITATIS, nempe ejusdem Jerusalem, seu Judææ. Nam, ut notat Tertull. 4. contrà Marcionem, cap. 31. & August. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 30. & Gregor. per hæc verba significatur adhuc gentem Judaïcam adduci debere, quia Christus non fuit per prædicationem suam minister nisi solius circumcisionis. Sed hoc discrimen est inter hos vocatos, & præcedentes, quòd primi erant ditiores, & primores Judæorum, Scribæ, & Pharisæi, &c. quibus recusantibus, in locum eorum introduci jubet indiotas, dum dicit: PAUPERES AC DEBILES, ET CŒCOS, ET CLAUDOS INTRODUC HUC, id est plebem imperitam, & per peccata manifesta humiliorem: qu. d. Quoscumque miseros in plateis & vicis obvios habueris, etiam publicanos & peccatores, introduc. Ubi respectus habetur ad humanum morem, quo honoratiores primò invitantur: nam alioquì à Christo simul vocati fuerant, sic tamen, ut Scribas & Pharisæos, tamquam divinis functionibus propinquiores & instructiores, præ cæteris venire debuisse insinuetur.

21. Et reversus servus nunciavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi citò in plateas & vicos civitatis & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

22. ET AIT SERVUS: FACTUM EST UT IMPERASTI, id est, pauperes ex Israël introducti sunt. Nam, quamvis non omnes venerint, longè tamen plures quàm ex primoribus. ET ADHUC LOCUS EST, hoc est numerus electorum nondum ex solo Israël impletus, dicente Baruch: *O Israël quàm magna est domus Dei, & quàm ingens locus possessionis ejus!* Itaque cùm Deo Patri exiguum videretur, tot Christi laboribus non nisi fæces Judæorum, hoc est pauperes, debiles, &c. retribuere, juxtà illam præclaram prophetiam Isaiæ 49. vers. 6. *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & faces Israël convertendas*; hinc ait Dominus servo:

22. Et ait servus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est.

23. Et ait dominus servo: Exi in vias & sepes: & compelle intrare, ut impleatur domus mea.

23. EXI IN VIAS, &c. scilicet extra civitatem ad Gentiles, Isaïa verbis antè citatis subjungente: *Ecce dedi te lumen Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terra.* Non addit hîc, *Exi citò*, quia Gentilium adductio non erat Christo adhuc vivente implenda, & proinde non opus tantâ festinatione. Itaque per Apostolos, ac discipulos tuos, *exi in vias*, id est, ad eos, qui certis limitibus quasi muris civitatis, sicut Judæi terminis terræ Chanaan, non sunt concluſi, & præcipuè eos, qui accessu faciles sunt; unde alibi, *In viam gentium ne abieritis*: ET SEPES, id est, loca sepibus cincta, illos scilicet Gentilium, qui se aculeis quibusdam obfirmant adversùs Euangelium. Nam utrâque voce significantur Gentiles, tamquam populus agrestis, animo efferatus, quasi extra urbem patrisfamilias, seu Judæam belluinis moribus sine civilitate educatus. Nam Judæi propter civiliorem vitam, divinâ lege gubernatam, quasi intra civitatem erant, ut notant Titus & Theophyl. itémque Greg. Hom. cit. Itaque quòd August. per eos, qui sunt in viis, intelligit Epist. 204. hæreticos quietè viventes; in sepibus verò eos, qui infestant Catholicos, vel rursum alibi per vias hæreses, per sepes schismata, accommodatitium est; quia non agitur de hæreticis, vel schismaticis revocandis, sed de Gentilibus vocandis. ET COMPELLE INTRARE: quo significatur primò ardens desiderium patrisfamilias, deinde servi invitantis, id est, prædicationis aut prædicantium quædam constantia, & quasi violentia quædam divina ad edomandam barbariem Gentium virtute spiritus & miraculorum. Nam quòd August. hinc probare solet, Principes Christianos rectè uti, ad reducendos errantes pœnis corporalibus, hoc facit consequenter ad sensum illum ex ipso jam traditum de hæreticis & schismaticis. UT IMPLEATUR DOMUS MEA, quæ tantæ multitudinis electorum capax est, ut eam dinumetare nemo possit. Non addit hîc servus, *Factum est, ut imperasti*, quia durat adhuc illa vocatio usque ad finem sæculi.

24. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt: gustabit cœnam meam.

25. Ibant autem turbæ multæ cum eo, & conversus dixit ad illos:

26. Si quis venit ad me, & non odit patrē suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

24. DICO AUTEM VOBIS, QUOD NEMO VIRORUM ILLORUM, QUI VOCATI SUNT, id est: illo honore affecti, ut primi ipsâ horâ cœnæ vocarentur, GUSTABIT CŒNAM MEAM, seu manducabit panem in regno Dei. Nam quamvis hæc verba adhuc pronuntiari videantur ex persona patrisfamilias, loquentis servo suo & adstantibus, tamen alluditur ad verba versus 15. quæ parabolæ occasionem dederant, cujus hîc scopum Christus explicat, tacitè insinuans convivis, primates Judæorum, Scribas scilicet & Pharisæos, quales hîc aderant, plures à cœna excludendos. Et quia omnium similiter se excusantium eadem ratio est, rectè monet Gregor. Nemo contemnat, ne dum vocatus excusat, cùm voluerit intrare, non valeat. Quæ sequuntur versu 26. & 27. explicata sunt Matth. 10. versu 37. Solùm illa differentia est, quòd hîc dicat, *qui non odit patrem*, &c. apud Matth. verò *qui amat plus quam me:* ubi Matth. hactenus explicat Lucam, quatenus significat odisse nos patrem & matrem, &c. quando in negotio salutis, parentum voluntatem Christo postponimus. Sed tamen Lucas aliquid amplius postulat, ita scilicet eorum malam voluntatem Christo postponendam esse, ut illam etiam detestemur, indignè feramus, & extinguere conemur, Augustin. dicente Epistola 38. quòd carnalem affectum eorum, quo &

seipsos, & eos, quos genuerunt, irritamentis hujus sæculi obligare conantur, piè fidenterque percutere & occidere debeamus. Rursus illa differentia est, quòd hîc dicat Matth. *non est me dignus*, supple præceptore; nam sic explicat hæc verba Lucas, dum dicit hic, NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS: q. d. Discipulatus meus postulat, ut ego & patri & matri, & omnibus hujus mundi rebus, etiam propriæ vitæ præponat, & omnia quantumvis molesta, etiam crux & tormenta, pro disciplina mea conservanda perferantur, & qui eam amplecti voluerit, animo ad omnia ista paratus sit. Itaque duabus similitudinibus familiaribus declarat, quo modo quisque vires suas explorare debeat, ad rem tam arduam suscipiendam & perficiendam. Prima sumitur ab homine ædificante.

27. TURRIM: qui si prudenter agere velit, antequam inchoet SEDENS COMPUTAT, id est, per otium apud se subductis calculis, ut Græcum ψηφίζει, sonat, computat facultates suas, utrùm sint ferendis sumptibus ad opus perficiendum: ne alioqui, si res ei angustior fuerit, præter damnum impensæ perditæ, adhuc rideatur ad hominibus dicentibus: QUIA HIC HOMO CŒPIT ÆDIFICARE, &c. id est, imprudenter ac temerè incœpit rem supra vires. Altera similitudo à Rege prælium commissuro ducitur, qui priusquam quidquam moliatur, SEDENS, & ex otio PRIUS COGITAT, Græcè βουλεύεται, *consulit*, adhibitis scilicet etiam aliis in consilium, utrum vires regni ferant, ut saltem DECEM MILLIA producat in aciem contra VIGINTI MILLIA, hoc est, simplum adversus duplum. Minus enim sine aperto sui status discrimine producere non potest.

27. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum,

29. ne, postea quam posuerit fundamentum, &

non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei.

30. dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

31. Aut qui rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32. ALIOQUI ILLO ADHUC LONGE AGENTE, id est, si inveniat vires suas non sufficere ad conflictum, satiùs ei fuerit, tractare de conditionibus pacis, *illo longè agente*, id est, ante prælium, dum adhuc procul abest, utramque similitudinem applicat Christus ad propositum concisè & obscurè.

32. alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

33. SIC ERGO OMNIS EX VOBIS, QUI NON RENUNTIAT OMNIBUS, QUÆ POSSIDET, NON POTEST MEUS ESSE DISCIPULUS. Quæ conclusio concordat cum prima propositione, quæ habetur vers. 26. Nam renuntiare omnibus, quæ quis possidet, continet in se, odisse patrem & matrem, & animam, &c. prout notat August. Epist. 38. Ex quo colligitur jam ulteriùs, quòd turrim ædificare, & bellum committere, significent discipulum esse Christi, seu Christianam militiam, aut vitam suscipere: nam & perfectio ejus instar turris ædificanda est, ut in cœlum usque pertingat, & varia bella cum carne, mundo, ac diabolo gerenda. Sumptus autem ad ædificandum, & copiæ ad bellandum, sunt vires ad discipulatum Christi perficiendum, hoc est, ad renuntiandum omnibus, quæ quis possidet, cùm hoc articulus necessitatis postulaverit, prout exponit August. lib. 2. Quæst. Evang. q. 31. & Epist. 89. in fine

33. Sic ergo omnis ex vobis, qui nō renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Proinde, ut monet Basil. in Catena, similitudinem istarum scopus non est relinquere, in unusquisque arbitrio, ut discipulus fiat Christi, vel non: sed sollicitè expendendam esse necessariam Christianismi conditionem, quòd videlicet unusquisque paratus animo esse debeat universo mundo & propriæ etiam vitæ valedicere, si cum præceptis Christi servari nequeant: ne videlicet lusum vel delicias esse putet Christi disciplinam, eamque inconsultis viribus suis amplexus, facilè quoque relinquat, majori cum salutis jactura ac dæmonum ludibrio, ac si ei numquam se subdidisset. Quòd ergò hæ similitudines à nonnullis applicantur ad statum Religionis suscipiendum, vel ad solam vitam Apostolicam, ne quis videlicet temerè illam suscipiat, qui se imparem tantæ moli senserit, accommodatio est, & non scopus earum litteralis, sicut perspicuum est ex versu 26. & 27. qui apertè de omnibus Christi sectatoribus, id est, Christianis intelligitur; quemadmodum etiam apud Matth. c. 10. in fine. Proinde etiam illa comparatio *salis*, quæ sequitur.

34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur?

34. BONUM EST SAL, quamvis Matth. 5. versu 13. hoc solis Apostolis & Apostolicis viris tribuatur, hic tamen à Christo ad omnes ejus discipulos extenditur, hoc sensu: Sicut res bona & utilis est sal; sed SI EVANUERIT, id est, si fatuum, evanidum & inefficax factum fuerit, non potest alio sale condiri, ut vires ejus restituantur: ita res præclara est, esse discipulum meum, ut vitâ, verbo, totáque conversatione alios condiat, sed si amore rerum quibus renuntiandum erat infatuetur, & divinæ sapientiæ vigorem & acrimoniam amittat, non facilè pristino statui restituetur.

35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

35. NEQUE IN TERRAM UTILE EST, quia sal terram reddit sterilem. Unde legimus in Scripturis urbes quasdam ita victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen orietur, inquit Hieronym. in vers. 13. c. 5. Matth. NEQUE IN STERQUILINIUM, ut saltem instar simi habeatur, quia utrumque vitiat & terram & simum. SED FORAS mittetur, id est, foras projici solet in plateas, ut conculcetur ab hominibus. Quo significat discipulum Christi infatuatum, neque sibi, neque aliis esse utilem, sed utrisque noxium, ideóque foras tandem in gehennam projiciendum. Et quia locutio erat allegorica, & res significata gravissima, à captu & affectibus vulgi aliena, maximéque necessaria, omnium aures & mentes pungit hoc familiari suo epiphonemate: QUI HABET AURES AUDIENDI, seu intelligendi, AUDIAT, id est, si cui inest sapientia, conetur intelligere, quæ dico. Est enim exhortatio ad conatum intelligendi, & consequenter etiam obediendi: nam ut Aug. lib. De dono perseverantiæ cap. 14. aures audiendi ipsum est donum obediendi.

CAPUT XV. — CAPUT QUINDECIMUM.

1. Erant autem appropinquantes ei publicani

ERANT AUTEM APPROPINQUANTES EI, sponte scilicet ad ipsum veniebant, PUBLICANI, Græcè additur πάντες, *omnes*, id est, quivis sine discrimine, ET PECCATORES, publicis peccatis infames, tamquam

ægroti ad medicum, allecti videlicet promissione regni cœlorum & spe sanitatis, UT AUDIRENT ILLUM, ad concipiendam pœnitentiam.

blicani, & peccatores, ut audirent illum.

2. ET MURMURABANT PHARISÆI, &c. QUIA HIC PECCATORES RECIPIT, ad colloquium, & familiaritatem, imò, quod indignius, MANDUCAT CUM ILLIS, passim scilicet occasione datâ. Significatum volunt, si vir sanctus esset, malorum consuetudinem ei vitandam fuisse, quod cùm non faciat, eis esse similem, quorum utitur consuetudine. Ipsi enim præ fastu ad sanctimoniæ ostentationem diligenter vitabant peccatorum consortia, ne scilicet contaminarentur. Dominus verò se rectè facere declarat tribus parabolis seu similitudinibus ex communi usu sumptis, de ove & drachma perditis, ac de filio prodigo. Primæ verò parabolæ, quæ Matth. 18. magna ex parte explicata est, & secundæ, quæ eis similis est, scopus non est alius, nisi ut ostendat, quemadmodum pastor pecorum, qui ex multis ovibus unam amissam diligenter quærit, de inventa gaudet, eamque reportat in humeris, & alios ad congaudendum excitat, non reprehenditur sed laudatur, multò minùs se reprehendi debere, qui velut pastor animarum ultrò ad se venientes erraticas oves suscipit, & humaniter tractat. Idem judicium de parabola drachmæ. Quamvis ergò ille sit utriusque scopus, & ex eo utramque facilè liceret intelligere, sine scrupulosa inquisitione, quid per singulas earum partes significetur: quia tamen omnes veteres tam Latini, quàm Græci per earum singulas aliquid significatum esse voluerunt, & ipse delectus exemplorum atque accurata descriptio hoc videtur postulare, meritò quoque de hoc satagendum est. *Homo* igitur ille Christum, verum pastorem designat: *centum oves* plerique antiqui, ut Cyril. in Catena, Gregor. in hoc Evangel. Theophyl. & alii intelligunt totam naturam rationalem ex hominibus & Angelis constantem, & ita *nonaginta novem in deserto* relictas, esse Angelos in cœlis, *unam* verò *perditam* sive errantem humanum genus. Sed quia ovis perdita cum relictis reliquis ejusdem gregis antè fuit, Angeli verò velut aliud armentum sub eodem pastore constituunt, hinc insinuat August. lib. 2. Quæst. Evangel. qu. 32 & ut videtur, aptiùs ad propositum, gregem centum ovium esse humanum genus: quamvis quod nonaginta novem in deserto putet esse Pharisæos; solitudinem in animo, id est, superbiam gerentes quòd soli justi videri vellent, proposito minùs quadret, quia certum est, illas nonaginta novem oves fuisse salvas. Itaque ovis perdita est singularis quisque peccator, per fidei aut morum dissonantiam aberrans à societate bonorum. Hunc docet Christus non esse negligendum, quasi jactura esset parvi pretii, sed reliquorum curâ ad tempus postpositâ esse sollicitè reducendum.

2. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

3. Et ait ad illos parabolam istam dicens:

4. Quis ex vobis homo qui habet centum oves: & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam?

5. TALEM itaque CUM Christus INVENERIT, IMPONIT IN HUMEROS, id est, per summam humanitatem supportat infirmitatem ejus, donec paulatim robur accipiat, ad subeundos labores pœnitentiæ, de qua Christi humanitate vide Matth. 11. v. 29. & in primis Isaiam cap. 40. v. 11. *In brachio suo congregabit agnos*, &c. Facit etiam hoc GAUDENS, præ humanitatis magnitudine, quasi sibi adhuc magnum obtigisset beneficium. Quod exemplar humanissimæ pietatis tanti fecerunt veteres,

5. Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:

6. & veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens il-

lis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat ?

ut hanc imaginem paſtoris, ovem in humeris reportantis, ſactis calicibus inſculperent, teſte Tertull. De pudicitia c. 7. & 10. Quæ verò v. 6. paſtor pecorum ad amicos & vicinos narratur dicere, exponit eſſe Chriſtus, applicans parabolam ad propoſitum ; ex aliqua parte relinquendo reliqua.

7. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.

7. Dico vobis, ſeriò & graviter, licet rem vobis incognitam & veſtro judicio paradoxam, quod ita, ad ſimilitudinem ſcilicet paſtoris gaudentis, & amicos ad congratulandum invitantis, gaudium erit in cælo, tum ipſi paſtori Chriſto ut homini, tum Angelis, & animabus juſtis, tamquam vicinis in cælo commorantibus. Hæc enim omnia comprehendit illud, *erit*, tametſi tunc neque Chriſtus ut homo, neque animæ in cælo eſſent : quamquam illud, *erit*, etiam pro eſt, vel eſſe ſolet, exponi poſſet. Super uno peccatore pœnitentiam agente, & ita ſcilicet revertente ad paſtorem & gregem, quam super, ſubaudi, majus quàm, nonaginta novem iustis. id eſt, ſuper multis ; numerus enim certus pro incerto ponitur : ſed habetur reſpectus ad parabolam, ubi expreſſus erat ille numerus : qui non indigent pœnitentia, quâ revertantur ad Deum ab errore, quo carent. Ex quibus duabus particulis, *uno peccatore*, & *nonaginta novem juſtis*, patet, quàm rectè ſuprà dixerimus, ovem errantem eſſe unumquemque peccatorem, & nonaginta novem in deſerto eſſe, non ſuperbos, ſed bonorum ſocietatem.

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter donec inveniat ?

8. Aut quæ mulier habens drachmas decem. Idem & hic ſcopus eſt : ubi ſimiliter *mulier* typum gerit Chriſti, ſeu ſapientiæ incarnatæ, *drachma*, id eſt, nummus argenteus vel aureus, pondere unius drachmæ cuſus, ſignificabat hominem, cujus menti imago Dei impreſſa eſt, ſicut nummo imago Regis. Miratur autem latéque tractat Auguſt. lib. 8. Confeſſ. unde fiat, quòd majus ſit gaudium de uno pœnitente, quàm de multis juſtis, cùm majus bonum videatur poſtulare majus gaudium : & allatis pluribus exemplis, concludit, illum eſſe modum omnium rerum, ut majus gaudium majore moleſtia, aut periculo præcedatur. Quo ſignificat hoc per accidens fieri ratione periculi, ſeu mali conjuncti, quo animus magis extimulatur in affectum novum, quia ab aſſueto non fit paſſio.

9. Et cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens : Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram.

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.

11. Ait autem : Homo quidam habuit duos filios ?

11. Ait autem. Hæc tertia parabola idem ſpectat, quod præcedentes, ſed cum aliqua differentia ; quòd illæ ſignificent quidem, quanta cura Deus requirat reverſionem peccatoris, hæc verò, quanta benignitate & lætitia ſuſcipiat revertentem : ita ut ſit quaſi appendix præcedentium, & explicatio illius lætitiæ, quam dixerat eſſe in inventione perditi peccatoris, ut ſic ampliùs confunderet Phariſæos, qui murmurabant, quòd cum peccatoribus verſaretur. Homo quidam habuit duos filios. Quòd *Homo* hîc ſignificet Deum Patrem, vel ſimpliciter Deum, vel, quæ ferè in idem redeunt, Chriſtum Dominum ; non eſt dubium : de *duobus filiis* eſt auctorum diſſenſio. Auguſt. lib. 1. Quæſt. Evang. qu. 33. ſentit per ſeniorem ſignificari populum Judaicum, per juniorem Gentes. Ita & Cyrill. hîc in Catena, & alii. Ambr. verò libr. 2. de pœnitentia cap. 3. Pacianus Epiſt. 1. idem Auguſt. Tract. de tempore barbarico cap. 7. & alii intelligunt juſtos & pœnitentes, &

quidem multò aptiùs & ad litteram : quandoquidem hoc ſpectaret maximè ad ſcopum Chriſti cum Phariſæis diſputantis. Hoc & Hieron. amplectitur. Epiſt. 146. ad Damaſum, ſed hac ratione, ut ſenſu myſtico etiam de Judæis & Gentibus intelligi poſſe doceat; quod nobis veriſſimum videtur. Itaque *Homo quidam habebat duos filios*, ambos ſibi dilectos & morigeros.

12. ET DIXIT ADOLESCENTIOR EX ILLIS, ut ſolet ætas illa minùs ſapere, eſſe inconſtans, avidaque libertatis. Nam, ut Ambroſ. libr. de interpellat. cap. 7. habet pueritia innocentiam, ſenectus prudentiam, juventus verecundiam delinquendi: adoleſcentia ſola eſt invalida viribus, infirma conſiliis, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa deliciis : PATER, DA MIHI PORTIONEM SUBSTANTIÆ, hoc eſt, bonorum, QUÆ ME CONTINGIT, jure filiationis in emancipatione dari ſolita : volebat enim per emancipationem ſui juris fieri, ſuaque ſuo adminiſtrare arbitratu. ET DIVISIT ILLIS SUBSTANTIAM, ſeu bona ſua, unicuique in poteſtate partem tradens. Quo ſignificatur, Deum unicuique homini diſtribuiſſe dona ſua, tam naturæ quàm gratiæ, quæ per liberum arbitrium acceperint in ſua poteſtate, ut Aug. & Hier. locis citatis.

12. & dixit adoleſcentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtantiam.

13. ET NON POST MULTOS DIES, CONGREGATIS OMNIBUS, id eſt, corrogatis omnibus bonis, quæ acceperat, ædibus ſcilicet atque agris in pecuniam redactis, tamquam feſtinans ſua frui libertate, ADOLESCENTIOR FILIUS, quia ſenior tamquam prudentior apud patrem remanſerat, PROFECTUS EST IN REGIONEM LONGINQUAM, ut ex oculis patris, atque amicorum liberiùs viveret : ET IBI DISSIPAVIT SUBSTANTIAM SUAM VIVENDO LUXURIOSE, ſcilicet cum meretricibus, ut exponit infrà frater ſenior. Hæc regio longinqua, ut Auguſt. eſt oblivio Dei & honeſtatis : non enim locorum ſpatiis, ſed affectibus cum Deo ſumus, aut ab eo diſcedimus. Unde Ambr. Quid longinquius, quàm à ſe recedere, nec regionibus, ſed moribus diſcrepare? Diſſipamus ſubſtantiam quando male utimur naturalibus bonis.

13. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam: & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxuriosè.

14. ET POSTQUAM OMNIA CONSUMMASSET, ſeu conſumpſiſſet, FACTA EST FAMES VALIDA, quia luxuries eſt mater famis, ET CŒPIT EGERE, in typum ſtatus miſerabilis, in quem incidunt peccatores, dum mens peccatis obſcuratur, voluntas infirmatur, & ad ſummam inopiam redigitur.

14. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere.

15. ET ABIIT, ET ADHÆSIT, non conductus, ſed ultrò & ſupplex ſeſe ingerens ad ſerviendum pro ſolo victu neceſſario ad quodlibet obeundum paratus, UNI CIVIUM REGIONIS ILLIUS, ſcilicet primùm obvio : qui importunitate ſupplicis victus, & quaſi neſciens, quà in re ejus miniſterio uti poſſet, MISIT ILLUM IN VILLAM SUAM, tamquam indignum, qui in oculis heri ſui verſaretur, UT PASCERET PORCOS, hoc eſt, ad viliſſimum miniſterium. Quibus omnibus indicatur ſtatus ærumnoſus peccatoris, dum arctiùs ſeſe ſubdit diabolo, vitiaque brutaliſſima ſectatur, vel etiam tandem eò delabitur, ut alicujus dæmonis, cui ſerviat, imploret auxilium.

15. Et abiit, & adhæſit uni civium regionis illius : Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.

16. ET CUPIEBAT, non edere aut ſaturari, ſed qualibet re, ut ſummè famelici ſolent, vorrando vacuum IMPLERE ventrem ſuum, ut ra-

16. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis,

quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

bidam sedaret famem, de SILIQUIS, id est, folliculis, quibus fabæ, pisa, & similia legumina inclusa sunt, quamvis Græcum κεράτιον significet certum fructum, quo porci certis locis vescuntur, ut apud nos glandibus. ET NEMO ILLI DABAT: quo significatur, peccantes voluptatibus peccatorum, velut dæmonum immundorum cibo, satiari velle, nec posse, ut Hier. Epist. cit. Solet enim spiritus malignus cultoribus suis opes ostentare ac promittere, & nihil dare. Quamquam idem Hier. & Aug. per *siliquas* dicant intelligi posse carmina Poëtarum, sæcularem sapientiam, verborum pompam, quæ multùm strepitus habent, cùm sint veritatis inania, nec animum eorum qui derelinquerunt Deum, satiant.

17. In se autem reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo!

17. IN SE AUTEM REVERSUS, vexatione dante intellectum tamquam expergiscens ab ebrietate, aut gravi somno, & intelligens jam per experientiam discrimen pristinæ abundantiæ, & suavitatis gratiæ Dei ab hac extrema miseria, DIXIT: QUANTI, Græcè ποσοι, *quàm multi*, seu *quot*, MERCENARII, id est, ministri mercede conducti, qui distinguuntur à servis, seu mancipiis. Nam, ut in familia temporali sunt mancipia, mercenarii & filii, ita Deus in familia sua habet mancipia, qui solo timore pœnæ vitant mala; mercenarios, qui spe mercedis temporalis, & sæpè multis Dei donis fruuntur; & filios, qui ex amore ingenuo, & filiali Deo serviunt. Comparat hîc se mercenariis, quia & ipse pro mercede serviebat, quamvis mercenariis longè miserior, eò quòd illi ABUNDARENT PANIBUS, id est, omni victu ad satietatem, ipse verò FAME PERIRET. Hæc fames inopiam spiritualis alimoniæ significat, quam animus peccatorum patitur: nam humana mens ad imaginem Dei condita nullâ voluptate terrenâ, sed solâ Dei immensitate impleri, & quietem adipisci potest, juxtà enim Augustini 6. Confess. cap. 16. Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid meliùs habituram. Versa & reversa in tergum, & in latera & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies. Hæc Aug. Ex hoc autem versu patet initium resipiscendi à consideratione miseriarum suarum, proficisci, & parere sequens propositum.

18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei, Pater, peccavi in cœlum, & coram te:

18. SURGAM, quia in peccato jacebat, ET IBO, quia longè aberat, AD PATREM MEUM, quia sub principe porcorum erat, ET DICAM, cùm scilicet venero. Nam hæc & sequentia sunt verba pœnitentiam meditantis, in confessione peccati, nondùm tamen agentis: non enim jam dicit patri, sed dicturum se esse promittit, prout hæc notat August. PATER: ex quo patet, eum post malorum suorum considerationem paternæ clementiæ intuitu erectum fuisse in spem veniæ, juxtà ordinem, quo Tridentinum Sess. 6. peccatores ad justificationem disponi docet: PECCAVI IN CŒLUM, id est, adversus Deum, qui in cœlo habitat: ET CORAM TE, id est, contra te hominem. Quo sensu hæc verba optimè conveniunt filio typum gerenti peccatoris, ut priùs in Deum, deinde in hominem se peccasse dicat. De peccatore verò sic exponi possunt, *Peccavi in cœlum*, id est, adversus eos, qui cœlum incolunt, in quibus est sedes Dei, qui offenditur: *& coram te*, id est, contra te Deum: quomodo loquitur & Daniel c. 6. *Coram te Rex*, id est, contra te, *delictum non feci*: q. d. filius, Non habeo quod prætexam stultitiæ meæ, vel quo me purgem. Hæc est prima confessio, inquit Ambr. apud auctorem

auctorem naturæ, præsulem misericordiæ, arbitrum culpæ. Nam etsi Deus novit omnia, vocem tamen nostræ confessionis exspectat, quia elevat pondus erroris, quisquis ipse onerat.

19. JAM NON SUM DIGNUS, non modo recipi in honorem, & gradum pristinum filii; sed nec VOCARI FILIUS TUUS, quia tot tantaque paternâ tuâ dignitate indigna commisi. FAC ME SICUT UNUM DE MERCENARIIS TUIS, q.d. exeidi primo gradu, dignare me misericorditer, vel secundo tantùm, ne penitus abjicias.

19. Jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.

20. ET SURGENS VENIT AD PATREM, quia bono voluntatis proposito opus adjungi debet. CUM AUTEM ADHUC LONGE ESSET, in ipsis videlicet initiis pœnitentiæ suæ constitutus, VIDIT ILLUM PATER IPSIUS: quia Deus sicut prima initia conversionis inspirat, ita illam tamquam sibi placentem respicere, & ejus intuitu placari incipit. Itaque MISERICORDIA MOTUS EST; quemadmodum optimè Psal. 9. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua*: & Isaiæ c. 65. vers. 24. *Antequam clamet, ego exaudiam*. Quo significatur admiranda Dei clementia & benignitas in eos, qui vel parant se ad ineundam pœnitentiam. Quamobrem ACCURRENS obviam, præ amoris & gaudii vehementia, quasi impatiens moræ, CECIDIT SUPER COLLUM EIUS, ET OSCULATUS EST EUM: ad significandum, quòd pœnitentibus, & ad se revertentibus blanditur Deus, spem veniæ & reconciliationis liberalissimè offerens. Proindè tantâ benignitate animatus, ausus est loqui.

20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.

21. PATER PECCAVI, &c. non omittens videlicet, quod sui erat officii, quantumvis benevolentiam patris erga se animadverteret. Omittit autem id, quod proposuerat se dicturum, *Fac me sicut unum de mercenariis tuis*, quòd patris benignitate obrutus, videret hoc minùs necessarium. Quamquam Augustinus ex generositate hoc omitti à pœnitente velit, utpote qui osculum expertus dedignatur Deo animum servilem, aut mercenarium exhibere, qui pace carens, vel mercenarius esse desiderabat.

21. Dixitque ei filius: Pater peccavi in cælum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.

22. DIXIT AUTEM PATER AD SERVOS SUOS, immemor videlicet omnium injuriarum: CITO, Græcè deest, significare tamen potest remissionis peccati celeritatem, quam in momento Deus homini verè pœnitenti tribuit: PROFERTE STOLAM PRIMAM. *Stola* Latinis est vestis muliebris: Græcis autem sumitur generaliùs pro veste maximè oblonga. Itaque proferte ei togam pristinam, pretiosam scilicet, filiis peculiarem: quo significatur restitutio amissæ justitiæ, seu charitatis, quæ filiis propria est. Unde Hieron. & Ambr. eamdem esse dicunt cum veste illa nuptiali, Matth. 22. ET DATE ANNULUM IN MANUS EIUS, qui est ornatus hominis liberi & locupletis, hoc est, iisdem auctoribus, pignus Spiritus sancti, ut hominem jam justitiâ imbutum Spiritus sanctus, tamquam templum suum inhabitet. ET CALCEAMENTA IN PEDES EIUS; nam & iste habitus erat filii tenerè educati, quo pedes moriuntur. Significat autem divinæ gratiæ custodiam, quâ hominis affectus muniuntur, ne rursus offendat ad lapidem pedem suum, & scandalizatus corruat. Pulchrè igitur hîc indicantur quatuor, ad perfectam hominis reconciliationem necessaria, quæ eodem ordine exprimuntur in

22. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus:

Psalm. 50. nam & ibi pœnitens petit remissionem peccati, cùm dicit, *Averte faciem tuam à peccatis meis*, sicut hîc, *Pater peccavi*; justitiæ infusionem, seu stolam, cùm dicit, *Cor mundum crea in me Deus*; Spiritus sancti pignus & incolatum, hoc est, annulum, cùm dicit, *Spiritum sanctum ne auferas à me*; gratiæ custodiam, id est, calceamenta, cùm dicit, *Spiritu principali confirma me*. Et quia reconciliatis congruit, ut justificationes Dei, quas experti sunt, alios etiam exemplo bonorum operum, vel verbo doceant, hinc Hier. & Aug. per *calceamenta* etiam volunt prædicationem Evangeli significari; juxtà illud Apostoli, *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis*; quod etiam sequitur in Psalm. 50. *Docebo iniquos vias tuas.*

23. & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:

23. ET ADDUCITE VITULUM SAGINATUM, Græcè, τὸν σιτευτὸν, *illum saginatum*, quem scilicet ad lætum aliquod epulum celebrandum jussi saginari: ET OCCIDITE, &c. Quo significatur antiquorum consensu Christus Dominus, omni scilicet spiritus pinguedine delibutus, qui non solùm in cruce, sed quotidie in Ecclesia pro salute omnium immolatur, cum lætitia omnium comeditur, maximè in gratiarum actionem pœnitentium, seu reconciliatorum, ut Hieron. & Augustinus. Quamquam etiam aptè significari posset illa consolatio interni gaudii, quæ peccatoribus initio conversionis tribui solet, ut sibi contigisse narrat Augustinus 9. Confess. cap. 1. & maximè in fine &. ET MANDUCEMUS ET EPULEMUR, tanti sacramenti participatione, idque in azymis sinceritatis & veritatis.

24. quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus est. Et cœperunt epulari.

24. QUIA HIC FILIUS MEUS MORTUUS ERAT, ET REVIXIT, id est, quia cùm pro mortuo esset habitus, propter longam absentiam, quasi ad vitam revocatus est: nam, ut sensum illum explicet, addit, PERIERAT, miser videlicet, ignotis & vagis errans sedibus, ET INVENTUS EST. Quæ in re figurata longè veriora sunt. Peccator enim revera erat mortuus, & pœnitendo revivisci: perierat à salute, æternæ damnationi proximus, *& inventus est*, seu recuperatus ad salutem. Porrò in eo, quod dicit, *inventus*, eum quæsitum fuisse insinuat, sicut ovem & drachmam perditam, quia nemo pœnitet, nisi occulta Dei quærentis inspiratione tangatur, ut homo in se revertatur. ET CŒPERUNT EPULARI, Græcè ἐυφραίνεσθαι, *lætari*, scilicet inter epulas, pater nempe ac tota familia ejus, ex Angelis & Sanctis constans. Nam sic etiam tacitè insinuatum vult id, quod dixerat, gaudium esse in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quàm, &c.

25. Erat autem filius ejus senior in agro: & cùm veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam & chorum:

26. & vocavit unum de servis, & interrogavit quid hæc essent.

27. Ille dixit illi: Frater tuus

25. ERAT AUTEM FILIUS SENIOR IN AGRO. Ea quæ sequuntur, in figura difficultatem non habent, nec ad aliud adferuntur, nisi ut tacitè reddatur causa quærimoniæ, & invidiæ fratris: quædam etiam ad decorem parabolæ spectant. In re figurata aliquid negotii facessit illa invidia fratris senioris, quæ non videtur justis posse convenire, & ista ratio fuit cur multi totam parabolam ad Judæos & Gentes declinaverint. Sed pergendo in susceptа à nobis explicatione omnia salvari possunt. Quod igitur filius senior erat in agro, significat justos in Ecclesia non otiari, non bacchari, sed semper versari in operibus patris sui. Itaque CUM VENIRET ET APPROPINQUARET DOMUI (pertinent hæc ad consequentiam & ornatum parabolæ) AUDIVIT SYMPHONIAM, id est,

concordem concentum canentium, ET CHORUM, qui est tripudiantium & canentium cœtus. Quo nihil aliud significatur, quàm insignis lætitia de peccatoris conversione. Quam ob rem

venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit.

28. INDIGNATUS, non de reconciliatione, vel inventione fratris, neque enim hoc in tota parabola significatur, sed de tanta solemnitate, NOLEBAT INTROIRE, ut & ipse gauderet cum gaudentibus. Quo Hieron. Epist. cit. absolutè significari putat invidiam, eo quòd nullum sit inconveniens peccata etiam in justos cadere, sicut Apostoli de primatu contenderunt. Alii volunt ea quæ in parabola de fratre seniore tamquam de justis dicuntur, dirigi à Christo contra Scribas & Pharisæos, qui se justos haberi volebant, quasi tacitè in hoc versu eos moneret per concessionem: Esto, sitis vos justi, quemadmodum filius senior, nolite propterea indignari de resipiscentia & salute publicanorum & peccatorum. Aptiùs videtur dici, quòd solùm significetur, esse tantam Dei in eos, qui resipiscunt, gratiam, indulgentiam, consolationum magnitudinem in initio, ut non solùm perfectis admirationem moveat (quale quid significat quoque parabola de operantibus in vinea. Matthæi 20. vers. 11.) sed etiam imperfectis quandam indignationem & querimoniam, non quidem de salute peccatorum, sed de tam immodica Dei, quasi congratulatione, erga se vero austeritate: cujusmodi imperfectorum affectus peccati venialis rationem non excedit. Ita ferè Theophyl. Titus, & Euthym. PATER ERGO ILLIUS EGRESSUS, ut præ humanitatis magnitudine etiam filio seniori, id est talibus infirmis satisfaceret, ad sedandas eorum querimonias, ostendendo videlicet per internas inspirationes, vel aliter, quòd ita fieri debeat, sicut revera congruit, CŒPIT ROGARE ILLUM, ut introiret, hoc est, ut lætitiæ Patris, & totius domus vellet esse particeps.

28. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

29. AT ILLE DIXIT: ECCE TOT ANNIS SERVIO TIBI, obsequium tibi benè agendo deferens, ET NUMQUAM MANDATUM TUUM PRÆTERIVI, ut per peccatum mortale à justitia exciderem; nam talium justorum frater senior figuram gerit: ET NUMQUAM DEDISTI MIHI HŒDUM, id est, numquam inferioris præstantiæ epulum mihi parasti, UT CUM AMICIS MEIS EPULARER, publico videlicet gaudio, in perseverantiæ & laborum congratulationem instituto.

29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis servio tibi, & numquam mandatum tuum præterivi, & numquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer:

30. SED POSTQUAM FILIUS TUUS HIC, egregius scilicet, tam perditè à te amatus: sunt enim verba indignabundi, nec dignantis quidem fratrem appellare, prout indignatio subinde affectum bonum non extinguit, sed reprimit: QUI DEVORAVIT, instar helluonis, SUBSTANTIAM CUM MERETRICIBUS. Et hoc addit exaggerandi causâ, prout solet indignatio. Addit & improperium in patrem, OCCIDISTI ILLI, &c. Ubi patet, eum nihil conqueri de receptione vel reconciliatione fratris, sed solummodò de tam extraordinaria lætitiæ solemnitate.

30. sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

31. AT IPSE DIXIT, admittens vetum esse de non exhibito ei epulo peculiari. Causam addit, quia TU SEMPER MECUM ES, perseverans scilicet in familiaritate mea, quod tibi instar jugis convivii esse debet: q.d. Nihil in te novi accidit, nullam dedisti occasionem alicujus novæ & insuetæ lætitiæ excitandæ: ET OMNIA MEA TUA SUNT, ut non fuerit necesse, me tibi quidquam de novo dare ad magnificum epulum,

31. At ipse dixit illi: fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt?

novamque gaudii testificationem, quia omnibus in familia uti poteras.

32. epulare autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & revixit, perierat, & inventus est.

32. EPULARI AUTEM ET GAUDERE OPORTEBAT, me scilicet, totámque familiam, & consequenter etiam te, QUIA HIC FRATER TUUS MORTUUS EST. Nam sicut natura docet, in temporalibus peculiare gaudium instituere de rebus recuperatis, & non de conservatis, quemadmodum in parabola de ove & drachma inventis vidimus, ita etiam fieri convenit in spiritualibus. Hæc sententia Christi tangit scopum totius parabolæ, quâ docet Pharisæos, sive justi sint, sive haberi velint, non indignari, vel murmurare debere, quòd peccatores susciperet ad salutem, sed potiùs collætari. Ex his, quæ diximus, non est difficile parabolam allegorico sensu ad duos populos, Judaicum & Gentilem, extendere, sicut Ambros. hîc, Hieronym. & August. locis cit. faciunt. Filius enim major est Israël, qui Exodi 4. vocatur primogenitus: junior Gentilis, qui in illa prima discessione, quæ in primo parente facta est, perseveravit, ac deinde fide, religione, & moribus longiùs recessit à Deo: tandem famem veritatis stimulante, Deóque illustrante, revertitur in se, & amplectitur pœnitentiam. Deus illum suscipit, indultâ ei fide, & justitiâ, & Sacramento corporis Christi tamquam vituli saginati, celebrato insuper publico gaudio cum symphonia & choris, per totum terrarum orbem jam resonantibus, super populi tam longè dissiti, ac ferè desperati conversione. Interim filius senior est in agro, id est, in terrenis operibus, & pro terrena hereditate servit Deo: & audiens illam lætitiam Ecclesiæ gentium, vocat unum de servis, id est, legit aliquem Prophetarum, & intelligens fieri hoc propter resipiscentiam populi perditi, indignatur, quia torquetur invidiâ, videns Ecclesiam, ac tam opima ejus Sacramenta, & non vult adhuc in eam intrare. Stomachatur adversùs patrem, quod nihil simile sibi contigerit, qui patris mandatum numquam præterierit, opinione scilicet suâ, quia hoc arrogantiùs quàm verius dicit: quamquam posset de perseverantia in cultu Dei intelligi. Vide cætera latiùs apud August. lib. 2. Quæst. Evang. q. 53.

CAPUT XVI.

CAPUT SEXDECIMUM.

1 Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

CUM præcedentes tres parabolas ad Scribas & Pharisæos, tamquam contra se murmurantes, direxisset, nunc aliam addit AD DISCIPULOS SUOS, generaliter dictos, hoc est ad sectatores suos, qui se disciplinæ ejus subjicere volebant, etiamsi nondum reliquissent omnia. Agitur enim de divitiarum dispensatione.

HOMO QUIDAM ERAT DIVES, parabola narratur, non historia, QUI HABEBAT VILLICUM, Græcè οἰκονόμον, id est, *dispensatorem*, seu *administratorem familiæ*, qui scilicet omnes proventus reciperet & expenderet, sub onere reddendæ rationis. Unde *Villicatio* in sequentibus est domûs administratio, seu officium administrandi familiam: nam alioqui *Villicus* propriè est gubernator villæ, ut notat Hieronym. Epist. 151. ad Algasiam Quæst. 6. ET HIC DIFFAMATUS EST, seu delatus, quasi dissi-

passet bona ipsius, in alios usus ea convertendo, quàm ratio officii postularet. Et quia res non constabat, cùm eum vocasset, ait illi:

2. QUID HOC AUDIO DE TE? Hæc est infamia, quæ viam aperire solet inquisitioni: REDDE RATIONEM VILLICATIONIS, id est, totius administrationis tuæ: IAM ENIM, Græcè ἔτι, *adhuc*, seu *amplius*, NON POTERIS VILLICARE, id est, ut Hieronym. mea dispensare, supple, si defeceris in reddenda ratione: non enim ante cognitionem causæ, propter solam delationem officium abstulit, ut patet ex vers. 4. Itaque villicus sciens se crimen dissipationis amoliri non posse,

2. Et vocavit illum & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.

3. AIT INTRA SE, secum deliberans: QUID FACIAM? ut mihi victum conquiram, QUIA DOMINUS MEUS AUFERT; id est auferet; nam malè sibi conscius hoc eventurum prævidebat: FODERE NON VALEO, id est, manibus operari, species pro genere: nempe ex desuetudine, aut corporis imbecillitate, & quia honoratus vixi, MENDICARE ERUBESCO. Deliberanti incidit opportuna ratio vitæ sustentandæ, quam statim amplectitur per hoc, quod dicit:

3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. SCIO QUID FACIAM; nihil enim homines hujus mundi curant, jure an injuriâ victum comparent, dummodò sine infamia vivant: UT CUM AMOTUS FUERO, &C. RECIPIANT ME, supple, debitores domini mei: q. d. Talibus beneficiis eos mihi devinciam, ut cum depositus fuero nunc unus, nunc alius non gravatè me suscipiant, ac tractent in domo sua.

4. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

5. 6. 7. CONVOCATIS ITAQUE SINGULIS DEBITORIBUS, ut & fraus minùs patesceret, dum singulis partem remittit, & uni soli postea esset minùs onerosus aut invisus. Primus itaque debebat CENTUM CADOS OLEI: Græcè est βάτους, sed noster accepit *Batum* & *Catum*, pro eadem mensura, sicut & aliquando Hieron. Porrò *Batus* & *Ephi* mensuræ æquales erant; sed *Batus* in liquidis, & *Ephi* in aridis, & utraque continebat decimam partem *Cori*, sicut hoc patet Ezech. 45. v. 11. ita ut unus Corus comprehenderet decem Batos, seu Cados in rebus liquidis: itemque decem Ephi in rebus aridis. DIXITQUE ILLI: ACCIPE CAUTIONEM TUAM, Græcè τὸ γράμμα, *scriptum*, id est, chirographum tuum, seu litteras, quibus obligaris hero meo ad centum Cados olei, accipe à me tibi porrectas, ut eos comburas, aut laceres, ne quisquam invitum te cogere possit ad solvendum centum. ET REDE CITO, quia verebatur, ne ad singula momenta vocaretur ad reddendam rationem: SCRIBE QUINQUAGINTA, id est, scribe aliud chirographum, quo fatearis te debere quinquaginta. Itaque dimidium remittit primo, quintam verò partem secundo, dum pro CENTUM CORIS TRITICI, scribi jubet OCTOGINTA. Quæ remissio quamvis proportione ad præcedentem esset minor, in se tamen erat major, quia cùm unus Corus contineat decem Batos, viginti Cori, quos remittebat, conficiebant ducentos Batos, cùm tamen primo non remisisset nisi quinquaginta. Reliquit autem intelligendum, similiter actum esse cum reliquis debitoribus, singulosque monitos, ut essent memores beneficii.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede cito, scribe quinquaginta.

7. Deinde alii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

8. ET LAUDAVIT DOMINUS. Hieron. Epist. 16. pro, *Dominus*, legit, *Salvator*, quasi essent verba Evangelistæ: sed rectiùs acceperis cum eodem Epist. 151. & August. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 34. ut sint verba

8 Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter

feciſſet: quia filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.

Chriſti de domino illius villici, qui intellecta fraude laudaverit VILLICUM INIQUITATIS, id eſt, iniquum, quia & olim adminiſtrando, & jam remittendo iniquè læſerat dominum ſuum. Laudavit autem non injuſtitiam, aut fraudem, ſed quia PRUDENTER FECISSET, id eſt, quia ſolerter & induſtriè in commodum ſuum, & opportunè ad ſcopum ſuum. Non enim erat vera prudentia, ſed aſtutia cum fraude juncta. Aſtutia quippe eſt degener quædam & vitioſa prudentia. Quamvis igitur læſus, laudavit tamen, ſicuti cùm audivimus improbum aliquod facinus, laudamus tamen, quia ingenioſum: QUIA FILII HUJUS SÆCULI, id eſt, homines, qui huic ſæculo & ejus moribus ac legibus ſerviunt, PRUDENTIORES SUNT, id eſt, ſagaciores & magis induſtrii, ſcilicet ad conſulendum ſibi in poſterum, quamvis fraude, non jure, prout ſupplet Auguſt. 11. De Geneſi lit. cap. 2. FILIIS LUCIS, id eſt, hominibus, lucem divinam diligentibus & ſequentibus, hoc eſt, qui Deum, juſtitiam, & virtutem diligunt, velut lucem, quam in agendo ſequantur. Qua antitheſi, *lucis* ad *ſæculi*, tacitè inſinuat, filios hujus ſæculi eſſe filios tenebrarum, quia ſæculum diligunt, per quod à vera luce averſi, in tenebris peccatorum detinentur. IN GENERATIONE SUA, id eſt, in genere ſuo, ſeu in iis, quæ pertinent ad genus ſuum, ad commoda ſcilicet vitæ præſentis dextrè procuranda. Additum eſt hoc, tum corrigendi, tum reſtringendi cauſa, ne putarentur, vel verè eſſe prudentes, vel in omnibus ſuperare filios lucis. Suppleri autem debet altera pars comparationis, hoc modo, quàm ſint filii lucis in generatione ſua, ſeu in rebus, ad virtutem, vitamque æternam pertinentibus. Non enim eſt ſenſus, quòd homines mundani ſint magis induſtrii in commodis ſæcularibus, quàm in iiſdem procurandis ſint filii lucis; quia hoc nec ad ſcopum Chriſti ſpectabat, nec opus erat dicere, quia per ſe patet; amor enim rerum, quas multùm diligunt, acuit & excitat in eis omnes prudentiæ vires, & ſuggerit quoſlibet aſſequendi modos, cùm filii lucis ea negligant: ſed ſenſus eſt, quòd filii hujus ſæculi ſint prudentiores in rebus ſæcularibus, quàm filii lucis in rebus divinis; illi magis in malum, quàm hi in bonum, nempe ut plurimùm; nam hoc ſcopo, ut ſimus prudentes in rebus divinis, concludit Chriſtus parabolam.

9. Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

9. ET EGO DICO VOBIS: FACITE VOBIS AMICOS, erogando eleemoſynas juſtis & Sanctis, qui apud Deum abundant meritis, DE MAMMONA INIQUITATIS, ſeu iniquo, id eſt, de divitiis injuſtis. *Mammona* enim Syriaca vox eſt, divitias ſignificans, quæ vocantur iniquæ multis modis; vel quia ſola iniquitas eas divitias reputat, dùm veras, id eſt, ſpirituales ignorat, ut Auguſt. eit. quæſt. 34. & 21. de Civit. c. ult. Unde Chriſtus hîc verſu 11. opponit eis id, quod verum eſt; vel quia mendaces & fallaces ſunt; vel quia iniquè eas habemus pro noſtris, cùm ſint alienæ, ſolo diſpenſationis titulo nobis commiſſæ. Qui ſenſus maximè congruunt parabolæ, in qua tacitè Deus comparatur homini diviti, nos omnes villico; bona temporalia, quæ poſſidere videmur, bonis alienis, quæ villicus iſte per fraudem ſibi vindicabit. Nam quòd Hieronym addit quæſt. 1. ad Hedibiam *Mammona iniquum* dici, quia omnes divitiæ de iniquitate deſcendant, eo quod

omnis divea, aut iniquus sit, aut iniqui heres, non videtur huic loco convenire. Non enim ex injustè partis divitiis eleemosynæ fieri debent, sicut villicus ille de bonis domini sui fecerat; quia non in omnibus similitudo parabolarum quærenda est, sed in iis, quæ ad propositum spectant. Ludit itaque Christus in verbo, *iniquitatis*, dum de villico & mammona dicitur, sicut alibi in voce, *mortuus*: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*. UT CUM DEFECERITIS, à justitia in hac vita, inquit Maldonatus: sed non videtur ita congruere scopo parabolæ, quæ proponit, quid nobis in reddenda ratione continget, in die scilicet judicii. Itaque *cùm defeceritis*, in reddenda ratione, vel, ut ferè Græci, *cùm defecerimus* à vita & officio dispensandi, quod sit in morte uniuscujusque, quando reddenda est ratio villicationis, RECIPIANT VOS, illi amici pauperes scilicet, quibus benefecerimus, IN ÆTERNA TABERNACULA, seu cœlestes mansiones in cœlo. Fit autem hoc, vel quia Sancti in cœlo memores beneficiorum pro suis benefactoribus intercedunt, vel quia propter eleemosynas, quibuslibet pauperibus datas, hoc facit Christus, dum sibi datum imputat, quidquid in egenos, etiam malos, contulerimus: ut proinde hoc locum etiam habeat, etiamsi illi, quibus datum fuerit, à tabernaculis illis excluſi sint, ut Augustin. libr. 2. Quæst. Evang. q. 38.

10. QUI FIDELIS EST IN MINIMO, id est, in rebus parvi pretii dispensandis: ET IN MAJORI, rebus scilicet magni momenti, FIDELIS EST. Præbet enim argumentum, quòd fidelitatem per se diligat, & non tantùm ratione materiæ. E contrario verò QUI IN MODICO INIQUUS EST, multò magis IN MAJORI INIQUUS ERIT, dispensando. Sententiæ sunt proverbiales, à communi usu sumptæ, ubi plerumque sic accidit, & meritò sic præsumitur. Has autem sententias mox applicat proposito suo.

10. Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.

11. SI ERGO IN INIQUO MAMMONA, id est, in falsis & fallacibus divitiis dispensandis, quæ scilicet veratum divitiarum rationem non habent, ut antè diximus, & meritò in rebus minimis deputantur, FIDELES NON FUISTIS. eas non erogando secundùm voluntatem Domini, qui vobis eas commisit, QUOD VERUM EST, id est, verum mammona, seu veras divitias spirituales, quæ videlicet hoc præstant, quod pollicentur, bonos beatosque reddendo possessores suos, QUIS CREDET, seu committet, VOBIS? Nemo sanè, si sapiat, ne quidem ipse Deus.

11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis: quod verum est, quis credet vobis?

12. ET SI IN ALIENO, dispensando, FIDELES NON FUISTIS, quemadmodum ille villicus, de quo audistis, QUOD VESTRUM EST, QUIS DABIT VOBIS? *Alienum* vocat id, quòd antè *iniquum mammona* vocaverat, terrenas scilicet divitias, quia nec pleno jure eas possidemus, nec in nostra sunt potestate, ut eas vel habeamus vel servemus, nec à morientibus auferri possunt, ut Augustin. quæst. 35. *Quod vestrum* verò nominat bona spiritualia, ad quæ propriè conditi sumus; & intrà in ipso animo, non extrà nos sunt, & in nostra sunt potestate, ut à nemine amittantur invito, *quis dabit vobis?* quia præcedentis dispensationis infidelitas reddit indignos, & meritò præsumere facit, ne hîc similiter faciamus. Difficilius est enim spiritualia, quàm temporalia rectè administrare. Simili modo colligit Apostolus, *Si quis domui suæ præesse*

12. Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis?

13. Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, & alterum diliget, aut uni adhærebit, & alterum cõtemnet: non potestis Deo

ſervire & mammonæ.

14. Audiebant autem omnia hęc Phariſæi, qui erât avari: & deridebant illum.

15. Et ait illis: Vos eſtis, qui juſtificatis vos coram hominibus: Deus autem novit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.

16. Lex & Prophetæ, uſque ad Joannem: ex eò regnum Dei evangelizatur, & omnis in illud vim facit.

17. Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, quàm de Lege unum apicem cadere.

18. Omnis qui dimittit uxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.

19. Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie. ſplendidè.

neſcit, quomodo Eccleſia Dei diligentiam habebit? 1. ad Timoth. 3. verſu 5. Cùm ergo hæc, & alia, quæ in Matth. explicata ſunt, adverſus avaritiam dicta, PHARISÆI AVARI DERIDEBANT, Græcè efficaciùs ἐξεμυκτήριζον, *naſo ſuſpenderent*, externis ſcilicet geſtibus contemptum ſignificantes, reſpondit illis:

15. VOS ESTIS, QUI IUSTIFICATIS VOS, id eſt, qui juſti videri, & haberi, & vocari vultis, juſtos vos venditatis, CORAM HOMINIBUS, qui externa intuentur: DEUS AUTEM NOVIT CORDA VESTRA, quàm ſint ſcilicet procul à juſtitia, hoc eſt plena avaritiâ & hypocriſi & omni iniquitate; plus enim inſinuat quàm dicit, quod probat ſubjuncta ratio: QUIA QUOD HOMINIBUS, id eſt, hominum æſtimationi, qui non niſi de externis judicant, ALTUM EST, id eſt, ſuſpiciendum, & in magno pretio, cujuſmodi ſunt, eſſe divitem, eſſe ab hominibus honoratum, præ ſe ferre ſanctitatem: ABOMINATIO, ſeu abominabile, EST ANTE DEUM, quia plerumque tales ſunt pleni avaritiâ, faſtu, & hypocriſi. Sententia magni ponderis, juxta quam plerumque fit, ut quod homines admirantur, horrore ſit apud Deum, & contrà, ut diſcamus humana judicia parvi facere. Et quia Phariſæi prætexere potuiſſent legem, quæ promittit abundantiam temporalium obſervatoribus ſuis, præoccupat Chriſtus.

16. LEX ET PROPHETÆ, id eſt, ſcriptæ Prophetarum, USQUE AD JOANNEM, tamquam legis terminum, inter veteres deſinentes & incipientes novos conſtitutum, inquit Tertull. 5. contra Marcionem c. 2. ſupple, munere ſuo functi ſunt, prophetando ſcilicet Chriſtum venturum, & regnum ejus, promittendo temporalia: at EX EO, tempore, non ampliùs terrena promittuntur, ſed REGNUM DEI EVANGELIZATUR, ſeu annuntiatur, tamquam præmium benè operantibus expoſitum; ut proinde non mirum vobis videri debeat, ſi nova hæc prædicatio, nova quoque præcepta de contemptu temporalium ſanciat. Et quamvis vobis ridicula videatur, non eſt tamen inefficax, quia OMNIS IN ILLUD VIM FACIT, id eſt, multi alii ad illud ſummo fervore confluunt: vide dicta Matth. 11. Nec tamen putetis me legem deſtruere, quia dixit eam uſque ad Joannem vigere.

17. FACILIUS EST CŒLUM ET TERRAM PRÆTERIRE, id eſt, corrumpi, QUAM DE LEGE UNUM APICEM CADERE, qui ſcilicet non impleatur.

18. OMNIS, QUI DIMITTIT UXOREM, &c. Explicata eſt hæc ſententia apud Matth. Cohæret autem præcedentibus, ut notavit Tertull. 4. contra Marcionem c. 34. nam quia mentionem Joannis fecerat, in Herodem eam jaculari voluit, qui & ſuam uxorem, Arethæ Regis filiam, dimiſerat, & aliam fratris uxorem contra legem duxerat.

19. HOMO QUIDAM ERAT DIVES. Hiſtoria eſt, non parabola, ut ſentit Iren. libro 4. cap. 4. Tertullian. libro De anima, Ambroſ. hîc, Greg. Hom. 40. in Evang. Auguſt. in Pſal. 45. & 47. Origen. & alii, qui ex nominis expreſſione hoc probant, quod in parabolis inuſitatum. Reſpicit autem hæc hiſtoria verſum 9. & ſeqq. de diſpergendis in pauperes divitiis, & in primis ad verſum 15. maximèque præcellit eos qui retributionum vitæ futuræ ſunt increduli, dicentes, ut eſt Sapientiæ 2.

v. 20. *Non est, qui agnitus sit, reversus ab inferis:* nam hæc historia reversioni ab inferis æquivalet. Itaque HOMO QUIDAM (nomini parcit, tum propter famam ejus, tum præcipuè, quia impios nescit Dominus; de quibus Psalm. *Nomen eorum delesti in æternum*) ERAT DIVES, nempe de suo, inquit August. Serm. 19. de verbis Apostoli, hoc est de rebus justè acquisitis; non enim arguitur fuisse vel raptor, vel pauperum oppressor, vel calumniator, &c. Noli amplius quærere, quàm audis à veritate, inquit August. qui solam inhumanitatem in pauperem in eo reprehensam putat. Quamquam aliquibus vitio non carere videatur, quòd INDUEBATUR PURPURA, id est, vestibus purpureis, qui tunc temporis erat vestitus pretiosissimus, Regum & Principum virorum proprius, ET BYSSO, id est, telâ seu lino candidissimo & delicatissimo. Notat ergò splendorem cum mollitie; *purpura*, quippe cultum externum, *byssus*, mollitiem significat. ET EPULABATUR, cum lætitia indulgens genio, non subinde vel genialibus diebus, sed QUOTIDIE & SPLENDIDE, ita ut nihil deesset, quòd ad ciborum apparatum, pretia, condimenta, splendorem vasorum spectaret.

20. ET ERAT QUIDAM MENDICUS NOMINE LAZARUS. Quid hîc Lazari nomen, si non in veritate res est? inquit Tertullian. lib. De anima cap. 7. probans non esse parabolam, sed historiam, quo modo & Chrysost. Hom. hac de re & Ambros. argumentantur. QUI IACEBAT, Græcè ἐβέβλητο, *projectus erat*, tamquam ægrotus, qui se movere non posset, AD IANUAM EIUS, Græcè πρὸς τὸν πυλῶνα, *ad vestibulum*, quod scilicet januam vestit, hoc est in via publica, ita tamen ut eum non posset ignorare, ULCERIBUS PLENUS, ut totum corpus ulcera viderentur, inquit Chrysost. Similia spirant emphasim singularem, ad exprimendam Lazari miseriam, augendámque divitis immisericordiam.

20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus,

21. CUPIENS SATURARI: quo indicatur potiùs miseriæ ostensione quàm clamore petiisse. Notat enim Basil. in Regulis fusiùs disputatis cap. ult. nusquam esse scriptum, quod quidquam umquam à divite illo petierit, in argumentum, quòd æquo animo rerum suarum statum ferret: unde exemplum est sapientiæ in tolerandis mollioribus doloribus, sicut Job in gravioribus. *Cupiebat* itaque *satiari*, non sumptuosis ferculis, sed DE MICIS, QUÆ CADEBANT DE MENSA DIVITIS, ut ita vel canis loco haberetur, quorum est de micis è mensa cadentibus vivere, ut est Matth. 15. versu 27. Insinuatur extrema paupertas, & fames ejus, sicut contra, extrema duritia divitis & familiæ ejus, per hoc, quod NEMO ILLI DABAT. Sed quâ culpâ, inquies, si, ut diximus, non petierit? Respondetur, quia, ut Ambros. libro 2. Officior. cap. 16. non solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Unde 1. Joan. 3. v. 17. non dicitur, qui audiverit fratrem mendicantem, sed qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? SED ET CANES VENIEBANT, allecti pure & sanie, cujus linctu canes delectantur. Quod addi putat Chrysost. ad indicandum miserabilem statum corporis ejus, ad quod velut ad cadaver canes accurrerent, & ægri maximam debilitatem, eos abigere non

21. cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat; sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.

valentis. Hieron. in c. 2. Malach. ad arguendum divitem, quòd feritate bestias superaverit, ut qui hominis non misereretur, cujus etiam canum lingua miserebatur.

22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis, id est, Angelorum ministerio deduceretur anima mendici. Quo loco manifestè discimus animas justorum corporibus exutas in salutis locum ab Angelis duci. Unde orat Ecclesia: *Jubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad Patriam paradisi perduci.* Et iterum: *Signifer S. Michael representet eas:* signifer tamquam bellum adhuc gerens, eo quòd in illo etiam animarum transitu dæmones oblu-ctentur Angelis, ut earum translationem in cœlum impediant. In sinum Abrahæ, ut ibi quiesceret, foveretur, refocillaretur, tamquam Abrahæ communis omnium justorum patris filius. Metaphora enim videtur ab humano sinu sumpta, in quem filii tenerè dilecti recepti reconduntur. Significatur itaque per *sinum Abrahæ* remota quædam & secreta sedes quietis in societate Abraham, ut Ambros. hîc & Augustin, libro 4. De anima, capite 16. & Epist. 99. & aliis multis locis, ut ita simul quies & societas Abraham insinuetur, qui tamquam communis pater omnium credentium filios suos ibi colligat. Hunc sinum satis apertè tradit idem Augustin. in Psalm. 85. & Greg. lib. 4. Moral. capite 27. fuisse apud inferos limbum quem dicimus Patrum: nam distinguunt ab eo quemdam infernum inferiorem, ubi sint animæ damnatorum. Porrò ex hoc loco manserunt illæ phrases apud Christianos, ut animæ justorum dicantur à morte deferri in sinum Abrahæ, quamvis à Christi ascensione status rerum mutatus sit: nam, ut Cyril. libro 12. in Joan. capite 36. ex quo Christus moriens dixit, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, certam spem & fidem habemus, quòd à morte ad Deum Patrem transituri sumus. Mortuus autem est et dives, et sepultus in inferno, id est, ita corpus terræ mandatum, ut anima per angelos malos in infernum demersa fuerit in pœnas: nam sepultura ista inferni pœnarum profunditatem significat, ut Augustin. lib. 2. Quæst. Evang. quæst. 88.

24. Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus.

23. Elevans autem oculos suos. Isti oculi, & lingua divitis, & Lazarie conspectus, totâque rei velut corporalis descriptio multos in errorem duxit. Gregor. Nyssenus omnia spiritualiter intelligenda putavit: Tertullianus animam etiam esse corpoream. Sed observandum, Christum, quia de divite, & Lazaro tamquam hominibus loqui cœperat, de iisdem post mortem similiter loqui pergere, synecdochicè personis tribuens velut corporea membra adhuc habentibus, id, quod in sola anima agebatur. Atq ie ita futuræ vitæ statum repræsentat corporaliter, accommodatè ad captum nostrum, quemadmodum subinde etiam Deo corporea membra tribui solent. Quis enim rudiorum facilè intelligeret, eos sine oculis vidisse, sine lingua locutos, sine corpore cruciatos? Itaque elevasse oculos dicitur, quia considerationem in ea, quæ supra se erant, conjecit. Cum esset in tormentis, diversa enim tormentorum genera sunt, vidit Abraham a longe, in loco altè suprà se posito, ut v. 26. Quibus verbis Tertull. colligit 4. contra Marcionem c. 24. sinum Abrahæ ab inferis discerni. Nam nec

elevaſſet dives oculos, & quidem de longinquo, niſi in ſuperiora per immenſam diſtantiam ſublimitatis & profunditatis. Ut enim in domo Patris, ita & in inferno manſiones multæ ſunt, ſublimitate & profunditate diſtinctæ. ET LAZARUM IN SINU EIUS, ejuſdem cum eo participem quietis atque fœlicitatis.

24. ET IPSE CLAMANS, per quod vehementia deſiderii exprimitur & loci longinquitas: PATER ABRAHAM, quia ex ipſo ſecundùm carnem natus erat, quod jure naturæ ad commiſerationem movendam valet. Quamvis autem damnati non invocent Sanctos ex pietate, nihil tamen vetat, eos invocare impulſu naturæ, ſummis viribus afflictionem fugitantis. MISERERE MEI: priùs enim vult excitare in patre commiſerationis motum, ut inde ulteriùs ſequatur ſui ſubventio. Itaque MITTE (quia videbat Abraham iſtius loci, qui ſinus ejus dicitur eſſe dominum, quem venire non deceret) LAZARUM, eo quòd alium in eo loco videret, Deo, quos vult, damnatis manifeſtante: UT INTINGAT EXTREMUM DIGITI SUI IN AQUAM, id eſt, ut vel guttulam aquæ tribuat. Opponitur enim gutta micæ, ut notatur apud Auguſtin. Serm. 227. De tempore: ET REFRIGERET LINGUAM MEAM: in qua plus cruciabatur: quia plus linguâ & ore peccaverat, ut Cyprian. Epiſt. 53. Per quæ enim quis peccat, per hæc & torquetur. Porrò cùm hîc de anima ſermo ſit, à corpore per mortem ſeparata, quæ linguâ corporeâ caret, intelligendum ſupereſt, linguam ſumi metaphoricè, talique pœnâ affectam fuiſſe animam, qualem ſenſiſſet, ſi corpore igni tradito ſitim paſſa fuiſſet. Quandoquidem enim anima igne materiale affligi ſenſibiliter poteſt, veriſimile eſt pœnis quoque ſimilibus, quibus affliguntur hîc ſenſus, affligi poſſe. Ut propterea non ſit neceſſe, etiam flammam intelligere metaphoricè, cùm dicit, QUIA CRUCIOR IN HAC FLAMMA: ignis enim tamquam inſtrumentum divinæ juſtitiæ, in ſpiritum poteſt agere, ut latè S. Gregor. 4. Dialogorum c. 28. & 29.

24. & ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

25. ET DIXIT ILLI ABRAHAM, quia animo ſuo tale reſponſum divinitùs reddit ſenſit: FILI, ſedatè ſcilicet & cum tranquillitate etiam damnato reſpondet, inſtar illius, qui cum tranquillitate judicat, nec humanitatis vocabulum, quod ei ratione originis competebat, ulla negat inclementia, ut obſervant Græci. RECORDARE: ex quo patet contra oblivia, quæ animabus tranſmigrantibus quidam tribuebant, animas poſſe recordari & actorum & perſonarum, nempe ad pœnam ſuam, ut Gregor. Homil. 40. QUIA RECEPISTI BONA IN VITA TUA, ſanitatem, divitias, honores, epulas; ET LAZARUS SIMILITER MALA, morbos, & paupertatem. Ex quo colligas cum Irenæo, Abraham ſcire, quid hîc agatur, ſive hoc noverit, Lazaro narrante, ut Auguſt. libr. De cura pro mortis cap. 14. ſive Deo potiùs revelante, ſicut jam Sanctis, ad conſpectum Dei perductis contigit. Unde Greg. Quid non vident, ubi omnia videntem vident? Cui conſentanea docent Bernardus Serm. 77. in Cantica, Baſil. De Virginit. & Ambr. De Viduis qui Martyres ſpeculatores vitæ actuumque noſtrorum nominat. NUNC AUTEM mutatis rerum vicibus, ſicut æquitas poſtulat, HIC CONSOLATUR, id eſt, ſolatio afficitur, TU VERO CRUCIARIS. His ergo verbis juſtitiæ,

25. Et dixit illi Abraham: Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris,

& rectissimi ordinis intuitu monet eum æquanimitatis, quamvis eâ non esset usurus.

26. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est : ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque huc transmeare.

26. Et in his omnibus, id est, super hæc omnia, ut Græcè. Accedit etiam hoc, quòd scilicet præter æquitatem istius jam dictæ vicissitudinis, rem petis impossibilem, quia INTER NOS ET VOS CHAOS MAGNUM, Græcè χάσμα, id est, hiatus magnus, seu ingens inane spatium (nam *Chaos* propriè significat rerum confusionem) FIRMATUM EST, seu constitutum divino decreto. Quo significatur, partim vera loci distantia, quæ est inter locum damnatorum & salvatorum, partim & maximè impervium esse ab utriusque transitum, & impermutabilem statum, propter incommutabilitatem divinæ sententiæ, prout notant August. quæst. 38. Titus & Euthymius : & hoc explicat id, quod sequitur, UT HI, QUI VOLUNT, id est, qui quàm maximè vellent, HINC TRANSIRE AD VOS, NON POSSUNT, maximè ad adferendum solatium. Hoc itaque desperato, ait :

27. Et ait : Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domũ patris mei:

27. ROGO ERGO TE, PATER, quandoquidem tale chasma non sit firmatum inter vos & eos, qui in mundo degunt.

28. habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

28. UT MITTAS EUM IN DOMUM PATRIS, &c. UT TESTETUR ILLIS, tamquam testis oculatus eorum, quæ hîc geruntur. Hanc divitis precationem S. Gregor. 4. Dialog. cap. 23. amore sui extortam esse docet, ne videlicet sibi tormenta ex iis augerentur, quos exemplo suo ad eamdem vitæ dissolutionem & immisericordiam provocaverat : Augustin. verò Epist. 125. fraterno amori eam adscribit : nam sicut non exuunt amorem sui, ita neque fortè consanguineorum. Alii minùs probabiliter ex invidia profectam docent : ex qua quamvis mallent neminem liberari, si tamen aliqui liberandi sunt, suos mallent, quàm alienos liberari. Respondet Abraham.

29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen, & prophetas : audiant illos.

29. HABENT MOYSEN ET PROPHETAS, id est, scripta Moysis & Prophetarum, quæ in eorum synagogis per omne sabbatum leguntur, ac de tormentis inferorum, & vita rectè instituenda, & agenda pœnitentia accuratè docent, AUDIANT ILLOS, id est, credant & obediant eis: & non erit opus ex mortuis audire, quid hîc geratur.

30. At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si quis ex mortuis jerit ad eos, pœnitentiam agent.

30. AT ILLE DIXIT, NON. Quod referri potest vel ad primam partem sententiæ superioris, vel ad secundam : si ad primam, supplendum est, non est satis, quòd habeant Moysen & Prophetas : si ad secundam, tunc, supple, non audient eos; quòd ipse partim ex perspicuis eorum moribus, partim ex seipso conjiciebat, qui prædicationi Moysis & Prophetarum non crediderat. Sed si quis ex mortuis jerit ad eos, Lazarus videlicet, quem antè noverant, tunc rei novitate, vel timore, vel horrore stimulati, PŒNITENTIAM AGENT.

31. Ait autem illi : si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

31. AIT AUTEM ILLI : SI MOYSEN ET PROPHETAS, quorum est sacrosancta auctoritas, & fides divinitùs confirmata, NON AUDIUNT, monitis eorum credendo & obediendo, NEQUE SI QUIS EX MORTUIS RESURREXERIT, qui narret, quid apud inferos agatur, CREDENT; tantùm abest, ut acturi sint pœnitentiam : dicent enim, esse phantasma, esse illusionem diabolicam, & ita reditus Lazari offensioni potiùs erit, quàm fructui. Quod duplici exemplo verissimum esse patuit, videlicet Lazari, fratris Magdalenæ, quem redivivum Judæi iterum

interficere voluerunt; & ipsiusmet Christi, cujus resurrectionem Moyses & Prophetæ prædicaverant, nec tamen ei crediderunt, ut notat August. libr. 2. Quæst. Evang. quæst. 38. apud quem vide totius historiæ sensum mysticum.

CAPUT SEPTEMDECIMUM.

CAPUT XVII.

1. ET ait ad discipulos suos: Impossibile est ut non veniant scandala, væ autem illi, per quem veniunt.

2. Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare, quàm ut scandalizet unum de pusillis istis.

3. Attendite vobis: *Si* peccaverit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.

5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

6. Dixit autem Dominus: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & transplantare in mare: & obediet vobis.

7. QUIS AUTEM VESTRUM HABENS SERVUM, præsertim conditione, qui mancipium vocatur, ARANTEM, AUT PASCENTEM, id est, qui colendis agris, aut pascendis gregibus, toto die occupatus fuerit, QUI REGRESSO DE AGRO, vesperi scilicet, DICAT EI: STATIM TRANSI, id est, perge in domum, ET RECUMBE, id est, accumbe mensæ.

7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi? Statim transi, recumbe:

8. ET NON DICAT EI: PARA QUOD CŒNEM, PRÆCINGE TE, MINISTRA, Græcè περιζωσάμενος διακόνει μοι, *præcinctus ministra mihi*: nam cùm apud Orientales longis uterentur & adhuc utantur vestibus, extremas lascinias in cingulum retrahebant, ut essent expeditiores.

8. & non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes?

9. NUMQUID GRATIAM HABET SERVO ILLI? id est, numquid ei aget gratias, rebus aut verbis, quasi obligatus servo, propter acceptum ab eo aliquod beneficium? NON PUTO, quia non est hoc heris in more positum, ut qui persuasi sint serviendi necessitatem servis incumbere.

9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat?

10. SIC. Non infert Christus, *Sic & vobis, cùm omnia feceritis, &c. Pater meus cœlestis faciet*, quemadmodum applicatio parabolæ videbatur postulare, sed de industria mutat sermonem: SIC ET VOS DICITE, SERVI INUTILES SUMUS, ut videlicet magis intelligeremus, quàm humiliter de nobis sentire debeamus, quales nos reputet Deus, aut quomodo nobiscum acturus sit. Non enim *servos inutiles* vocaturus est, sed, ut in alia dicit parabola, *Euge serve bone & fidelis:* & alibi: *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Non bonitas ejus eos, qui naturâ sunt servi, & ita istâ consideratione nihil mereri possent, dato spiritu adoptionis, elevavit ad dignitatem amicorum, imò filiorum Dei, quâ ratione à Deo mereri possunt. Porrò, vult ut servos inutiles nos dicamus; primò, quia spectatâ conditione naturæ nostræ servilis, omnia debemus Deo, & nihil commodi ei adferimus: secundò & maximè, quia nihil ultrà, quàm debuimus facere, fecimus, ejus præcepta sola adimplendo. Sic enim & in rebus humanis servum inutilem vocamus, qui nihil ex se facit, sed ea tantùm, quæ imperantur; nam

10. Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

hanc rationem explicat ipse Dominus, cùm subjungit: QUOD DEBUIMUS FACERE, FECIMUS. Græcè expressè ponitur particula causalis, ὅτι ὃ, *quia quod, &c.* id est, quia nihil aliud fecimus, quàm quod facere debebamus. Ex quibus patet, nihil hunc locum facere contra meritum bonorum operum, ut Calvinistæ volunt: tantùm enim præscribit, quàm humiliter de nobis sentire debeamus, si summo jure Deus nobiscum, spectatâ nostrâ conditione, agere voluisset, non quid ipse servis in filios adoptatis promiserit, aut responsurus sit.

11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.

11. DUM IRET IN JERUSALEM, TRANSIBAT PER MEDIAM SAMARIAM ET GALILÆAM; quia rectum iter in Jerusalem ex Paneade, seu Cesaræa Philippi, unde veniebat, est per Galilæam, ac deinde per Samariam. Cùm ergò INGREDERETUR QUODDAM CASTELLUM, id est, jam proximè ingressurus esset vicum quemdam seu pagum; nam intra ipsum castellum, seu pagum leprosi cum hominibus conversari non poterant, vetante Lege, Num. 5. vers. 2. OCCURRERUNT EI DECEM LEPROSI, quos partim morbi communicatio, partim studium impetrandæ sanitatis conjunxerat. Nam alioqui Judæi non contebantur Samaritanis, qualis unus eorum erat. QUI STETERUNT À LONGE, propter immunditiam suam, quia vetabantur versari cum sanis.

12. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè:

13. & levaverunt vocem, dicentes: Jesu Præceptor, miserere nostri.

13. ET ELEVAVERUNT VOCEM, propter distantiam scilicet altâ voce clamaverunt, DICENTES, unanimi scilicet clamore, omnes pro singulis, & singuli pro omnibus, ut hujusmodi concordiæ, mutuæque dilectionis significatione, quasi facta conspiratione Christi misericordiam expugnarent: JESU PRÆCEPTOR, Græcè ἐπιστάτα, quod propriè significat præfectum, seu præsidem, qui suo imperio res moderatur: unde & Latinum Præceptor à præcipiendo, id est, imperando dictum est. Plus itaque hîc significat quàm doctorem, ut etiam Theophyl. observavit: MISERERE NOSTRI, impertita sanitate.

14. Quos ut vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, cum irent, mundati sunt.

14. QUOS UT VIDIT, nam clamor eorum videtur Christi oculos ad se convertisse, DIXIT: ITE, OSTENDITE VOS SACERDOTIBUS, utpote quorum est lepram dubiam explorare, vel eâ curatâ immunes declarare, denique præscriptis legis ritibus purificare.

Cur ergo, inquies, mittuntur ad Sacerdotes isti, quorum notoria erat lepra: idque antequam ab ea sanati essent? Respondetur, quia sufficiebat eos mundatos esse, non antequam pergerent, sed antequam pervenirent ad Sacerdotes. Ac proinde Christi verba tacitam continent promissionem, eos mundos fore, si præcepto suo obedirent, quia eos in itinere mundare decreverat. Fecit hoc ad probandam & exercendam eorum fidem, dum immundi mittuntur ad Sacerdotes, quos jam mundi accedere debebant, ut sic colligerent interea se mundandos, sicut etiam factum est. Nam DUM IRENT, seu inter eundum, MUNDATI SUNT, potiùs quàm sanati. Nam quamvis lepra his temporibus nota sit gravis, ac deploratus morbus, multòque gravior olim post reditum ex terra sancta fuit, Judaïca tamen coloris potiùs vitium erat, quàm valetudinis, aut integritatis sensuum & membrorum, ut Augustin. libr. 2. Quæst. Evang. quæst. 40. & leprosorum consortium magis vetitum erat, propter significationem aliquam, quàm propter periculum. Vide Levitici 13.

UNUS AUTEM UT VIDIT QUIA MUNDATUS EST, mundatione non reali, sed etiam jam declarata per Sacerdotem. Credibile est eos animadversa sua mundatione expleviſſe præceptum Chriſti is: quod ex eo probabiliter colligitur, quia unus eorum ſtatim riter cum Chriſto converſatur verſ. 16. Itaque mundatus, & à ote purificatus, & ſic hominum ſocietati reſtitutus, REGRESSUS Chriſtum, ubi eum tunc verſari contingebat, ſive eodem, ſive alio loco, CUM MAGNA VOCE, magnæ gratitudinis & affectus teſte, MAGNIFICANS DEUM, Græcè δοξάζων, *glorificans*, ſeu glorioſum, & magnum prædicans, atque laudans Chriſtum, tamquam Deum. Nam ex ipſo facto videtur divinam ejus potentiam agnoviſſe: cujus indicium eſt, tum profunda illa humilitas & reverentia, qua

15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt, regreſſus eſt, cum magna voce magnificans Deũ,

16. CECIDIT IN FACIEM ANTE PEDES EIUS, ſcilicet pronus in terram: tum ipſum relativum, *ejus*: nam cujus, niſi Dei, cujus mentio præceſſerat? GRATIAS AGENS; ita ut magnificando exhibuerit Chriſto, tamquam Deo, debitam laudem; procidendo majeſtati ejus, venerationem; gratias agendo, beneficentiæ ejus gratitudinem. ET HIC ERAT SAMARITANUS: proinde ex alia gente, fortè & religione, quàm Iſraëlitæ. Erant enim Samaritani plerique genere Babylonii, Chuæi, vel ex aliis gentibus oriundi, quas Salmanaſſar pro Iſraëlitis in Samaria collocaverat, & ideò mox vocatus *alienigena*: quanvis interim Samaritani etiam de genere Iſraël gloriarentur, ut patet Joan. 4. v. 12. Jeſus itaque dixit:

16. & cecidit in faciem ante pedes ejus; gratias agens: & hic erat Samaritanus.

17. NONNE DECEM MUNDATI SUNT? q. d. maximè; ET NOVEM IBI SUNT? Ut ſimiliter agnoſcat beneficium: verba enim ſunt non ignorantis, ſed arguentis eorum ingratitudinem. Cùm autem taceret præ modeſtia Samaritanus, ut qui non alios accuſaturus, ſed pro ſe gratias acturus veniſſet, adjicit Chriſtus ad circumſtantes:

17. Reſpondens autem Jeſus, dixit: Nonne decem mundati ſunt? & novem ubi ſunt?

18. NON EST INVENTUS, QUI REDIRET. Quo inſinuat, ad gratitudinem Deo debitam eſſe ſatis affectum internum, ſed congrua quoque gratitudinis officia eſſe adjungenda: ET DARET GLORIAM DEO, aperiendo, confitendóque veritatem, quâ Chriſtus tamquam Deus, vel Deus per Chriſtum glorificandus erat. Quâ phraſi dicitur 1. Reg. 6. v. 5. *Dabitis Deo Iſraël gloriam*, id eſt, confitendo agnoſcetis plagas iſtas à Deo Iſraël vobis inflictas eſſe, & ita eum glorificabitis. Peccaverunt igitur novem leproſi, non, ut aliqui putant, infidelitate & ſuperbia, quaſi ſuo merito ſanitatem obtinuiſſent; nam contrarium videtur patere ex verſu 15. ſed ſola ingratitudine, quæ ex morâ ſocordia & beneficiorum Dei oblivione naſcitur. Vult enim Deus ſua in ſe refundi dona, quodammodò amiſſum reputans, quod ingratus acceperit: qua de re vide latiùs Bernard. Serm. contrà vitium ingratitudinis. NISI HIC ALIENIGENA: à quo proinde minùs gratitudinis exſpectandum fuerat. Quòd plerumque contingere ſolet, quia conſiderant magis indignis conferri beneficium. Unde Bernardus ibidem Felix, qui ſe alienigenam reputans; etiam pro quibuſque minimis beneficiis non minimas refert gratias, gratuitum eſſe non dubitans, quidquid alieno impenditur & ignoto.

18. Non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.

19. ET AIT ILLI: SURGE. Nam venerationis explendæ cauſâ huc

19. Et ait illi: Surge, vade, quia

fides tua te salvum fecit.

usque prostratus in faciem jacuerat. VADE, utpote officio gratitudinis, & omnibus, quæ ad sanitatem fides poposcerat, ritè perfunctus: QUIA FIDES TUA, qua cum cæteris credidisti verbis meis, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, TE SALVUM FECIT, à lepra. Nam quamvis iste Samaritanus etiam animo fortassis per justificationem sanatus fuerat, non videtur tamen eò Christus respicere. Fidem ergò commendat, quia illo tempore fides potissimùm fundanda, & quid posset, declarandum erat. Allegoricè exponit hanc historiam August. lib. 2. Quæst. Evang. qu. 40. & Greg. 5. Moral. cap. 11. aliàs 10. qui per *leprosos* significari volunt hæreticos, & per *lepram* hæresim. Nam ut lepra cutis colores variat, atque maculat, ita hæresis veris falsa permiscet. Unde & Christum præceptorem vocaverunt, & ad Sacerdotes missi sunt, quorum est curare hæreticos doctrinæ sanitate. Vide latiùs præcipuè August.

20. Interrogatus autem à Pharisæis: Quando venit regnũ Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum observatione:

20. INTERROGATUS AUTEM A PHARISÆIS, qui sæpè audiverant eum prædicantem appropinquare regnum Dei, cujus tamen nullum apparebat indicium. QUANDO VENIT, id est, venturum esset, seu venire oporteret, REGNUM DEI? quo glorioſus & palam omnibus dominabitur. Somniabant enim tunc Judæi mundanum quoddam regnum, sicut & nunc, in quo Deus per Christum, & ipsi cum eo cæteris imperarent nationibus. Moribus itaque Pharisæorum satis congruum videtur, ut hoc potiùs irridendi quàm discendi causa interrogaverint. Quibus respondit: NON VENIT, seu veniet, REGNUM DEI CUM OBSERVATIONE; ità scilicet, ut antequam veniat, observandis signis sciri possit, quando venturum sit, quia ex improviso unicuique & omnibus suo tempore aderit. Nam illa signa adventus sui, quæ Christus c. 21. tradit, non sunt signa, quibus adventus diu antè præsciatur, sed quibus præsens agnoscatur.

21. neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic: Ecce enim regnum Dei intra vos est.

21. NEQUE DICENT, de illo regno aut Rege ejus: ECCE HIC, AUT ECCE ILLIC, scilicet in determinato aliquo loco aut civitate regnum illud quærendum est: Nam quamvis hæretici possint primum Christi adventum, & regnum ejus in hoc mundo fallaci quadam similitudine effingere, quam ob causam prædixit Dominus, Matth. 24. vers. 23. eos dicturos, *Ecce hic est Christus, ecce illic*: secundus tamen adventus Regis, & regni ejus, tam erit manifestus, dicente Psalmo 49. *Deus manifestè veniet*, ut circa illum fallacia aut fictio habere non possit locum. Porrò ne nihil ad quæstionem Christus attulisse videretur, transilit à futuro regno ad præsens, quod futuri typus & inchoatio est; quemadmodum Matth. 37. de vero Elia interrogatus, transilit ad Joannem, ejus figuram. Dicit igitur, ECCE REGNUM DEI INTRA VOS EST: q. d. Quid opus est observare tempus, ac locum regni Dei, cùm sit intra vos? Cur quæritur foris, quod intus quæri debet, & inveniri potest? Cur exspectatis venturum, quod jam adest? quia ubicumque est animus diligens justitiam, superior opibus, voluptatibus, honoribus mundi, &c. ibi est regnum Dei. Quo sensu cùm dicit, *intra vos est*, non necessariò procedit de reali inexistentia, quasi reverâ in Pharisæis regnum illud fuisset, sed de natura regni illius, quod de se spirituale & invisibile est. In hunc ferè sensum Theophyl. & Beda, dum Deum per fidem bonamque conversationem intra nos regnare

gnare docent. Neglectis itaque Pharisæis contemptoribus,

22. AIT AD DISCIPULOS SUOS, ut eos doceret eâ, quam habebant, salutis occasione frui, dum cum ipsis in corpore versaretur, tamquam Rex regni illius, quod intra ipsos esse dixerat, sed fide credendus: VENIET DIES, QUANDO DESIDERETIS VIDERE UNUM DIEM FILII HOMINIS, id est, vel uno die præsentia mea frui, quemadmodum jam fruimini, ut à me instructionem, consolationem & animi robur accipiatis: ET NON VIDEBITIS, me per assumptionem à vobis ablato. Quibus verbis eos armat non solùm ad patientiam, sed etiam ad vivendum ex fide, postquam ab eis ablatus fuerit. Quæ sequuntur in hoc Cap. explicata sunt diversis locis apud Matth. præter illud vers. 32.

22. Et ait ad discipulos suos: Venient dies quãdo desideretis videre unũ diem Filii hominis: & non videbitis.

23. Et dicent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neque sectemini.

24. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit Filius hominis in die sua.

25. Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac.

26. Et sicut factum est in diebus Noë, ita erit & in diebus Filii hominis.

27. Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem, quam intravit Noë in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes.

28. Similiter sicut actum est in diebus Lot: Edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant:

29. qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit:

30. secundùm hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.

31. In illa hora qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa, & qui in agro similiter non redeat retro.

32. MEMORES ESTOTE UXORIS LOT, quod videlicet illi acciderit, dum amicorum, & rerum pereuntium amore contrà Angeli vetitum retrò respexit. Nempe quia consequente mox ultione divina unà cum Sodomis periit, in statuam salis commutata: ut ita hominibus condimentum ac documentum præberet, quo sapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum, inquit August. 16. de Civit. cap. 30. Illud autem est juxtà mentem Christi hoc loco, ut memores illius exempli caveamus, ne capti amore rerum, quas cum mundo perire necesse est, cùm eas salvas esse volumus, & ad eas animo respicimus, unà cum illis dei judicio opprimamur & pereamus.

32. Memores estote uxoris Lot.

33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam, & quicumque perdiderit illam, vivificabit eam.

34. Dico vobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno; unus assumetur, & alter relinquetur:

35. duæ erunt molentes in unum; una assumetur, & altera relinquetur: duo in agro; unus assumetur, & alter relinquetur.

36. Respondentes dicunt illi; Ubi Domine?

37. Qui dixit illis? Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

CAPUT OCTODECIMUM.

CAPUT XVIII.

DICEBAT AUTEM ET PARABOLAM, id est similitudinem: ex qua intelligeremus, à minori ad majus, QUONIAM OPORTET, id est, quòd oporteat, SEMPER ORARE, juxtà illud Apost. 1. ad Thessal. 5. vers. 17. *Sine intermissione orate.* Per quæ quidam tantùm significari putant, non debere nos desperare, etsi non statim obtineamus: nam, inquiunt, saltem somno oratio interrumpi debet. Sed præterquam quòd illa per-

1. Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere.

severantia magis sequentibus verbis indicatur, major certè orandi assiduitas hoc verbo, *semper*, juxtà antiquos significata est, ut videlicet quantum fieri potest, numquam oratio interrumpatur. Unde Anna dicitur orationibus & obsecrationibus serviisse Domino die ac nocte: & de vidua Apost. *Instet orationibus die ac nocte.* Et Cæcilia non diebus, neque noctibus ab oratione cessabat: & Martinus invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Itaque Augustin. Epist. 121. cap. 9. & aliis locis, docet continuam orationem esse continuum desiderium, continuè enim orat, qui continuè desiderat: etsi non moveat labia, nec flectat genua. Basilius verò in Regula 37. fusiùs disputata, ad semper orandum plus requirit, ut videlicet in medio occupationum & fori desiderium illud mente Deo exponatur: quomodo hoc Sanctos intellexisse, eorum vita probat, quæ non aliud esse solet, quantum infirmitas humana permittit, nisi perpetua quædam oratio. ET NON DEFICERE: Græcum μὴ ἐκκακεῖν, alii vertunt, *non animo concidere*, vel *succumbere*, subjiciendo præ tædio & successûs desperatione orandi studium, si non statim sequatur effectus.

2. dicens: Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur.

2. DICENS: JUDEX QUIDAM ERAT, &c. QUI DEUM NON TIMEBAT, id est, qui nec Dei timore, nec hominum verecundiâ movebatur, ut jus ex officio diceret, sive cui neque conscientiæ cura erat, neque famæ.

3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adversario meo.

3. VIDUA AUTEM QUÆDAM ERAT. Vidua & hîc & alibi in Scripturis proponi solet velut exhortationis exemplum ad suscipiendum orandi studium, ut notat Augustin. Epist. 121. cit. cap. 26. & patet in Anna Samuelis matre, & illa filia Phanuel, Lucæ 2. & 1. ad Timoth. 5. vers. 5. Quid autem, inquit Augustin. in hoc operis genere in viduis electum est, nisi destitutio & desolatio? Quapropter si se omnis anima intelligat in hoc sæculo destitutam, ac desolatam, quandiu peregrinatur à Domino, profectò quamdam viduitatem suam Deo defensori assiduâ & intensissimâ precatione commendat. Hac ergò de causa viduæ personam Christus inducit dicentem: VINDICA ME, id est, defende me (non enim videtur hîc sumi in significatione ulciscendi) DE ADVERSARIO MEO, qui mecum litigat, & opprimit justitiam causæ meæ, opibus, gratiâ, & violentiâ. Petit itaque, ut sibi jus ex officio dicar, & ita liberetur.

4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum nō timeo, nec hominem revereor:

4. ET NOLEBAT PER MULTUM TEMPUS, defectu non potestatis, sed bonæ voluntatis, idque contrà officium judicis, utpote cujus est etiam non rogati subvenire oppresso, judicare pupillo, defendere viduam, ut est Isaiæ 1. vers. 17. Postea autem dicebat:

5. tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me.

5. QUIA MOLESTA EST MIHI HÆC VIDUA, VINDICANDO ILLAM, id est, jus illi dicendo, liberabo eam ab invidia, NE IN NOVISSIMO, Græcè εἰς τέλος, *in finem*, id est, assiduè, semper; Syrus *omni tempore*, quo modo sumitur Psam. 78. vers. 5. & Psal. 12. vers. 1. VENIENS, id est, pergens mihi esse molesta, SUGILLET ME, quod propriè, sicut & Græcum ὑπωπιάζειν significat plagis lividum reddere; hîc autem per metaphoram significat maledictis obloqui, & famam lædere: quod ultimum refugium esse solet mulierum, quæ passæ sunt injuriam, vel certè tædio aures obtundere, quomodo intellexit Beda & Au-

guſtin. libr. 2. Quæſt. Evang. quæſt. 45. & Epiſt. cit. cap. 8.

6. AIT AUTEM DOMINUS, ſimilitudinem hanc accommodaturus ad propoſitum: AUDITE, QUID JUDEX INIQUITATIS, id eſt iniquus, quia ſcilicet impius erga Deum, impudens in homines, nec juſtitiam adminiſtrans intuitu juſtitiæ, ſed pro commodo, vel incommodo ſuo, DICIT, nempe quòd vindicabit illam, precandi ſcilicet aſſiduitate, ac tædio victus: nam hoc ſolùm in verbis ejus attendi vult.

6. Ait autem Dominus: Audite quid judex iniquitatis dicit:

7. DEUS AUTEM, qui clemens eſt, qui propenſus in oppreſſos, qui fons juſtitiæ, ac miſericordiæ, qui precum aſſiduitate non obtunditur, ſed delectatur, ut occaſionem habeat citò ſubveniendi, NON FACIET VINDICTAM ELECTORUM SUORUM, id eſt, non vindicabit, ſeu liberabit à violentia, quâ præmuntur fideles & electi, quos ille non averſatur, ut ille judex ſed ab æterno eligendo dilexit, CLAMANTIUM AD SE, id eſt, non ſimpliciter rogantium, ſed ex totis animæ viſceribus clamantium pro liberatione; nequè tantùm ſingulis diebus, ſed DIE AC NOCTE: quo vehementiſſimæ & perſeverantiſſimæ preces ſignificantur; nam ſingula verba ſpirant emphaſin, & argumentum à minori ad majus peti indicant. ET PATIENTIAM HABEBIT IN ILLIS? Græcè ἐπ' αὐτοῖς, *ſuper illis*, id eſt, Sempérne longanimis erit, ac patienter feret injurias eorum, differendo liberationem, quam petunt? Quo ſenſu dicitur Eccleſ. 35. v. 22. *Dominus non elongabit, ſed judicabit juſtos, & faciet judicium: & fortiſſimus non habebit in illis patientiam.* Reſpondet autem Chriſtus interrogationi ſuæ:

7. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium, ad ſe die ac nocte & patientiam habebit in illis?

8. DICO VOBIS, QUIA CITO FACIET VINDICTAM ILLORUM, eos à malis omnibus liberando. Non quòd ſtatim eis precantibus ſubveniat; ſic enim periret precum perſeverantia, ad quam hortatur: ſed quia ne momento quidem tardat ultra articulum temporis, quo recta ratio, id eſt, juſtitia & veritas Dei dictaverit eſſe ſubveniendum. Sed quia, ut Auguſt. notat Serm. 36. De verbis Dom. c. 1. ſi fides deficit, perit etiam oratio, & maximè orationis perſeverantia, hinc Chriſtus adjicit: VERUMTAMEN FILIUS HOMINIS VENIENS, ad faciendam vindictam, ſeu ad liberandum ſimul & ſemel electos ſuos ab acerbiſſimis, quæ tunc erunt, tribulationibus, & quæ maximè poſcunt, ut aſſiduæ orationi vacent, PUTAS, Græcè, ἆρα, *num*, ſive *utrum*, quomodo ſæpè ſumitur illud, *putas*, in Scripturis, ut ſuprà, cap. 12. verſ. 42. & Matth. 24. verſ. 25. INVENIET FIDEM IN TERRA, ſeu in hominibus? quâ interrogationis figurâ fidei raritatem ſignificat, ut Theophyl. notat; non tamen omnimodum interitum; quaſi tunc Eccleſia fidelium peritura ſit: quem perverſiſſimum eſſe ſenſum docet Auguſt. libr. 2. contrà Gaudentium, cap. 6. Nam Donatiſtæ ex hoc loco probare conabantur, apoſtaſiam totius orbis factam eſſe. Itaque idem Auguſtin. duplici ſenſu hoc exponere ſolet; vel de fide formata per charitatem, ut hoc dictum ſit propter iniquorum abundantiam, bonorumque paucitatem, juxtà illud Domini, *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum*: vel de fide perfecta, quâ montes transferuntur, atque ita difficilis eſt in hominibus, inquit, ut in ipſis quoque admirabilibus Sanctis ſicut in ipſo Moyſe, inveniatur aliquid, ubi trepidaverint, vel trepidare voluerint; talis enim fides efficaciſſima eſt

8. Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?

ad orandum, & impetrandum. Utrumque ſenſum tradit libr. de unit. Eccleſiæ, c. 15. poſtremum loco cit. contrà Gaudentium, & latiùs Serm. 36. de verbis Dom. cap. 1. Cùm ergò docuiſſet Dominus, orationem eſſe debere perſeverantem; nunc ut doceret eſſe debere humilem,

9. Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam juſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam:

9. DIXIT AD QUOSDAM, Phariſæos videlicet, de ſuperbia maximè notabiles, QUI IN SE CONFIDEBANT, TAMQUAM IUSTI, ſupple, *eſſent*, ut Græcè additur, id eſt, qui confidebant, ſeu confidenter ſibi perſuadebant, ſe eſſe juſtos: nam Græcè eſt, πεποιθότες ἐφ' ἑαυτοῖς, *perſuaſi in ſeipſis*, id eſt, qui ſibi perſuaſerant, &c. ET ASPERNABANTUR CÆTEROS, tamquam injuſtos, arbitrati videlicet ſe ſolos eſſe juſtos. Superbia enim vult eſſe ſingularis, perversè appetens id, quod Deo maximè proprium eſt, ut ſcilicet unus omnibus excellat, de quo Auguſt. libr. De vera religione, cap. 45. Et hæc eſt cauſa, cur ſuperbos Auguſtin. communiter per unicornes intelligat: Hanc ſuperbiam etiam ipſo nomine Phariſæi præferebant, tamquam ſeparati à reliquis. Ad hos ergò dixit PARABOLAM ISTAM: quæ fortaſſis res verè geſta fuit, ſed ad hoc propoſita, ut inde tamquam ex parabola aliquid ſimile pro omnibus orantibus eliciatur.

10. Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent: unus Phariſæus, & alter Publicanus.

10. DUO HOMINES ASCENDERUNT IN TEMPLUM, tamquam in monte ſitum, utiſto corporali aſcenſu monerentur oraturi, mentem ſimul ad Deum elevandam eſſe, cùm orationis non poſtrema pars ſit mentis in Deum elevatio. UNUS PHARISÆUS, opinione ſanctitatis ſuæ tumens, ET ALTER PUBLICANUS, peccator publicus, & agnoſcens ſe eſſe talem.

11. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut ceteri hominum: raptores, injuſti, adulteri: velut etiam hic publicanus.

11. PHARISÆUS STANS, ſuperbè & arroganter, quaſi jure ſuo de propria juſtitia cum Deo diſſerturus; nam ſublimitas animi etiam in corpore ſuam ſimilitudinem operabatur & operari ſolet: HÆC APUD SE ORABAT, id eſt, hæc loquebatur in corpore ſuo cum Deo, nihil enim orabat à Deo, prout oratio poſtulationem ſignificat, ut notat Auguſt. Serm. 36. cit. DEUS GRATIAS AGO TIBI, QUIA NON SUM, per tuam ſcilicet gratiam perſeveratus (nemo enim veraciter agit gratias alicui, niſi agnoſcat ejus beneficium) SICUT CÆTERI HOMINUM. Diceret ſaltem, *ſicut multi homines*. Quid eſt, *ſicut cæteri hominum*, niſi *ſicut omnes præter me?* Ego juſtus ſum, cæteri peccatores, prout hoc extendit Auguſtin. ibid. quibus in verbis multipliciter peccabat. Primò, quia verbo tenùs agens Deo gratias, réipſa ſibimet placebat in donis Dei, quod in viris etiam bonis ſuperbiæ germen eſſe ſolet. Secundò, quia non ſolùm ſibi placebat, ſed etiam cæteris omnibus ſe cum quodam contemptu præferebat, adeóque ſub ſpecie gratiarum actionis laudabat: omnis autem qui ſe exaltat, etiamſi vera dicat, offendit, ut Ambroſ. Serm. 3. in Pſal. 118. verſ. 5. Tertiò, quia falsò ſe peccatorum numero eximebat: nam illa verba, RAPTORES, INIUSTI, &c. vim habent enumerationis omnium vitiorum, etiam ſuperbiæ, (pauca enim tangens, relinquit reliqua:) cùm tamen illa deſtrueret, quidquid reliqua ejus juſtitia ædificaverat, ut ait S. Paulinus Epiſt. 58. apud Auguſtin. ideóque falſa fuit hæc oratio. Quartò addit, VELUT ETIAM, ſeu qualis eſt etiam, HIC PUBLICANUS, unus videlicet ex illis cæteris raptor & injuſtus. Nam eum tamquam digito oſtendens, jubet Deum animadvertere,

quantùm inter ſe & illum interſit. Qua in re continetur intolerabilis ſuperbia cum temerario judicio conjuncta: ſuperbia eſt enim, inſultare peccatori, ut notat Auguſt. in Pſalm. 93. & inſignis temeritatis, hominem condemnare, externo geſtu pœnitentem. Cùm ergò ſe laudaſſet, quòd declinaſſet à malo, nunc ulteriùs enumerat, quæ fecerit bona, ut utrimque ſe juſtum oſtenderet.

12. JEJUNO BIS IN SABBATO, id eſt, quâque ſeptimanâ, de quo dictum Matth. 28. verſ. 1. Phariſæos autem ſecundam & quintam hebdomadæ diem jejunio dedicaſſe tradit Epiphan. Hæreſi 16. DECIMAS DO OMNIUM, QUÆ POSSIDEO, in eleemoſynas videlicet erogando, ut Auguſt. in Pſalm. 146. Neque enim omnium omninò rerum decimas propriè dictas Sacerdotibus dare tenebantur. Obſervat autem idem Auguſt. tum illo Serm. 3.. tum lib. De ſpiritu & littera, c. 13. Phariſæum ſe tantùm laudaſſe, nihil verò omninò à Deo petiiſſe, tamquam ſcilicet nihil Deo indigeret ampliùs, ſive ad peccati cujuſcumque remiſſionem, ſive ad conſervandam, augendam, perficiendamque juſtitiam. Unde rectè loco quodam Ambroſ. Phariſæus arrogans in prece, jactans innocentiæ, præſumptor gloriæ, exprobrator miſericordiæ (fortè miſeriæ) prædicator ſui, criminator alieni, qui magis conveniret, (id eſt, debitum ſuis meritis poſceret) quàm rogaret Deum.

12. Jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.

13. ET PUBLICANUS A LONGE STANS, id eſt, longè ab altari & ſanctis locis, conſcientiâ id operante, quâ agnoſcebat, ſe per diſſimilitudinem morum longè eſſe à Deo, & ſalute, NOLEBAT, quia non audebat, NEC OCULOS quidem AD CŒLUM LEVARE; multò minùs aliud quidpiam audaciùs cum Deo facere, quod Cyprian. De Orat. Dominica in initio adſcribit verecundiæ; attollere verò oculos impudentiæ: SED PERCUTIEBAT PECTUS SUUM, ut peccata intus incluſa teſtaretur, juxtà Cyprian. ibid. ut ea contereret, juxtà Auguſtin. in Pſalm. 31. tunſio enim pectoris, inquit, obtritio cordis eſt: denique ut evidenti pulſu occultum caſtigaret peccatum, & à ſe pœnas exigeret, juxtà eumdem, Serm. 8. & 36. de verbis Domini. Hæc enim omnia importat pectoris tunſio, quam natura pœnitentes docuit, tum Judæos olim, tum deinde Chriſtianos, ut patet infrà, cap. 23. verſ. 48. Qui ritus olim tam familiaris erat Chriſtianis, ut ſimulatque audirent verbum, *Confiteor*, etiam pro laude uſurpatum, pectus tunderent, teſte Auguſt. Serm. illo 8. DICENS: DEUS PROPITIUS ESTO MIHI PECCATORI. Quibus paucis verbis & peccati confeſſio, & veniæ petitio exprimitur, & Spiritus ſancti infuſio poſtulatur; nam, ut Auguſt. Epiſt. 57., Spiritus ſanctus inhabitat propitius. Itaque quidquid ad juſtificationem eſt neceſſarium, iſto compendio comprehenſum eſt. Unde quia cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit, meritò pronuntiat Chriſtus:

13. Et Publicanus à longè ſtans nolebat nec oculos ad cœlum levare: ſed percutiebat pectus ſuũ, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.

14. DESCENDIT HIC, è templo, IUSTIFICATUS AB ILLO, id eſt, præ illo, phraſi Hebræis uſitata, ſeu magis quàm ille, prout Auguſt. legit multis locis, nempe quia Phariſæus opinione dumtaxat ſua, externáque ſpecie, Publicanus reverà coram Deo juſtificatus deſcendit. Ratio eſt, QUIA OMNIS, QUI SE EXALTAT, ſicut fecerat Phariſæus orando, HUMILIABITUR, quia ipſa ejus oratio talis facta ei fuerat in magnum peccatum.., & qui ſe humiliat, ſicut

14. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humuliabitur, & qui ſe humi-

liat, exaltabitur. Publicanus, EXALTABITUR: nam ipsa ejus justificatio magna exaltatio fuit.

15. Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderint discipuli, increpabant illos.

16. Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos, talium est enim regnum Dei.

17. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo?

19. Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.

20. Mandata nosti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum & matrem.

21. Qui ait: hæc omnia custodivi à juventute mea.

22. Quo audito Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.

23. His ille auditis, contristatus est; quia dives erat valde.

24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.

26. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri?

27. Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei,

30. & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

31. Assumpsit autem Jesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis,

32. tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur,

33. & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget,

34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

35. Factum est autem, cùm appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.

36. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37. Dixerunt autem ei quod Jesus Nazarenus transiret.

38. Et clamavit dicens: Jesu fili David miserere mei.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse verò multo magis clamabat: Fili David miserere mei.

40. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogavit illum,

41. dicens Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine ut videam.

42. Et Jesus dixit illi: Respice, fides tua te salvum fecit.

43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

CAPUT XIX.

CAPUT NONODECIMUM.

1. ET ingressus perambulabat Jericho.

ET INGRESSUS PERAMBULAT JERICHO, id est, plateas obibat civitatis, animas, ut videtur, quærens perditas, sicut medici ægrotorum domos obire solent.

2. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse dives;

2. ET ECCE VIR NOMINE ZACHÆUS; nomen est Siriacè à mundities deductum: ET HIC PRINCEPS ERAT PUBLICANORUM. Græcè ἀρχιτελώνης, quasi dicas Archipublicanus, seu Publicanorum plurium præfectus ad quem tamquam ad quæstorem primarium, vectigalia publica inferiores Publicani deferrent, ut indicat Augustinus Serm. 36. De verbis Dom.

ET IPSE DIVES, quia, ut idem ait, multos præſſerat, multis abſtulerat, multa congeſſerat: & inde habebat divitias; quamquam verſus 8. indicet eum etiam juſtis facultatibus divitem fuiſſe.

3. ET QUÆREBAT VIDERE JESUM, QUIS ESSET, ſecundùm faciem, quem jam dudum ex rumore, & ſecundùm virtutem & ſapientiam noverat: ET NON POTERAT PRÆ TURBA, quæ Jeſu ambulanti circumfundebatur, QUIA STATURA PUSILLUS ERAT.

3. & quærebat videre Jeſum, quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat.

4. ET PRÆCURRENS ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORUM. Si per ω mega, ſcribatur, ut eſt in textu Lucæ συκομωραία, ſonat ficum fatuam; ſi per ο micron, ut plerumque fit, ficum moro ſimilem: quam deſcribit Diſcorides libr. 1. cap. 182. eſſe guſtus inefficacis, hoc eſt ignavi & fatui; unde Syrus *ficum inſipidam* transfert: Plinius libr. 13. cap. 7. arborem moro ſimilem foliis, magnitudine, aſpectu, & *Ægyptiam ficum* vocat. Auguſt. Serm. 8. de verbis Apoſtoli, cap. 3. teſtatur eam in Africa, aut omninò nuſquam, aut rarò inveniri, in Judæa eſſe frequentem. Moralem ſenſum puſillæ ſtaturæ Zachæi, & aſcenſus ejus in lignum, vide ibidem apud Auguſt. & Ambroſ. in hunc locum, & Gregor. 27. Moral. cap. ult. Jeſus igitur ei dixit:

4. Et præcurrens aſcendit in arbotem ſycomorum, ut videret eum: quia inde erat tranſiturus.

5. ZACHÆE FESTINANS DESCENDE, omni ſcilicet cunctatione, ac tergiverſatione poſtpoſitâ; quod ideò dicit, ne conſcientiâ forſan territus trepidaret præ verecundia ſtatus, publicani talem virum hoſpitio recipere: QUIA HODIE IN DOMO TUA OPORTET ME MANERE, id eſt, hoſpitari decrevi: non quòd alia non eſſent hoſpitia, ſed quia, quamvis vocem invitantis Zachæi Dominus non audiverat, viderat tamen affectum ejus, inquit Ambroſ. quem etiam verbis deprompſiſſet, niſi conſcientia peccatorum & infamia publica obſtitiſſet. Iſtâ igitur humanitate prævenitus, & anxietate ſuâ liberatus.

5. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.

6. FESTINANS DESCENDIT, ET EXCEPIT ILLUM GAUDENS, id eſt, magnâ animi alacritate, libentiſſimè, tamquam magno affectus honore & beneficio, præter omnem opinionem. Ubi Maldonatus apertè confirmari putat, facienti, quod in ſe eſt, Deum gratiam non denegare, poſſéque hominem ſeſe aliquo modo ad gratiam diſponere. Sed multùm fallitur: hoc enim ipſum, quòd Zachæus Dominum videre voluit, nempe cujuſmodi eſſet, ſeverus an placidus, quem peccator fidenter poſſet accedere, gratiæ tribui debet, ſicut Auguſtin. tribuit Serm. 8. de verbis Apoſtoli, cap. 3. & 4. Vidit Dominus, inquit, ipſum Zachæum: viſus eſt (Zachæus) & vidit. Sed niſi viſus eſſet, non videret, quos enim prædeſtinavit, illos & vocavit. Et hinc eſt, quòd Concilium Arauſicanum, cùm definiviſſet cap. ult. in omni opere bono non nos incipere, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvari, ſubjicit: Unde manifeſtiſſimè credendum eſt, quòd & illius latronis, & Cornelii Centurionis, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, tamquam ſcilicet incipiente illud opus bonum: veriſſimum eſt enim illud Scripturæ, & generaliſſimum Jeremiæ 30. v. 21. *Applicabo eum, & accedet ad me. Quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum, ut appropinquet mihi?* Itaque quod Maldonat. quoſdam juvari judicat, ſequentes Chriſtum, alios eum præcurrentes, non poteſt cum doctrina Auguſtini, ex Scriptu-

6. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.

ris hausta, consistere : cui conformiter & Prosper contrà Collatorem, cap. 7. de Christo, Præparavit, inquit, sibi ejus animum, cujus elegit hospitium. Vide ibi latiùs.

7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset.

7. ET CUM AUDIRENT OMNES, turba scilicet tota præsens, MURMURABANT, quòd, cum tota orbe oberrasset, & quasi quæsivisset hospitium, tandem tamen AD HOMINEM PECCATOREM DIVERTISSET, publicum scilicet, quales habebantur Publicani. Quamquam Tertullian. libr. 4. contrà Marcionem, cap. 37. Zachæum putat fuisse gentilem, quod & Cyprianus Epist. 63. & Ambros. libr. 1. Offic. cap. 30. sentire videre, ut proinde causa murmurationis etiam fuisset accessus ad gentilem hominem, & quidem talem.

8. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine do pauperibus : & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

8. STANS AUTEM ZACHÆUS, tamquam refutaturus murmur turbæ agrè ferentis ingressum Jesu, DIXIT AD DOMINUM, ECCE, &c. q. d. Fateor, peccator fui, sed ecce emendationem meam, quia DIMIDIUM BONORUM MEORUM DO PAUPERIBUS, id est, dare paratus sum, & jam quasi assignans do. Nam quòd quidam exponunt, *do*, id est, dare soleo, videtur repugnare versui 9. Unde & plerique auctores tunc illam mutationem factam esse censent, Theophyl. August. & alii. ET SI QUID ALIQUEM DEFRAUDAVI, id est, per injustitiam & calumniam, ut Græcum indicat, extorsi, REDDO QUADRUPLUM : q. d. Alterum dimidium mihi servo, non ut eo fruar, sed ut debita mea solvam, reddens quadruplum, ut Augustin. Serm. cit. & Tract. 5. in Epist. Joan. Non enim habet gratiam liberalitas, si injuria perseverat, quia non spolia, sed dona quæruntur, inquit Ambros. nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, ut Augustin. Epistola 54. Quadruplum autem reddit, propter plenissimum studium justitiæ, sua cuique tribuentis, cui non sufficit reddere æquivalens, ut notat Bernardus Serm. 1. De omnibus Sanctis. Quod enim Lex Exodi 22. vers. 1. de solis ovibus ablatis constituerat, ipse in formulam generalem faciendæ restitutionis traxit, ut abundè damnum omne resarciret, quod quantum esse posset, ei incertum erat. Quod autem aliqui hinc consequens esse putant, eum nihil sibi reservasse, non firmiter videtur colligi : cùm enim esset dives, potuit etiam post quadrupli restitutionem aliquid superesse.

9. Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est : eò quòd & ipse filius sit Abrahæ.

9. ET AIT JESUS AD EUM, ut aliquam ipsi Zachæo securitatem & consolationem daret, ac turbæ causam redderet, cur ad peccatorem divertisset, ut notat August. citat. Serm. cap. 5. QUIA HODIE SALUS DOMUI HUIC FACTA EST, quia videlicet patrifamilias & consequenter domui, in quam salus primùm intravit, cùm Christus intravit : tunc enim avaritiæ & fraudibus renuntiavit Zachæus : unde de illo solo subjicit Christus, EO QUOD ET IPSE, id est, etiam ipse Zachæus, cujus est hæc domus, quantumvis eum vos despiciatis, FILIUS SIT ABRAHÆ, nimirum verus filius Abrahæ, non solùm genere, sed maximè fidei & justitiæ imitatione : quo sensu Christus negat Judæos esse filios Abrahæ, Joan. 8. v. 39. & 44.

10. Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.

10. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS. Causam assignat salutis ejus, unde videlicet peccator publicus & infamis possit esse factus filius Abrahæ, ut notat Prosper, loco suprà citato contra Collatorem, nimirum eo quòd ipse Filius hominis in mundum venisset, ut eum cum cæteris tamquam.

donec impleantur tempora nationum. 25. Et erunt ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura Gentium præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum: 26. Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur: 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & majeſtate. 28. His autem fieri incipientibus, reſpicite, & levate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra. 29. & dixit illis ſimilitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: 30. Cum producunt jam ex ſe fructum, ſcitis quoniam prope eſt æſtas. 31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, citote quoniam prope eſt regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 33. Cœlum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & ſuperveniat in vos repentina dies illa: 35. Tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. 37. Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

CAPUT XXII.

1. APpropinquabat autem dies feſtus Azymorum, qui dicitur Paſcha: 2. Et quærebant principes ſacerdotum, & Scribæ, quomodo Jeſum interficerent: timebant verò plebem. 3. Intravit autem ſatanas in Judam, qui cognominabatur Iſcariotes, unum de duodecim. 4. Et abiit, & locutus eſt cum principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gavisi ſunt, & pacti ſunt pecuniam illi dare. 6. Et ſpopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum ſine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua neceſſe erat occidi paſcha. 8. Et miſit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis paſcha, ut manducemus. 9. At illi dixerunt: Ubi vis parémus? 10. Et dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans ſequimini eum in domum, in quam intrat, 11. Et dicetis patriſamilias domus: dicit tibi Magiſter: Ubi eſt diverſorium, ubi paſcha cum diſcipulis meis manducem? 12. Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, & ibi parate. 13. Euntes autem, invenerunt ſicut dixit illis, & paraverunt paſcha: 14. Et cùm facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo: 15. Et ait illis: Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. 16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud; donec impleatur in regno Dei. 17. Et accepto calice gratias egit, & dixit; Accipite, & dividite inter vos. 18. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19. HOC FACITE: quod ſcilicet in hac actione à me fieri videris, & vos ipſi faciatis. Nam antiqui Patres referunt illud, *hoc*, non ad ſolam actionem Chriſti, ſed etiam nonnumquam ac actionem diſcipulorum, ut ex Cyrillo patet lib. 12. in Joan. cap. 58. *Hoc* igitur *facite*, id eſt, actis Deo gratiis frangite corpus meum, conſecrate, & in ſacrificium offerte, ipſi comedite, aliis diſtribuite. Per quod ex conſequenti etiam aliis præceptum ſumendi poſuit; ſicut cuſtodiendo Apoſtolos judices, per illa verba, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. impoſuit aliis obligationem confitendi: q. d. Mens mea non eſt, ut hoc ſemel à me, & vobis dumtaxat fiat, ſed ut perpetuò in Eccleſia mea frequentetur. Nam his verbis Apoſtolos ordinavit Sacerdotes, eiſque

19. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.

que potestatem sacerdotalem dedit, quæ ad istas omnes actiones se extendit. Quid autem inter ista sit semper necessarium, quid mutationem aut dispensationem admittat Ecclesiæ, Spiritu suo imbutæ, judicandum relinquit. IN MEAM COMMEMORATIONEM, id est, in mei memoriam seu recordationem, ut Græcum εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν sonat. Quid verò hoc sit, exponit Apostolus 1. ad Corinth. 11. v. 26. explicans eadem verb. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ut sensus verborum Christi juxtà Apostolum sit, Hoc facite in gratam memoriam mortis meæ, quam pro vobis redimendis passus sum: non nudam & sterilem memoriam, ut per eam in amorem & gratitudinem erga me concitemini.

20. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.

22. Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.

23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

24. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.

25. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

26. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut minist. trator.

20. HIC EST CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN SANGUINE MEO. Græcè deest verbum, *Est*, quod Latinus causâ claritatis expressit. Sed commodiùs positum fuisset post vocem, *Calix*, hoc modo, *Hic calix est novum testamentum, &c.* quomodò Paulus posuit 1. ad Corinth. 11. Nam calix est subjectum propositionis. Quæ verba quia paulò obscuriora sunt, Calvinus & Beza velut regulam proponi volunt, per quam verba clarissima Matthæi & Marci exponantur, hoc est, obscurentur, contra verissimam & æquissimam regulam S. Augustini, lib. 2. de doct. Christiana, qui vult obscura ex clarioribus esse explicanda. Cùm igitur alii Evangelistæ clarissimè dicant, sine ullo tropo, *Hic est sanguis meus novi testamenti* (quæ in nullo differunt à forma corporis apertissima. *Hoc est corpus meum*, nisi quòd sanguinem ad novum testamentum pertinere dicant:) verba Lucæ in eumdem sensum exponenda sunt. Et sanè vix ab illis differunt, nisi quòd verbà Lucæ postponant vocem, *sanguine* post *novum testamentum*; Matthæus verò & Marcus præponant. Sensus igitur genuinus, & simplex esse videtur: Hic calix, quem manibus teneo, est instrumentum authenticum, quo sancitur & obsignatur novum testamentum *in sanguine meo*, id est, per sanguinem, seu ratione sanguinis mei, quem calix iste continet: nam per illum propriè testamentum novum confirmatum est. Nullus igitur hîc tropus est, neque in voce, *calix*, quasi continens ponatur pro contento (nam ipse calix in sanguine, id est, per sanguinem, seu ratione sanguinis, quem continet phrasi Hebraïcâ, est propriè testamentum:) neque rursus in voce, *testamentum*. Nam illa dupliciter accipitur: primò, pro voluntate seu dispositione ultima testatoris, quomodo sumitur in Matth. & Marco: secundò, pro instrumento, in quo continetur, vel quo probatur, vel sancitur ista voluntas; & ita sumitur hîc, & apud Paulum. Quo sensu Genes. 17. vers. 13. dicitur circumcisio esse pactum, hoc est, ut explicatur vers. 11. signum pacti seu fœderis: & de eadem Eccles. 44. vers. 21. dicitur. *In carne ejus stare fecit testamentum.* Ex quo patet, in eundem prorsus redire sensum verba Lucæ & Pauli cum verbis Matthæi & Marci. Nam sive dicas, sumpto in manu calice, Hic est sanguis meus, quo sancitur & confirmatur testamentum novum: sive dicas, Hic calix ratione sanguinis mei, quem continet, est signaculum seu instrumentum, quo sancitur & confirmatur

gnificat cauſam perditionis ejus fuiſſe ingratitudinem, & impietatem in Filium Dei.

mus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

47. Et erat docens quotidie in templo: Principes autem ſacerdotum & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere.

48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum.

Caput vigeſimum explicatum eſt partim apud Matthæum, partim apud Marcum.

Caput vigeſimum primum ſimiliter explicatum eſt partim apud Matth. partim apud Marcum.

CAPUT VIGESIMUM.

CAPUT XX.

1. ET factum eſt in una dierum, docente illo populum in templo, & evangelizante, convenerunt Principes ſacerdotum, & Scribæ cum ſenioribus, 2. Et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua poteſtate hæc facis? aut: Quis eſt, qui dedit tibi hanc poteſtatem? 3. Reſpondens autem Jeſus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. Reſpondete mihi: 4. Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? 5. At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Quia dixerimus, De cœlo: dicet, Quare ergo non credidiſtis illi? 6. Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs univerſa, lapidabit nos: certi ſunt enim, Joannem prophetam eſſe. 7. Et reſponderunt ſe neſcire unde eſſet. 8. Et Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio. 9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis: & ipſe peregre fuit multis temporibus. 10. Et in tempore miſit ad cultores ſervum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæſum dimiſerunt eum inanem. 11. Et addidit alterum ſervum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiſerunt inanem. 12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes ejecerunt. 13. Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan: cum hunc viderint, verebuntur. 14. Quem cum vidiſſent coloni, cogitaverunt intrà ſe, dicentes: Hic eſt hæres occidamus illum, ut noſtra fiat hereditas. 15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ? 16. Veniet, & perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Abſit. 17. Ille autem aſpiciens eos, ait; Quid eſt ergo hoc, quod ſcriptum eſt: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? 18. Omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum. 19. Et quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc. 20. Et obſervantes miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, ut traderent illum principatui & poteſtati præſidis. 21. Et interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus quia recte dicis & doces: & non accipis perſonam, ſed viam Dei in veritate doces: 22. Licet nobis tributum dare Cæſari, an non? 23. Conſiderans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? 24. Oſtendite mihi denarium. Cujus habet imaginem & inſcriptionem? Reſpondentes dixerunt ei: Cæſaris: 25. Et ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. 26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in reſponſo ejus tacuerunt. 27. Acceſſerunt autem quidam Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum, 28. Dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis, Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. 29. Septem

ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus eſt ſine filiis. 30. Et ſequens accepit illam, & ipſe mortuus eſt ſine filio. 31. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes ſeptem, & non reliquerunt ſemen & mortui ſunt. 32. Noviſſime omnium mortua eſt & mulier. 33. In reſurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? ſiquidem ſeptem habuerunt eam uxorem. 34. Et ait illis Jeſus: Filii hujus ſeculi nubunt, & traduntur ad nuptias: 35. Illi vero, qui digni habebuntur ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores: 36. Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis ſunt, & filii ſunt Dei, cum ſint filii reſurrectionis. 37. Quia vero reſurgant mortui, & Moyſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob. 38. Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum: omnes enim vivunt ei. 39. Reſpondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magiſter, benedixiſti. 40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. 41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Chriſtum, filium eſſe David? 42. Et ipſe David dicit in libro Pſalmorum: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, 43. Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum? 44. David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus eſt? 45. Audiente autem omni populo, dixit diſcipulis ſuis: 46. Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in ſtolis, & amant ſalutationes in foro, & primas cathedras in ſynagogis, & primos diſcubitus in conviviis: 47. Qui devorant domos viduarum, ſimulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

CAPUT XXI.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

1. Reſpiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera ſua in gazophylacium, divites. 2. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. 3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, pluſquam omnes miſit. 3. Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deeſt illi: omnem victum ſuum quem habuit, miſit. 5. Et quibuſdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum eſſet, dixit: 6. Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur. 7. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod ſignum cum fieri incipient? 8. Qui dixit: Videte ne ſeducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes: quia ego ſum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos. 9. Cum autem audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. 10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum. 11. Et terræmotus magni erunt per loca, & peſtilentiæ, & fames, terroreſque de cœlo, & ſigna magna erunt. 12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus ſuas, & perſequentur, tradentes in ſynagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præſides, propter nomen meum: 13. Continget autem vobis in teſtimonium. 14. Ponite ergo in cordibus veſtris, non præmeditari quemadmodum reſpondeatis. 15. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri. 16. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: 17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: 18. Et capillus de capite veſtro non peribit. 19. In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. 20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jeruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus: 21. Tunc qui in Judea ſunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, diſcedant: & qui in regionibus non intrent en eam. 22. Quia dies ultionis hi ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt. 23. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim preſſura magna ſuper terram, & ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladii: & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jeruſalem calcabitur à Gentibus:

donec

quam ovem errantem, QUÆRERET, ET SALVUM FACERET, QUOD PERIERAT, id est, ut ad justitiam & salutem reduceret eos, qui peccatis suis perierant, ut ita videlicet, quem agnoscerem us à Christo quærente salvum esse factum, sciremus à quærente præventum, inquit Prosper. Sensum allegoricum hujus historiæ, vide apud August. Serm. 8. citat. & Theophyl. in Luc.

11. HÆC ILLIS AUDIENTIBUS, tam plebe videlicet quàm discipulis. Unde videntur hæc præ foribus esse dicta, ubi populus egressum Domini exspectabat: ADIICIENS DIXIT PARABOLAM, quâ sanare volebat quorumdam carnalem existimationem, quam tangit sequentibus verbis, EO QUOD ESSET PROPE JERUSALEM, ut pote quæ à Jericho non nisi septem circiter horis distabat: ET QUIA EXISTIMARENT, QUOD CONFESTIM, simulátque Jerosolymam urbem Regiam, perveniisset, REGNUM DEI, glorioſum, quod Deus Christo suo per Prophetas promiserat, & de quo toties ipsemet, etiam tamquam jam appropinquante, mentionem fecerat, MANIFESTARETUR. Christo scilicet mox occupaturo solium regium, in urbe Regia, ad quam tendebat. Carnale namque regnum terreno simile somniabant, ut patuit in filiis Zebedæi, Matth. 20. versu 21. Hanc opinionem tollit hâc parabolâ, docens eos regnum illud in longinqua regione, in cœlo videlicet, inchoandum, nec nisi in reditu suo manifestandum in terris: interim verò iis, qui participes ejus esse vellent, hîc negotiandum esse. Est autem parabola hæc ei, quæ narratur Matth. 25. de talentis, valde similis, & eumdem scopum habens; alio tamen tempore, & loco, & occasione dicta, & in quibusdam circumstantiis narrationis diversa.

11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eò quòd esset prope Jerusalem: & quia existimarent quòd confestim regnū Dei manifestaretur,

12. HOMO QUIDAM NOBILIS, Christus Dominus, juxta Augustin. lib. 2. Quæst. Evangel. qu. 46. quia secundùm divinam naturam ex Deo Patre natus; secundùm humanam, ex regia progenie David, rebúsque à se mirabiliter gestis nobilitatus: ABIIT IN REGIONEM LONGINQUAM, per ascensionem in cœlum; quæ regio & loco, & rerum conditione à terris remotissima est: quamquam & longitudo absentiæ usque ad judicii diem nomine longinquitatis insinuetur. ACCIPERE SIBI REGNUM, cujus possessio ei post ascensionem data est, prout luculenter describitur Danielis 7. versu 13. & 14. ET REVERTI, tempore opportuno, quod erit in novissimo die. Sed antequam discederet,

12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti.

13. VOCATIS DECEM SERVIS SUIS: quo numero denario tota multitudo ministrorum Ecclesiæ significatur; ponitur enim certus numerus pro incerto: DEDIT EIS DECEM MNAS, ut ex iis singuli acciperent unam, sicut patet infrà ex verbis servorum rationem domino reddentium. Significantur autem diversa dona, quæ ministris suis tradidit. Porrò *Mna*, Græcè, Latinis dicitur, *Mina*, & significat libram pecuniariam Atticam, constantem duodecim unciis & semis, id est, centum drachmis; nam uncia continet octo drachmas. Mina verò Hebraïca continebat duas libras & dimidiam, ut testatur Josephus libr. 14. Antiquitat. cap. 13. aliàs 12. in initio, & indicatur Ezech. 45. v. 12. ubi dicitur, quòd viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli (hoc est in universum sexaginta sicli) mnam faciant. Nam duo

13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: Negotiamini dum venio.

si

ſicli faciunt unciam, & viginti quatuor ſicli unam libram. Itaque Mna valde diverſa eſt à talento, ſed ad idem ſignificandum in parabola aſſumitur. ET AIT AD ILLOS: NEGOTIAMINI, laborando in uſu pecuniæ, & lucrum adferendo, DUM VENIO, id eſt, donec reverſus fuero. Deſtruit ergò opinionem non ſolùm de inſtante jamjam regno, ſed etiam de regno ſuaviter ac molliter ſine laboribus ſibi deferendo.

14. Cives autem ejus, oderant eum: & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.

14. CIVES AUTEM EIUS, inter quos natus, & educatus, & converſatus fuerat, nempe Judæi, maximèque Jeroſolymitani, ODERANT EUM, dum cum illis viveret: ita ut etiam tum palàm dicerent, *Non habemus Regem niſi Cæſarem*; eáque de cauſa eum interficerent, dicentes Pilato, *Noli ſcribere Rex Judæorum:* Itaque idem odium obſtinatâ voluntate proſequentes, eo jam in cœlum profecto, MISERUNT LEGATIONEM, ſeu Legatos, POST ILLUM, DICENTES, non illi, ſed aliis, id eſt, dantes eis mandatis, ut toti nationi Judaïcæ denuntiarent iſtud: NOLUMUS HUNC, quem præ contemptu nec nominare dignantur, REGNARE SUPER NOS, quem vidiſtis velut indignum à nobis exturbatum & crucifixum. Factum eſt hoc, quando Apoſtolos perſecuti ſunt, & cæſis denuntiaverunt, ne in nomine Jeſu cuiquam loquerentur, quando Paulo datæ ſunt Epiſtolæ à Pontificibus in Damaſcum, ut Chriſtianos vinctos perduceret in Jeruſalem.

15. Et factum eſt ut rediret accepto regno: & juſſit vocari ſervos, quibus dedit pecuniam, ut ſciret quantum quiſque negotiatus eſſet.

15. ET FACTUM EST, UT REDIRET, in patriam ſcilicet ſuam, ACCEPTO REGNO, id eſt, poſtquam regnum ſuum in cœlis inchoaſſet & accepiſſet: quia in manifeſtiſſima & eminentiſſima claritate rediturus eſt ad judicium ille, qui eis humilis apparuit, ut Auguſt. quæſt. 36. Quæ verò de ratione cum ſervis poſita hîc ſequuntur vide in Cap. 25. Matth. Aliqua tamen eſt differentia: nam ſicut hic in ſervis inæqualitas laboris & induſtriæ fuit, ita & inæquale datur eis præmium. Primus enim dicit:

16. Venit autem primus dicens: Domine, mna tua decem mnas acquiſivit.

16. MNA TUA DECEM MNAS ACQUISIVIT, ſeu lucrifecit: q. d. Non ego per induſtriam meam, ſed per gratiam tuam decem mnas acquiſivi: quo numero maximum lucrum ſignificatur, ſicut per *quinque* duplo minùs. Qua de cauſa gratulando dicit Dominus:

17. Et ait illi: Euge bone ſerve, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habēs ſuper decem civitates.

17. EUGE SERVE BONE. Quæ vox eſt laudantis & applaudentis, perindè ac ſi diceres, *rectè, præclarè ſe res habet*; componitur enim ex, *Eu*, id eſt, benè, & *Ge*, enclitio: QUIA IN MODICO, Græcè ἐν ἐλαχίστῳ, *in minimo*, in una ſcilicet mna, FUISTI FIDELIS: ERIS, Græcè ἴσθι, *eſto*, ſeu *ſis*, POTESTATEM HABENS SUPER DECEM CIVITATES, ſuper plurimas videlicet animas, eas maximè, quibus cauſa ſalutis fuiſti. Hinc Pſalm. *Jeruſalem ædificatur ut civitas*: & Ambr. Civitates illæ ſunt animæ, quibus jure præponitur, qui pecuniam Domini, hoc eſt eloquia Dei mentibus hominum fœneraverit. Nam ſicut Angeli, inquit, præſunt, ita & hi, qui vitam meruerint Angelorum: q. d. Chriſtus, Eſto ex primis proceribus & præfectis regni mei. Alteri verò, qui minùs priore laboraverat, inſignem tamen & ipſe fructum fecerat, dicit:

18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait: Et tu eſto ſuper quinque civitates.

19. ET TU ESTO SUPER QUINQUE CIVITATES, parem videlicet ſtudio ejus honorem præfecturæ tribuens: quo præmium exprimitur accidentale: in Matthæo verò fit mentio præmii eſſentialis, quando dicitur, *Intra in gaudium Domini tui.*

20. Quod verò tertius dicit, se habuisse mnam REPOSITAM IN SUDARIO, idem est quantùm ad sensum intentum cum eo, quod dicitur apud Matth. *Abscondi talentum tuum in terra.* Vide dicta de excusatione servi illius, & increpatione Domini loco Matth. citato.

20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario,

21. timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.

22. Dicit ei: De ore tuo te judico serve nequam, sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminavi:

23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?

24. Et astantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.

26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.

27. VERUMTAMEN, id est, verùm: q. d. Ignavum quidem servum sic plectendum esse judico, verùm INIMICOS MEOS ILLOS, genere scilicet cives meos, animo verò hostes infensissimos longè gravius tractari volo. Nimirum ADDUCITE EOS HUC ET INTERFICITE ANTE ME, Græcè καὶ κατασφάξατε ἔμπροσθέν μου, *jugulate coram me.* Quo significatur æterna & irreparabilis pœna Judæorum infidelium; quòdque ipsi, adeóque omnes reprobi, inspectante cum Sanctis Christo, in infernum latâ damnationis sententiâ demergendi sunt.

27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc & interficite; ante me.

28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymã.

29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos,

30. dicens: Ite in castellum, quod contra est: in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit: solvite illum, & adducite,

31. Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat.

32. Abierunt autem qui missi erant: & invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvitis pullum?

34. At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.

35. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua, supra pullum, imposuerunt Jesum.

36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

37. Et cùm appropinquaret jam ad descensum Montis oliveti, cœperunt omnes turbæ, discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus,

38. dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.

39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum, Magister, increpa discipulos tuos.

40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

41. ET UT APPROPIRQUAVIT, Jerosolymæ, civitate scilicet jam in conspectu positâ, cùm descenderet in monte Oliveti, FLEVIT SUPER ILLAM, id est, propter illam, cùm perpenderet, hinc ejus ingratitudinem, obduratámque cœcitatem, illinc verò impendentium calamitatum magnitudinem. Flevit ergò intimo compassionis affectu, in mediis festivis acclamationibus & gaudiis, ut ostenderet non sibi honorem illum, sed salutem civitatis esse cordi. Hoc contigit eodem loco ac tempore anni, quo postea Romani castra posuerunt, ut patet ex Josepho lib. 6. De bello Jud. c. 3. & 4.

41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens:

42. DICENS: QUIA; illud, *quia*, Latinè redundat ex phrasi Græca, ut alibi sæpiùs: SI COGNOVISSES ET TU. Gregor. Homil. 39. vult esse

42. Quia si cognovisses & tu &

quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.

ſermonem conditionalem; ſicut ſonat, ideóque ſupplendum (*fleres & tu:*) nihil enim reſpondet illi conditioni. Sed facilior videtur eſſe poſſe ſenſus optativus, nullâ indigens ſuppletione: quaſi diceretur, O ſi cognoviſſes etiam tu, videlicet ſicut ego, & hæc turba diſcipulorum meorum. Græcum enim εἰ pro *utinam*, ſæpè ſumitur, ſicut in tranſlatione Græca LXX. apertiſſimum eſt, Joſue 7. verſu 7. & Job 16. verſu 4. prout notavit Olimpiodorus. Utinam igitur cognoviſſes; ſed quid? nempe, QUÆ AD PACEM TIBI, ſupple, pertinent: nam illud, *quæ*, Græcè pluralis numeri eſt, & ita intelligunt ferrè Græci, Origen. Homil. 38. in Luc. Euthym. ac Theophyl. *Pacis* autem nomine, Hebraico more intelligitur ſalus ac proſperitas: q. d. Utinam intelligeres ea, ex quibus ſalus tua ac proſperitas dependet, nempe me Salvatorem tuum præſentem, fidem ac prædicationem meam; & quidem IN HAC DIE TUA, quâ te Deus adhuc benignis oculis aſpicit, dum te per meipſum, tamquam humilem & manſuetum Regem, ad ſalutem tuam viſitat. Abruptus eſt ſermo, ſicut flentium, & ex intimo pectore gementium eſſe ſolet, quibus affectus vehementia interrumpit orationem. NUNC AUTEM ABSCONDITA SUNT AB OCULIS TUIS, id eſt, ignota tibi ſunt, ſupple ea, quæ faciunt ad pacem & ſalutem tuam. Nimirum quia mentis oculos claudis, ne agnoſcat. Non enim hoc dicitur ad levandam culpam ejus, ſed ad arguendum ſtuporem.

43. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique:

43. QUIA VENIENT DIES IN TE, ET CIRCUMDABUNT, id eſt, in quibus circumdabunt TE INIMICI TUI VALLO. De Romanis loquitur, qui ducibus Tito & Veſpaſiano totam civitatem uno continuo vallo circumcinxerunt, triginta novem ſtadiorum longitudine, tridui labore, ita ut nemini pateret introitus vel exitus. Hinc orta fames intolerabilis, qua de re vide Joſeph. lib. 6. De bello Judaïco c. 13. Et hoc eſt, quod adjicit, exponendo, ET CIRCUMDABUNT TE. Græcè aliud verbum eſt à præcedente, καὶ περικυκλώσουσί σε, id eſt, *& in circuitu te cingent*: ex quo ſequitur, quòd COANGUSTABUNT TE UNDIQUE, id eſt, ad illas anguſtias te redigent, ut fame & miſeriis pereas. Nam hinc præcipuè factum eſt, ut toto obſidionis tempore undecies centena millia perierint.

44. & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ.

44. ET AD TERRAM PROSTERNENT TE, id eſt, ſolo te æquabunt ac deſtruent, TE ET FILIOS TUOS, id eſt, cum civibus, ſeu incolis tuis: ET, NON RELINQUENT LAPIDEM SUPER LAPIDEM, id eſt, lapidem lapidi cohærentem. Phraſis hyperbolica eſt, nihil aliud ſignificans, niſi extremam ejus everſionem ac deſolationem, q. d. funditùs deſtrueris. Quod completum eſſe teſtis eſt Joſephus lib. 7. cap. 18. ubi dicit Cæſarem juſſiſſe totam funditùs erui civitatem ac templum. Itaque civitatis ambitum ita complanavere diruentes, ut qui ad eam acceſſiſſent, inquit, habitatam aliquando eſſe vix crederent. Relictæ tamen fuerunt tres turres, & muri pars occidentalis, ut eſſet indicium poſteris, qualem civitatem expugnaſſet. Poſtea tamen & illa deſtructa ſunt, civitate in alium locum tranſlata, ut perfectiùs Chriſti prophetia impleretur. Eo QUOD NON COGNOVERIS TEMPUS VISITATIONIS TUÆ, quo ſcilicet te Deus per filium ſuum viſitavit, doctrináque & miraculis ad pacem & ſalutem provocavit. Quo ſi-

45. Et ingreſſus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, & ementes,

46. dicens illis: Scriptū eſt: Quia domus mea do-

gnificat cauſam perditionis ejus fuiſſe ingratitudinem, & impietatem in Filium Dei.

mus orationis eſt. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

47. Et erat docens quotidie in templo: Principes autem ſacerdotum & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere.

48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus ſuſpenſus erat, audiens illum.

Caput vigeſimum explicatum eſt partim apud Matthæum; partim apud Marcum.

Caput vigeſimum primum ſimiliter explicatum eſt partim apud Matth. partim apud Marcum.

CAPUT VIGESIMUM.

CAPUT XX.

1. ET factum eſt in una dierum, docente illo populum in templo, & evangelizante, convenerunt Principes ſacerdotum, & Scribæ cum ſenioribus, 2. Et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua poteſtate hæc facis? aut: Quis eſt, qui dedit tibi hanc poteſtatem? 3. Reſpondens autem Jeſus, dixit ad illos: Interrogabo vos & ego unum verbum. Reſpondete mihi: 4. Baptiſmus Joannis de cœlo erat, an ex hominibus? 5. At illi cogitabant intra ſe, dicentes: Quia dixerimus, De cœlo: dicet, Quare ergo non credidiſtis illi? 6. Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs univerſa, lapidabit nos: certi ſunt enim, Joannem prophetam eſſe. 7. Et reſponderunt ſe neſcire unde eſſet. 8. Et Jeſus ait illis: Neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio. 9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, & locavit eam colonis: & ipſe peregre fuit multis temporibus. 10. Et in tempore miſit ad cultores ſervum, ut de fructu vineæ darent illi. Qui cæſum dimiſerunt eum inanem. 11. Et addidit alterum ſervum mittere. Illi autem hunc quoque cædentes, & afficientes contumelia, dimiſerunt inanem. 12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes ejecerunt. 13. Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forſitan: cum hunc viderint, verebuntur. 14. Quem cum vidiſſent coloni, cogitaverunt intra ſe, dicentes: Hic eſt hæres occidamus illum, ut noſtra fiat hereditas. 15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ? 16. Veniet, & perdet colonos iſtos, & dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Abſit. 17. Ille autem aſpiciens eos, ait; Quid eſt ergo hoc, quod ſcriptum eſt: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? 18. Omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur: ſuper quem autem ceciderit, comminuet illum. 19. Et quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipſos dixerit ſimilitudinem hanc. 20. Et obſervantes miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent, ut caperent eum in ſermone, ut traderent illum principatui & poteſtati præſidis. 21. Et interrogaverunt eum, dicentes: Magiſter, ſcimus quia recte dicis & doces: & non accipis perſonam, ſed viam Dei in veritate doces: 22. Licet nobis tributum dare Cæſari, an non? 23. Conſiderans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? 24. Oſtendite mihi denarium. Cujus habet imaginem & inſcriptionem? Reſpondentes dixerunt ei: Cæſaris: 25. Et ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. 26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: & mirati in reſponſo ejus tacuerunt. 27. Acceſſerunt autem quidam Sadducæorum, qui negant eſſe reſurrectionem, & interrogaverunt eum, 28. Dicentes: Magiſter, Moyſes ſcripſit nobis, Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, & hic ſine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. 29. Septem

ergo fratres erant: & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis. 30. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. 31. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen & mortui sunt. 32. Novissime omnium mortua est & mulier. 33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem. 34. Et ait illis Jesus: Filii hujus seculi nubunt, & tradentur ad nuptias: 35. Illi vero, qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores: 36. Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. 37. Quia vero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei. 39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, benedixisti. 40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare. 41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse David? 42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis, 43. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? 44. David ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius ejus est? 45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: 46. Attendite à Scribis, qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conviviis: 47. Qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

CAPUT XXI.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

1. RESpiciens autem, vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophylacium, divites. 2. Vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. 3. Et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plusquam omnes misit. 4. Nam omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem ex eo quod deest illi: omnem victum suum quem habuit, misit. 5. Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit: 6. Hæc quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 7. Interrogaverunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cum fieri incipient? 8. Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes: quia ego sum: & tempus appropinquavit: nolite ergo ire post eos. 9. Cum autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. 10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum. 11. Et terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cœlo, & signa magna erunt. 12. Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meum: 13. Continget autem vobis in testimonium. 14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. 15. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri. 16. Trademini autem à parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis: 17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum: 18. Et capillus de capite vestro non peribit. 19. In patientia vestra possidebitis animas vestras. 20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus: 21. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: & qui in medio ejus, discedant: & qui in regionibus non intrent eam. 22. Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt. 23. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. 24. Et cadent in ore gladii, & captivi ducentur in omnes Gentes, & Jerusalem calcabitur à Gentibus, donec

donec impleantur tempora nationum. 25. Et erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum: 26. Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur: 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & majestate. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra. 29. & dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores: 30. Cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. 31. Ita & vos cum videritis hæc fieri, citote quoniam prope est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 33. Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa: 35. Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis. 37. Erat autem diebus docens in templo: noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

CAPUT XXII.

1. APpropinquabat: autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: 2. Et quærebant principes sacerdotum, & Scribæ, quomodo Jesum interficerent: timebant verò plebem. 3. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. 4. Et abiit, & locutus est cum principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gavisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. 6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. 8. Et misit Petrum & Joannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. 9. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? 10. Et dixit ad eos. Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans sequimini eum in domum, in quam intrat, 11. Et dicetis patrifamilias domus: dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? 12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. 13. Euntes autem, invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt pascha: 14. Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo: 15. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud; donec impleatur in regno Dei. 17. Et acceptо calice gratias egit, & dixit: Accipite, & dividite inter vos. 18. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

19. HOC FACITE: quod scilicet in hac actione à me fieri videris, & vos ipsi facitis. Nam antiqui Patres referunt illud, *hoc*, non ad solam actionem Christi, sed etiam nonnumquam ac actionem discipulorum, ut ex Cyrillo patet lib. 12. in Joan. cap. 58. *Hoc* igitur *facite*, id est, actis Deo gratiis frangite corpus meum, consecrate, & in sacrificium offerte, ipsi comedite, aliis distribuite. Per quod ex consequenti etiam aliis præceptum sumendi posuit; sicut custodiendo Apostolos judices, per illa verba, *Quorum remiseritis peccata*, &c. imposuit aliis obligationem confitendi: q. d. Mens mea non est, ut hoc semel à me, & vobis dumtaxat fiat, sed ut perpetuò in Ecclesia mea frequentetur. Nam his verbis Apostolos ordinavit Sacerdotes, eisque

19. Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.

que potestatem sacerdotalem dedit, quæ ad istas omnes actiones se extendit. Quid autem inter ista sit semper necessarium, quid mutationem aut dispensationem admittat Ecclesiæ, Spiritu suo imbutæ, judicandum relinquit. IN MEAM COMMEMORATIONEM, id est, in mei memoriam seu recordationem, ut Græcum εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν sonat. Quid verò hoc sit, exponit Apostolus 1. ad Corinth. 11. v. 26. explicans eadem verb. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Ut sensus verborum Christi juxtà Apostolum sit, Hoc facite in gratam memoriam mortis meæ, quam pro vobis redimendis passus sum: non nudam & sterilem memoriam, ut per eam in amorem & gratitudinem erga me concitemini.

20. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.

22. Et quidem Filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur.

23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

24. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.

25. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

26. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.

20. HIC EST CALIX NOVUM TESTAMENTUM IN SANGUINE MEO. Græcè deest verbum, *Est*, quod Latinus causâ claritatis expressit. Sed commodiùs positum fuisset post vocem, *Calix*, hoc modo; *Hic calix est novum testamentum, &c.* quomodò Paulus posuit 1. ad Corinth. 11. Nam calix est subjectum propositionis. Quæ verba quia paulò obscuriora sunt, Calvinus & Beza velut regulam proponi volunt, per quam verba clarissima Matthæi & Marci exponantur, hoc est, obscurentur, contra verissimam & æquissimam regulam S. Augustini, lib. 2. de doct. Christiana, qui vult obscura ex clarioribus esse explicanda. Cùm igitur alii Evangelistæ clarissimè dicant, sine ullo tropo, *Hic est sanguis meus novi testamenti* (quæ in nullo differunt à forma corporis apertissima, *Hoc est corpus meum*, nisi quòd sanguinem ad novum testamentum pertinere dicant:) verba Lucæ in eumdem sensum exponenda sunt. Et sanè vix ab illis differunt, nisi quòd verbà Lucæ postponant vocem, *sanguine* post *novum testamentum*; Matthæus verò & Marcus præponant. Sensus igitur genuinus, & simplex esse videtur: Hic calix, quem manibus teneo, est instrumentum authenticum, quo sancitur & obsignatur novum testamentum *in sanguine meo*, id est, per sanguinem, seu ratione sanguinis mei, quem calix iste continet: nam per illum propriè testamentum novum confirmatum est. Nullus igitur hîc tropus est, neque in voce, *calix*, quasi continens ponatur pro contento (nam ipse calix in sanguine, id est, per sanguinem, seu ratione sanguinis, quem continet phrasi Hebraïcâ, est propriè testamentum:) neque rursus in voce, *testamentum*. Nam illa dupliciter accipitur: primò, pro voluntate seu dispositione ultima testatoris, quomodo sumitur in Matth. & Marco: secundò, pro instrumento, in quo continetur, vel quo probatur, vel sancitur ista voluntas; & ita sumitur hîc, & apud Paulum. Quo sensu Genes. 17. vers. 13. dicitur circumcisio esse pactum, hoc est, ut explicatur vers. 11. signum pacti seu fœderis: & de eadem Eccles. 44. vers. 21. dicitur. *In carne ejus stare fecit testamentum.* Ex quo patet, in eundem prorsus redire sensum verba Lucæ & Pauli cum verbis Matthæi & Marci. Nam sive dicas, sumpto in manu calice, Hic est sanguis meus, quo sancitur & confirmatur testamentum novum: sive dicas, Hic calix ratione sanguinis mei, quem continet, est signaculum seu instrumentum, quo sancitur & confirmatur

confirmatur testamentum novum, idem planè significatur. Vidè latiùs dicta Matth. 26. Qui pro vobis fundetur, Græcè τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον; quæ præcedentibus juncta sic verbo tenùs sonant. Hic calix in sanguine meo pro vobis effusus, nisi quòd pro, *effusus*, est participium præsentis temporis, quo Latini hîc carent, q. d. qui calix funditur, scilicet jam in cœna. Itaque clarissimè indicatur, Latinum, *qui*, non posse referri ad *sanguinem*, sed ad *calicem*, seu *poculum*. Unde Euthymius expresè dicit: Quod pro vobis effunditur, ad *poculum*, inquit, referendum est. Quòd si ipse calix pro Apostolis, &, ut Matth. ait, pro multis, seu pro multorum salute, in remissionem peccatorum, in ipsa cœna effundebatur, perspicuum est, verum Christi sanguinem in illo calice fuisse, cùm vinum non fuerit pro hominum salute in remissionem peccatorum fusum, & verum sacrificium tunc fuisse oblatum: non enim ait, *fundetur vobis*, scilicet, ad bibendum, sed *pro vobis*, nempe Deo, Malè habet hoc Bezam, qui solœcismum maluit adscribere Evangelistæ, quàm veritatem fateri. Unde contra omnium librorum fidem vertit, *Hoc poculum est novum istud testamentum, per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur:* doletque non reperiri codices, qui isti corruptelæ faveant. Quæ sequuntur usque ad vers. 28. exposita sunt partim Matth. 26. partim 20.

27. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.

28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis:

29. Et ego dispono vobis, id est, idcircò, quia constanter mihi in tribulationibus adhæsistis, aliis me deserentibus, ego vicissim decerno vobis in præmium, regnum illud beatissimum cœlorum, tamquam hæreditate possidendum, quod vobis à constitutione mundi paratum erat, sicut disposuit mihi Pater meus, id est, quemadmodum illud idem regnum glorioſum mihi Pater in præmium tribulationum decrevit, ut ego ibi caput, vos membra sitis.

29. Et ego dispono vobis sicut dispoſuit mihi Pater meus regnum,

30. Ut edatis et bibatis, non separatim à me, ut servi solent, sed super mensam meam, id est, ut tamquam primi proceres regni mei veris omnis generis deliciis ac voluptatibus mecum perfruamini, videlicet ut laborum, ita & honoris, quietisque socii, juxtà Apostolum 2. ad Corinth. 1. vers. 7. et sedeatis super thronos, &c. de quo vide Matth. 19. vers. 28. Spectant tamen hæc eò, ut desinant de primatu in hoc mundo, aliisque rebus frivolis contendere, qui tantùm sibi in futuro præmium repositum esse scirent.

30. ut edatis & bibatis super mẽsam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.

31. Ait autem Dominus, ut scirent ante regni illius adoptionem multas tribulationes esse adhuc sufferendas, & ita lætitiam eorum temperaret, nec securitatem sibi sponderent ex ista permansione cum Christo: Simon, Simon. Quâ subitâ conversione ad solum Simonem, tacitè dirimit contentionem discipulorum de primatu, ipsum indicans futurum caput, utpote qui confirmare deberet reliquos. Repetitio autem nominis attentioni ejus excitandæ, & affectui suo tamquam seriò loquentis indicando servit. Ecce Satanas, tamquam adversarius vestræ omnium salutis, expetivit vos, id est, depoposcit vos à Deo ad tentandum & vexandum, sicut olim expetivit Job, nimirum ut cribraret, id est, concuteret atque agitaret: unde Cyprianus Epist. 8. legit, ut vexaret; ut ita videlicet fidem vobis excuteret, sicut triticum, scilicet cribratur, & agitatur in vanno aut cribro, quod etiam Sa-

31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum:

tanas paulò post magna ex parte assecutus est.

32. ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

32. EGO AUTEM ROGAVI PRO TE, peculiariter tamquam pro capite cæterorum, per quem reliquos ad salutem adducere decrevi: UT NON DEFICIAT, id est, non penitùs eradicetur & extinguatur, FIDES TUA. Nam quamvis cribrandus & concutiendus esset usque ad negationem Christi, quam ore fecit, fidem tamen internam, quâ ad justitiam corde creditur, non amisit; sicut arbor folia vi tempestatis abjicit, non tamen vitam in radice permanentem, ut sentit Ambros. in vers. 12. Psal. 43. & explicat Theophyl. Et hoc quidem personale fuit Petri privilegium, de quo August. libr. de corrept. & gratia cap. 8. Quando, inquit, rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Sed quia confirmare fratres, quod sequitur, ad officium pastoris pertinet, & proinde perpetuum esse debet: hinc juxtà sensum antiquorum impetravit ei, & aliud privilegium, ad successores propagandum, ut videlicet tamquam caput Ecclesiæ numquam nec ipse, nec successores ejus in docenda vera fide deficerent, juxtà illud Leonis Serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum. In Petro omnium fortitudo munitur: & illud Bernardi Epist. 19. ad Innocent. Dignum arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando, EGO ROGAVI PRO TE, &c. ET TU ALIQUANDO CONVERSUS, à peccato negationis tuæ, inquit Theophyl. Quamquam alius percommodus possit esse sensus, ut illud, *aliquando*, jungatur cum, CONFIRMA FRATRES TUOS, & illud *conversus*, non significet conversionem ad pœnitentiam, sed ad eos, quos confirmaturus erat, hoc sensu: Et tu aliquandò, cùm opus fuerit, & aliquos in fide nutantes videris, ad eos conversus confirma illos: quomodò dicitur Psalm. 84. v. 7. *Deus tu conversus*, scilicet ad nos, *vivificabis nos*. Cùm autem Petrus audiens se cribrandum, & in fide periclitaturum, animosiùs de se multa promitteret, negationem sui Christus ei prædixit, & mox conditiones instantis temporis clariùs explicans dixit omnibus discipulis:

35. Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

35. QUANDO MISI VOS, prædicaturos in Judæa regnum cœlorum, SINE SACCULO ET PERA, id est, sine pecunia & cibo, seu viatico; continens enim utrobique pro contento ponitur: nam pro sacculo Græcè est βαλαντίον *marsupium*, seu loculi: NUMQUID ALIQUID DEFUIT VOBIS, scilicet ad vivendum necessarium? q. d. Nihil omninò, eo quòd in mei favorem & amorem omnia vobis liberaliter ab auditoribus suppeditarentur.

36. At illi dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.

36. SED NUNC, talia instant tempora, ut in odium mei etiam vobis nocituri sint: ut meritò qui habet sacculum pecuniâ refertum, TOLLAT, id est, sumat illum secum, quò abire voluerit: SIMILITER ET PERAM, supple, qui habuerit, tollat illam, seu ferat secum. Sic enim distinguendum esse textus etiam Græcus clarè indicat. ET QUI NON HABET, gladium scilicet, quod ex sequentibus repetendum est, VENDAT TUNICAM SUAM, ET EMAT GLADIUM. Quibus verbis non revocat doctrinam olim datam, neque præcipit sumere sacculum, aut peram, aut uti gladio, ut pote quòd paulò pòst etiam prohibuit, sed solummodò describit, ut

Euthymius.

Euthymius obſervat, temporis jamjam inſtantis & perſecutionis acerbitatem, in qua, ſi humanâ providentiâ nitendum eſſet, meritò ſacculo, & perâ, & gladiis cum jactura veſtium comparatis, ad vitæ tuendæ præſidium uti deberent. Cauſam reddit:

37. DICO ENIM VOBIS, quantumvis vobis videatur incredibile, QUONIAM ADHUC, id eſt, præter omnia mala, in me impleta & implenda, etiam illud, quod cæterorum caput eſt, oportet impleri in me; nam illud, *adhuc*, magnam emphaſim ſpirat: ET CUM INIQUIS, id eſt, inter iniquos & ſceleratos, DEPUTATUS EST, quia more iniquorum tractatus, dum inſtar latronis captus, flagellatus, damnatus, & in medio latronum velut coryphæus eorum crucifixus eſt. ETENIM EA, QUÆ SUNT DE ME, prædicta ſcilicet per Legem & Prophetas, FINEM HABENT, id eſt, jamjam perficienda & conſummanda ſunt. Unde ſequenti die ex cruce proclamavit, *Conſummatum eſt.*

37. Dico enim vobis; quoniam adhuc hoc quod ſcriptũ eſt, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea, quæ ſunt de me, finem habent.

38. AT ILLI DIXERUNT: DOMINE ECCE DUO GLADII HIC. Multi ſatagunt invenire, unde gladii in familia Chriſti. Sed nihil mirum, ſi in domo hoſpitis, & ſtrata cænacula habentis, conſequenter locupletis, eſſent duo gladii. Vide alias cauſas in verſum 51. cap. 26. Matth. Satis autem patet, Apoſtolos non intellexiſſe verba Chriſti. Unde Chriſtus etiam reſpondet: SATIS EST, non ad confirmandam eorum opinionem, quaſi dicere vellet, duos gladios ſufficere ad ſui defenſionem, ſed *ſatis eſt*, videlicet verborum hac de re. Eſt enim modus abrumpendi ſermonem, ut cùm dicimus, *Bene habet*, *Satis eſt*; quo ſignificamus nos ampliùs de re nolle loqui. Quem ſenſum tradit Theophyl. Applicat hunc locum allegoricè Bernard. libr. 4. de conſiderat. cap. 4. ad duos gladios, quos habet Eccleſia: ſpiritalem, manu Sacerdotis; materialem manu Imperatoris, & militis exerendum.

38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille, dixit: Satis eſt.

39. Et egreſſus ibat ſecundùm conſuetudinem in Montem olivarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli.

40. Et cùm perveniſſet ad lo-

cum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.

41. Et ipſe avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis: & poſitis genibus orabat.

42. Dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me: Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

43. APPARUIT AUTEM ILLI ANGELUS DE CŒLO CONFORTANS EUM, id eſt, addens ei animum in iſta extrema anguſtia inſtantis paſſionis, quando humanam naturam, ſolatium tam divinum quàm humanum deſtituerat. Veriſimile eſt autem confortationem iſtam ab Angelo factam, ſuggerendo ei fructum, qui ex paſſione ad gloriam Patris illuſtrandam, & ipſi Chriſto, & toti humano generi ſequeretur. Demonſtrari verò voluit hac Angeli confortatione fructum orationis perſeverantis, ne fruſtrà oraſſe videretur, quando paſſionis tranſlationem impetrare non potuit. ET FACTUS IN AGONIA, id eſt, anxietate, timore, & lucta animi ſecum. Nam *Agonia* propriè eſt ille angor animi, quo quis trepidat & æſtuat, qui in certamen deſcenſurus eſt. Itaque Lucas uno verbo exprimit id, quod alii dixerunt pluribus, *contriſtari*, *pavere*, *tædere*, *triſtem eſſe uſque ad mortem*, ex horrore ſcilicet inſtantis paſſionis. PROLIXIUS ORABAT, quia tertiò ad orationem rediit: nam omnes tres orationes Lucas tamquam unam perſtringit.

43. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixiùs orabat.

44. ET FACTUS EST SUDOR EIUS SICUT GUTTÆ SANGUINIS, id eſt,

44. Et factus eſt ſudor ejus, ſicut

guttæ ſanguinis decurrentis in terram.

ſanguineæ, quia guttæ quidem veræ erant, ſed aqueæ, mixtæ tamen ſanguine, non purus ſanguis; quod ſignificatur illâ particulâ ſimilitudinis, DECURRENTIS IN TERRAM: quo indicat, ſudorem illum copioſiſſimè fluxiſſe. Græcè eſt θρόμβοι αἵματος *grumi ſanginis*, quo ſignificantur guttæ craſſiores. Ideóque putant quidam iſtum ſudorem miraculo tribuendum. Sed quia Græcum ſemper uſurpatur ſimpliciter pro guttis, non eſt improbabile naturaliter hoc contigiſſe, ſive hoc fecerit anxietas ac metus in delicatiſſima complexione corporis rari & ſanguinis ſubtilis; metus enim & æſtuatio animi vehemens ſudorem exprimere ſolet: ſive potiùs animi fortitudo eum expreſſerit, luctando contra timorem. Animus enim fortis dum vehementer adverſus anxietates ac timores inſurgit, etiam ſudorem exprimit.

45. Et cum ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes præ triſtitia.

46. Et ait illis: Quid dormitis? ſurgite, orate, ne intretis in tentationem.

47. Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquavit Jeſu ut oſcularetur eum.

48. Jeſus autem dixit illi: Juda, oſculo Filium hominis tradis?

49. Videntes autem hi, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio?

50. Et percuſſit unus ex illis ſervum principis ſacerdotum, & amputavit auriculam ejus dexteram.

51. Reſpondens autem Jeſus, ait: Sinite uſque huc. Et cùm tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum.

52. Dixit autem Jeſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſeniores: Quaſi ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus?

53. Cùm quotidie vobiſcum fuerim in templo, non extendiſtis manus in me: ſed hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.

54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis ſacerdotum: Petrus verò ſequebatur à longè.

55. Accenſo autem igne in medio atrii, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

56. Quem cùm vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit: Et hic cum illo erat.

57. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum.

58. Et poſt puſillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait. O homo non ſum.

59. Et intervallo facto quaſi hora unius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus eſt.

60. Et ait Petrus, Homo, neſcio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantavit gallus.

61. Et converſus Dominus reſpexit Petrum. Et recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis.

62. Et egreſſus foras Petrus flevit amare.

63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

64. Et velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis eſt, qui te percuſſit?

65. Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.

66. Et ut factus eſt dies, convenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis.

67. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:

68. ſi autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei.

70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego ſum.

71. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audivimus de ore ejus.

CAPUT VIGESIMUM-TERTIUM.

CAPUT XXIII.

1. ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt eum ad Pilatum.

2. COEPERUNT AUTEM ILLUM ACCUSARE: cùm scilicet Pilatus eum condamnare noluisset, nisi auditâ causa, ut constat ex Joan. 18. vers. 30. & 31. Itaque tria crimina ei objiciunt, omnia politica, magni momenti eorum judicio futura apud judicem ethnicum, qui quæstiones de sabbato, de cerimoniis, de traditionibus multum curaturus, videbatur. Primum est, HUNC INVENIMUS, id est, non finximus nos non audivimus ex aliis, sed reipsa per nosipsos deprehendimus, SUBVERTENTEM GENTEM NOSTRAM: Græcè διαστρέφοντα, *pervertentem*, id est, novæ doctrinæ prædicationem seducentem populum Judaïcum. Secundum est, ET PROHIBENTEM TRIBUTA DARE, seu dari, CÆSARI Romanorum. Tertium, ET DICENTEM SE CHRISTUM. Quo nomine satis intelligebatur conditio Principis Judæorum; sed invidiæ creandæ causa, quò clariùs pateret eum læsæ majestatis esse reum, addunt REGEM ESSE, quasi videlicet utrumque molitus esset, Principatum Judææ Cæsari ereptum, cùm regni gloria in se transferre, ut loquitur Cyrill. 12. in Joan. c. 7. Omnia tria erant falsa in ipsorum sensu. Primum neglexit Pilatus, quia videbatur spectare Judaïcam superstitionem: secundum dependebat à tertio, tamquam à causa sua. Unde inter illos duos articulos Græcè nulla est conjunctio: hoc modo, *Prohibentem dare tributa Cæsari, dicentem se Christum, &c.* id est, eo quòd dicat se esse Christum Regem. Hoc ergò postremum nonnihil inquirendum censuit, in ipso prætorio, sed mox egressus dixit AD PRINCIPES SACERDOTUM, foris exspectantes responsum:

2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.

3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait: Tu dicis.

4. NIHIL INVENIO CAUSÆ, propter quam scilicet morte plectendus sit: Græcè expressiùs οὐδὲν αἴτιον, *nullum crimen*, scilicet mortis, seu morte dignum: sicut v. 22. dicitur, *Nullam causam mortis invenio.*

4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine.

5. AT ILLI INVALESCEBANT, scilicet clamoribus, quemadmodum solent iis, quos veritas destituit, ut importunitate extorqueant, quod ratione non possunt, DICENTES: COMMOVET POPULUM, ad seditionem, doctrinæ novitate, utpote DOCENS PER UNIVERSAM JUDÆAM, prout totam terram promissionis comprehendit, INCIPIENS A GALILÆA, sicut patet hoc Matth. 4. v. 13. & Lucæ 4. v. 14. *Galilæa* meminerunt, ut Pilato suspicionem affectati regni injicerent recordando seditionis Judæ Galilæi, & nuper sectatorem ejus, quorum sanguinem Pilatus cum sacrificiis miscuerat Lucæ 13. vers. 1. USQUE HUC, Judææ & regni metropolim, tamquam illam crescente multitudine invasurus. Verum nec istam accusationem magni fecit Pilatus, ut qui sciret non ad seditionem, sed ad virtutem commovisse populum. Unde ab illo molesto & invidioso judicio se liberare volens, auditâ mentione Galilææ.

5. At illi invalescebant, docentes: Commovet populum, docens per universam Judæam, incipiens à Galilæa usque huc.

6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.

7. UT COGNOVIT, QUOD DE HERODIS POTESTATE ESSET, id est, tamquam Galilæus educatione, Herodi subditus, qui Tetrarcha erat Galilææ, Pilatus verò Præses Galilææ propriè dictæ tantùm; nativitas

7. Et ut cognovit quòd de Herodis potestate es-

ſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Jeroſolymis erat illis diebus.

enim Chriſti in Bethleem non videtur multum innotuiſſe: REMISIT EUM AD HERODEM, quamvis non teneretur. Agebatur enim de reo in Judæa capto, & accuſato de delicto, tamquam ibidem commiſſo, de quo non erat Herodis extra ditionem ſuam judicare. Fecit hoc ergò ſpecie honorandi Herodem, ſed reverà ſui ipſius cauſa. Porrò Herodes iſte Antipas dictus eſt, qui & Joannem Baptiſtam occidit, filius Herodis Magni infanticidæ, ſub quo Chriſtus natus fuit. QUI ET IPSE JEROSOLYMIS ERAT ILLIS DIEBUS, Paſchatis celebrandi cauſa, ſicut omnibus Judæis præceptum erat. Nam Herodes iſte patre proſelyto natus, religione Judæus erat.

8. Herodes autem viſo Jeſu, gaviſus eſt valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri.

8. HERODES AUTEM VISO JESU, GAVISUS EST, &c. ET SPERABAT SIGNUM ALIQUOD VIDERE, id eſt, miraculum aliquod, quo curioſitatem ſuam paſceret: quod ſibi, pro dignitate perſonæ ſuæ, & officio Judicis, quod ſuſtinebat, non dubitabat ſibi concedendum eſſe, ut faciliùs liberaretur. Quia in re peccato tentationis Dei peccavit: nam & Auguſt. libr. 10. Confeſſ. c. 35. in ipſa religione tentatur Deus, cùm ſigna & prodigia flagitantur, non ad aliquam ſalutem, ſed ad ſolam experientiam deſiderata.

9. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat.

9. INTERROGABAT AUTEM EUM MULTIS SERMONIBUS, ad ejuſmodi curioſitatem & vanitatem ſpectantibus. AT IPSE NIHIL ILLI RESPONDEBAT, quia ad conſtantiam Chriſti pertinebat, non reſpondere, ubi res non poſtulabat, imò ubi curioſitas & ineptia interrogantis reſponſo indigna erat: Quam conſtantiam commendat Cyprianus de carnalibus Chriſti operibus. Non potuit, inquit, vel altitudo poteſtatum ad interrogata extorquere reſponſum. Multò minus decebat, ut cœleſtia ſigna coràm illo ederet, qui præſtigiis ſpectandis addictior erat, quàm divinæ virtutis miraculis venerandis.

10. Stabant autem principes ſacerdotum & Scribæ conſtanter accuſantes eum.

10. STABANT AUTEM PRINCIPES SACERDOTUM, &c. CONSTANTER, id eſt, pertinaciter, ACCUSANTES EUM: verentes videlicet, ne ſi interrogatis Herodis, nihil ad ſuum ſcopum facientibus, ſapienter reſponderet, vel ſigna faceret, dimiſſus elaberetur. Unde mirabile fuit hoc ſilentium, quod nec principis benevoli auctoritate, nec talium accuſatorum improbitate, neque contemptu & irriſione aulicorum, mox inde ſecuturâ, rumpi potuit.

11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum.

11. SPREVIT AUTEM ILLUM HERODES, tamquam hominem agreſtem vel potiùs ſemifatuum, qui, cùm maximè opus eſſet, nihil in propriam cauſam ad propoſitum vel facere, vel dicere noſſet. CUM EXERCITU SUO, id eſt ſatellitio, quo cingebatur, ſeu cum comitatu, ſatellitibus, nobilibus, pediſſequis: ET ILLUSIT INDUTUM VESTE ALBA; quo loquendi modo ſignificatur, illuſionem iſtam ſitam fuiſſe in eo, quòd albam veſtem ferret. Sec Græca ſic legunt καὶ ἐμπαίξας, περιβαλὼν αὐτὸν ἐσθῆτα λαμπρὰν, *& cùm illuſiſſet, induiſſetque ipſum veſte albâ, remiſit eum Pilato*: quibus verbis, ſicut & Syriacâ tranſlatione, ſignificatur aliis modis antè illuſum fuiſſe, riſu videlicet, ſannis, ſcommatibus. Vox quoque Græca non ſignificat propriè *albam*, ſed *ſplendidam & elegantem*, qualis eſt Jacobi 2. quæ verſ. 2. vertitur *candida*, & verſ. 3. *præclara*, & opponitur veſti *ſordidæ*: unde Syrus vertit *coccineam*; ſed qualiſcumque coloris fuerit, adhibita videtur fuiſſe, illudendi Jeſu

causâ, tamquam fatui, non facinorosi, in quo regni affectatio potiùs ridenda esset, quàm timenda, vel plectenda.

12. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus, eo quòd unusquisque alterius jurisdictioni detulisset, & se mutuò honorassent: nam Christus, ut significaret se reconciliaturum esse per crucem duos populos, Judaïcum & Gentilem, interficiens inimicitias in semetipso, ex abundanti duos istos principes inter se dissidentes ejusdem suæ passionis occasione conciliare voluit, ut notat Ambrosius in Lucam. Itaque Pilatus dixit Judæis:

12. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad invicem.

13. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe.

14. Dixit ad illos: Obtulisti mihi hunc hominem quasi avertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogàs, nullã causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.

14. Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, à religione vestra, à tributis Cæsari dandis, à Cæsare; & ecce ego, nullam causam inveni ex his, in quibus eum accusatis, quia videlicet doctrina ejus populum compositum & morigerum esse facit: Principum jura confirmat, Cæsari, quod Cæsaris est, reddi jubens, nec regnum ejus contentiosum, aut sedi iosum est, sed ad testimonium perhibendum veritati.

15. Sed neque Herodes, supple, ullam invenit in eo mortis causam, seu crimen, quia nihil dignum morte actum est ei, id est, nihil ab Herode factum est contrà eum, quo significaverit re, vel verbis esse morte dignum, sed solùm illusione.

15. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actũ est ei.

16. Emendatum ergo illum dimittam: Græcè castigatum, παιδεύσας, quod vers. 22. vertit *corripiam eum*, id est, virgis, aut flagellis tamquam pœnâ mitiori eum castigabo: quam pœnam Romani criminibus non capitalibus adhibebant. Fecit hoc Pilatus injustè quidem, sed tamen, ut Judæorum furori aliquo modo satisfaceret, quorum animos Jesus offenderat.

16. Emendatum ergo illum dimittam.

17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum.

18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam.

19. Qui erat propter seditionem quandam factam in civitate & homicidium, missus in carcerem.

20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum.

21. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

22. Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam.

23. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur: & invalescebant voces eorum.

24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.

25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum verò tradidit voluntati eorum.

26. Et cùm ducerent eum apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem, venientem de villa: & imposuerunt illi crucem portare post Jesum.

27. Sequebatur autem illum turba mulierum, quæ plangebant, manibus videlicet pectus, vel femora tundendo, crines vellendo, & similibus signis dolorem præferendo; hoc enim propriè est plangere: et lamentabantur eum, idest, fletu & lugubri sermone vicem ejus deplorabant. Solet enim sexus infirmior pro illis etiam, qui morte digni sunt, in lachrymas commoveri, & damnatorum exitus, pro naturæ communis consideratione, misereri, inquit, Leo Serm. 10. de Passione. Quamquam hæc doloris testimonia ex innocentiæ & beneficentiæ ejus recordatione profluxisse verisimile est.

27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierũ: quæ plangebant, & lamentabãtur eum.

28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

28. CONVERSUS AUTEM AD ILLAS, corporaliter, DIXIT: FILIÆ JERUSALEM, id est mulieres Jerosolymitanæ, usitatâ Hebræis phrasi, NOLITE FLERE SUPER ME, tamquam impotente & miserabili, sicut deflebant. Unde idem Leo: Planctum, qui damnatis promiscuè impenditur, dedignabatur Dominus sibi impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Adde quòd calicem passionis usque ad fæces bibere voluit, dum & illud solatii genus rejicit, quod ex aliorum commiseratione & compassione obvenire solet. Est autem prohibitio, verbis quidem absoluta, sed sensu comparativa: q. d. Nolite tam flere super me, quàm SUPER VOS IPSAS, &c. cujusmodi & illa, *Misericordiam volo, non sacrificium*; ut alibi dictum est: ET SUPER FILIOS VESTROS, hujus peccati auctores & heredes: unde Scriptura, *Super fatuum plora, deficit enim sensu.* Quamquam præcipuè fletum imperare videatur, propter supplicii magnitudinem, quod eis impendebat. Nam rationem fletus reddit:

29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.

29. QUONIAM ECCE VENIET DIES, obsidionis futuræ per Romanos, IN QUIBUS DICENT, homines, & maximè mulieres: BEATÆ STERILES ET VENTRES, &c. ET UBERA, QUÆ NON LACTAVERUNT. Per hæc tria idem quidem significatur, sed cum magna exaggeratione, videlicet per quàm beatas esse mulieres, quæ liberis careant, quorum scilicet calamitatibus non torqueantur. Nam intolerabilior solet matribus esse dolor de afflictione filiorum, quàm de propria.

30. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: & collibus: Operite nos.

30. TUNC INCIPIENT DICERE MONTIBUS, præ malorum tunc præsentium magnitudine, & impendentium exspectatione ac metu: CADITE SUPER NOS; ET COLLIBUS: OPERITE NOS. Eadem & ista sunt familiari Hebræis repetitione: q. d. Utinam vel montium ruinis opprimeremur, vel hiatu terræ absorberemur, ut, quamvis horrendo, celeri tamen mortis genere eriperemur malis. Significat enim Christus homines tunc mortem desideraturos, quæ fugit ab eis: nam, ut prædixit Matth. 24. vers. 21. erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modò, neque fiet. Justè autem hæc passuros Judæos, declarat subjecta pulchrâ similitudine.

31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

31. QUIA SI IN VIRIDI LIGNO HÆC FACIUNT, id est, si tam dira Deo permittente & judicante perpetrantur in me, qui velut arbor virens, & fœcunda, gratia, justitia, & bonorum operum fructibus plenus, excisione, & combustione minimè dignus sum, IN ARIDO QUID FIET? id est, quid æquum est fieri in gentem istam Judaïcam, quæ propter impietatem, & omnis boni sterilitatem, velut arbor arida, non nisi ignis pabulum esse debet? Est enim similis locutio, qualis 1. Petri 4. vers. 18. *Si justus vix salvabitur*, id est, non sine magnis tribulationibus, *impius & peccator ubi parebunt?* Porrò quamvis nonnulli hæc suprà dicta extendant ad pœnas æternas, in quibus sine dubio hæc verba etiam maximè vera sunt, directè tamen videtur Christus ad Jerosolymitani excidii calamitatem respicere.

32. Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.

33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum & latrones, unum à dextris, & alterum à sinistris.

34. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid

34. PATER DIMITTE ILLIS, non solùm pœnam tantæ injuriæ, tam meæ quàm tuæ, sed etiam culpam. Nam his verbis impetravit Judæis non tantùm veniam, si pœnituerint, sed etiam fidem & agnitionem tanti peccati, & conversionem, ut pœniterent. Ut enim Cyprian.

Serm. de Passione, Christo orante, malignantium perfidiâ demùm credidit & intellexit: nam effectus illius orationis fuit, quòd tot millia statim crediderunt, & quòd usque ad quadraginta duos annos tempus pœnitentiæ reliquis dilatum fuit, ut Hieronym. quæst. 8. ad Hedibiam. Ita facto munivit præceptum, quod Matth. 5. dederat, *Orate pro persequentibus vos*; sicuti Isaiæ 53. prædictum erat, *Es pro transgressoribus rogabit.* NON ENIM SCIUNT, QUID FACIUNT, quantum scelus perpetrent, se scilicet Dominum gloriæ, Filium Dei crucifigere. Eamdem ignorantiam allegat Petrus, Actor. 3. vers. 17. *Scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principis veſtri.* Quæ quidem in plurimis erat supina & crassissima; in multis, maximè Principibus, affectata? quarum illa nonnihil culpam minuit, hæc eatenus saltem veniæ locum facit, quia hominem reddit magis miserabilem, utpote pœnè desperatum; ideóque magis divinæ opis indigum, qui rebus desperatis succurrere solet. Quæ consideratio maximè in illis locum habet, si qui scientes & prudentes Filium Dei occiderunt, juxtà illud, quod in parabola dixerunt: *Hic est heres, venite occidamus eum.* Hi enim maximè nesciebant, qui facerent, quia maximè ignorabant suam in suo scelere miseriam, ac cæcitatem: nam, ut August. Serm. 61. De tempore, nesciebant à diabolo, horum facinorum incentore, graviorem persecutionem pati, quàm Christo inferebant. Valet ergò talis ignorantia in eorum, si non excusationem, saltem commiserationem.

39. UNUS AUTEM DE HIS, QUI PENDEBANT, LATRONIBUS. An unus tantùm, an uterque initio blasphemaverit, diximus in Cap. Matth. 27. vers. 44.

40. RESPONDENS AUTEM ALTER, Jesu scilicet ad convitia obmutescente, INCREPABAT EUM, DICENS: NEQUE TU TIMES DEUM, hostem convitiantium, & miseris insultantium, vel, ut aliqui Deum, hunc ipsum scilicet Christum pendentem in cruce, quem in loci, & temporis, & omnium circumstantiarum summa iniquitate Deum esse, non solùm admirabili fide credidit, sed etiam constantissimè confessus est. Multò enim magnificentiùs fuit, quòd hominem inter extrema supplicia deficientem, Deum credidit, quàm si inter virtutum opera, inquit August. credidisset. Porrò emphaticum est illud, *Neque tu*: quasi diceret. Ut non timeant Deum, qui nos circumstant, Principes & Judæi, an non saltem times Deum, QUOD, seu quia, IN EADEM DAMNATIONE ES? id est, cùm in eodem, quo ipse, sis supplicio, morti scilicet, ac judicio Dei proximus? Nam mors & judicium Dei impendens per se urget ad coërcendam linguæ petulantiam, amplectendamque pœnitentiam: consortium verò pœnæ cum ipso Deo invitat ad veniam. Itaque verba ista causam continent, cur Deum præ cæteris timere debeat. Ne autem sicut eamdem Christo damnationem, ita & eamdem damnationis causam ei tribuisse putaretur, discernendo adjicit:

41. ET NOS QUIDEM IUSTE, supplicio in eadem damnatione crucis sumus: NAM DIGNA FACTIS RECIPIMUS, dignam latrociniis nostris mercedem. Hæc post fidem, est peccati agnitio & confessio, & justæ pœnæ approbatio: unde nihil vetat esse quamdam satisfactionem pro peccatis, quæ includat præeuntem cordis pœnitentiam. HIC VERO NIHIL MALI

faciunt. Dividentes verò vestimenta ejus, miserunt sortes.

35. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis dicentes: Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus.

36. Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei.

37. Et dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac.

38. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis & Latinis, & Hebraïcis: hic est rex Judæorum.

39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum & nos.

40. Respondens autem alter increpabat eum: dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es.

41. Et nos quidem justè, nam digna factis, recipimus: hic verò nihil mali gessit.

GESSIT, id esset, innocentissimus est, & consequenter injusto supplicio damnatus. Itaque verba ista continent aliam rationem temperandi à blasphemiis (bis enim inhumanum est & moribundo & innocenti maledicere) & mirabilem constantiam spirant in defensione Jesu, dum non veretur & Pilatum, & Scribas, & Sacerdotes, & omnes Judæos supplicii auctores, coram adstantes injustitiæ damnare. Ut meritò dixeris, simul fuisse præstantissimum actum charitatis, sive erga Christum, sive erga fratrem, quem de peccato tanta libertate corripuit, ut Gregor. 18. Moral. cap. 23. alias 25. Per tales ergò actus jam strata via ad reconciliationem, magna spe & fiducia obtinendi orans.

41, Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

42. DICEBAT AD JESUM: DOMINE, rerum omnium (quem enim antè Deum crediderat, nunc tamquam Dominum summa dominii significatione invocat) MEMENTO MEI. Maxima in isto verbulo pœnitentis elucet verecundia: non enim liberationem à cruce, non regni participationem, sed solam sui memoriam aliquam postulat. CUM VENERIS IN REGNUM TUUM. Ergò Regem credit, & Salvatorem, à quo salutem petit, & regnum ejus à turpissima crucis morte incipere, ac proinde non esse de hoc mundo, sicut coram Pilato Christus dixerat. Quæ omnia tam magna sunt, ut & Apostolos ipsos fide & notitia superaverit, ut notat Ambros. Sermon. 50. Hinc non mirum, si etiam fuerit uberior gratia quàm precatio, Domino plus tribuente, quàm alter rogaverat, ut idem notat. Itaque

43. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.

• 43. DIXIT EI JESUS, ad convitia surdus, ad preces attentissimus: AMEN DICO VOBIS, id est, asseverantissimè tibi tamquam verum ac certum affirmo. Nimirum, ut tam constanti affirmatione latronem ad perseverationem adversùs diffidentiam moribundis infestam roboraret: HODIE, id est, non aliquando, ut tu petis tantùm, sed hac ipsa die, non solùm tui memor ero, sed MECUM ERIS, tamquam socius consolationis, qui nunc es socius patientiæ & passionis, IN PARADISO, id est, in loco voluptatis & amœnitatis, ubi sunt animæ justorum post hanc vitam. Nam Græcis & Latinis *Paradisus*, Hebræis פרדס *Pardes*, proprie significat hortum fructiferis arboribus consitum, id est, pomarium, ut vertitur Eccles. 2. versu 5. Unde locus ille voluptatis, in quo Deus Adamum collocaverat, *Paradisus* à LXX. vocatus fuit, ubi alia Hebraïca vox generaliùs hortum significat. Hinc itaque extenso per metaphoram vocabulo; sicut locus animarum impiarum post hanc vitam vocatus est *Gehenna*, à valle filiorum Ennom Jerosolymis proxima, ita locus beatorum, ubi quiete & firmiter vivunt, vocatus est *Paradisus*, non solùm à Judæis, sed & à Christianis; sive ille esset limbus Patrum ante resurrectionem Christi, sive nunc regnum cœlorum post resurrectionem. Unde Augustin. libr. 12. De Genesi ad litt. cap. 34. *Paradisum* exponit, vel sinum Abrahæ, vel generaliter locum, ubi sunt animæ justorum. Is autem locus tunc erat limbus Patrum, qui propter præsentiam Christi, & manifestationem divinitatis ejus, non solùm locus quietis, sicut & antea fuerat, sed etiam voluptatis & deliciarum, ac proinde regnum Christi fuit. Notat autem Augustin. Tractat. 31. in Joann. Christum jam in cruce significasse *id*, quod facturus est cum vivis & mortuis, alios positurus ad dexteram,

44. Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sùt in universam terram usque in horam nonam.

45. Et obscuratus est sol, & velum templi scissum est medium.

alios

alios ad sinistram. Nam ipsa crux tribunal fuit, quia in medio judex; hinc latro qui credidit, liberatus, illinc alter, qui insultavit, damnatus est. Porrò ex hoc Christi facto meritò docet Ecclesia, quòd in ipso mortis articulo pœnitentiam Dei benignitas non aspernatur. Nec enim serum est, quod verum est; nec irremissibile, quod voluntarium, de quo apud Cyprianum Sermon. De Cœna Domini. Unde Dominus toti Ecclesiæ hîc publicum, ut notat Ambrosius, condidit testamentum, tacitè scilicet simul omnibus, qui in extremis convertuntur, cum latrone promittens indulgentiam & salutem.

46. ET CLAMANS VOCE MAGNA, in argumentum magni roboris, vehementis affectus, denique summæ fiduciæ in Patrem, ne vel propter insultationes aliorum, dicentium, *Confidit in Deo*, &c. vel propter orationem, quam præmiserat, *Deus meus ut quid dereliquisti me?* indesperationem actus putaretur, sicut impiè putavit Calvinus, confidentissimè ait: PATER, quæ vox est intimi amoris, & conjunctionis, & fiduciæ, IN MANUS TUAS, id est, tibi, seu in manus providentiæ, potentiæ, & bonitatis tuæ, COMMENDO SPIRITUM MEUM, id est, animam meam, jamjam separandam à corpore, depono, ut eam excipias, custodias, & veluti depositum suo tempore reddas. Unde Theophyl. in Matth. Ambros. hîc, & alii notant significationem depositi in verbo tam Græco quàm Latino, quod propriè etiam voce Hebraïcâ Psalm. 30. vers. 6. significatur, unde hæc verba Christi sumpta sunt. Porrò tam Hebraïcè quàm Græcè est futurum, *commendabo*, id est, jamjam spiritum meum deponam, & sic verba continent prædictionem rei statim futuræ; sic tamen, ut simul præsentem supplicationem involvant. Hoc autem piè moriendi exemplum Christus præbere voluit, ut credentes spiritum nostrum esse immortalem, eum quasi depositum quoddam resurrectionis beneficio resumendum, ejus manibus, id est, curæ, custodiæ, defensioni contra malignos spiritus cum fiducia deponamus, de quo Cyril. lib. 12. in Joan. cap. 36. & libr. 2. ad Reginas.

46. Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit.

47. VIDENS AUTEM CENTURIO, QUOD FACTUM FUERAT, id est, quæ fiebant, ut est versu seq. Unde Matth. 27. versu 54. habetur. *Viso terræmotu, & his, quæ fiebant:* inter quæ præcipuè erat id, quod Marcus expressè notat, quia sic clamans expirasset, id est, quòd post tantum clamorem, statim expirasset. Hoc enim signum erat, eum non necessitate, sed propria voluntate animam deponere, sicut hoc prædixerat Joann. 10. versu 18. Unde etiam Pilato res ista Marci 15. miraculo fuit, ut observat Augustin. 4. de Trin. c. 13. GLORIFICAVIT DEUM, confitendo id, quod res erat (Deus enim veritas est, & ideò confessio veritatis, maximè si fiat amore veritatis, quædam Dei glorificatio est) DICENS: VERE HIC HOMO IUSTUS ERAT, id est, innocens à calumniis ei impactis. Impositum autem ei fuerat quàm maximè, quòd blasphemasset, asserendo se Filium Dei. Justum ergò fateno, & consequenter veracem, tacitè confitetur eum esse verè Filium Dei, sicut Matth. clarè dixit. Quamquam dici possit hanc esse confessionem distinctam ab illa altera:

47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Verè hic homo justus erat.

48. ET OMNIS TURBA PERCUTIENTES PECTORA REVERTEBANTUR,

48. Et omnis turba eorum, qui

simul aderant ad spectaculum istud & videbant quæ fiebant percutientes pectora sua revertebantur.

in signum pœnitentiæ, de indignitate tanti facinoris conceptæ. Quid enim tundere pectus, inquit Augustinus, nisi arguere, quod latet in pectore, & evidenti pulsu occultum castigare peccatum?

49. Stabant autem omnes noti ejus à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc videntes.

50. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus & justus:

51. hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.

52. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu:

53. & depositum involvit sindone, & posuit eum in monumento excisо, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54. Et dies erat parasceves, & sabbatum illucescebat.

55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus ejus.

56. Et revertentes paraverunt aromata, & unguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

Caput XXIV. CAPUT VIGESIMUM-QUARTUM.

1. UNa autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverunt aromata:

2. Et invenerunt lapidem revolutum à monumento.

3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu.

4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.

5. Cùm timerent autem, & declinaverint vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis?

6. Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset,

7. dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere.

8. Et recordatæ sunt verborum ejus.

9. Et regressæ à monumento nunciaverunt hæc omnia illis undecim, & ceteris omnibus.

10. Erat autem Maria Magdalene, & Joanna, & Maria Jacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.

11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: & non crediderunt illis.

12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.

13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaüs.

13. ET ECCE DUO EX ILLIS, quos scilicet versu 9. commemoraverat, IBANT IPSA DIE, quia scilicet mulieres ad monumentum venerant & rediverant, hoc est ipsa una sabbati seu Dominica, (respicit enim ad vers. 1. unde dependent omnia hucusque narrata:) IN CASTELLUM, id est, pagum: hoc quippe Græcum κώμη significare solet, quamquam & villam subinde significet, quomodo vertitur Marci 16. versu 12. ut fortassis hæc villa fuerit per modum castelli munita in pago: QUOD ERAT IN SPATIO STADIORUM, Græcè ὃς ἦν ἀπέχουσα: quod distabat, stadiis SEXAGINTA AB JERUSALEM, id est, septem milliaribus cum dimidio, prout milliare significat mille passus. Nam *Stadium* est octava pars milliaris, hoc est, continet centum & viginti quinque

14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant.

passus ; nam sexaginta stadia continent septem millia passuum & quadringentos, hoc est septem milliaria cum dimidio, seu iter horarum circiter duarum cum media. NOMINE EMAÜS. Hæc postea Nicopolis dicta fuit, civitas Palæstinæ, ut Hier. De locis Hebraïcis ubi dicit Cleopham ex hoc loco fuisse.

15. ET FACTUM EST, DUM FABULARENTUR, Græcè est idem verbum, quod versu præcedente, ἐν τῷ ὁμιλεῖν, dum colloquerentur, ET SECUM QUÆRERENT, id est, se mutuò rogarent de rebus illis, quæ acciderant circa Jesum, & quorum alter altero melius meminerat. ET IPSE JESUS, de quo scilicet loquebantur, APPROPINQUANS IBAT CUM ILLIS, comes viæ, qui tamquam viator paulò celeriùs incedens, eos assecutus erat.

15. Et factum est, dum fabularentur, & secum quærerent: & ipse Jesus appropinquans ibat cum illis:

16. OCULI AUTEM EORUM TENEBANTUR, per aliquod impedimentum, NE EUM AGNOSCERENT. Hoc enim impedimento prohibebantur, ne dignoscerent propriam Christi speciem ab aliena ; sive hoc contingeret offusâ oculis caligine, sive humore, sive per aërem interjectum, sive quòd aliqua pars Corporis Christi species non emitteret. Unde August. lib. 3. De consensu cap. 25. sentit effigiem Christi non fuisse mutatam. Vide dicta Marci 16. v. 12. Porrò ut oculi, ita & aures tenebantur, ne familiarem ejus vocem agnoscerent. Apparuit autem in specie hominis peregrini, appositè scilicet ad eorum animi statum, quia resurrectio ejus erat ipsis peregrina, juxta Gregor. in Evangel. Quod fecit non fallendi causâ, sed sese occultandi, ut ulcere eorum inter colloquendum detecto, eos sanaret, ac dulciùs innotesceret. Cùm ergò rogasset, qua de re loquerentur, & cur tristes essent, Græcè σκυθρωποὶ, vultu tristi & inamæno, quasi tactus eorum malo & consolaturus eos.

16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent.

17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes?

18. RESPONDENS UNUS, CUI NOMEN CLEOPHAS, qui maritus fuit Mariæ, quæ dicitur Cleophæ, Joan. 19. vers. 25. quamquam alii alium hunc Cleopham fuisse volunt : socium ejus vocatum esse Simonem, docet Basil. in Cap. 6. Isaïæ : Tu SOLUS PEREGRINUS ES IN JERUSALEM, id est, tu solus es inter omnes peregrinos Judæos, qui hoc Paschali festo Jerusalem appulerunt, ET NON COGNOVISTI, id est, qui ignoret ea, quæ his diebus contigerunt? Itaque illud, *solus*, quamvis verbotenus jungatur cum, *peregrinus*, quantum ad sensum tamen magis conjungitur cum, *non cognovisti*. Supponunt autem eum conjicere debuisse, qua de re loquerentur, ex eo, quòd res illa tam stupenda, & recens, & vulgata esset, ut in omnium ore versaretur : vel certè eum audivisse partem sermonis ipsorum, & tamen non intellexisse, de quo homine sermo esset.

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus?

19. QUIBUS ILLE DIXIT: QUÆ? ut ita totam animi sui infirmitatem proderent, quam curare posset. ET DIXERUNT: DE JESU NAZARENO: Græcè clariùs περὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου, *ea quæ spectant ad Jesum Nazarenum*: QUI FUIT POTENS IN OPERE, id est, miraculis & sanctitatis operibus, ET SERMONE, doctrinæ scilicet auctoritate, & eloquentiæ efficacia, ad docendum & persuadendum, CORAM DEO, qui aliquoties ei testimonium perhibuerat, ET OMNI POPULO. Nam populus, quidquid frenderent Pharisæi, semper magni fecit Jesum, dum passim clamaret:

19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo.

Numquam sic apparuit in Israël, Propheta magnus surrexit in nobis, bene omnia fecit, &c. Itaque narrant hîc publicam de Jesu existimationem, ut eò mirabilior & miserabilior appareat historia de indigna tanti viri morte. De divinitate mortui nihil dicunt, vel quod ipsimet fluctuarent, vel non crederent, juxtà v. 21. vèl ne peregrino essent risui.

20. Et quomodo eum tradiderunt sum misacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerũt eum.

20. ET QUOMODO TRADIDERUNT EUM PILATO PRÆSIDI, tamquam executori sævitiæ suæ, non arbitro causæ, ut loquitur S. Leo, IN DAMNATIONEM MORTIS, id est, ad mortem, ad quam eum latâ sententiâ damnaverant. Unde in initio nihil à Pilato inquiri voluerunt, sed statim velut apertè reum, & convictum, & damnatum morte plecti.

21. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël: & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt:

21. NOS AUTEM SPERABAMUS, QUOD REDEMPTURUS ESSET ISRAEL, à jugo Gentium, quæ spes erat vulgi Judæorum: quamquam quia hîc Christo jam instructiores erant, intelligi posset à servitute diaboli, peccati, & legis. Benè autem urget August. Serm. 140. De tempore, cap. 2. verbum *sperabamus*: O discipuli, inquit, sperabatis? ergò jam non speratis. Unde tum ibi, tum Præfat. in Psalm. 96 docet eos spe suâ excidisse; adeóque arguisse quodammodò seipsos, quòd ex illo redemptionem speràssent; sed tamen quia tristes erant, doluisse eum sine culpa occisum, quia noverant innocentem, prout loquitur Tractat. 9. in Joan. Tract. verò 103. sicut & Serm. citat. docet eos non tantùm spem illam, sed etiam ipsam fidem abjecisse, quâ in eum antè crediderant; nam spes illa redemptionis Israël amitti sine fidei jactura non poterat. ET NUNC SUPER HÆC OMNIA, id est, præter hæc omnia, quòd scilicet damnatus, crucifixus, & mortuus est, TERTIA DIES EST HODIE, QUOD HÆC FACTA SUNT, id est, ex quo hæc facta sunt, & facta perseverant, ipso mortuo remanente. Nam hæc verba videntur continere rationem cur dixissent, *Sperabamus*, quasi tacitè innuerent, se non sine ratione spem abjecisse.

22. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum.

22. SED ET MULIERES QUÆDAM EX NOSTRIS, condiscipulis Jesu, scilicet Maria Magdalenæ & Maria Cleophæ, TERRUERUNT NOS, Græcè ἐξέστησαν ἡμᾶς, obstupefecerunt, & quasi extra nos constituerunt. Pertinet enim magis ad magnitudinem admirationis, quàm timoris, eo quòd referrent mulieres, quòd Angeli dixissent, EUM VIVERE. Nam nec ipsæ quidem mulieres primâ vice credebant eum resurrexisse, sed ex monumento sublatum esse, ut patet Joan. 20. v. 22. quod & Apostoli verum esse putaverunt, ibid. v. 8. Et istud significant etiam hoc loco, dum dicitur:

23. Et non invento corpore ejus, venerunt: dicentes se etiam visionem Angelorũ vidisse, qui dicunt eum vivere.

24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: & ita invenerunt sicut mulieres dixerunt ipsum vero non invenerũt.

24. ABIERUNT QUIDAM EX NOSTRIS AD MONUMENTUM, Petrus & Joannes, periculum facturi, utrum mulieres vera nuntiarent: ET ITA INVENERUNT, SICUT MULIERES DIXERUNT, scilet de monumento, quod apertum esset, & vacuum. IPSUM VERO NON INVENERUNT, ut proinde argumentum aliquod esse posset, eum reverà vivere, & resurrexisse: sunt enim verba hæsitantium, nescientium, quid sentire deberent, inter exiguam spem aliquam, metúmque vacillantes.

25. Et ipse dixit ad eos: O stulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.

25. ET IPSE DIXIT AD EOS, cùm jam totum animi sui statum simpliciter declarassent: O STULTI, qui dictis magis mulierum quàm Angelorum movemini, magisque mortis horrore, quàm tot resurrectionis prædictionibus ducimini; nam hoc non est sapientiæ: ET TARDI CORDE, id est, difficiles ac segnes, quia duri corde, ut est apud Marc. cap. 16. v. 14.

AD CREDENDUM IN OMNIBUS, id est, omnibus, Hebraïca phrasi, QUÆ LOCUTI SUNT PROPHETÆ, nempe de ignominia, passione, morte, resurrectione. Nam quæ de regno Christi prædicta erant, facilè credebant, ut patet Lucæ 9. versu 11. & maximè Matth. 20. versu 21. Ideò autem dicit, *Qui locuti sunt Prophetæ*, quia quæ Christus ipse de morte & resurrectione sua prædixerat, & Angeli mulieribus nuntiaverant, ea ipsa Prophetæ vaticinati sunt. Pungit Judæos itaque acerbis illis verbis, ut eos attentiores redderet ad ea, quæ tamquam doctor aliquis ex Prophetis dicturus erat: nec tamen adhuc se agnosci sinit, ut eorum fidem de se magis ex Scripturis firmaret, nec inter docendum mens eorum ab attentione vel fide avocaretur.

26. NONNE HÆC, quæ vos ipsi narrastis passum esse Jesum, OPORTUIT PATI CHRISTUM, scilicet secundùm vaticinia Prophetarum, quomodo explicat illud, *oportet*, ipse Dominus, Matth. 26. vers. 54. ET ITA, mediante morte, & consequenter resurrectione, INTRARE IN GLORIAM SUAM, ei tamquam Deo propriam, à Prophetis prædictam, & passione promeritam? q. d. Tantùm abest, ut propter mortis ignominiam de illo diffidere ac desperare debeatis, ut potiùs è contrario hoc vobis firmissimum argumentum esse debeat, eum esse verè Christum, & redemptorem Israël, cùm hæc omnia Prophetæ de vero Christo vaticinati sint.

26. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

27. ET INCIPIENS A MOYSE, libris Moysis, & deinceps OMNIBUS PROPHETIS; omnes enim de ipso patenter aut latenter prophetant: INTERPRETABATUR ILLIS, QUÆ DE IPSO ERANT IN OMNIBUS SCRIPTURIS; nam isto modo videtur oratio esse ordinanda.

27. Et incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant.

28. ET APPROPINQUAVERUNT CASTELLO, QUO IBANT, nempe Emaunti, ut expressum erat versu 13. Quo refelluntur ii, qui significari hîc putant castellum multò propinquius Jerosolymis: ET IPSE FINXIT SE LONGIUS IRE, id est, composuit se & præ se tulit, tamquam longiùs iturus. Excusat hoc August. à mendacio saltem facti lib. 2. Quæstion. Evangel. quæst. ult. & lib. contrà mendacium cap. 13. quia aliquid Christus per hoc factum significavit: nam quæ ad aliquid figurandum dicuntur, aut fiunt, non sunt mendacia, ut patet in fabulis, & parabolis, & comœdiis. Significavit autem, quòd longiùs posteà per ascensionem super omnes cœlos iturus esset, nec tamen discipulos deserturus. Ita Augustinus: sed res faciliùs expediri potest. Nam cùm facta pleraque de se indifferentia sint, nec ex natura sua certam veritatem asserant, sicut verba, ad multos fines referri possunt. Composuit ergò se ita Christus, quasi ulteriùs perrecturus, partim, ut provocaret alios ad sese retinendum & hospitalitatem exercendum; partim, ut reverà pergeret, si eum non retinerent. Utrumque fieri potest sine ullo mendacio.

28. Et appropinquaverunt castello quo ibant: & ipse se finxit longius ire.

29. ET COEGERUNT ILLUM, instantissimè scilicet rogando. Nam eodem modo componebat se quasi longiùs iturus, ut abiis invitaretur, & difficilem se invitantibus præbuit, ut magis urgeretur. Itaque exemplo suo docuerunt, peregrinos non solùm invitandos ad hospitium, sed etiam trahendos, ut Gregor. Homil. 23. in Evang. DICENTES: MANE NOBISCUM DOMINE, &c. Unde verisimile fit, coactionem illam instantia precum factam esse, & allata opportuna ratione diei jam inclinatæ

29. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies. Et intravit cum illis.

ad occasum: quomodo 2. Reg. 13. dicitur Absalon coëgisse Regem, ut dimitteret filios suos. Civiliter itaque acquiescens precibus eorum, INTRAVIT CUM ILLIS, Græcè εἰσῆλθε τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς, *intravit ut maneret cum illis*, videlicet ea nocte hospitaretur. Ex quibus verbis & invitandi modo non incongruè colligunt quidam, veram esse sententiam Hieronymi, qui tum lib. De locis Hebr. tum Epistol. 27. dicit hanc domum fuisse Cleophæ, & à Christo Domino in Ecclesiam consecratam, nempe ipsa celebratione sacræ Eucharistiæ. Nam

30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

30. DUM RECUMBERET CUM EIS, ad mensam, ACCEPIT PANEM, ET BENEDIXIT, ea benedictione, de qua sermo est apud Evangelistas in institutione Eucharistiæ. Hoc enim probant, tum omnes similes circumstantiæ, acceptio panis benedictio, fractio, distributio, effectus consecutus; tum etiam consensus antiquorum; Theophyl. hîc, Hieron. Epist. cit. August. Serm. 140. De tempore cap. 3. & lib. 3. de consensu cap. 35. Bedæ, & aliorum.

31. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum.

31. ET APERTI SUNT OCULI EORUM, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur, ne eum agnoscerent, ut ibidem August. Unde etiam lib. 1. De nuptiis cap. 5. & aliis diversis locis docet, primorum parentum oculos post peccatum apertos dici, Genes. 3. non quòd antè nihil viderent, sed quia aliquid tunc animadvertere cœperint, quod antè non adverterant. ET COGNOVERUNT EUM, scilicet *in fractione panis*, ut est versu 35. hoc est, cum panem de manibus ipsius porrigentis sumerent, & manducarent: hoc enim significat panis fractio, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. vers. 16. *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Fractionis* enim nomine Lucas reliqua intelligere solet, maximèque usum sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ juncta est fractioni, ut patet Act. 2. v. 42. & 46. Quod autem cognoverunt Dominum tunc potiùs, quàm antea, contingit quidem Domini voluntate, sed tamen certi mysterii causa ad commendandum scilicet sanctissimum illud Sacramentum, ut notat utroque loco August. v. 30. citatus, quia per illud, nos Dominum in agnitionem sui congregare, nullus debet ambigere, inquit Epist. 59. quæst. 8. ET IPSE EVANUIT EX OCULIS EORUM, non quidem quòd umbra esset, aut phantasma, sed per potestatem animæ suæ gloriosæ in corpus suum, non ampliùs apparuit. Unde Hier. Epist. 61. & Epiphan. Hæresi 42. tribuunt hanc disparitionem potestati Dei, nimirum, ut, quemadmodum discipuli in colloquio, & factis ejus cognoverant veram resurrectionem, ita & ex disparitione agnoscerent redivivi corporis alias qualitates, quod substantiâ quidem esset verum corpus, agilitate tamen & subtilitate spiritale.

32. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?

32. ET DIXERUNT AD INVICEM, confirmantes sibi alio argumento, verè sibi Christum apparuisse: NONNE COR NOSTRUM ARDENS ERAT IN NOBIS? id est ardebat affectu? Nam omnis quidem sermo Dei ignitus est, qua de causa per Jeremiam dicit cap. 23. vers. 29. *Numquid non verba mea sunt quasi ignis?* & Psalm. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer*: præcipuè tamen sermo, quem Christus proprio ore profert. Pungit enim, rapit, ucit, inflammat, relinquit scintillas & aculeos in animis auditorum. DUM LOQUERITUR IN VIA, &c. q. d. Nonne jam

facilè est conjicere, unde iste ardor nobis afflatus fuerit, quem in ejus colloquio sentiebamus?

33. Et surgentes, è mensa, eadem hora, id est, sine mora, eodem momento, regressi sunt in Jerusalem, ut quantociùs discipulorum animos sua testificatione erigerent, desperationemque tristitiam abstergerent: et invenerunt congregatos undecim, Apostolos, et eos, qui cum illis erant, id est, & cæteros discipulos, qui cum Apostolis tunc Jerosolymis morabantur.

33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: & invenerunt congregatos undecim, & eos qui cum eis erant,

34. Dicentes, istis duobus intrantibus, tamquam gestientes præ gaudio: nam illud, *dicentes*, est Græcè quarti casus, λέγοντας, & refertur ad eos, qui cum undecim erant, ad non illos duos redeuntes ex Emaunte. Proinde se frustrà fatigant hîc aliqui, disputando, unde isti duo scire potuerint, Christum apparuisse Simoni, & ideò fingentes alium istum Simonem esse quàm Petrum. Quod surrexit Dominus vere, id est, realiter, in proprio corpore, sine ulla dubitatione, ita ut in posterum controversiæ causa ablata sit: et apparuit Simoni, seu Petro. Unde Aug. lib. 3. de consensu cap. 25. probabiliter, inquit, creditur, posteaquam Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus. Ipsi ergò vicissim narrabant, quæ gesta erant in via, &c.

34. dicentes: Quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

36. Dum autem hæc loquuntur, antequam scilicet narrationem suam finivissent, stetit Jesus in medio eorum, adhuc recumbentium, ut Marcus: nam eadem est hæc apparitio cum ea, quam narrat Joan. c. 20. vers. 19. & Marcus cap. 16. vers. 14. ut ibidem latiùs diximus, & causam dedimus, cur apud Marcum tantùm undecim Apostoli nominentur, cùm deesset Thomas, & adessent alii multi. Ergò in medio stetit, tamquam pastor in medio ovium dissipatarum, ut ab omnibus faciliùs videretur & audiretur, idque subitò sine ullo indicio prævio adventus, ostiorum, fenestræ, aut pedum strepitu; nam hoc insinuatur verbo, stetit, et dicit eis: Pax vobis, consuetâ salutationis humanissimæ formula, tamquam largitor veræ pacis hominum cum Deo, & inter se. Quid autem *Pax* significet, illaque salutationis formula, explicuimus ad v. 12. cap. 10. Matth. Ego sum, qui scilicet ex forma corporis, & sono vocis vobis notus sum. Ex quo rectè colligitur, Christum eadem corporis forma apparuisse, vel certè eadem voce locutum esse, qua priùs: sic enim loquimur familiaribus, qui nos aut non vident, aut dubitant, quisnam adsit. Unde simili modo Magdalena cognovit Jesum, simul atque voce solita dixisset *Maria*, statimque respondit *Rabboni*, id est, Magister mi: nolite timere, ex hoc repentino & inusitato aspectu mei, utpote à quo nihil vobis timendum scitis. Voluit ergò Dominus pro sua benignitate timorem ab eis avertere: sed infirmitate, suavitati salutationis prævalente,

36. Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis, ego sum, nolite timere.

37. Conturbati et conterriti existimabant se spiritum videre, incorporale scilicet dæmonium, inquit Hieronym. Præfat. lib. 18. in Isaïam, idque in Evangelio Nazaræorum. Solent enim dæmones etiam amicorum simulare effigiem, vel potiùs spiritum bonum ipsius Jesu, ut qui vel corpore in spiritum conversus fuisset, vel secundùm animam phantasticè appareret. Unde infrà Dominus responsione suâ non tam probat, se reverâ esse illum, quàm se non esse spiritum.

37. Conturbati verò, & conterriti existimabant se spiritum videre.

In illam opinionem lapsi videntur fuisse, eo quòd se intrà clausa patietum improvisus infunderet, ut putat Ambros. Quamobrem

38. Et dixit eis: Quid turbati estis; & cogitationes ascendunt in corda vestra?

38. DIXIT EIS: QUID TURBATI ESTIS, velut ex apparitione spiritûs improvisò se ingerentis? ET COGITATIONES, variæ, dubiæ, anxiæ, à re præsenti & veritate alienæ, ASCENDUNT IN CORDA VESTRA? Ascendunt, inquit mysticè Augustin. Serm. 141. De tempore, quia cogitationes istæ terrenæ sunt: si enim cœlestes essent, descenderent in cor, non ascenderent.

39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

39. VIDETE MANUS MEAS ET PEDES, servantes videlicet adhuc clavorum vestigia: nec enim alia ratio est, cur potiùs manus & pedes, quàm alias corporis partes ostenderet. Unde Joan. 20. versu 20. addit etiam ostendisse latus, quod adhuc magis patet ibidem vers. 27. Hinc constans antiquorum sententia est, Christum post resurrectionem in manibus, pedibus, & latere ipsa vulnera servasse, seu passionis notas, non ulcerosas & sanguinolentas, sed sanas, ut patet ex Augustin. Tract. 121. in Joan. Cyrillo lib. 12. in Joan. cap. 38. Leone Sermon. 1. de Ascensione, & aliis. Quæ vulnera etiam cœlo inferre maluit, ut Deo Patri pretium nostræ libertatis ostenderet, juxtà Ambros. æternúmque suæ victoriæ trophæum circumferret. Nam, ut optimè Augustin. lib. 22. de Civit. Dei, cap. 20. non sunt deputanda vel appellanda vitia, virtutis indicia. Non enim deformitas in eis, sed dignitas erit, & quædam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. QUIA EGO IPSE SUM, id est, ipsissimus ego totus, non solùm secundùm spiritum, sed & secundùm corpus. Unde Tertull. cap. ult. lib. 4. contra Marcionem: Ego sum, quem scilicet corporeum retrò noveratis. Nam eò tendit tota hæc Christi demonstratio, ut eum verum corpus habere intelligerent. Itaque adjecit: PALPATE, q. d. Si vidisse non sufficiat, etiam manibus contrectate me, ut probent sibi manus vestræ, si mentiantur oculi vestri, inquit Augustin. ET VIDETE, id est, diligenter attendite oculis, ut veritas corporis mei visu simul & tactu vobis explorata sit. Nam illis, quibus in posterum tamquam testibus credere debebant cæteri, voluit suæ carnis veritatem evidentissimâ veritate demonstrari, ut idem Augustin. Epist. 120. c. 9. Unde Joan. Epist. 1. c. 1. *Quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectaverunt*, &c. Palpate ergò & videte, QUIA SPIRITUS CARNEM ET OSSA NON HABET, non quomodolibet; nam verisimile est quòd & ille assumere possit: sed SICUT ME VIDETIS HABERE, hoc est habet carnem & ossa vitaliter, & eo modo quo ego. Quod ut argumentum præbeat veræ resurrectionis in vero humano corpore, videtur discrimen corporis redivivi, & à spiritibus assumpti, visu, tactúque posse discerni, si non evidentia Mathematica, saltem humana & morali, qualis ab humanis sensibus exspectari potest.

40. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & pedes.

40. ET CUM HOC DIXISSET, OSTENDIT EIS, id est, contrectandas præbuit, MANUS ET PEDES, habentes adhuc vera foramina clavorum, ut Euthym. Cyril. in Catena, & Beda. Unde Joann. 20. Thomas jubetur etiam digitum inferre. Discipulos enim reverà contrectasse, expressè dicit Augustin. in Psalm. 147. & lib. de unit. Ecclesiæ cap. 10. quod ex verbis 1. Joan. 1. versu 1. jam citatis fit valde verisimile.

41. Adhuc autem illis non credentibus, præ gaudio, ait sequitur:

tur : nam istud cum verbo, *non credentibus*, jungendum esse ex Græco & Syriaco perspicuum est, & ita legit Augustin. in Psalm. cit. Non credebant autem, quòd verâ resurrectione à mortuis in vero suo corpore rediviſſet, quamvis spiritum Jesu sibi loqui jam crederent. Causa incredulitatis erat non obstinata voluntatis duritia, sed gaudii, & rei magnitudo; ne videlicet temerè rem tantam credendo, gaudio postea amisso miseriores fierent. Nam, ut Augustin. ibidem optimè dicit, quæ multùm læta sunt, vix creduntur. Dubitatio quædam veluti tardiùs credentis, condit voluntatem tenentis. Necesse est, ut homo plus gaudeat cùm venerit, quod desperatum est. Hinc ad ipsum gaudium quoque condiendum & augendum, noluit etiam se statim cognosci à discipulis, euntibus in Emaüs. Ita Augustin. Simile quid habemus Genes. 45. v. 26. de Jacob. non credente Josephum vivere, quod maximè optabat. ET CREDENTIBUS, præ rei novitate & magnitudine. Pulcherrimè autem docet S. Leo Serm. 1. de Ascens. Deum ideò hasce credendi hæsitationes, cunctationes ac dubitationes in Apostolis permisisse, ne dubitaretur à nobis, ut tot videlicet ostensionibus roboraremur ad fidem. Discipulis igitur dixit: HABETIS HIC ALIQUID, QUOD MANDUCETUR? in quo scilicet experimentum veri & vivi hominis præbeam? Et hæc humana & moralis, non metaphysica probatio est. Nam quo pacto homo inter homines se verum humanum corpus probet habere, nisi colore, figura, cicatricibus, carnium & ossium ostensione, tactu, sermone, esu & potu?

dentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur?

42. AT ILLI OBTULERUNT EI PARTEM PISCIS ASSI, ut qui piscatoribus familiaris esset, & ex cœna reliquus, & ideò partem, non integrum, ET FAVUM MELLIS. Mysticas utriusque cibi causas, vide apud Greg. Hom. 24. in Evangelia.

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis.

43. ET CUM MANDUCASSET CORAM EIS, circumstantibus, attentissimèque spectantibus. Vera fuit ista manducatio, quia vi corporis viventis, vivis instrumentis cibi comminutio, & in verum stomachum trajectio, non tamen vera nutritio, vel in corpus ejus conversio, nec ex egestate, seu esurie, sed potestate facta. Nam, ut Augustin. Epist. 49. quæst. 1. futuræ resurrectionis corpus, imperfectæ potestatis erit, si cibos sumere non potuerit, imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit. Sed aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter Solis radius cadens. Quibus verbis cibum ab immortali corpore manducatum statim consumi indicat, non in corpus vertit. Porrò nulla in hac manducatione mentio benedictionis, ut intelligeremus fuisse manducationem communem. Benedictio autem comestioni numquam à Christo adhibita legitur, nisi ad miraculum. Vide dicta v. 30. ET SUMENS RELIQUIAS, DEDIT EIS: tum ut certius de comestionis veritate constaret, cujus reliquias habuissent; tum ut testes essent, se cum redivivo comedisse. Nam hîc impletum videtur id, quod Petrus ait, Act. 10. vers. 41. Jesum manifestatum, *non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.*

43. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

44. ET DIXIT AD EOS. Hîc duo gravissima adjungit suæ resurrectionis testimonia, prædicationem scilicet suam, quam eis ad memoriam revocat, & vaticinia Prophetarum: HÆC SUNT VERBA, QUÆ LOCUTUS

44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos,

cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.

SUM AD VOS, id eſt, hæc, quæ contigerunt, & ipſi vos experti eſtis, de meâ paſſione, morte, ſepultura, reſurrectione, ſunt ipſiſſima illa, quæ diu prædixi vobis, ſi recordamini, CUM ADHUC ESSEM VOBISCUM, in carne ſcilicet mortali, conſortio infirmitatis humanæ, in qua eſtis & vos, inquit Aug. Tract. 64. in Joan. & Greg. Hom. 24. in Evang. Unde nihil eſt hoc contra præſentiam Chriſti in ſanctiſſima Euchariſtia. QUONIAM NECESSE EST IMPLERI OMNIA, &c. Deus enim, qui illa prædixit, non poteſt falli. QUÆ SUNT SCRIPTA IN LEGE MOYSI, ET PROPHETIS, ET PSALMIS DE ME. Ubi Chriſtus ſequitur uſum Hebræorum veterum, qui libros ſacros dividebant, teſte Hieron. in Prologo galeato, in Legem, Prophetas & Hagiographa, ſub quibus in primis continentur Pſalmi: alioqui Pſalmi ſubinde comprehenduntur ſub Prophetis, ut ſuprà v. 27.

45. Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas.

45. TUNC APERUIT ILLIS SENSUM, id eſt mentèm, τὸν νοῦν, ut eſt Græcè, cor ſcilicet intùs illuminando, ut nunc tandem eventuum, cum Scripturis, quas ſæpè audiverant, conſonantiam animadverterent, & intelligerent, & guſtarent. Quo datur intelligi, Scripturarum intelligentiam eſſe Spiritus ſancti donum. Apertis igitur ſenſibus diſcipulorum.

46. Et dixit eis: Quoniam ſic ſcriptũ eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die.

46. DIXIT EIS: QUONIAM SIC SCRIPTUM EST. Quâ loquendi formulâ indicatur, eum protuliſſe diverſa Scripturæ loca; quaſi dixiſſet, ſic ſcriptum eſt per Iſaïam, ſic per Jeremiam, ſic in Pſalmis: ET SIC OPORTEBAT CHRISTUM PATI, prout ſcilicet hæc & iſta loca vaticinantur. Nimirum Chriſtus, ne quid fallaciter cum carnalibus diſcipulorum ſenſibus egiſſe putaretur, majore documento Scripturarum eos de veterum librorum teſtificatione formavit, ut Auguſt. notat 4. contrà Fauſtum, cap. 2. & libr. De unit. Eccleſiæ cap. 10. Nam, ut idem ait Tractat. 2. in Epiſt. Joan. firmitas fidei in eo eſt, quia omnia, quæ evenerunt in Chriſto, prædicta ſunt.

47. Et prædicari, in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, inſipientibus ab Jeroſolyma.

47. ET PRÆDICARI IN NOMINE EIUS, id eſt, vice, juſſu, & auctoritate ejus, PŒNITENTIAM. Nam & ipſe pœnitentiam prædicare cœpit, & Apoſtolis eam loco ſuo prædicare præcepit, & in hoc ipſo ejus auctoritate uſi ſunt, juxtà illud Apoſt. 2. ad Corinth. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* ET REMISSIONEM PECCATORUM, veluti fructum pœnitentiæ, vi paſſionis Chriſti & reſurrectionis accipiendum. Nemo enim poteſt benè agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam, inquit Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 1. IN OMNES GENTES, id eſt, per omnes nationes, prout tam Judæos quàm Gentiles comprehendit. Nam hoc explicat, addendo, INCIPIENTIBUS, prædicatoribus, AB JEROSOLYMA, juxtà vaticinium Iſaïæ cap. 2. *De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Jeruſalem.* Porrò ſæpè obſervat Auguſt. ut videre licet libr. De unit. Eccleſiæ, Tract. 2. in Epiſt. Joan. & in Pſalm. 147. hîc Chriſti verbis totum Chriſtum eſſe expreſſum. Nam cùm dixit, *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt de me, & ſic oportebat Chriſtum pati, &c.* deſignavit ſemetipſum, tamquam Eccleſiæ ſuæ, ſeu corporis ſui caput & ſponſum, per quem acciperetur remiſſio peccatorum: illis verò *In omnes gentes incipientibus ab Jeroſolyma*, deſignavit, ubi corpus capiti illius, hoc eſt, ubi ſponſa

sua, seu Ecclesia sua Catholica quærenda sit, in qua illa remissio peccatorum acciperetur, nempe non in parte aliqua, ut de illa dicatur, ut hæretici dicunt, *Ecce hic, & ecce illic*, sed in omnibus gentibus diffusa: cujus fides ab Jerusalem exordium sumpsit, & paulatim totum orbem occupavit. Nam & hoc ad veram Ecclesiam discernendam certissimum signum est.

48. VOS AUTEM TESTES ESTIS HORUM. Ubi designat, quod sit officium Apostolorum futurum, nempe testificari ea, quæ oculis suis viderant, mortem, & resurrectionem Christi, idque in Jerusalem, & in omni Judæa, Samaria, & usque ad ultimum terræ, ut dicitur Act. 1. vers. 8. Unde videntur hæc verba, licet à Luca hîc subjuncta, spectare ad diem Ascensionis. Ut autem tanto muneri sitis idonei.

48. Vos autem testes estis horum.

49. EGO MITTO, id est, brevi in Pentecoste missurus sum, PROMISSUM, Græcè ἐπαγγελίαν, *promissionem*, PATRIS MEI IN VOS, id est, Spiritum sanctum, quem & olim Pater meus per Prophetas, & nuper per os meum promisi me missurum, ad vos docendos, & roborandos. VOS AUTEM SEDETE IN CIVITATE, id est, deinceps manete in Jerusalem, quod Græcè additur; nam inde lex, seu prædicatio Evangelica misso Spiritu sancto incipere debebat: QUOAD USQUE INDUAMINI VIRTUTE EX ALTO, id est, donec fortitudine animi cælitùs per Spiritum sanctum afflatâ roboremini, ablatâ pristinâ illâ infirmitate, ac timiditate testificandi nomen & fidem meam. Explicantur ista verba clariùs Act. 1. vers. 4. & 8.

49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoad usque induamini virtute ex alto.

50. EDUXIT AUTEM EOS, saltem Apostolos, illis quidem conspicuus, cæteris verò Judæis invisibilis, FORAS, nempe extra Jerusalem, idque in ipso, ut videtur, die Ascensionis, IN BETHANIAM: ubi erat domicilium Magdalenæ & Marthæ. Proinde videtur ex Bethania posteà in montem Oliveti, unde ascendit, reversus esse: nam iste mons erat medio circiter itinere inter Jerusalem & Bethaniam. ET ELEVATIS MANIBUS, non in cœlum, per modum precantis, sed super eos, quibus benedictionis gratia erat impertienda: nam ille erat antiquus benedicendi ritus, ut patet Levit. 9. vers. 22. sicut & nunc fit adhibito signo crucis, tamquam fonte omnis nostræ benedictionis. Quæ cæremonia ab Apostolica manavit traditione, & fortassis ab hoc ipso facto Christi, ut non solùm recentiores aliqui sentiunt, sed etiam S. Hieronym. in vers. 19. cap. 66. Isaïæ, ubi dicit, quòd hoc signum, *Tau*, nobis ad Patrem ascendentes Dominus dereliquit, sive in frontibus nostris posuit. BENEDIXIT EIS, tamquam Sacerdos ab illis abiturus. Quæ benedictio non inanis fuit, sed vim dedit, quæ eos usque ad adventum Spiritus sancti custoditet.

50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & elevatis manibus suis benedixit eis.

51. Inter benedicendum autem RECESSIT AB EIS, ET FEREBATUR IN CŒLUM, non disparendo, seu evanescendo, ut in cæteris apparitionibus, sed paulatim sursum se attollendo, illis videntibus, donec tandem nubes eum secluderet ab oculis eorum, ut narratur Act. 1. vers. 9. Faciem habebat versùs occidentem, sicut ex ultimis vestigiis pedum ejus patet, quæ ascensurus petræ veluti ceræ impressit, & adhuc ibi cerni dicuntur.

51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.

52. ET IPSI ADORANTES, Christum jam nubibus susceptum in cœlum

52. Et ipsi adorantes, regressi

sunt in Jerusalem, cum gaudio magno:

juxtà mandatum Domini, REGRESSI SUNT IN JERUSALEM; idque cum GAUDIO MAGNO, de glorificatione scilicet Domini sui, juxtà illud Christi, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado*; itemque de imminente adventu Spiritus sancti, cujus effectus jam prægustaverant.

53. Et erant semper in templo, laudantes & benedicêtes Deum, Amen.

53. ET ERANT SEMPER IN TEMPLO, omni scilicet die, temporibus opportunis, LAUDANTES ET BENEDICENTES DEUM, quia Christum suum glorificasset, & ejusdem gloriæ spem sibi dedisset. Quæ verba nonnulli referunt ad tempus, quo jam acceperant Spiritum sanctum: nam Lucas similiter Act. 2. vers. 46. & Actor. 3. vers. 1. narrat Apostolos perduraſſe unanimiter in templo. Quibus favet, quòd ante adventum Spiritus sancti insinuetur, Apostolos domi in cœnaculo mansisse. Theophyl. tamen, Beda, & alii, valde verisimiliter putant, hæc contigisse statim post Ascensionem, etiam ante Pentecosten, quod series narrationis videtur postulare. Nec enim cogit illa Scriptura Act. 1. ut semper domi in cœnaculo delituisse credantur.

FINIS.

IN EVANGELIUM JESU CHRISTI SECUNDUM JOANNEM.

PRÆFATIO.

IOANNES *Evangelista patrem habuit Zebedæum, matrem Salomonem, ut ex Matth. 27. vers. 56. collocato cum Marci 15. v. 40. colligitur: nam quæ ab illo dicitur mater filiorum Zebedæi, ab hoc vocatur Salomone. Frater fuit Iacobi, Majoris vulgò dicti, qui primus Apostolorum ab Herode, non Tetrarcha Galilææ, ut putavit Maldonatus, sed Herode Agrippa Rege occisus est. Oriundus fuit à Bethsaïda, Galilææ oppido non ignobili, & à Christo Domino adolescens, ac penè puer, inquit Hieronym. libr. 1. contrà Iovin. ad Apostolatum vocatus est, sicut ætas arguit: nam, ut idem Hieronym. ibidem ait, sicut & in Catalogo, vitam usque ad sexagesimum octavum post Christi passionem annum produxit. Virginem fuisse Tertullian. libr. De monogamia, cap. ult. testatur,* Christi spadonem *vocans, & latè contrà Iovin. Hieronym. qui eum nominat* Maritum & Virginem. *Ex quo fortassis loco fluxit, quòd Auctor Prologi in Tract. August. in Ioan. Beda, & alii, putant eum à nuptiis jam desponsis revocatum, Christo singulariter dilectum fuisse, & familiarem, probant recubitus in sinu Iesu: fiducia interrogandi Christum de proditore, quòd Petrus non audebat? Mater Domini in tutelam ejus tradita. Unde seipsum sæpiùs nominat discipulum, quem diligebat*

Iesus. Vide cap. 19. vers. 26. cap. 20. vers. 2. Causam esse tradit. Hieron. ibidem, perpetuam virginitatem; cujus plura vide apud eumdem privilegia. Post Ascensionem Christi, Asiam ei ad prædicandum Evangelium obtigisse testis est Iren. libr. 3. cap. 3. Euseb. in Historia, & alii passim: quod & Apocalypsis ad septem Asiæ Ecclesias, velut ejus curæ commissas, satis indicat. Propriè tamen Ephesiorum Episcopum fuisse iidem docent. Scripsit post omnes cæteros Evangelistas Evangelium suum, & quidem, ut Theophyl. Dorotheus, & alii inferioris notæ auctores, in Pathmos insulâ; ut verò Iren. lib. 3. cap. 1. Euseb. lib. 5. cap. 8. & alii volunt, Epheſi. Nisi ita concilientur, ut in Pathmos scripserit, Ephesi ediderit, sicut quidam volunt, idque anno primo Neruæ Imperatoris. Scripsit autem rogatus ab Asiæ Episcopis, duabus de causis. Primò, ut Cherinti & Ebionis hereses, contrà Christi divinitatem emergentes, refelleret, qui Christum purum hominem fuisse, & ante Mariam non fuisse dicebant. Secundò, quod cæteros Evangelistas unius tantùm anni, quo Christus passus est, post Ioannis videlicet carcerem gesta, & quidem ferè huma narrasse deprehenderet. Vnde & supplevit prætermissa, & quæ divinitatem Christi præcipuè spectant, prosecutus est. Itaque indicto fratribus jejunio, ut Hieron. Præfat. in Matth. & ut alii, addunt, fulguribus & tonitruis præviis, sicut alter Moyses, & verus filius Boanerges, altissimum illud præmium intonuit, In principio erat verbum, &c. *Quod quidam Platonicus olim aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat, teste August. 10. de Civit. c. 27. Ex omnium sensu scripsit Græcè, quamvis Epiphan. Hæresi 30. testetur illud Hebraïcè translatum, Tyberiade in Iudæorum secretioribus penetralibus olim servatum fuisse.*

CAPUT I.

CAPUT PRIMUM.

1. IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deus, & Deum erat verbum.

IN PRINCIPIO. Duo præcipui istius loci sunt sensus. Primus est, ut IN PRINCIPIO, idem sit, quod in Patre, qui est principium, seu origo & Filii, & Spiritus sancti, & causa rerum omnium: cui commodissimè jungitur, ERAT, ut sensus sit, Filium, semper fuisse in æterno omnium principio. Nam, ut optimè Cyril. lib. 1. c. 1. in Joan. Si in principio erat, quæ mens poterit umquam ultra illud, *Erat*, convolare? aut quando illud, *Erat*, mente ita tenebimus, ut cogitationes nostras non antecedat? Ita & Hilar. lib. de Trinit. & August. 6. de Trinit. c. 2. Secundus est, IN PRINCIPIO,

temporis, quo esse cœpit, quidquid factum est, & ante quod nihil factum est, ERAT, id est, jam tum erat, & veraciter atque immutabiliter subsistebat. Nam isto verbo, *Erat*, includente quodammodò in sensu suo particulam, *Jam*, denotatur quædam antecessio ante principium illud temporis. Unde August. loco cit. exponit, ante omnia. Quæ vis verbi præclarè exprimitur Proverb. 8. Nam quod v. 22. dixerat, *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, mox explicat: *antequam quidquam faceret, antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram; ante omnes colles, ego parturiebar.* Significatur ergò æternum esse Verbum, seu principio carens; ita ut istis tribus vocabulis, *In principio erat*, falsum convincatur illud, quod jactabant Ariani: Erat aliquando, quando non erat. Nam, ut acutè Ambros. lib. 1. De fide, c. 5. indefinitè tenditur, *Erat*. Quidquid excogitaveris, erat Filius: quod enim jam erat in principio, non includitur tempore, non principio prævenitur. Itaque respicere videtur Evangelista & supplere initium Geneseos: q. d. In principio illo temporis, quo Deus creavit cœlum & terram, non creavit Verbum, quo cætera creabantur, sed ipsum jam tunc erat ante cœlum & terram.

VERBUM, Græcè λόγος, quod ab antiquis, variis modis redditur: ab aliquibus *Ratio*, à multis *Sermo*, quod Erasmo & Novatoribus maximè placet. Sed omnibus in Ecclesia Catholica præfertur, & antiquis, ac recentioribus celeberrimum est *Verbum*: & meritò, quia alienissimum à compositione, quam *Sermo* includere, vel admittere videtur, utpote pluribus constans verbis: quæ multitudo ex imperfectione, vel loquentium, vel audientium proficiscitur. *Ratio* quoque neque respectum ad principium significat, neque ad opera, quæ verbo fiunt; sicut utrumque notat Augustin. lib. 83. Quæst. qu. 63. quorum utrumque significatur nomine *Verbi*. Addit Basil. in principium hujus Evangelii, *Verbum* hîc dici, non Filium, quia ex mente processit, quia citra carnalem affectionem natus est, quia imago est genitoris, totum in seipso genitorem ostendens. Verbum quippe perfecta imago est ejus, cujus est verbum. Non enim de externo Verbo, quod propriè dicitur Vox, sed de interno agitur, quod Cogitationem dicimus. Sed cogitationis nomen horret Evangelista, ne aliquid volubile credatur in Deo, ut August. 15. de Trinit. cap. 16. Est autem Græcè additus articulus ὁ λόγος, *illum Verbum*, ut articuli adjectione, inquit Chrysost. illud à reliquis separaret: q. d. in principio jam erat illud Verbum Dei, primum, divinum, increatum, quo creaturæ omnes dictæ & creatæ sunt.

ET VERBUM ERAT, id est, & idem istud Verbum jam tum in principio subsistebat, APUD DEUM, Græcè πρὸς τὸν θεὸν, *illum Deum*, celeberrimum Israëli, à Patribus prædicatum, cujus erat hoc verbum. Significatur ergò hîc; Primò, Verbum istud fuisse Verbum ipsius Dei. Cùm enim verbum non possit esse nisi dicentis, & nihil esset præter Deum, necesse est, fuisse verbum Dei, tamquam dicentis, & proinde Patris. Secundò, & præcipuè, Verbum personâ distingui ab illo Deo, cujus Verbum est, ut notavit Theophyl. Cyril. Basil. & quotquot antiqui locum hunc tractavere. Quomodo enim, inquit Cyrillus, quod unum

numero est, id est, una persona, ipsum apud seipsum esse intelligeretur? Tertiò, Verbum, non ut conceptum humani animi, in Patre esse, tamquam accidens in subjecto, sed ut personam distinctam per se subsistere. Idcirco enim usus est, *apud*, potiùs, quàm *in*. Unde Theophyl. & Hilar. lib. 2. de Trinit. reddunt, *cum Deo*, quo significatur idem, quod *apud Deum*. ET DEUS ERAT VERBUM. Græcè articulus additur *Verbo*, & non *Deo*, ut indicetur, *Verbum* esse subjectum, & *Deus* prædicatum, hoc modo: *Et illud verbum erat Deus*. Quo inverso loquendi modo usus est, propter concinnitatem sermonis, maximè Hebraïci, ut scilicet vox *Deus*, quæ finis fuerat sententiæ præcedentis, esset initium sequentis; quemadmodum hoc fit quater statim v. 4. & 5. Porrò magnâ consideratione non addidit articulum voci, *Deus*, ut indicaret, non sumi hîc pro persona, ut paulò antè, sed pro natura communi; ut sensus sit: Verbum erat Deus, sicut ille, apud quem erat, alius non aliud, ejusdem cum illo naturæ, ac deitatis, idem cum illo, consubstantialis, ac simplicissimus Deus, ut notat Cyrillus. Ex quo patet, primâ sententiâ expediri quæstionem, an sit Verbum, nempe in principio, seu ab æterno: secundâ, quo modo sit persona, scilicet à Patre distincta: tertiâ, quid sit, nempe Deus. Omnia verò tria pulchro compendio in unam summam colligens, addit:

2. Hoc erat in principio apud Deum.

2. HOC ERAT IN PRINCIPIO APUD DEUM, id est, hoc idem Verbum, quod Deum esse dixi, erat in principio apud Deum, cujus verbum est, tamquam scilicet unus cum eo Deus. Causa duplex talis epilogi est: prima, ne quis tria illa pronuntiata de diversis verbis intelligeret; uno videlicet, quod sit internum Deo Patri; altero, quòd illi interno simillimum sit, & vocetur Filius Dei, tamquam verbum verbi, & splendor splendoris, & imago imaginis, ut Eunomiani putarunt, teste Cyrillo libr. 1. in Joan. cap. 4. Secunda causa est, eaque præcipua, quam urget & explicat S. Hilar. libr. 2. de Trinit. ne contrà Moysen, novum Deum, ideóque plures Deos cum Gentilibus introducere videretur, dicendo, *Deus erat Verbum*. Statim enim explicat. Hoc ERAT, &c. id est, hoc idem Verbum Deus unus & verus apud Deum, cujus Verbum est. Explicatâ igitur Verbi æternitate, distinctione, naturâ, nunc ad opera ejus tam credanda, quàm restauranda pergit.

3. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

3. OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT. Compendio exprimit quidquid Moyses fusè initio Geneseos deduxerat, quia ad opus redemptionis, novo Testamento proprium, festinabat. *Omnia*, igitur, id est, ut explicat Paulus ad Coloss. 1. vers. 16. *Universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia*, nullo penitus extra Deum excepto. Cùm enim dicit *Omnia*, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia, sicut idem Apostolus argumentatur 1. ad Corinth. 15. v. 27. *Per ipsum* verò facta seu creata sunt, non ut per ministrum, per organum, per instrumentum, sicut Ariani senserunt, sed per efficacissimum, omnipotens, & coæternum Patri Verbum, quo Deus Pater dixit: *Fiat & factum est*. Cùm enim verbum nonnisi à dicente sit, significatur tantùm per istud, *Per*, potestatem faciendi, sicut & ipsam essentiam, Filio à Patre communicatam, sed ab æterno. Non enim putandum, cùm in Genesi scribitur, *Dixit Deus, fiat lux*, &c. temporalem aliquem sonum, aut dictionem,

aut

aut jussionem significari; sed denotatur æternus conceptus, seu Verbum Patris de universis condendis, cujus effectus temporalis tunc effluxit, quando fieri debuisse, in illo verbo continetur. Æternum quippe est hoc ipsum in verbo Dei, quando fieri aliquid debeat, ut Augustin. libr. 1. De Genes. ad litt. capite 2. Porrò ex hoc, quòd per Verbum omnia dicuntur facta, rectè colligitur, ipsum Verbum non esse factum, sicut colligunt ferè veteres adversus Arianos, August. Tractat. 1. Cyril. lib. 1. cap. 5. & alii: sicut enim seipso non potest esse prius, ita nec per seipsum fieri. Ut autem de omnibus cæteris creatis nulla fieret cavillatio per exceptiones, aut commodas distributiones, id, quod affirmativè dixerat, generalissimè exprimit negativè: ET SINE IPSO FACTUM EST NIHIL, neque corporalium, neque spiritualium. Quo jugulantur Platonici, & Manichæi: illi, quia corporalia per Deos minores, id est, per Angelos; hi, quia mundum corporeum per principium malum factum sentiebant: contra quos Augustin. tum Tract. 1. in Joan. tum. 12. de Civitat. cap. 20. Porrò illud, *sine*, quamdam concomitantiam significat, ut alia intelligatur persona socia, nempe Pater; ut Hilar. q. d. Sine eo à Patre nihil factum est. QUOD FACTUM EST. Jungendum est præcedentibus, sicut jungit Nazianz. Orat. 5. de Theologia, Hieron. diversis locis, Chrysost. & alii. Itaque tamquam explicationis ergò adjectum est, ut facilius intelligeres, quænam per ipsum facta censeantur, nempe omnia, quæ facta sunt: sic enim nulla difficultas est in excludendo ab ea generalitate Patrem & Filium, & præcipuè Spiritum sanctum; itémque peccatum. Illi namque non sunt facti, qui æterni; hoc non fit, quia fieri nequit, utpote defectus ab eo quod est. Augustin. tamen & Cyrillus in Joann. Athanas. aliique multi veteres, jungunt sequentibus, hoc modo: *quod factum est: in ipsa vita erat*, quod Augustin. exponit Tract. 1. in Joan. & 5. De Genes. ad litt. cap. 14. res creatæ erant vita, antequam fierent, non in seipsis, sed in Verbo, seu in Sapientia Dei, tamquam in arte vivente, quâ factæ sunt. Porrò quomodo hoc exordio Joan. interficiantur plurimæ hæreses, Ariana, Sabelliana, Photiniana, Eunomiana, Manichæa, vide Ambros. lib. 1. De fide cap. 5.

4. In IPSO, scilicet Verbo, VITA ERAT. Quod Chrysost. & Cyril. videntur causaliter intelligere, respectu vitæ naturalis creaturarum, quam causat creando & gubernando: recentiores verò plerique respectu vitæ spiritualis & æternæ, quam attulit hominibus. Rectiùs August. Tract. 1. in Joan. & aliis multis locis, exponit hunc & sequentem adhuc versum de vita essentiali Verbi Dei. *In principio* ergò *vita erat*, quia ipsemet vita erat, sicut infrà dicit, *Ego sum vita*, quia est ipsa scilicet æterna & vivens Sapientia, & Veritas. Nec refert, quòd *in ipso* esse dicatur; sic enim & cap. 5. vers. 25. dicit, *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, quia ipse est vita sua, ut August. notat loco De Genesi citato. ET VITA, illa eadem divina Sapientia, ERAT LUX, non quorumcumque animalium, sed HOMINUM, quia ad imaginem Dei facti rationalem habent mentem, qua possunt videre sapientiam Dei, æternámque veritatem. Ita August. Tract. 1. Hanc enim lucem æternæ sapientiæ vidit, quisquis æternam Dei legem vidit, ex qua sapienter

4. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum:

vivendo vitam ſuam formet. Quia verò ſtulta hominum corda, quæ peccatis, terreniſque deſideriis aggravata hucem illam videre non poſſunt, putare poſſent lucem illam ſibi abſentem eſſe, addit:

5. Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderũt.

5. ET LUX, iſta æternæ Veritatis & Sapientiæ, IN TENEBRIS LUCET, id eſt, in tenebroſis & cæcis peccatorum cordibus. Ut enim crebrò explicat & appoſitivè Auguſt. ſicut homini cæco præſens eſt Sol, ſed ipſe Soli abſens eſt, ſic omnis ſtultus, id eſt, impius & iniquus cæcus eſt corde. Præſens eſt illa Sapientia, & velut cæco. Sol, ideóque oculis ejus abſens eſt. Hinc eſt ergò, quod TENEBRÆ, id eſt, homines peccatis tenebrati, EUM NON COMPREHENDERUNT, id eſt, non perceperunt, nempe quia immundos habebant oculos. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Tollantur ex animo impedimenta peccatorum & effectuum terrenorum, & videbis ſapientiam, quæ præſens eſt, quia Deus eſt ipſa Sapientia, inquit Auguſtin. His ergò de divinitate Verbi Dei præmiſſis, & tenebris eum non comprehendentibus, accedit ad œconomiam divinæ providentiæ, qua mundum in noticiam iſtius lucis adducere voluit.

6. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes.

6. FUIT HOMO MISSUS A Deo, & proinde divinæ auctoritatis pondus ad teſtificandum habens, quam ei conciliaverat miraculoſa nativitas, vita ſolitaria, victus auſteritas, converſationis innocentia, prædicationis libertas & efficacia: CUI NOMEN ERAT JOANNES, divinitus videlicet impoſitum ante circumciſionem, & ipſa ſua etymologia gratiam Dei ſonans.

7. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

7. HIC VENIT IN TESTIMONIUM, UT TESTIMONIUM PERHIBERET DE LUMINE, id eſt, cauſa miſſionis & adventus ejus fuit, ut teſtaretur iſtius lucis carne veſtitæ præſentiam in hoc mundo. Nam quamvis Sol corporeus non indigeat lucerna, ut videatur, lux tamen illa animi mundi, ſapientia Dei, per ſe inacceſſibilis eſt cordibus maximè tenebroſis. Itaque prædicatione ſua teſtimonium ei perhibuit Joannes: quòd ipſe eſſet lux & Sapientia Dei; ut ſic omnes, qui non poſſent eam capere, eáque contemplando & amando frui, ejus auctoritate moti, ſaltem CREDERENT PER ILLUM Joannem. Fides enim, nondum re perſpectâ, innititur teſtificationibus fide dignis; fide jam habitâ, mundantur paulatim animus, ut tandem videre poſſit, quod credidit.

8. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.

8. NON ERAT ILLE LUX, illa increata, Sapientia ſcilicet Dei, ſed potiùs lucerna ab illa luce accenſa, ſicut vocatur c. 5. SED UT TESTIMONIUM, &c. q. d. Non erat lux, ſed teſtis ac præco lucis: non Sol, ſed lucifer, Solis præcurſor. Quod tam ſollicitè inculcat, ut ſuſpicionem tolleret, quæ aliquandò fuerat, Lucæ 3. v. 15. quòd ipſe eſſet Chriſtus. Itaque illud lumen, de quo petibuit Joannes teſtimonium, ab æterno.

9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum.

9. ERAT LUX VERA, primigenia, ſumma, ſubſtantialis, non lucis particeps, ſed ipſe fons luminis ſpiritualis, quia ipſa ILLUMINAT OMNEM HOMINEM VENIENTEM IN HUNC MUNDUM, id eſt, naſcentem: ergò & ipſum Joannem. Hæc autem illuminatio dupliciter intelligi poteſt fieri, primò per creationem mentis rationalis, velut oculi interioris, ſic Auguſtin. exponi poſſe tradit libro 4. De peccatorum meritis cap. 25. præſertim ſi attendamus, nihil omninò veri, qualecunque ſit, agnoſci ab humanâ mente poſſe, niſi judicet juxta regulas quaſdam im-

mutabiles, quas supra mentem suam omnis anima rationalis scriptas videt in libro lucis illius, quæ æterna veritas dicitur, ut August. sæpè tradit, & in primis lib. 14. de Trinit. cap. 15. lib. De vera religione cap. 39. & alibi. Secundò intelligi potest, ut August. plerumque intelligit, de illuminatione pietatis, quâ anima per gratiam verè fit sapiens & justa. Nam quamvis homo audiat dicentem hominem vel Angelum, ut tamen sentiat & cognoscat, credendo & amando verum esse, quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod in æternum manet, ut idem loco De peccat. meritis citato, ubi dicit, hunc locum exponendum esse negativè, quia scilicet nemo illuminatur, nisi ab ista luce: q. d. Cui soli competit illuminare omnes, qui illuminantur.

10. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.

10. IN MUNDO ERAT, essentiâ, potentiâ, præsentiâ, non mundo quasi concluſus, sed uti continens mundum: ET MUNDUS PER IPSUM FACTUS EST, tamquam per artem viventem & subsistentem omnipotentis artificis, quæ regit opus, quod fecit: ET MUNDUS, id est, sed mundus in illis creaturis, quæ eum agnoscere debuissent, EUM (quod refertur Græcè non ad lucem seu lumen, quod præcessit, sed ad personam verbi, quod Græcè masculinum est λόγον) NON COGNOVIT, cæcitate mentis, quâ post peccatum tenebrata est, impediente, ne auctorem suum agnosceret; illa præsertim agnitione, qua Deus agnosci, & amari, & coli à creatura sua debet.

11. In propria venit, & sui eum non receperunt.

11. IN PROPRIA VENIT, id est, in mundum à se factum, præcipuéque in Judæos carne cognatos venit, per incarnationem, inquit August. Tract. 2. nempe qui invisibilis per divinitatem in mundo erat, visibilis & palpabilis per humanitatem fieri voluit, ut quemadmodum Athanas. de corporali adventu verbi Dei dicit, homo hominum sensus in sensibilia defixos præoccuparet. Nimirum, ut ita homines humana solùm cogitantes, quocumque sensus suos conferrent, ibi se anticipari, & undecumque insinuari veritatem sibi animadverterent. ET SUI, id est, Judæi, quos ut populum peculiarem sibi adsciverat, Deuteron. 32. vers. 9. Item *sui*, quia contribules ejus & cognati, ut August. EUM NON RECEPERUNT, per fidem, id est, noluerunt in eum veluti creatorem domus ac liberatorem suum credere, ut mox exponitur; imò rejecerunt eum. Ne verò à nemine prorsus receptus esse, & Judæorum incredulitas fidem, qua Deus in promissis suis fidelis est, evacuasse putaretur, adjecit à quibusdam receptum, & quanto fructu.

12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus.

12. QUOTQUOT AUTEM RECEPERUNT EUM, quod quomodo fiat, statim explicat: credendo scilicet IN NOMINE EJUS, id est, in ipsum, prout se inter homines cognoscendum & nominandum exhibuit, videlicet in Jesum Christum Filium Dei, DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS DEI FIERI, hoc ipso, receperunt eum, seu crediderunt in eum. Nam, clarè & breviter August. libr. 1. ad Bonifac. cap. 3. datur potestas, ut Dei filii fiant, qui credunt in eum, cùm hoc ipsum datur, ut credant in eum. Hoc autem solet communiter intelligere August. de fide viva & operatoria per charitatem, quæ scilicet non steriliter credit, sed facto ostendit, se verum putare, quod credit. Et tunc potestas illa est actui suo conjuncta. Et versus sequens erit explicatio, qualis illa fides, qua

fiunt filii Dei, esse debeat, regenerationi scilicet juncta. Intelligi tamen potest de potestate ab actu separata, & consequenter de fide inchoata: nam per illam ad baptismum regenerationis ducimur, & orando ex fide impetramus spiritum penitentiæ & charitatis, qua constituimur filii Dei. Et tunc sequens versus erit enumeratio eorum, quæ præter fidem illam requiruntur, videlicet qui non solùm crediderunt in nomine ejus, sed etiam

13. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

13. QUI NON EX SANGUINIBUS, maris & fœminæ, conceptûs materiam ex concocto sanguine submini strantium, ut Augustin. Tract. 2. Quod plenius explicat, NEQUE EX VOLUNTATE CARNIS, id est concupiscentia mariti, qui non humana, non carnali, non concupiscentiali, & immundissima generatione, SED EX DEO NATI SUNT, id est, ex sanctissima illa divina voluntate. *Voluntariè enim genuit nos Deus verbo veritatis*, ut est Jacobi 1. Unde August. apud Prosperum Sent. 301. Justus ex Deo, non ex hominibus nascitur, quoniam renascendo, non nascendo fit justus. Unde etiam renati filii Dei vocantur.

14. Et verbũ caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis.

14. ET VERBUM, illud scilicet, de quo hactenus locutus sum. Ponitur verò *Et* pro *Nam*, quantum ad sensum modus exponitur, quo in propria venerit, & simul ratio datur tantæ gratiæ hominibus collatæ, quâ filii Dei fierent, nempe quia illud ipsum æternum Verbum ineffabili quodam amoris excessu, CARO FACTUM EST, id est, homo, sicut unanimiter Patres explicant. Cyril. August. & alii, per synecdochen scilicet pro toto ponendo partem, eamque viliorem, ut Christi humilitatem magis ostenderet, & ne carnis nomen, quasi indignum aliquid refugisse videretur, inquit August. Epist. 120. cap. 4. Similes locutiones in Scripturis frequentes sunt, ut Lucæ 3. v. 6. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Itaque ad commendandam extremam Dei dignationem, summum opposuit infimo, nobilissimum abjectissimo, verbum omnipotens & beatissimum infirmissimæ, miserrimæque carni; sic tamen, ut *Caro*, non significet hîc, neque partem naturæ humanæ, neque naturam humanam, neque personam humanam, sed hominem, quia Verbum non pars naturæ, non natura, non persona, sed homo *factum est.* Sic, ut Verbum, seu persona Verbi subsistens, in natura divina simul sit verè homo, id est, subsistens per modum personæ in natura humana. Ita quippe verba ista librata sunt, ut uno ictu omnes hæreses de Christo perimantur. Nam neque dicitur, verbum factum esse, quod putabant Ariani; neque verbum in carnem mutatum, quod Apollinaristæ; neque carnem in verbum, quod alii: neque verbum & carnem in naturam tertiam, quod Eutychiani: neque verbum carnem sibi tantummodò conjunxisse; neque personam hominis sumpsisse, quod Nestoriani; neque in carnem venisse, sicut ad Prophetas & Sanctos olim venit: sed verbum carnem, seu hominem factum esse: utrâque scilicet naturâ in unitatem personæ coalescente, ita ut verbum sit caro, seu homo, eademque persona verbum simul & homo. ET HABITAVIT IN NOBIS, id est, Verbum jam caro factum in terris visum est, & cum hominibus conversatum, ut explicat Baruch cap. 3. vers. 38. ne scilicet propter magnitudinem excellentiæ suæ hominum consortium dedignatus fuisse putaretur. Quamquam Cyril. 1. in Joan. cap. 16. & libr.

de Incarnat. unigeniti cap. 23. velit esse explicationem particulæ præcedentis, ut significetur, quòd Verbum non ita sit caro factum, ut mutatum fuerit in carnem, vel cum carne in naturam tertiam, sed ut in illa non sibi confusa, permixtâve, sed distincta, velut in templo animato corporaliter habitaverit. ET VIDIMUS Græcè ἐθεασάμεθα, *spectavimus*, scilicet oculis corporalibus, tamquam testes oculati admirandum spectaculum, GLORIAM EIUS, id est, majestatem divinitatis ejus, per humanam naturam coruscantis, non qualem Prophetæ, Moyses, Angeli habuerunt, sed QUASI UNIGENITI A PATRE, id est, talem, qualis decebat Filium Dei Patris unigenitum. Itaque *Gloria* significat illam majestatem, sive splendorem divinitatis occultæ, quæ vel in facie relucebat, ut Hieron. cap. 9. Matth. vel etiam in vestibus, ut in transfiguratione, vel per miraculorum magnitudinem se prodebat, ut infrà cap. 2. vers. 11. Et illud *quasi*, non similitudinis nota est, sed confirmationis, ac determinationis indubitatæ, ut loquuntur Chrysost. & Theophyl. significans, tamquam, id est, verè, quemadmodum dicit Apostolus, *Ut filii lucis ambulate*, id est, tamquam qui verè filii lucis sitis. Unde August. in Psalm. 125. scribit esse subinde notam proprietatis, ut quando dicitur, *Fecit sicut vir bonus, sicut Senator*, &c. PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS, *Plenum* Græcè Nominativus est, πλήρης χάριτος, & referendus est ad *Verbum caro factum*; ita ut quæ sequuntur (*vidimus gloriam ejus*, &c.) parenthesi includantur. Itaque Verbum caro factum, erat plenum gratiæ, non solùm quatenus ipsa divinitas in eo habitabat corporaliter, sed etiam quia ipse fons omnium gratiarum Spiritus sancti in ipsum cum tota plenitudine gratiæ, tam gratum facientis, quam gratis datæ, sine mensura effusus erat, ita ut in nos plenitudo ejus redundaret. Legem quippe nobis in gratiam mutavit, timorem in amorem. ET VERITATIS, quia ut est 1. Joan. 5. Christus est veritas, & ita veritas, ut totum in illo verum fuerit, vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera nativitas, vera passio, vera mors, vera resurrectio, ut August. Tract. 8. in Joan. Hinc consequenter, plenum veritatis, in verbis sine mendacio, in conversatione sine peccato; plenum veritatis in rebus, quia omnes umbras ac typos, omnes promissiones veteris Legis implevit, juxtà Apostolum, 2. ad Corinthios 1. v. 20.

15. JOANNES TESTIMONIUM PERHIBET DE IPSO, id est, non solùm nos, quod vidimus, testamur, sed & Joannes à Deo missus, tantæque auctoritatis, ut Christus esse putaretur, testando CLAMAT, id est, non clanculum, non obscurè, non trepidè: sed magnâ cum libertate professus est: HIC ERAT, QUEM DIXI, id est. Hic est ille, de quo prædixi antequam vidissem eum, ut patet Lucæ 3. v. 16. QUI POST ME VENTURUS EST, jamjam scilicet ad prædicandum; quia jam ab eo baptizatus fuerat. ANTE ME FACTUS EST, id est, mihi antepositus est dignitate, ut August. Tract. 3. QUIA PRIOR ME ERAT, id est, æternitate prior, dignitate præstantior. Utroque enim modo. *Prior* accipi potest, ut & temporis præcessionem significet, & naturæ tam divinæ, quàm humanæ præcellentiam. Unde Ambros. 3. de fide cap. 5. Prior me erat, æternitatis est; ante me factus, honoris. Interpositio breviter Joannis testi-

15. Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me erat.

monio, pergit declarare illam, quam dixerat, plenitudinem gratiæ & veritatis.

16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

16. ET DE PLENITUDINE EJUS : q. d. Tanta fuit ejus plenitudo, ut de redundantia fontis illius NOS OMNES ACCEPERIMUS, quidquid scilicet habemus gratiæ & veritatis, ad benè vivendum & prædicandum id, quod vidimus. Sunt enim verba non Baptistæ, sed Evangelistæ, ut sentit Chrysost. & Cyrill. libr. 1. cap. 20. Sed quid est illud, quod accepimus? nempe gratiam fidei, remissionis, justitiæ, quâ hîc ex fide vivimus; ET GRATIAM PRO GRATIA, id est, & insuper gratiam vitæ æternæ pro ista gratia justitiæ, hoc est, mercedem pro meritis, quæ contulit gratia. Ita utramque partem exponit August. Tract. 3. & lib. de corrept. & gratiâ cap. 13. & aliis diversis locis: nam & Apostolus gratiam Dei vocat vitam æternam. Idem tamen August. in Psalm. 81. Cyrill. & Chrysost. & ferè Græci exponunt, *gratiam*, propriè dictam & beneficentissimam novi Testamenti, *pro gratia*, id est, loco gratiæ veteris Testamenti. Nam & illa gratia, id est, beneficium peculiare, & gratuitum Dei fuit juxtà Psalm. *Non fecit taliter omni nationi & judicia sua non manifestavit eis.* Cui sensui percommodè subjungit, quasi rationem reddens sententiæ præcedentis.

17. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.

17. QUIA LEX, quæ docet ac præcipit benè vivere, PER MOYSEM DATA EST, tamquam donum grandiuscum & magnum, erudiendo, coërcendo, seu in officio continendo, & ad Christi fidem & gratiam præparando populo Judaico: SED GRATIA illa propriè dicta, quâ Lex impleri potest, ET VERITAS, quæ per cæremonias & sacrificia, terrenaque promissa, velut per umbras & typos figurata prophetabatur, PER JESUM CHRISTUM FACTA EST, id est, revelata, præstita & præsens exhibita, veterum umbrarum usu & observatione sublatâ. Ita Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 6. Nam, ut ait etiam lib. 17. cap. 6. gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum implectionem: de quo & vide libr. 19. cap. 18. Et quasi aliquis diceret, Ergone Moyses, qui Deum vidit, non revelavit & præstitit veritatem? Respondet:

18. Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius: qui est in sinu patris, ipse enarravit.

18. DEUM NEMO, mortali carne circumdatus, VIDIT UMQUAM, sicuti est, sive secundùm substantiam, & lucem illam divinitatis incircumscriptam. Quicumque enim Deum vidisse dicuntur, Jacob, Moyses, Elias, Isaias, imagines quasdam viderunt, non ipsam essentiam Dei, ut latè Iren. libr. 4. cap. 37. & Aug. Epist. 112. UNIGENITUS: quia solus & unicus ex Patre genitus est, utpote tam perfectè & plenè de Patre expressus, ut alteri verbo non possit esse locus, ut notat Athan. pro decretis Conc. Nicæni. FILIUS, tamquam ex mero consubstantialis genitus. Nam sine consubstantialitate genitum verbum utcumque dici posset, sicut à nobis gignitur, non tamen Filius; QUI EST IN SINU PATRIS, id est, in intimo charitatis paternæ & naturæ secreto, inquit Ambr. lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 11. Designatur itaque Filius esse in Patre, & ejusdem naturæ cum Patre, ut notat etiam Cyrill. in hunc locum, & consequenter omnia Filio, tamquam in ultimo Patris secreto commoranti, esse certa atque perspicua, ut Chrysost. IPSE NARRAVIT, id est, ipse tamquam solus adhuc idoneus palàm revelatis

omnibus umbris ac figuris, explicuit, & velut ſpectanda exhibuit: quaſi tacitè diceret, propterea nemo præcedentium hoc potuit, quia non viderant fontem ſecretorum divinorum.

19. ET HOC EST TESTIMONIUM JOANNIS. Multi exponunt, *Et*, pro, *etiam*, ſeu inſuper, quaſi aliud à præcedente Joannis teſtimonium proferret: ſed v. 27. ſatis indicat eſſe idem, ſed latiùs cùm omnibus aliis circumſtantiis expreſſum. Itaque redit ad explicandum hoc teſtimonium Joannis, quod interruperat. Perhibitum autem ab eo tunc fuit, QUANDO MISERUNT JUDÆI AB JEROSOLYMIS, Concilium ſcilicet ſupremum, quod Sanedrin vocabitur, & Jeroſolymis reſidebat: nam illius erat de novis doctrinis, ſectis & Prophetis judicare, ne fraus ſubreperet, ut alibi diximus. Fuit ergò hæc ſolemnis legatio, & proinde neceſſario à Magnatibus miſſa, quia miſſi fuerunt, dignitate & ſtatu, SACERDOTES ET LEVITÆ, qui poſt ſummum Pontificem erant præcipuæ perſonæ in Repub. Judaïca. Sectâ verò erant Phariſæi, ut patet verſ. 24. UT INTERROGARENT EUM: Tu QUIS ES? videlicet perſonâ, qualitate, officio: ſic enim quantùm ad iſta tria explicant ſe poſtea ipſi Legati. Cauſa mittendæ legationis videtur tangi à Luca cap. 3. verſ. 15. quòd dubitarent, an ipſe eſſet Chriſtus, nimirum ob varias cauſas ſuprà datas, & inter cætera, quia auſus eſſet baptizare, inquit Auguſt. Itaque eos ſtatim in ingreſſu interrogaſſe, an eſſet Chriſtus, patet ex reſponſo Joannis, quia

19. Et hoc eſt teſtimoniũ Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis ſacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. CONFESSUS EST, palàm, diſertiſque verbis, ET NON NEGAVIT, id eſt, non retractavit. Nam affirmando & negando idem exprimit, ut & v. 3. diximus: ET CONFESSUS EST: quæ repetitio ad conſtantiam pertinet, qua confeſſus eſt, QUIA NON SUM EGO CHRISTUS, ut exiſtimatis. Quo audito interrogaverunt de perſona, an ſaltem

20. Et confeſſus eſt; & non negavit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.

21. ELIAS ES TU? qui Chriſti præcurſor eſſe debet. Nam ſcribarum doctrina erat, ut eſt Matth. 17. v. 10. quòd Eliam oporteret primùm venire, antequam veniret Chriſtus: confundebant enim primum adventum cum ſecundo. Nec abſurda erat quæſtio: videbant quippe eum habitatione deſerti, vitæ auſteritate, zonaque pellicea Eliæ ſimilem. Cùm negaſſet, quærunt de qualitate ejus: PROPHETA ES TU? Græcè ὁ προφήτης, *ille Propheta*, nempe promiſſus à Moyſe, Deuter. 18. *Propheiam de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus.* Qui quidem erat ipſe Chriſtus; ſed Judæi eum tunc ab eo diſtinguebant, ſicut & nunc: qui ſenſus ferè eſt Græcorum, Cyrill. lib. 1. cap. 14. Chryſoſt. & diſcipulorum ejus. Auguſt. tamen hîc & Greg. Hom. 7. in Evang. generaliter intelligunt unum de antiquis Prophetis, qualem putant aliqui Matth. 16. eſſe etiam ipſum Chriſtum. ET RESPONDIT: NON. Nempe ſive illum jam dictum, ſive etiam generaliter alium. Non quaſi ſignificare vellet; ſe eſſe pluſquam Prophetam, ſicut Dominus vocavit eum diu poſtea, Matth. 11. quia talis propria laus minùs quadrabat in ejus humilitatem: ſed quia mens interrogantium erat, Prophetas illos intelligere, qui verbis & factis Chriſtum futurum prænuntiabant: qualis non erat Joannes, ſed qui digito demonſtraret præſentem.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.

22. DIXERUNT ERGO EI: QUIS ES, UT RESPONSUM DEMUS HIS, QUI MISERUNT NOS? Affirmativum ſcilicet, qui per negativum reſponſum

22. Dixerunt ergo ei: Quis es: ut reſponſum de-

mus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso.

23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaïas Propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.

25. Et interrogaverunt eum: & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta:

Joannis, asserentis quis non esset, non poterat satisfieri. Judicibus igitur publicè ex officio interrogantibus palàm respondens, AIT: EGO VOX CLAMANTIS IN DESERTO, &c. quæ vide Matth. 3. v. 3. explicata. Nam illud DIRIGITE VIAM, &c. idem est, quod *rectam facite viam.*

24. ET QUI MISSI FUERANT, ERANT EX PHARISÆIS, sectâ, scilicet, & proinde præcipuæ in Repub. auctoritatis, ut attestatur Josephus. Quamquam & alia potest esse ratio expressæ illius circumstantiæ, ut scilicet pateret, cur interrogaverint id, quod sequitur.

25. QUID ERGO BAPTIZAS SI TU NON ES CHRISTUS, NEQUE ELIAS, NEQUE PROPHETA? Pharisæi quippe cùm ablutionibus, tamquam sibi traditis abundarent, & eorum imitatione cæteri Judæi, sicut patet Marci 7. vers. 3. & 4. judicabant audaciæ esse, ut hîc loquitur Augustinus, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum inducere. Nam, ut idem ait lib. 3. contra Donatistas c. 9. nulli Prophetarum, nulli prorsus hominum in Scripturis divinis legimus concessum esse, baptizare in aqua pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, quod Joanni concessum fuit: quâ mirabili gratiâ suspendens corda populorum, viam præparabat Christo Domino remissionis datori. Itaque de baptismo illo videntur vulgò maximam habuisse opinionem: unde & Matth. 21. non ausi fuerunt Pharisæi negare baptismum Joannis esse de cœlo. Quò fortassis impulerant eos verba Prophetarum, Ezech. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam*: & Zachariæ 13. v. 1. *In die illa erit fons patens domui David*, &c. Quæ de baptismo divinitùs instituendo intelliguntur. Proinde

26. Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

26. RESPONDIT JOANNES: EGO BAPTIZO IN AQUA, mera scilicet & nuda, sine interioris hominis regeneratione; q. d. Rectè sentitis, baptismum nonnisi divinæ auctoritatis esse, imò ad Christi tempora pertinere; sed non arrogo mihi officium ejus, quia baptismus meus præter aquam nihil habet, inquit Chrysost. MEDIUS AUTEM VESTRUM STETIT, id est, in medio vestrûm, seu inter vos conversatus est, ut quando inter Doctores duodecennis sedit, quando paulò antè baptizatus fuit, QUEM vos NESCITIS, cujus sit dignitatis atque conditionis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.

27. IPSE EST, QUI POST ME VENTURUS EST: Græcè ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *venit*, publicè prædicaturus, & miracula facturus, id est, qui jamjam adest, cujus videlicet adventum, & prædicationem, & maximè baptismum præcurro, tamquam longè perfectiorem meo futurum. Nam eò respici notant hîc Græci, Chrysost. Cyril. & Theophyl. Unde & alteram partem responsionis Joannis expressè supplet Matth. cap. 3. vers. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*, baptismo scilicet longè dissimili, cujus meus est tantùm rudimentum & præambulum. Cujus EGO NON SUM DIGNUS, UT SOLVAM, &c. quod infimum est famulorum in heros ministerium, ut sic magnitudinem sanctitatis, ac dignitatis ejus exprimeret. Vide Matth. 3.

28. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

28. HÆC IN BETHANIA FACTA SUNT, non illâ, quæ est propè Jerusalem, ubi Mariæ & Matthæ domicilium, sed alia TRANS JORDANEM, scilicet eadem, quæ *Bethabara*, id est, domus transitus, quia ibi vel flumen vulgò trajiciebatur, vel ab Israëlitis olim trajectum erat. Unde

antiqui

antiqui ſcriptores quidam malunt legi *Bethabera*: ſed tamen omnia exemplaria Græca, Latina, Syriaca, conſtanter legunt *Bethania*. UBI ERAT JOANNES BAPTIZANS, quia propè deſertum erat, & confluxu populi propter trajectum abundabat.

29. ALTERA DIE, id eſt, poſtridie ejus diei, quo ſatisfecerat legationi Judæorum, VIDIT JOANNES JESUM VENIENTEM AD SE, è deſerto poſt jejunium, ut Joanni occaſionem demonſtrandi ſe præberet: jam enim baptizatus fuerat, ut ex eo colligitur, quòd paucis diebus poſt Jeſus cum diſcipulis ivit ad nuptias in Cana Galilææ, c. 3. v. 1. ET AIT, circumſtantibus, de Jeſu adhuc abſente, ECCE AGNUS DEI, Græcè ὁ ἀμνὸς, *ille agnus*, videlicet verè innocens, verè victima immaculata à Moyſe figurata. Nam ille agnus Paſchalis in figuram innocentiæ Chriſti debebat eſſe ſine macula; in typum ſexus, aut animi virilis, maſculus: in ſignum juvenilis ætatis, in qua crucifixus eſt, agniculus. Dicitur autem *Dei*, quia Deo per mortem offerendus pro ſalute hominum. Nam ad illum effectum & finem exprimendum addit, ECCE QUI TOLLIT, id eſt, qui portat tamquam hoſtia humeris ſuis impoſitum à DEO, PECCATUM MUNDI, id eſt, totius mundi delicta. Alludit enim ad prophetiam, quæ dicit Iſaiæ 53. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm: iniquitates eorum ipſe portavit, ipſe peccata multorum tulit.* Unde & 1. Petri 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Quamquam & portando abſtulerit. Bis autem repetit, *Ecce*, q. d. Ecce hic eſt, de quo verbis locutus ſum; hic eſt, qui in Spiritu ſancto baptizans, peccata remittit, quod ego non feci; & conſequenter hic eſt Redemptor mundi. Nam ſtatim applicat ei id, quod ſuprà v. 15. dixerat.

29. Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe: & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30. Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.

31. ET EGO NESCIEBAM EUM, nempe in deſerto, antequam ad baptizandum miſſus eſſem. Quòd ideo dicit, ne fortè gratiæ, familiaritati, aut cognationi aliquid dare videretur, ſed tantùm divinæ revelationi, ut Chryſoſt. & Theophyl. SED, cùm mihi & aliis eſſet incognitus, ut à me MANIFESTETUR IN ISRAEL, PROPTEREA VENI EGO IN AQUA BAPTIZANS, ut videlicet populo, prædicationis, & baptiſmi mei novitate excitato, ſimul hâc occaſione adveniret ipſe Chriſtus, & ſic Patris voce, Spiritus ſancti deſcenſu, meâ demonſtratione oſtenderetur, & agnoſceretur in Iſraël.

31. Et Ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.

32. ET TESTIMONIUM PERHIBUIT JOANNES. Verba ſunt Evangeliſtæ ſubitò interpoſita teſtimonio Joannis, quo proſequens ſuum ſermonem dicebat, VIDI SPIRITUM DESCENDENTEM, &c. quod contigit inter baptizandum Chriſtum.

32. Et teſtimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.

33. ET EGO NESCIEBAM EUM, in deſerto ante miſſionem meam, ut diximus. Nam quamvis in genere Chriſtum veniſſe ſciret, neſciebat tamen facie & determinatè, quid eſſet. SED QUI MISIT ME BAPTIZARE IN AQUA, ſine Spiritu ſancto, ILLE MIHI DIXIT, hoc tamquam ſignum ejus internocendi ſtatuens: SUPER QUEM VIDERIS SPIRITUM DESCENDENTEM ET MANENTEM, HIC EST QUI BAPTIZAT IN SPIRITU SANCTO, id eſt, qui non meram aquam, ut ego, ſed ſimul Spiritum ſanctum ſuper baptizatos effuſurus eſt. Difficultas tamen manet, quomodo Joannes dicatur eum neſciviſſe, quandoquidem ipſe, Chriſto ad baptiſmum

33. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua: ille mihi dixit; Super quem videris Spiritum deſcendentem, & ma-

nêtem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.

accedente, ante deſcenſum Spiritus ſancti diceret, *Ego à te debeo baptizari*. Reſpondet Chryſoſtom. ut ſuprà inſinuavimus, antequam veniret ad baptiſmum Chriſtus, ſciviſſe Joannem, quòd Chriſtus in mundum veniſſet, quòd in Spiritu ſancto baptizaturus eſſet, ut ſatis indicatur Matth. 3. verſ. 11. & 12. Neſciviſſe tamen, quiſnam eſſet, quia facie ignotus erat. In ipſo verò acceſſu Chriſti ad baptiſmum, revelationem interiorem accepiſſe, quis eſſet, & ideo à baptiſmo prohibuiſſe; eodémque tempore ad majorem revelationis certitudinem, ſignum externum ejus internocendi ei eſſe datum, ut per hoc poſſet de ipſo aliis teſtimonium perhibere. Auguſtinus rem aliter expedit, videlicet Joannem non neſciviſſe perſonam Chriſti, neque hoc ſignum ei propterea datum; ſed neſciviſſe qualitatem iſtam, quòd ipſe eſſet, *qui baptizaret in Spiritu ſancto*, id eſt, quòd in baptiſmo non miniſter, qui baptizat, exhibens miniſterium, ſed ipſe Chriſtus det Spiritum ſanctum in miniſterio etiam ſervorum ſuorum. Ita latè toto Tractatu quintó & ſexto in Joannem & aliis diverſis locis. Unde illud ejuſdem Auguſtin. Baptizet Petrus, baptizet Paulus, baptizet Judas, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto.

34. Et ego vidi: & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

34. ET EGO VIDI SPIRITUM, ſcilicet deſcendentem & manentem, ſicut mihi prædictum fuerat; non ad ſanctificationem Chriſti, qui in utero matris Spiritu ſancto plenus erat, ſed in ſignum: ideóque hoc ſigno agnito, teſtimonium perhibui & adhuc perhibeo: QUIA HIC EST FILIUS DEI. Nam & hoc diſertis verbis Pater cœleſtis, voce de cœlo lapsâ cum Spiritu ſancto deſcendente, denuntiaverat, Matth. 3.

35. Altera die iterũ ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo.

35. ALTERA DIE, id eſt, poſtridie teſtimonii illius proximè perhibiti Chriſto. Eſt hoc tertium Joannis teſtimonium. Nam primum fuit coram Legatis Judæorum; ſecundum poſtridie, quod jam proximè explicatum eſt à verſ. 29. huc uſque: tertium jam præſens, quod proinde contigit ſecundo die poſt primum teſtimonium coram Legatis datum. RESPICIENS JESUM AMBULANTEM, domum verſùs, ut patet ex ſequentibus; (videtur enim Chriſtus rurſum Joannis concionibus cum turba interfuiſſe:) DICIT: ECCE AGNUS DEI, Deo ſcilicet pro redemptione mundi immolandus, ut ſic iterum iterumque inculcaret eum eſſe, non ſolùm Filium Dei, ſed & mundi redemptorem. Quo audito, diſcipuli duo Joannis SECUTI SUNT JESUM, ut in pleniorem ejus notitiam & familiaritatem ſe inſinuarent.

36. Et reſpiciens Jeſum ambulantem, dicit, Ecce agnus Dei.

37. Et audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum.

38. Converſus autem Jeſus, & videns eos ſequentes ſe, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi habitas?

38. CONVERSUS JESUS, ut quos intùs gratiâ ſuâ jam prævenerat, etiam foris humanitate præveniret, fiduciamque loquendi daret, DICIT EIS: QUID QUÆRITIS? me ſequendo, QUI DIXERUNT EI RABBI: Honoris, ac dignitatis apud Hebræos nomen eſt, magis quàm apud Latinos, aut Græcos, *Magiſter*: à multitudine ſcilicet ac magnitudine ſcientiæ, ac virtutis derivatum. Unde etiam Magnatibus tribui ſolet. Indicant ergò ſe diſcendi causâ veniſſe tamquam à Doctore fide digniſſimo. UBI HABITAS? id eſt, hoſpitaris, tamquam peregrinus? nec enim circa Jordanem Chriſtus, Galilæus educatione, habebat domicilium.

39. Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi mane-

39. DICIT EIS: VENITE ET VIDETE, ultrò ſcilicet comiter invitans ad hoſpitium, & conſequenter ad colloquium, quo inſtruerentur. Itaque APUD EUM MANSERUNT DIE ILLO, id eſt, reſiduo illius diei, quæ

declinaverat, vel etiam noctem sequentem, ut Augustin. Tract. 7. Nam HORA ERAT QUASI DECIMA, ab ortu Solis, & consequenter duabus circiter horis ante Solis occasum.

ret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima

40. ERAT AUTEM ANDREAS UNUS EX DUOBUS. Alterum putat Epiphan. Hæresi 51. & indicat quoque Chrysost. fuisse unum ex filiis Zebedæi; nempe ipsum Evangelistam.

40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant à Joanne, & secuti fuerant eum.

41. INVENIT HIC PRIMUM, antequam scilicet ullum alium notum, FRATREM SUUM SIMONEM, quem Epiphan. ætate minorem fuisse, quàm Andream tradit. Unde non potest Petrus alibi primus vocari, quòd cæteros ætate præcederet, ut hæretici volunt. ET DICIT EI: INVENIMUS, quod verbum esse animæ desiderantis, & cælitùs adventum exspectantis rei diu quæsitæ, notat Chrysost. cum suis. MESSIAM (QUOD EST INTERPRETATUM CHRISTUS, id est unctus.) Intelligit illum antonomasticè Messiam, seu unctum, quem gens Judaïca præstolabatur. Cùm enim & Sacerdotes, & Reges, & Prophetæ in illa gente ungerentur, unus tamen exspectabatur Messias, Christus, seu unctus, qui per illos omnes præfigurabatur, ut August. 12. contrà Faustum, cap. 44.

41. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: invenimus Messiam, (quod est interpretatum Christus.

42. ET INTUITUS EUM JESUS, eo scilicet modo, quo Deum decet, inquit Cyril. qui corda scrutatur & renes, & omnia perspecta habet, præsentia & futura, TU ES, id est vocaris SIMON FILIUS JONA, seu, ut dicitur Matth. 16. vers. 17. *Bar-Jona*, id est filius Joannis. Nam *Jona* quamvis per se, ut integra dictio, significet columbam, tamen contractum hîc videtur ex, *Johanna*, seu *Johannam*, quod Syriacè significat *Joannem*: q. d. Christus id, quod olim dixit Deus Moysi: *Jam ex nomine novi te, etiamsi numquam viderim.* TU VOCABERIS CEPHAS. Syriacum est, sed terminationem habet hîc Græcam, significans *Petram*; de quo vide dicta Matth. 16. vocaberis ergò *Cephas*, nomine scilicet majoris auctoritatis, & consequenter alius eris: non enim nudum nomen, sed rem potissimùm significatam pollicetur. Id quòd hîc promittit, postea in Apostolorum vocatione imposuit, ut patet Marci 3. v. 16. Nominis verò rationem, & quàm aptè ei conveniat, explicuit Matth. 16. vocabulo ipso commodè significans, inquit Cyrillus hîc, quod in eo, tamquam in petra lapidéque firmissimo, suam esset ædificaturus Ecclesiam, quasi apud Matth. dixisset ei Christus, *Tu es Petrus*, id est, tu verè secundùm nomen tuum petra es, &c. Quemadmodum 1. Reg. 25. vers. 25. dicit Abigail de Nabal, *Secundùm nomen tuum stultus est.*

42. Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.

43. IN CRASTINUM, postridie scilicet ejus diei, quo Petrus adductus fuerat, VOLUIT EXIRE IN GALILÆAM, ut nuptiis interesset, sicut sequitur c. 2. Erat enim Christus adhuc in Judæa circa Jordanem, ubi ista contigerunt. ET INVENIT PHILIPPUM, sive in itinere, sive in ipsa jam Galilæa, ET DICIT EI JESUS; SEQUERE ME. Quibus verbis eum ad individuam sequelam vocatum fuisse, videtur insinuare August. lib. 2. De consensu cap. 17. Et proinde Philippus ante Petrum & Andream & filios Zebedæi vocatus fuisset: nam isti non hîc, sed aliquamdiu postea vocati sunt, ad hoc, ut Christo inseparabiliter inhærerent, sicut patet Matth. 4.

43. In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum. Et dicit ei Jesus: Sequere me.

44. ERAT AUTEM PHILIPPUS A BETHSAIDA: quam alibi in Galilæa

44. Erat autem Philippus à

Bethſaïda, civitate Andreæ, & Petri.

ad lacum Tyberiadis fuiſſe diximus. Antè erat vicus, cui urbis ſpeciem addidit Philippus Tetrarcha, Herodis filius, & nomen ei à Julia Cæſaris filia impoſuit, ut Joſephus 18. Antiquit. cap. 3. CIVITATE ANDRÆÆ ET PETRI. Quo inſinuatur, eum ab illis ſuis concionibus inſtructum de Chriſto antè fuiſſe, ut Theophyl. vel certè eorum exemplo permotum tam citò ſecutum eſſe.

45. Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei; Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, invenimus Jeſum filium Joſeph à Nazareth.

45. INVENIT PHILIPPUS, jam vocatus à Domino, NATHANAEL, ET DICIT EI: INVENIMUS JESUM, &c. multo videlicet ſtudio quæſitum, ut Cyrill. Porrò *Nathanaël* fuiſſe in Scripturis ſacris, & conſequenter de Meſſia eruditum, notat Auguſt. & plerique Interpretes. Unde eruditioni ejus ſe accommodans Philippus, ut ſcilicet attentiorem & avidiorem redderet, adjecit: QUEM SCRIPSIT MOYSES, &c. Proinde Nathanaël tamquam Legis & Prophetarum peritus reſpondet:

46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

46. A NAZARETH POTEST ALIQUID BONI ESSE? Et quidem tantum, quantum eſt Meſſias? Quod ideò dicit, eo quòd à Galilæa, juxta Phariſæorum opinionem, Propheta, non ſurgeret, ut eſt cap. 7. verſ. 52. & maximè quia Scripturæ Meſſiam ex Bethleem venturum prædicunt, ut Græci hîc notant, & Hieronym. in cap. 65. Iſaïæ. DICIT EI PHILIPPUS, cùm nodum illum ſolvere non poſſet? VENI ET VIDE, quod boni à Nazareth prodierit. Tacitè autem inſinuat, eum poſt initum cum eo ſermonem, & experientiam virtutis ejus ſibi aſſenſurum, ut Cyrill. ut potè quòd ineffabilis quædam gratia, inquit, in verbis Chriſti fuerit, quibus auditorum animi allicerentur. Cùm ergò vidiſſet Jeſus Nathanaël, ait:

47. Vidit Jeſus Nathanael venientem ad ſe, & dicit de eo? Ecce vere Iſraëlita: in quo dolus non eſt.

47. HIC EST VERE ISRAELITA. Cauſa additur, IN QUO DOLUS NON EST, hoc eſt, quia ſine dolo & fuco candidus & ſincerus. Non ideò ergò dicitur *verè Iſraëlita*, quia verè ex ſtirpe Jacob, vel quia ratio nominis Iſraël ei verè competit; ſed quia verus imitator morum Iſraël ſeu Jacob, qui Geneſ. 25. v. 2. vocatur *vir ſimplex*, Græcè ἄπλαστος, ſine fictione & fuco. Hoc ei dixit Dominus accedenti, ita ut audiret; quo ſcilicet oſtenderet ſe ejus interiora noſſe. Itaque Nathanaël neque laude captus, neque in adulationem effuſus, reſpondet magna cum ſimplicitate, quaſi ſub offenſus:

48. Dicit ei Nathanael: Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit ei: Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te.

48. UNDE ME NOSTI? Cùm nihil mecum conſuetudinis fuerit. Dominus verò, ut non temerè ſe de occultis ejus locutum ſignificaret, duo alia, quæ putabat Nathanaël occultiſſima, ei manifeſtat, ſcilicet à Philippo vocatum, & ſub arbore fici ſe eum vidiſſe: PRIUSQUAM PHILIPPUS TE VOCARET, CUM ESSES SUB FICU, ubi ſine arbitris te putabas cum ſolo Deo eſſe, atque tractare, VIDI TE, tamquam præſens utrique negotio. Sed Auguſtin. ad allegoriam trahere ſolet, hoc ſenſu: Cùm eſſes in umbra mortis, ut Adam, qui foliis ficulneis ſe ſuccinxit, miſericorditer te reſpexi. His ergò duobus motus Nathanaël, quòd ſcilicet videret abſentia tamquam præſentia, occulta cordis tamquam publica, reſpondet:

49. Reſpondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël.

49. RABBI, TU ES FILIUS DEI, ille verus & genuinus, ut ſatis indicat Auguſtinus. Quamvis Chryſoſt. putet vocari *Filium Dei* vulgari modo, adoptivum ſcilicet: TU ES REX ISRAEL, ille videlicet Prophetis promiſſus, ab Iſraël exſpectatus. Utraque enim vox & *Filius* & *Rex*,

articulum præpositum habet, quo in usu linguæ Græcæ denotari solet, quòd propriè & singulariter tale est; ut Cyrill. annotat. Nam eum fuisse confessum articulum fidei, Christus indicat, dum respondet:

50. QUIA DIXI TIBI: VIDI TE SUB FICU, CREDIS, scilicet me Doctorem, me Filium Dei, me Regem Israël Messiam: MAIUS HIS VIDEBIS, id est, majora fidei argumenta ad causandam tuam fidem, quàm revelationem istam occultorum.

50 Respondit Jesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his videbis.

51. ET DICIT EI, Nathanaëli, ita tamen, ut simul omnibus præsentibus; nam ideo mutat numerum: AMEN, AMEN, seu certò certiùs, DICO VOBIS, VIDEBITIS CŒLUM APERTUM ET ANGELOS DEI ASCENDENTES ET DESCENDENTES SUPER FILIUM HOMINIS, in ministerium ejus, ut inde intelligatis esse eum Deum Angelorum, Regem cœlorum, ideóque Deum verum. Quando hoc impletum sit, laborant omnes Interpretes. Aliqui in baptismo, & statim à jejunio factum volunt; sed illa jam peracta erant: alii pòst, etsi non sit scriptum. Verisimile est id, quod docet Chrysost. in resurrectione, maximéque ascensione contigisse, quando Angeli apparuerunt in ministerium Christi. Quod olim significatum fuit in illa visione Jacob, Genes. 28. ad quam Christus alludit. Nam petra, cui indormivit & quam unxit Jacob, significabat Christum, ut August. lib. 12. contrà Faustum, cap. 26. Ubi moribus hanc doctrinam accommodans, docet Angelos esse prædicatores Christi, qui ascendunt, cùm ad intelligendam eminentissimam divinitatem ejus, excedunt universam creaturam: descendunt, cùm sibi & aliis infirmitatem ob oculos ponunt. Porrò Nathanaëlem istum aliqui Bartholomæum Apostolum fuisse censent. Augustin. Tractat. 7. negat, dum negat istum Apostolum electum fuisse, quia eruditus & peritus Legis erat. Volebat autem Christus idiotas eligere, & infirma mundi, ut confunderet fortia.

51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.

CAPUT SECUNDUM.

CAPUT II.

1. ET DIE TERTIA, quam ipsam quidam putant fuisse crastinum, quo volebat ire in Galilæam, ut est c. 1. v. 43. Sed sic Christus debuisset eâdem die cum discipulis usque in Cana migrasse à Jordane, Philippum & Nathanaëlem vocasset, & interfuisse nuptiis, cùm iter facilè bidui sit interjectum. Itaque tertiâ die à profectione in Galilæam, ut Orig. in Joan. NUPTIÆ FACTÆ SUNT IN CANA GALILÆÆ, inferiore, quæ minor dicebatur, ut Hieronym. in locis Hebraïcis. Nam erat & alia Cana in Phœnicia prope Sidonem. Prima, de qua hîc sermo est, erat patria Nathanaëlis, ut est c. 21. v. 2. ET ERAT MATER JESU IBI, quia Cana erat valde vicina Nazareth. Unde verisimiliter colligunt fuisse nuptias istas alicujus cognatorum.

1. ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Jesu ibi.

2. VOCATUS EST AUTEM ET JESUS, ut vulgaris, ac notus: idque ut miraculo viam sterneret, ut confirmaret adversus hæreticos, quòd ipse fecerit nuptias, inquit August. Denique ut intemperantiam nuptiarum adstringeret, inquit Epiphan. Hæresi 51. ET DISCIPULI EIUS, illi quatuor, quos sibi paulò antè adsciverat, & si qui forsan alii.

2. Vocatus est autem Jesus, & discipuli ejus, ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent.

3. ET DEFICIENTE VINO, Græcè ὑστερήσαντος, *cùm defecisset*; nempe penitus. Quod & verba præcisa Matris Domini indicant, VINUM NON HABENT, desponsati scilicet & convivæ. Quæ nuda indicatio necessitatis, modesta petitio erat apud virum prudentem & humanum, compatientem hospitum suorum verecundiæ. Nam & verba Virginis ex tali compassione provenisse notat Bernard. Sermon. 1. in hoc Evangelium. Defectus etiam fortasse ex paupertate natus fuit, vel alio casu, qui misericordiam mereretur.

4. Et dicit ei Jesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

4. ET DICIT EI JESUS: QUID MIHI ET TIBI EST MULIER? Nomen est non corruptionis, sed sexus, præsertim jam nuptiis apti, ut patet Genes. versu 22. & notat Hieronym. in c. 4. ad Galat. & August. tum hîc, tum lib. de fide contra Manichæos cap. 22. ubi addit etiam mulierem dici, quia peperit: Epiphan. Hæresi 79. ne plus quàm mulier putaretur, quæ pepererat Filium Dei. *Quid* ergò *mihi & tibi est?* id est, quid mihi tecum in hoc negotio, non absolutè, sed quantùm ad horam faciendi, quam Pater, qui omnia tempore suo facit, in sua notitia & potestate collocaverat. Quæ hora quia ad nullius instantiam prævenire debuit, hinc festinatio matris erat adhuc importuna, ut notat Ambros. Serm. 26. in Psalm. 118. & ante eum Iren. libr. 3. capite 18. Nam istam rationem dicti sui reddit ipse Dominus: NONDUM VENIT HORA MEA, à Patre scilicet præcognita, præfinita, ut idem Iren. quæ meritò præferri debebat horæ, quæ placuerat matri. Itaque non repulit, sed distulit matrem, meritóque precibus ejus satisfeciisse putari debet, quia dicendo, *nondum*, tempus quidem miraculi non adesse, sed tamen mox adfuturum insinuat, & se voluntatem habere, cujus exequendi horam exspectat. An autem serior hora præstituta fuerit, quia necessitas antè magis innotescere debebat, ut miraculi constaret ratio & fructus, juxtà Chrysost. an verò quia nondum omnia ad miraculum patrandum erant à ministris parata, non ita constat. Nam forsan mater præsagiens quod futurum esset, & ut viam miraculo sterneret.

5. Dicit mater ejus ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

5. DICIT MINISTRIS, tamquam de Domini affectu & mente secura: QUODCUMQUE DIXERIT VOBIS, FACITE; quia conjiciebat eum operâ ministrorum aliquâ in re usurum. Porrò ex istis verbis ad ministros, quasi ex aliqua auctoritate dictis, sicut & ex eo, quòd versu 1. simpliciter dicitur mater Jesu fuisse ibi, nullâ invitationis mentione, sicut de aliis; non improbabiliter colligas eam ibi non tam convivam egisse, quàm adstitisse notis in præparatione ac directione convivii nuptialis.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

6. ERANT AUTEM IBI LAPIDEÆ HYDRIÆ SEX, aquis scilicet plenæ, SECUNDUM PURIFICATIONEM JUDÆORUM, id est, juxta ritum purificationis Judæis usitatæ: de qua vide Marc. 7. versu 3. & 4. Lavabant enim se sæpè Pharisæi, non tam ad abstergendas immunditias legales, quæ etiam lotis durabant ferè usque ad vesperam, quàm ex traditionibus Pharisaïcis inductas: CAPIENTES SINGULÆ METRETAS BINAS VEL TERNAS, aliæ scilicet binas, aliæ ternas, ut hîc August. indicat. Est autem *Metreta* nomen Græcum, ΜΕΤΡΗΤΗΣ à μετρεῖν, *Metiendo*, dictum, significans mensuram certam, quæ Hebraïcè dicitur Bathus in liquidis, Ephi in aridis. Quantum præcisè juxta nostras mensuras con-

tinuerit, auctores variant. Probabiliter sentiunt, qui dicunt fuisse idem, quod amphoram Romanam, vas scilicet quod tam in longitudine, quàm latitudine continebat pedem Romanum, ita ut contineret sextarios Romanos quadraginta octo, Hebræos verò septuaginta duos. Quod conforme est S. Epiphanio lib. De mensuris & ponderibus: ita ut appenderit circiter libras octoginta. Alii multò majorem faciunt, librarum octo & centum.

7. DICIT EIS JESUS, id est, ministris: idque ideò juxtà Chrysostom. ut ipsos miraculi testes haberet, qui aquam hausissent, ne qua fraus vel præstigium putaretur, si ipse hydrias impleviſſet. Simulátque igitur eas impleverant, ut miraculum esset evidentius, absque mora, sine verbis, sine signis eas convertit, dicens ministris:

7. Dicit eis Jesus, Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

8. HAURITE NUNC, jam statim, ne quis putet morâ temporis, naturæ vi, vel artificio hominum conversas. Ex quo verbo *Hauriendi* colligunt quidam, hydrias supernè apertas fuisse. ET FERTE, gustandum scilicet, ARCHITRICLINO, id est, convivii præfecto. *Triclinium* enim erat cœnaculum convivii à tribus lectulis seu thoris convivialibus dictum. Unde subinde Græci Συμποσίαρχον vocant, itémque alio vocabulo Οἰκόνομον. Illius erat loca convivis dare, convivium obire, ac despicere, quid esset opus, nec cum cæteris discumbere. Illi ergò tamquam sobrio & gustus integri, ac testi idoneo miraculi, vinum ferri jubet.

8. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

9. UT AUTEM GUSTAVIT ARCHITRICLINUS, AQUAM VINUM FACTAM, id est, aquam, quæ jam mutata erat in vinum, seu ut gustavit vinum, quod ex aqua factum erat. Non quasi illam mutationem gustando deprehenderit; sed sensus est materialis: nam, ut sequitur, NON SCIEBAT, UNDE ESSET, seu unde provenisset hoc vinum: MINISTRI AUTEM SCIEBANT, QUI HAUSERANT AQUAM, id est, quia hauserant aquam puram; habet enim vim causæ. Itaque vocato sponso, tamquam domino domûs, dicit Architriclinus:

9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, quia hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus,

10. OMNIS HOMO PRIMUM BONUM VINUM PONIT, initio videlicet mensæ, cùm palati integritas saniſſimè de vini bonitate judicat; ET CUM INEBRIATI FUERINT, id est, exhilarati (neque enim semper in malam partem hoc verbum sumitur, maximè Hebraïcè,) TUNC ID, QUOD DETERIUS EST, quia palato jam infecto, fraus illa vini deterioris substituti non animadvertitur. In quo elucet mundi indoles, qui ineſcandi gratiâ meliora præponit, ut mox viliora deceptis obtrudat. TU AUTEM SERVASTI BONUM VINUM USQUE ADHUC, contra commune scilicet hominum judicium: sunt enim verba humaniter reprehendentis. Hîc relinquit intelligendum Evangelista, sponsum hoc negasse, ministros negasse, rem totam inclaruisse.

10. Et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

11. HOC FECIT INITIUM SIGNORUM JESUS, hoc primum ex manifestis miraculis: nam nativitas ex Virgine occulta fuerat, ideoque non fuerat signum. Notat hoc Evangelista, ne fides adhiberetur iis, quæ circumferuntur pueri Christi miracula. Neque enim fuisset opus Joannis testimonio, si jam ipse miraculis claruisset, ut observat Euthymius. ET MANIFESTAVIT GLORIAM SUAM, divinitatis suæ, seu unigeniti à Patre, ut est v. 14. c. 1. Nam aquam in vinum suâ potestate mutare illius solius est, qui omni

11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ: & manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.

anno hoc facit in vitibus, ut Auguſt. & Chryſoſtom. Quápropter eo viſo, firmiùs quàm anteà CREDIDERUNT IN EUM DISCIPULI EIUS, ſuprà nominati, qui ei, non relictis quidem omnibus (niſi fortè Philippum exceperis) ſed ſtudio audiendi adhærebant: quales multi poſtea diſcipuli extra Apoſtolos fuerunt, de quo Auguſt. lib. 2. De conſenſu cap. 17. Allegoricè Chriſtus aquam inſipidam Legis Moſaïcæ in vinum Evangelicum mutavit. Vide Cyrill. lib. 2. in Joan. cap. 26. & de hydriis latiſſimè Auguſt. Tractatu 9.

12. Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe, & mater ejus: & fratres ejus, & diſcipuli ejus: & ibi manſerunt non multis diebus.

12. POST HOC DESCENDIT CAPHARNAUM IPSE, ET MATER, ET FRATRES EIUS, qui recenſentur Matth. 13. verſu 55. & Marci 6. v. 3. Cauſam aliqui fuiſſe putant, ut in civitate populosâ docere inciperet, & inclareſceret: ſed ad hoc non ſolet adducere matrem, multòminùs fratres. Forſan rectiùs diceretur, eum ex cauſa familiari Capharnaum deſcendiſſe, ſicut antea in Cana: ut quia ſciebat ſe ſuósque Nazarenis inviſos futuros; quippe qui mox eum de monte præcipitare voluerunt, matri & cognatis ſuis ab eorum improperiis, ac furore tutam ſedem provideret, quò ſubindè ſe reciperent. Quâ de cauſâ IBI MANSERUNT NON MULTIS DIEBUS, quia videlicet.

13. Et propè erat Paſcha Judæorum, & aſcendit Jeſus Jeroſolymam:

13. PROPE ERAT PASCHA JUDÆORUM, nempe primum poſt baptiſmum Chriſti, qui contigerat ante jejunium menſe Januario: ideóque ASCENDIT JESUS JEROSOLYMAM; partim ut legi ſatisfaceret de celebrando Paſchate quotannis, partim ut auſpicaretur legationem ſuam prædicando, eámque miraculis aſſerendo. De expulſione vendentium ex templo, vide dicta Matth. 21. v. 12. & ſeqq.

14. Et invenit in templo vendentes, boves, & oves, & columbas, & numularios ſedentes.

15. Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, & boves: & numulariorum effudit æs, & menſas ſubvertit.

16. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

17. Recordati ſunt vero diſcipuli ejus quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.

18. Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Quod ſignum oſtendis nobis quia hæc facis?

18. RESPONDERUNT ERGO JUDÆI: QUOD SIGNUM OSTENDIS NOBIS, QUIA HÆC FACIS? id eſt, quo miraculo oſtendis hanc auctoritatem tibi competere, ut exturbes cum ignominiâ ex templo eos, quos Sacerdotes admiſerunt? Similis quæſtio eſt Matth. 21. v. 23. *In qua poteſtate hæc facis?* Tendit autem eò, ut eum publicæ poteſtatis uſurpatorem, adeóque ſeditioſum eſſe oſtendant, niſi divinitùs acceptam probet. Et quia de auctoritate circa templum agebatur, promittit ipſis ſignum circa templum, modò ipſi materiam dabent.

19. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

19. RESPONDENS ergò JESUS: SOLVITE TEMPLUM HOC, &c. Prædicentis eſt, non jubentis, ut Cyrill. lib. 2. cap. 32. q. d. Scio vos occidendo me, corpus ab anima ſeparaturos, in quibus velut in templo habitat plenitudo divinitatis corporaliter: ſed ego IN TRIBUS DIEBUS EXCITABO ILLUD, propriâ ſcilicet virtute, ut Cyrill. notat, reſurgens à mortuis intrà triduum. Appoſitiſſimum fuit reſponſum Chriſti: nam ſive intelligerent ipſi de templo materiali, ille, qui tantæ poteſtatis eſt, ut hoc diſſolutum intra triduum erigat, profectò multò magis potuit etiam templum ab injuriis vindicare: ſive de templo corporis ejus, hæc

ipſa-

ipsa resurrectio esse debebat eis, sicut etiam postea revera fuit, signum peremptorium veri Christi, divinæque potestatis ejus, quâ hoc fecit. Cui signo multa millia Judæorum crediderunt. Et ista causa est, cur istud signum eis sæpè Christus dederit, ut infrà Joan. 8. versu 28. & Matth. 12. versu 39. vocatur signum Jonæ Prophetæ.

20. DIXERUNT ERGO JUDÆI, neutrum intelligentes: QUADRAGINTA ET SEX ANNIS ÆDIFICATUM EST TEMPLUM HOC. Non posse hoc intelligi de templo Salomonis videtur, eò quòd illud non nisi septem circiter annis ædificatum fuerit, 3. Reg. 6. versu 38. Itaque plerique veteres hoc intelligunt de templo secundo, quod ædificatum fuit sub Cyro, usque ad annum sextum Darii Regis, ut est 1. Esdræ 6. vers. 15. Ita Euseb. libr. 8. De demonstr. Evang. Chrysost. Theoph. in Joan. & Hieronym. in cap. 9. Danielis. Sed hi omnes coguntur includere multos annos, quibus ab opere cessatum fuit: ut proinde falsum sit, tot annos impensos fuisse templi ædificationi. Unde, ut verba Judæorum vera sint, quos credibile est vulgò notam protulisse veritatem, intelligenda sunt de templo tertio, quod Herodes struere cœpit anno regni sui decimo octavo, scilicet captâ Jerosolymâ, qui erat annus Julianus vigesimus septimus. Absolvit autem magnam exterioris templi partem annis octo: sed reliqua structura duravit usque ad tempora Neronis, laborantibus in eo octodecim millibus operariorum, sicut testatur Josephus libro 15. Antiquit. cap. 14. & lib. 20. c. 8. Si igitur computentur anni structi templi illius à 27. Juliano usque ad 15. Tiberii, quo Christus baptizatus est, & hæc à Judæis audivit; incidemus in 73. Julianum, qui præcisè constituunt quadraginta sex annos. Quod autem quidam huic rei opponunt, Herodem non struxisse templum novum, sed tantùm ampliasse & sublimasse, falsum est. Expresè enim dicit Josephus, erutis veteribus fundamentis, nova posuisse.

20. Dixerunt ergo Judæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

21. ILLE AUTEM DICEBAT DE TEMPLO CORPORIS SUI, id est, de templo, quod erat corpus suum, quod vocatur & ab Apostolo *templum Spiritus sancti*. Quomodò verò mysticè numeri illi quadraginta sex annorum conveniant structuræ Corporis Christi in utero matris, vide Augustin. lib. de Trinit. cap. 3. & lib. 83. Quæst. Evang. q. 56.

21. Ille autem dicebat de templo corporis sui.

22. CUM ERGO RESURREXISSET, &c. RECORDATI SUNT DISCIPULI, QUIA HOC DICEBAT, id est, quòd hoc dixisset Christus, & quid sibi verba illa vellent, quæ nec ipsi antea videntur intellexisse, ET, eventu cum illa prædictione collato, CREDIDERUNT SCRIPTURÆ, tamquam quæ resurrectionem ipsius Christi prædixisset; ET SERMONI, QUEM DIXIT Jesus, id est, crediderunt eum per ista verba prædixisse mortem & resurrectionem suam, & vera esse, quæ dixerat.

22. Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat; & crediderunt scripturæ: & sermoni quem dixit Jesus.

23. CUM AUTEM ESSET JEROSOLYMIS IN PASCHA, id est, in diebus Paschalibus, qui septem erant numero, atque etiam omnes vocabantur Pascha. Ut autem ipsum diem magis specificaret, adjicit, IN DIE FESTO, id est, in ipsa solemnitate azymorum, seu prima die quæ sequebatur vesperam agni immolati, erátque decima quinta mensis primi, ac peculiariter vocabatur festum Paschæ, ut patet Levit. 23. v. 5. & infrà cap. 13. v. 1. MULTI CREDIDERUNT IN NOMINE EIUS, id est, in eum Hebraïcâ phrasi. Exodi 14. versu ult. id, quod Latinus transtulit,

23. Cum autem esset Jerosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat.

monio, pergit declarare illam, quam dixerat, plenitudinem gratiæ & veritatis.

16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

16. ET DE PLENITUDINE EJUS : q. d. Tanta fuit ejus plenitudo, ut de redundantia fontis illius NOS OMNES ACCEPERIMUS, quidquid scilicet habemus gratiæ & veritatis, ad benè vivendum & prædicandum id, quod vidimus. Sunt enim verba non Baptistæ, sed Evangelistæ, ut sentit Chrysost. & Cyrill. libr. 1. cap. 20. Sed quid est illud, quod accepimus? nempe gratiam fidei, remissionis, justitiæ, quâ hîc ex fide vivimus; ET GRATIAM PRO GRATIA, id est, & insuper gratiam vitæ æternæ pro ista gratia justitiæ, hoc est, mercedem pro meritis, quæ contulit gratia. Ita utramque partem exponit August. Tract. 3. & lib. de corrept. & gratiâ cap. 13. & aliis diversis locis: nam & Apostolus gratiam Dei vocat vitam æternam. Idem tamen August. in Psalm. 81. Cyrill. & Chrysost. & ferè Græci exponunt, *gratiam*, propriè dictam & beneficentissimam novi Testamenti, *pro gratia*, id est, loco gratiæ veteris Testamenti. Nam & illa gratia, id est, beneficium particulare, & gratuitum Dei fuit juxtà Psalm. *Non fecit taliter omni nationi & judicia sua non manifestavit eis.* Cui sensui percommodè subjungit, quasi rationem reddens sententiæ præcedentis.

17. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.

17. QUIA LEX, quæ docet ac præcipit benè vivere, PER MOYSEM DATA EST, tamquam donum gratuitum & magnum, erudiendo, coërcendo, seu in officio continendo, & ad Christi fidem & gratiam præparando populo Judaïco: SED GRATIA illa propriè dicta, quâ Lex impleri potest, ET VERITAS, quæ per cæremonias & sacrificia, terrenaque promissa, velut per umbras & typos figurata prophetabatur, PER JESUM CHRISTUM FACTA EST, id est, revelata, præstita & præsens exhibita, veterum umbrarum usu & observatione sublatâ. Ita Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 6. Nam, ut ait etiam lib. 17. cap. 6. gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem: de quo & vide libr. 19. cap. 18. Et quasi aliquis diceret, Ergò ne Moyses, qui Deum vidit, non revelavit & præstitit veritatem? Respondet:

18. Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius: qui est in sinu patris, ipse enarravit.

18. DEUM NEMO, mortali carne circumdatus, VIDIT UMQUAM, sicuti est, sive secundùm substantiam, & lucem illam divinitatis incircumscriptam. Quicumque enim Deum vidisse dicuntur, Jacob, Moyses, Elias, Isaïas, imagines quasdam viderunt, non ipsam essentiam Dei, ut latè Iren. libr. 4. cap. 37. & Aug. Epist. 112. UNIGENITUS: quia solus & unicus ex Patre genitus est, utpote tam perfectè & plenè de Patre expressus, ut alteri verbo non possit esse locus, ut notat Athan. pro decretis Conc. Nicæni. FILIUS, tamquam ex utero consubstantialis genitus. Nam sine consubstantialitate genitum verbum utcumque dici posset, sicut à nobis gignitur, non tamen Filius; QUI EST IN SINU PATRIS, id est, in intimo charitatis paternæ & naturæ secreto, inquit Ambr. lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 11. Designatur itaque Filius esse in Patre, & ejusdem naturæ cum Patre, ut notat etiam Cyrill. in hunc locum, & consequenter omnia Filio, tamquam in ultimo Patris secreto commoranti, esse certa atque perspicua, ut Chrysost. IPSE ENARRAVIT, id est, ipse tamquam solus adhuc idoneus palàm revelatis

omnibus umbris ac figuris, explicuit, & velut ſpectanda exhibuit: quaſi tacitè diceret, propterea nemo præcedentium hoc potuit, quia non viderant fontem ſecretorum divinorum.

19. ET HOC EST TESTIMONIUM JOANNIS. Multi exponunt, *Et*, pro, *etiam*, ſeu inſuper, quaſi aliud à præcedente Joannis teſtimonium proferret: ſed v. 27. ſatis indicat eſſe idem, ſed latiùs cùm omnibus aliis circumſtantiis expreſſum. Itque redit ad explicandum hoc teſtimonium Joannis, quod interruperat. Perhibitum autem ab eo tunc fuit, QUANDO MISERUNT Judæi AB JEROSOLYMIS, Concilium ſcilicet ſupremum, quod Sanedrin vocabitur, & Jeroſolymis reſidebat: nam illius erat de novis doctrinis, ſectis & Prophetiis judicare, ne fraus ſubreperet, ut alibi diximus. Fuit ergò hæc ſolemnis legatio, & proinde neceſſario à Magnatibus miſſa, quia miſſi fuerunt, dignitate & ſtatu, SACERDOTES ET LEVITÆ, qui poſt ſummum Pontificem erant præcipuæ perſonæ in Repub. Judaïca. Sectâ verò erant Phariſæi, ut patet verſ. 24. UT INTERROGARENT EUM: Tu QUIS ES? videlicet perſonâ, qualitate, officio: ſic enim quantùm ad iſta tria explicant ſe poſtea ipſi Legati. Cauſa mittendæ legationis videtur tangi à Luca cap. 3. verſ. 15. quòd dubitarent, an ipſe eſſet Chriſtus, nimirum ob varias cauſas ſuprà datas, & inter cætera, quia auſus eſſet baptizare, inquit Auguſt. Itaque eos ſtatim in ingreſſu interrogaſſe, an eſſet Chriſtus, patet ex reſponſo Joannis, quia

19. Et hoc eſt teſtimoniũ Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis ſacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. CONFESSUS EST, palàm, diſertiſque verbis, ET NON NEGAVIT, id eſt, non retractavit. Nam affirmando & negando idem exprimit, ut & v. 3. diximus: ET CONFESSUS EST: quæ repetitio ad conſtantiam pertinet, qua confeſſus eſt, QUIA NON SUM EGO CHRISTUS, ut exiſtimatis. Quo audito interrogaverunt de perſona, an ſaltem

20. Et confeſſus eſt; & non negavit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.

21. ELIAS ES TU? qui Chriſti præcurſor eſſe debet. Nam ſcribarum doctrina erat, ut eſt Matth. 17. v. 10. quòd Eliam oporteret primùm venire, antequam veniret Chriſtus: confundebant enim primum adventum cum ſecundo. Nec abſurda erat quæſtio: videbant quippe eum habitatione deſerti, vitæ auſteritate, zonaque pellicea Eliæ ſimilem. Cùm negaſſet, quærunt de qualitate ejus: PROPHETA ES TU? Græcè ὁ προφήτης, *ille Propheta*, nempe promiſſus à Moyſe, Deuter. 18. *Prophetam de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus.* Qui quidem erat ipſe Chriſtus; ſed Judæi eum tunc ab eo diſtinguebant, ſicut & nunc: qui ſenſus ferè eſt Græcorum, Cyrill. lib. 1. cap. 14. Chryſoſt. & diſcipulorum ejus. Auguſt. tamen hîc & Greg. Hom. 7. in Evang. generaliter intelligunt unum de antiquis Prophetis, qualem putant aliqui Matth. 16. eſſe etiam ipſum Chriſtum. ET RESPONDIT: NON. Nempe ſive illum jam dictum, ſive etiam generaliter alium. Non quaſi ſignificare vellet; ſe eſſe pluſquam Prophetam, ſicut Dominus vocavit eum diu poſtea, Matth. 11. quia talis propria laus minùs quadrabat in ejus humilitatem: ſed quia mens interrogantium erat, Prophetas illos intelligere, qui verbis & factis Chriſtum futurum prænuntiabant: qualis non erat Joannes, ſed qui digito demonſtraret præſentem.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.

22. DIXERUNT ERGO EI: QUIS ES, UT RESPONSUM DEMUS HIS, QUI MISERUNT NOS? Affirmativum ſcilicet, qui per negativum reſponſum

22. Dixerunt ergo ei: Quis es: ut reſponſum de-

monio, pergit declarare illam, quam dixerat, plenitudinem gratiæ & veritatis.

16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

16. ET DE PLENITUDINE EJUS : q. d. Tanta fuit ejus plenitudo, ut de redundantia fontis illius NOS OMNES ACCEPERIMUS, quidquid scilicet habemus gratiæ & veritatis, ad benè vivendum & prædicandum id, quod vidimus. Sunt enim verba non Baptistæ, sed Evangelistæ, ut sentit Chrysost. & Cyrill. libr. 1. cap. 20. Sed quid est illud, quod accepimus? nempe gratiam fidei, remissionis, justitiæ, quâ hîc ex fide vivimus; ET GRATIAM PRO GRATIA, id est, & insuper gratiam vitæ æternæ pro ista gratia justitiæ, hoc est, mercedem pro meritis, quæ contulit gratia. Ita utramque partem exponit August. Tract. 3. & lib. de corrept. & gratiâ cap. 13. & aliis diversis locis: nam & Apostolus gratiam Dei vocat vitam æternam. Idem tamen August. in Psalm. 81. Cyrill. & Chrysost. & ferè Græci exponunt, *gratiam*, propriè dictam & beneficentissimam novi Testamenti, *pro gratia*, id est, loco gratiæ veteris Testamenti. Nam & illa gratia, id est, beneficium peculiare, & gratuitum Dei fuit juxtà Psalm. *Non fecit taliter omni nationi & judicia sua non manifestavit eis.* Cui sensui percommodè subjungit, quasi rationem reddens sententiæ præcedentis.

17. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.

17. QUIA LEX, quæ docet ac præcipit benè vivere, PER MOYSEM DATA EST, tamquam donum gratuitum & magnum, erudiendo, coërcendo, seu in officio continendo, & ad Christi fidem & gratiam præparando populo Judaïco: SED GRATIA illa propriè dicta, quâ Lex impleri potest, ET VERITAS, quæ per cæremonias & sacrificia, terrenâque promissa, velut per umbras & typos figurata prophetabatur, PER JESUM CHRISTUM FACTA EST, id est, revelata, præstita & præsens exhibita, veterum umbrarum usu & observatione sublatâ. Ita Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 6. Nam, ut ait etiam lib. 17. cap. 6. gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum implectionem: de quo & vide libr. 19. cap. 18. Et quasi aliquis diceret, Ergòne Moyses, qui Deum vidit, non revelavit & præstitit veritatem? Respondet:

18. Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius: qui est in sinu patris, ipse enarravit.

18. DEUM NEMO, mortali carne circumdatus, VIDIT UMQUAM, sicuti est, sive secundùm substantiam, & lucem illam divinitatis incircumscriptam. Quicumque enim Deum vidisse dicuntur, Jacob, Moyses, Elias, Isaïas, imagines quasdam viderunt, non ipsam essentiam Dei, ut latè Iren. libr. 4. cap. 37. & Aug. Epist. 112. UNIGENITUS: quia solus & unicus ex Patre genitus est, utpote tam perfectè & plenè de Patre expressus, ut alteri verbo non possit esse locus, ut notat Athan. pro decretis Conc. Nicæni. FILIUS, tamquam ex mero consubstantialis genitus. Nam sine consubstantialitate genitum verbum utcumque dici posset, sicut à nobis gignitur, non tamen Filius; QUI EST IN SINU PATRIS, id est, in intimo charitatis paternæ & naturæ secreto, inquit Ambr. lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 11. Designatur itaque Filius esse in Patre, & ejusdem naturæ cum Patre, ut notat etiam Cyrill. in hunc locum, & consequenter omnia Filio, tamquam in ultimo Patris secreto commoranti, esse certa atque perspicua, ut Chrysost. IPSE ENARRAVIT, id est, ipse tamquam solus adhuc idoneus palàm revelatis

omnibus umbris ac figuris, explicuit, & velut spectanda exhibuit: quasi tacitè diceret, propterea nemo præcedentium hoc potuit, quia non viderant fontem secretorum divinorum.

19. Et hoc est testimonium Joannis. Multi exponunt, *Et*, pro, *etiam*, seu insuper, quasi aliud à præcedente Joannis testimonium proferret: sed v. 27. satis indicat esse idem, sed latiùs cùm omnibus aliis circumstantiis expressum. Itque redit ad explicandum hoc testimonium Joannis, quod interruperat. Perhibitum autem ab eo tunc fuit, QUANDO MISERUNT Judæi AB Jerosolymis, Concilium scilicet supremum, quod Sanedrin vocabitur, & Jerosolymis residebat: nam illius erat de novis doctrinis, sectis & Prophetis judicare, ne fraus subreperet, ut alibi diximus. Fuit ergò hæc solemnis legatio, & proinde necessario à Magnatibus missa, quia missi fuerunt, dignitate & statu, SACERDOTES ET LEVITÆ, qui post summum Pontificem erant præcipuæ personæ in Repub. Judaïca. Secta verò erant Pharisæi, ut patet vers. 24. UT INTERROGARENT EUM: Tu QUIS ES? videlicet personâ, qualitate, officio: sic enim quantùm ad ista tria explicant se postea ipsi Legati. Causa mittendæ legationis videtur tangi à Luca cap. 3. vers. 15. quòd dubitarent, an ipse esset Christus, nimirum ob varias causas suprà datas, & inter cætera, quia ausus esset baptizare, inquit August. Itaque eos statim in ingressu interrogasse, an esset Christus, patet ex responso Joannis, quia

19. Et hoc est testimoniū Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. Confessus est, palàm, disertisque verbis, ET NON NEGAVIT, id est, non retractavit. Nam affirmando & negando idem exprimit, ut & v. 3. diximus: ET CONFESSUS EST: quæ repetitio ad constantiam pertinet, qua confessus est, QUIA NON SUM EGO CHRISTUS, ut existimatis. Quo audito interrogaverunt de persona, an saltem

20. Et confessus est; & non negavit: & confessus est: Quia non sum ego Christus.

21. Elias es tu? qui Christi præcursor esse debet. Nam scribarum doctrina erat, ut est Matth. 17. v. 10. quòd Eliam oporteret primùm venire, antequam veniret Christus: confundebant enim primum adventum cum secundo. Nec absurda erat quæstio: videbant quippe eum habitatione deserti, vitæ austeritate, zonaque pellicea Eliæ similem. Cùm negasset, quærunt de qualitate ejus: PROPHETA ES TU? Græcè ὁ προφήτης, *ille Propheta*, nempe promissus à Moyse, Deuter. 18. *Prophetam de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus.* Qui quidem erat ipse Christus; sed Judæi eum tunc ab eo distinguebant, sicut & nunc: qui sensus ferè est Græcorum, Cyrill. lib. 1. cap. 14. Chrysost. & discipulorum ejus. August. tamen hîc & Greg. Hom. 7. in Evang. generaliter intelligunt unum de antiquis Prophetis, qualem putant aliqui Matth. 16. esse etiam ipsum Christum. ET RESPONDIT: NON. Nempe sive illum jam dictum, sive etiam generaliter alium. Non quasi significare vellet; se esse plusquam Prophetam, sicut Dominus vocavit eum diu postea, Matth. 11. quia talis propria laus minùs quadrabat in ejus humilitatem: sed quia mens interrogantium erat, Prophetas illos intelligere, qui verbis & factis Christum futurum prænuntiabant: qualis non erat Joannes, sed qui digito demonstraret præsentem.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

22. DIXERUNT ERGO EI: QUIS ES, UT RESPONSUM DEMUS HIS, QUI MISERUNT NOS? Affirmativum scilicet, qui per negativum responsum

22. Dixerunt ergo ei: Quis es: ut responsum de-

monio, pergit declarare illam, quam dixerat, plenitudinem gratiæ & veritatis.

16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

16. ET DE PLENITUDINE EJUS : q. d. Tanta fuit ejus plenitudo, ut de redundantia fontis illius NOS OMNES ACCEPERIMUS, quidquid scilicet habemus gratiæ & veritatis, ad benè vivendum & prædicandum id, quod vidimus. Sunt enim verba non Baptistæ, sed Evangelistæ, ut sentit Chrysost. & Cyrill. libr. 1. cap. 20. Sed quid est illud, quod accepimus? nempe gratiam fidei, remissionis, justitiæ, quâ hîc ex fide vivimus; ET GRATIAM PRO GRATIA, id est, & insuper gratiam vitæ æternæ pro ista gratia justitiæ, hoc est, mercedem pro meritis, quæ contulit gratia. Ita utramque partem exponit August. Tract. 3. & lib. de corrept. & gratiâ cap. 13. & aliis diversis locis: nam & Apostolus gratiam Dei vocat vitam æternam. Idem tamen August. in Psalm. 81. Cyrill. & Chrysost. & ferè Græci exponunt, *gratiam*, propriè dictam & beneficentissimam novi Testamenti, *pro gratia*, id est, loco gratiæ veteris Testamenti. Nam & illa gratia, id est, beneficium peculiare, & gratuitum Dei fuit juxtà Psalm. *Non fecit taliter omni nationi & judicia sua non manifestavit eis.* Cui sensui percommodè subjungit, quasi rationem reddens sententiæ præcedentis.

17. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est.

17. QUIA LEX, quæ docet ac præcipit benè vivere, PER MOYSEM DATA EST, tamquam donum gratuitum & magnum, erudiendo, coërcendo, seu in officio continendo, & ad Christi fidem & gratiam præparando populo Judaico: SED GRATIA illa propriè dicta, quâ Lex impleri potest, ET VERITAS, quæ per cæremonias & sacrificia, terrenaque promissa, velut per umbras & typos figurata prophetabatur, PER JESUM CHRISTUM FACTA EST, id est, revelata, præstita & præsens exhibita, veterum umbrarum usu & observatione sublatâ. Ita Augustin. lib. 22. contra Faustum cap. 6. Nam, ut ait etiam lib. 17. cap. 6. gratia pertinet ad charitatis plenitudinem, veritas ad prophetiarum impletionem: de quo & vide libr. 19. cap. 18. Et quasi aliquis diceret, Ergò ne Moyses, qui Deum vidit, non revelavit & præstitit veritatem? Respondet:

18. Deum nemo vidit umquam: unigenitus filius: qui est in sinu patris, ipse enarravit.

18. DEUM NEMO, mortali carne circumdatus, VIDIT UMQUAM, sicuti est, sive secundùm substantiam, & lucem illam divinitatis incircumscriptam. Quicumque enim Deum vidisse dicuntur, Jacob, Moyses, Elias, Isaias, imagines quasdam viderunt, non ipsam essentiam Dei, ut latè Iren. libr. 4. cap. 37. & Aug. Epist. 112. UNIGENITUS: quia solus & unicus ex Patre genitus est, utpote tam perfectè & plenè de Patre expressus, ut alteri verbo non possit esse locus, ut notat Athan. pro decretis Conc. Nicæni. FILIUS, tamquam ex unico consubstantialis genitus. Nam sine consubstantialitate genitum verbum utcumque dici posset, sicut à nobis gignitur, non tamen Filius; QUI EST IN SINU PATRIS, id est, in intimo charitatis paternæ & naturæ secreto, inquit Ambr. lib. de benedictionibus Patriarch. cap. 11. Designatur itaque Filius esse in Patre, & ejusdem naturæ cum Patre, ut notat etiam Cyrill. in hunc locum, & consequenter omnia Filio, tamquam in ultimo Patris secreto commoranti, esse certa atque perspicua, ut Chrysost. IPSE ENARRAVIT, id est, ipse tamquam solus adhuc idoneus palàm revelatis

omnibus umbris ac figuris, explicuit, & velut ſpectanda exhibuit: quaſi tacitè diceret, propterea nemo præcedentium hoc potuit, quia non viderant fontem ſecretorum divinorum.

19. ET HOC EST TESTIMONIUM JOANNIS. Multi exponunt, *Et*, pro, *etiam*, ſeu inſuper, quaſi aliud à præcedente Joannis teſtimonium proferret: ſed v. 27. ſatis indicat eſſe idem, ſed latiùs cùm omnibus aliis circumſtantiis expreſſum. Itque redit ad explicandum hoc teſtimonium Joannis, quod interruperat. Perhibitum autem ab eo tunc fuit, QUANDO MISERUNT JUDÆI AB JEROSOLYMIS, Concilium ſcilicet ſupremum, quod Sanedrin vocabitur, & Jeroſolymis reſidebat: nam illius erat de novis doctrinis, ſectis & Prophetiis judicare, ne fraus ſubreperet, ut alibi diximus. Fuit ergò hæc ſolemnis legatio, & proinde neceſſario à Magnatibus miſſa, quia miſſi fuerunt, dignitate & ſtatu, SACERDOTES ET LEVITÆ, qui poſt ſummum Pontificem erant præcipuæ perſonæ in Repub. Judaïca. Secta verò erant Phariſæi, ut patet verſ. 24. UT INTERROGARENT EUM: Tu QUIS ES? videlicet perſonâ, qualitate, officio: ſic enim quantùm ad iſta tria explicant ſe poſtea ipſi Legati. Cauſa mittendæ legationis videtur tangi à Luca cap. 3. verſ. 15. quòd dubitarent, an ipſe eſſet Chriſtus, nimirum ob varias cauſas ſuprà datas, & inter cætera, quia auſus eſſet baptizare, inquit Auguſt. Itaque eos ſtatim in ingreſſu interrogaſſe, an eſſet Chriſtus, patet ex reſponſo Joannis, quia

19. Et hoc eſt teſtimoniũ Joannis, quando miſerunt Judæi ab Jeroſolymis ſacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es?

20. CONFESSUS EST, palàm, diſertiſque verbis, ET NON NEGAVIT, id eſt, non retractavit. Nam affirmando & negando idem exprimit, ut & v. 3. diximus: ET CONFESSUS EST: quæ repetitio ad conſtantiam pertinet, qua confeſſus eſt, QUIA NON SUM EGO CHRISTUS, ut exiſtimatis. Quo audito interrogaverunt de perſona, an ſaltem

20. Et confeſſus eſt; & non negavit: & confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.

21. ELIAS ES TU? qui Chriſti præcurſor eſſe debet. Nam ſcribarum doctrina erat, ut eſt Matth. 17. v. 10. quòd Eliam oporteret primùm venire, antequam veniret Chriſtus: confundebant enim primum adventum cum ſecundo. Nec abſurda erat quæſtio: videbant quippe eum habitatione deſerti, vitæ auſteritate, zonaque pellicea Eliæ ſimilem. Cùm negaſſet, quærunt de qualitate ejus: PROPHETA ES TU? Græcè ὁ προφήτης, *ille Propheta*, nempe promiſſus à Moyſe, Deuter. 18. *Prophetam de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus.* Qui quidem erat ipſe Chriſtus; ſed Judæi eum tunc ab eo diſtinguebant, ſicut & nunc: qui ſenſus fere eſt Græcorum, Cyrill. lib. 1. cap. 14. Chryſoſt. & diſcipulorum ejus. Auguſt. tamen hîc & Greg. Hom. 7. in Evang. generaliter intelligunt unum de antiquis Prophetis, qualem putant aliqui Matth. 16. eſſe etiam ipſum Chriſtum. ET RESPONDIT: NON. Nempe ſive illum jam dictum, ſive etiam generaliter alium. Non quaſi ſignificare vellet; ſe eſſe pluſquam Prophetam, ſicut Dominus vocavit eum diu poſtea, Matth. 11. quia talis propria laus minùs quadrabat in ejus humilitatem: ſed quia mens interrogantium erat, Prophetas illos intelligere, qui verbis & factis Chriſtum futurum prænuntiabant: qualis non erat Joannes, ſed qui digito demonſtraret præſentem.

21. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non ſum. Propheta es tu? Et reſpondit: Non.

22. DIXERUNT ERGO EI: QUIS ES, UT RESPONSUM DEMUS HIS, QUI MISERUNT NOS? Affirmativum ſcilicet, qui per negativum reſponſum

22. Dixerunt ergo ei: Quis es: ut reſponſum de-

mus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso.

23. Ait: Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaïas Propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.

25. Et interrogaverunt eum: & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta:

Joannis, asserentis quis non esset, non poterat satisfieri. Judicibus igitur publicè ex officio interrogantibus palàm respondens, AIT: Ego VOX CLAMANTIS IN DESERTO, &c. quæ vide Matth. 3. v. 3. explicata. Nam illud DIRIGITE VIAM, &c. idem est, quod *rectam facite viam*.

24. ET QUI MISSI FUERANT, ERANT EX PHARISÆIS, sectâ, scilicet, & proinde præcipuæ in Repub. auctoritatis, ut attestatur Josephus. Quamquam & alia potest esse ratio expressæ illius circumstantiæ, ut scilicet pateret, cur interrogaverint id, quod sequitur.

25. QUID ERGO BAPTIZAS SI TU NON ES CHRISTUS, NEQUE ELIAS, NEQUE PROPHETA? Pharisæi quippe cùm ablutionibus, tamquam sibi traditis abundarent, & eorum imitatione cæteri Judæi, sicut patet Marci 7. vers. 3. & 4. judicabant audaciæ esse, ut hîc loquitur Augustinus, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum inducere. Nam, ut idem ait lib. 3. contra Donatistas c. 9. nulli Prophetarum, nulli prorsus hominum in Scripturis divinis legimus concessum esse, baptizare in aqua pœnitentiæ, in remissionem peccatorum, quod Joanni concessum fuit: quâ mirabili gratiâ suspendens corda populorum, viam præparabat Christo Domino remissionis datori. Itaque de baptismo illo videntur vulgò maximam habuisse opinionem: unde & Matth. 21. non ausi fuerunt Pharisæi negare baptismum Joannis esse de cœlo. Quò fortassis impulerant eos verba Prophetarum, Ezech. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam*: & Zachariæ 13. v. 1. *In die illa erit fons patens domui David*, &c. Quæ de baptismo divinitùs instituendo intelliguntur. Proinde

26. Respondit eis Joannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

26. RESPONDIT JOANNES: EGO BAPTIZO IN AQUA, mera scilicet & nuda, sine interioris hominis regeneratione; q. d. Rectè sentitis, baptismum nonnisi divinæ auctoritatis esse, imò ad Christi tempora pertinere; sed non arrogo mihi officium ejus, quia baptismus meus præter aquam nihil habet, inquit Chrysost. MEDIUS AUTEM VESTRUM STETIT, id est, in medio vestrûm, seu inter vos conversatus est, ut quando inter Doctores duodecennis sedit, quando paulò antè baptizatus fuit, QUEM vos NESCITIS, cujus sit dignitatis atque conditionis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti.

27. IPSE EST, QUI POST ME VENTURUS EST: Græcè ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *venit*, publicè prædicaturus, & miracula facturus, id est, qui jamjam adest, cujus videlicet adventum, & prædicationem, & maximè baptismum præcurro, tamquam longè perfectiorem meo futurum. Nam eò respici notant hîc Græci, Chrysost. Cyril. & Theophyl. Unde & alteram partem responsionis Joannis expressè supplet Matth. cap. 3. vers. 11. *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne*, baptismo scilicet longè dissimili, cujus meus est tantùm rudimentum & præambulum. Cujus EGO NON SUM DIGNUS, UT SOLVAM, &c. quod infimum est famulorum in heros ministerium, ut sic magnitudinem sanctitatis, ac dignitatis ejus exprimeret. Vide Matth. 3.

28. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.

28. HÆC IN BETHANIA FACTA SUNT, non illâ, quæ est propè Jerusalem, ubi Mariæ & Marthæ domicilium, sed alia TRANS JORDANEM, scilicet eadem, quæ *Bethabara*, id est, domus transitus, quia ibi vel flumen vulgò trajiciebatur, vel ab Israëlitis olim trajectum erat. Unde

antiqui

antiqui ſcriptores quidam mālunt legi *Bethabera*: ſed tamen omnia exemplaria Græca, Latina, Syriaca, conſtanter legunt *Bethania*. UBI ERAT JOANNES BAPTIZANS, quia propè deſertum erat, & confluxu populi propter trajectum abundabat.

29. ALTERA DIE, id eſt, poſtridie ejus diei, quo ſatisfecerat legationi Judæorum, VIDIT JOANNES JESUM VENIENTEM AD SE, è deſerto poſt jejunium, ut Joanni occaſionem demonſtrandi ſe præberet: jam enim baptizatus fuerat, ut ex eo colligitur, quòd paucis diebus poſt Jeſus cum diſcipulis ivit ad nuptias in Cana Galilææ, c. 3. v. 1. ET AIT, circumſtantibus, de Jeſu adhuc abſente, ECCE AGNUS DEI, Græcè ὁ ἀμνὸς, *ille agnus*, videlicet verè innocens, verè victima immaculata à Moyſe figurata. Nam ille agnus Paſchalis in figuram innocentiæ Chriſti debebat eſſe ſine macula; in typum ſexus, aut animi virilis, maſculus: in ſignum juvenilis ætatis, in qua crucifixus eſt, agniculus. Dicitur autem *Dei*, quia Deo per mortem offerendus pro ſalute hominum. Nam ad illum effectum & finem exprimendum addit, ECCE QUI TOLLIT, id eſt, qui portat tamquam hoſtia humeris ſuis impoſitum à DEO, PECCATUM MUNDI, id eſt, totius mundi delicta. Alludit enim ad prophetiam, quæ dicit Iſaiæ 53. *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm: iniquitates eorum ipſe portavit, ipſe peccata multorum tulit.* Unde & 1. Petri 2. *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Quamquam & portando abſtulerit. Bis autem repetit, *Ecce*, q. d. Ecce hic eſt, de quo verbis locutus ſum; hic eſt, qui in Spiritu ſancto baptizans, peccata remittit, quod ego non feci; & conſequenter hic eſt Redemptor mundi. Nam ſtatim applicat ei id, quod ſuprà v. 15. dixerat.

29. Altera die vidit Joannes Jeſum venientem ad ſe: & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30. Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt: quia prior me erat.

31. ET EGO NESCIEBAM EUM, nempe in deſerto, antequam ad baptizandum miſſus eſſem. Quòd ideo dicit, ne fortè gratiæ, familiaritati, aut cognationi aliquid dare videretur, ſed tantùm divinæ revelationi, ut Chryſoſt. & Theophyl. SED, cùm mihi & aliis eſſet incognitus, ut à me MANIFESTETUR IN ISRAEL, PROPTEREA VENI EGO IN AQUA BAPTIZANS, ut videlicet populo, prædicationis, & baptiſmi mei novitate excitato, ſimul hâc occaſione adveniret ipſe Chriſtus, & ſic Patris voce, Spiritus ſancti deſcenſu, meâ demonſtratione oſtenderetur, & agnoſceretur in Iſraël.

31. Et Ego neſciebam eum, ſed ut manifeſtetur in Iſrael, propterea veni ego in aqua baptizans.

32. ET TESTIMONIUM PERHIBUIT JOANNES. Verba ſunt Evangeliſtæ ſubitò interpoſita teſtimonio Joannis, quo proſequens ſuum ſermonem dicebat, VIDI SPIRITUM DESCENDENTEM, &c. quod contigit inter baptizandum Chriſtum.

32. Et teſtimonium perhibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentẽ quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.

33. ET EGO NESCIEBAM EUM, in deſerto ante miſſionem meam, ut diximus. Nam quamvis in genere Chriſtum veniſſe ſciret, neſciebat tamen facie & determinatè, quid eſſet. SED QUI MISIT ME BAPTIZARE IN AQUA, ſine Spiritu ſancto, ILLE MIHI DIXIT, hoc tamquam ſignum ejus internoscendi ſtatuens: SUPER QUEM VIDERIS SPIRITUM DESCENDENTEM ET MANENTEM, HIC EST QUI BAPTIZAT IN SPIRITU SANCTO, id eſt, qui non meram aquam, ut ego, ſed ſimul Spiritum ſanctum ſuper baptizatos effuſurus eſt. Difficultas tamen manet, quomodo Joannes dicatur eum neſciviſſe, quandoquidem ipſe, Chriſto ad baptiſmum

33. Et ego neſciebam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua: ille mihi dixit; Super quem videris Spiritum deſcendentem, & ma-

sciremus, quo fructu testimonium Filii acciperemus, credendo in eum, addit:

36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

36. QUI CREDIT IN FILIUM: illâ fide, quæ obedit doctrinæ quæ creditur, HABET VITAM ÆTERNAM, in certa scilicet spe, atque animi dispositione, sicut fructum in arbore. Unde plerique illud, *habet*, exponunt, certissimè habebit in tempore suo. QUI AUTEM INCREDULUS EST FILIO, Græcè ὁ ἀπειθῶν, *qui est inobediens*, scilicet sive non credendo, sive non faciendo, quod credit. Ex quo intelligitur non fidem nudam paulò antè significatam esse. NON VIDEBIT VITAM, id est, non assequetur vitam æternam. Ex quo rectè colligas, non sufficere ad salutem fidem in Deum, in providentiam Dei, in Salvatorem, sed fidem in Filium Dei incarnatum esse necessariam: SED IRA DEI MANET SUPER EUM, illa scilicet ira, quæ jam antè super eum esse cœperat per peccatum, quo nati sumus omnes filii iræ, ut Augustinus. Nam nec ab ea, quæ per proprias iniquitates adjecta est, quisquam liberari potest, nisi per fidem Filii Dei.

CAPUT IV.

CAPUT QUARTUM.

1. Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Joannes.

2. (Quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.)

1. UT ERGO COGNOVIT JESUS, QUIA AUDIERUNT PHARISÆI, &c. Quo loquendi modo significatur Jesum id recenter didicisse, scilicet vel aliorum relatione, vel propriâ observatione. Nam alioqui ipse omnia futura ab æterno noverat. Unde & Apostolus: *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam:* quæ aliter cognoscitur per experientiam, aliter per sapientiam.

2. QUAMQUAM JESUS NON BAPTIZARET, suis scilicet manibus, SED DISCIPULI EIUS. Quod Tertullian. lib. De baptismo, c. 11. intelligit de baptismo Joannis; sed rectiùs August. & Cyril. accipiunt de baptismo Christi, quo discipuli baptizabant, præbendo scilicet ministerium, Christus verò præbendo adjutorium majestatis, ut Augustin. Nimirum quia ipse erat, non solùm qui intus baptizabat in Spiritu sancto, ut prædixerat Joannes, c. 1. vers. 33. sed etiam quia ipsius jussu, auctoritate & nomine, exteriùs baptizabant discipuli. Causa hujus rei fuit, ut functioni majori, majorémque requirenti scientiam & gloriam, vacaret, doctrinæ scilicet prædicandæ, sicut & Paulus 1. ad Corinth. 1. vers. 17.

3. Reliquit Judæam, & abiit iterum in Galilæam.

3. RELIQUIT JUDÆAM, ut superbæ æmulationi Pharisæorum aliquantisper cederet. Nam, ut cognovit Jesus eorum scientiam, quâ didicerant, eum plures discipulos facere, cognovit etiam eorum invidentiam: non enim hoc propterea didicerant, ut eum sequerentur, sed ut persequerentur, inquit August. ET ABIIT ITERUM IN GALILÆAM. Hæc enim fuit secunda profectio ejus in Galilæam. Nam prima fuit, quando post baptismum & ostensionem sui à Joanne factam, venerat in Cana Galilææ.

4. Oportebat autem eum transire per Samariam.

4. OPORTEBAT AUTEM EUM TRANSIRE PER SAMARIAM, non ipsam urbem metropolin, quæ eodem nomine vocabatur, sed ipsam provinciam, quæ media jacet inter Judæam strictè dictam & Galilæam.

5. VENIT ERGO IN CIVITATEM SAMARIÆ, id est, territorium cujusdam civitatis, ut patet ex vers. 9. QUÆ DICITUR SICHAR, tempore scilicet Christi, corrupto jam vocabulo. Est enim eadem, quæ in veteri Testamento vocatur, *Sichem*, vel *Sichima*, ut testatur Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Et juxtà Josephum 11. Antiquit. cap. ult. erat caput, seu metropolis regionis Samariæ. Erat autem sita IUXTA PRÆDIUM, QUOD DEDIT JACOB JOSEPH FILIO SUO, ut patet Genes. 48. vers. 22. Ubi dicit Jacob se dare Josepho partem unam, quam tulerat de manu Amorrhæi in gladio & arcu suo, id est quam jure belli acquisiverat.

5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.

6. ERAT AUTEM IBI: in illo scilicet prædio, FONS JACOB. Infrà vocatur *puteus*, quia scilicet erat utrumque. Nam, ut Augustinus ubi aqua de terra manat, *Fons* dicitur. Sed si in promptu & superficie sit, *Fons* tantùm dicitur: si autem in alto & profundo sit, ita *Puteus* vocatur, ut fontis nomen non amittat. Dicitur ergo fons Jacob, quia ille puteum foderat, donec inveniret scaturiginem fontis, quæ puteum aquis impleret. JESUS ERGO FATIGATUS EX ITINERE, secundùm humanam naturam, utpote qui pedibus iter fecerat, ut ad vitam laboriosam nos erudiret, inquit Chrysostom. SEDEBAT SIC, fatigatus scilicet & anhelus. Quamquam Syrus illud, *sic*, omittat, indicans nihil esse aliud nisi encliticam particulam, quæ connectit antecedens cum consequente, cujusmodi Belgis admodum familiaris est; SUPRA FONTEM, Græcè clariùs, ἐπὶ τῇ πηγῇ, *ad*, seu *juxta fontem*. Quod ex phrasi Hebraïca venit, quâ, *supra*, sæpissimè sumitur pro *juxta*: ut, *Supra flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus*, &c. Quamquam hîc intelligi possit, eum sedisse super fontis peripheriam, seu extremam & supremam oram, quæ in circuitu fontis, sive putei erat. HORA ERAT QUASI SEXTA, & proinde circiter meridiana, quâ æstus est maximus, & fatigati maximè cibo & potu, quiete & refrigerio, indigent.

6. Erat autem ibi fons Jacob: Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

7. VENIT MULIER DE SAMARIA, id est Samaritana, seu de Samaria regione oriunda. Nam illud, *de Samaria*, jungendum est cum, *mulier*, non cum, *venit*, quia venerat de Sichar proxima. DICIT EI JESUS, collocutionis initium faciens ab ipsa re, quam mulier tractabat, ut ei retia tenderet.

7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bibere.

8. DISCIPULI ENIM EIUS ABIERANT, &c. à quibus alioqui operam, sedandæ sitis petere potuisset. Datur enim ratio, cur à muliere petierit.

8. (Discipuli enim ejus abierat in civitatem ut cibos emerent.)

9. DICIT ERGO EI MULIER, QUOMODO TU JUDÆUS, &c. cùm scilicet ex habitu, itémque sermone, eum Judæum esse cognovisset, ut Chrysost. & Cyrill. notant. Nam Samaritani origine erant Babylonii, qui characteribus utebantur antiquis, & valdè diversis à characteribus Judæorum, testibus libris, qui adhuc extant, & Hieron. Præfat. in libros Reg. Ita & dialectus eorum diversa fuit à Judaïca. NON ENIM coütuntur JUDÆI SAMARITANIS. Verba sunt mulieris tacitè exprobrantis Christo transgressionem Judaïcæ consuetudinis, & aversationem Judæorum à Samaritanis: q. d. Quâ fronte petis à me bibere, cùm Judæi non habeant commercium cum Samaritanis? Intellige in mensâ, cibis, potu, & vasculis, quibus illa ministrantur, ut notat Augustinus. Nam Judæi Samaritanos habebant pro gentilibus, cum quibus quidem

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cum sis, bibere à me poscis quæ sum mulier Samaritana? non enim coütuntur Judæi Samaritanis.

civiliter versabantur, contractúsque miscebant (unde & hîc discipuli à Samaritanis emunt cibos:) non tamen comedebant, aut bibebant cum illis, ut patet Act. 11. vers. 3. verentes videlicet ne polluerentur. Porrò præter illam generalem causam, erat alia duplex ratio aversationis Judæorum à Samaritanis. Prima, quia olim terram Israëlitis promissam Samaritani occupaverant, ut patet 4. Reg. 17. Secunda, quia gentiles ritus Mosaïcis miscuerant, volentes Judaïcæ religionis videri. Et ista causa fuit, cur Judæis olim ædificantibus templum, Samaritani simul ædificare voluerint. Sed cùm repulsi essent, primò quidem ædificationem omni conatu impediverunt, 1. Esdræ 4. Deinde proprium templum in monte Garisim exstruxerunt, ubi per proprios Sacerdotes, non Levitici generis, sua sacrificia offerebant, eóque desertores legis Judaïcæ transfugiebant, ut testis est Josephus libr. 11. Antiquit. cap. 4. Quod ergò hæretici sunt Catholicis, hoc Samaritani Judæis, quos utique magis quàm gentiles aversamur. Unde Christo Domino tamquam maximum opprobrium objiciunt: *Numquid bene dicimus, quia Samaritanus es; & dæmonium habes?* Christus ergò volens Christianam communicationem inter Judæos & Samaritanos à modicis initiis introducere, extincto odio & discordiâ, religionisque diversitate, unde odium nascebatur.

10. Respondit Jesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.

10. DIXIT EI: SI SCIRES DONUM DEI. Quod August. & ferè veteres, intelligunt Spiritum sanctum. Nam illud donum videtur Christus intelligere, quod statim se daturum promittit, nempe aquam vivam. Si ergò scires, quod sit illud donum, quod ab eo peti debet, ac dari solet, ET QUIS EST, QUI DICIT TIBI, &c. id est, si scires me esse Christum Filium Dei, tanti doni largitorem, TU FORSITAN PETISSES AB EO: Græcum ἄν, non est dubitantis, sed potiùs affirmantis. Unde Interpres, *forsitan*, vertisse videtur, ut significaret, etiam illo cognito mansurum fuisse mulieri liberum petere. ET DEDISSET TIBI, id est, non recusasset tibi, quamvis Judæus, sicuti tu illi recusas, AQUAM VIVAM: per quam intelligit Spiritum sanctum, qui instar aquæ sitim terrenorum bonorum extinguit, concupiscentiam refrigerat, animam fœcundam facit, mentem sensu pietatis humectat. *Viva* verò, quia viventes vivificat. Mulier autem intelligebat adhuc corporaliter aquam non stagnantem quidem, sed de fonte scaturientem. Unde respondet,

11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam?

11. DOMINE. Attenderat enim verba, *Si scires, quis est, &c.* Ex quibus, sicut ex sermonis gravitate & mansuetudine, observat eum esse personam gravem & eminentem, cùm antè satis contemptim Judæum vocasset: NEQUE IN QUO HAURIAS, HABES. Græcè οὔτε ἄντλημα ἔχεις, *neque haustrum habes*, id est situlam: sub qua & funem, quo illa trahitur, intelligit. Ideóque addit: ET PUTEUS ALTUS, seu profundus est, ita ut sine eo non possis ad aquam pertingere. UNDE ERGO HABES AQUAM VIVAM? tamquam pauciorem videlicet hac, quæ hauritur hoc puteo. Nam propter potioris aquæ promissionem, adjicit:

12. Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex

12. NUMQUID TU MAJOR ES PATRE NOSTRO JACOB? ut aliquid præstantius mihi dare possis? Patrem verò vocat Jacob, quia idem Josephus ibidem testis est, quòd Samaritani videri vellent Judæi, maximè cùm res Judæis prosperæ cederent. QUI DEDIT NOBIS PUTEUM ISTUM,

tamquam appendicem prædii, de quo vers. 5. Nam Samaritani occupabant sortem tribus Ephraim, in qua erat Samaria. ET IPSE EX EO BIBIT, ET FILII EIUS, quod signum est bonitatis aquæ: ET PECORA EIUS, quod signum est abundantiæ, ut notat Theophyl. q. d. Non solùm dulcis fuit hominibus bibentibus, sed etiam ita copiosa, ut multitudini pecorum sufficerit. Hâc igitur aquâ non habuit Jacob potiorem. Cum ergò mulier ex personæ excellentia aquæ bonitatem colligeret, ad mentem ejus respondet Christus:

eo bibit, & filii ejus, & pecora ejus?

13. OMNIS QUI BIBIT EX AQUA HAC, hujus videlicet, aut similis putei, sitiet iterum, quia sitim non nisi ad tempus sedat. Quod August. verum esse declarat etiam de illa aqua, quæ per aquam putei significatur, videlicet de voluptatibus hujus mundi: non enim sitim cupiditatis extinguunt, sed inflammant acriùs. QUI AUTEM BIBERIT EX AQUA, QUAM EGO DABO EI, id est, quem ego Spiritu sancto meo potavero, NON SITIET IN ÆTERNUM, quia æterna beatitudine, tam corpore quàm anima, satiabitur. Nam de vita æterna hoc exponit August. sicut & versus sequens postulat. Tunc enim propriè, ut Isaïas, *Non esurient, neque siti nt amplius*: tunc, ut Psalm. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ*: tunc satiabitur in bonis desiderium eorum. Modum autem ejus explicans, ait:

13. Respondit Jesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

14. SED AQUA, QUAM EGO DABO EI, FIET IN EO, id est, non extrinsecus haurietur, sed in ipsis ejus visceribus fiet FONS AQUÆ, non stagnantis: aut dormientis, sed vivæ, videlicet SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM. Metaphora est à fonte ducta, qui tam altè scaturit aquam, quàm est altum principium ejus. Principium autem hujus aquæ Deus est, qui est æternitas & vita æterna. Unde aqua illa in animis hominum ad Deum usque & vitam æternam salit, quia Dei & vitæ æternæ possessores facit. Mulier verò adhuc non intelligens donum Dei, sed carnalibus hærens cogitationibus, ait:

14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

15. DOMINE DA MIHI HANC AQUAM, tam excellentem, UT NON SITIAM, NEQUE VENIAM HUC HAURIRE, sitire enim molestum, huc venire laboriosum, ad quem laborem, inquit Aug. indigentia cogebat, & infirmitas recusabat.

15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.

16. DICIT EI JESUS: VOCA VIRUM, seu maritum tuum, ET VENI, hoc est redi iterum, HUC. Quod Cyrill. ei dictum putat propter rudilatem ejus, ut sit quædam increpatio mulieris. Quò tendit etiam Augustini explicatio, quamvis ipse mysticè per *Virum* intelligat mentem seu intellectum, qui instar viri regit partem sensitivam tamquam mulierem, ut sensus sit: Relictis sensibus adhibe, inquit, intellectum, quem docearis. Valde verisimile est, Christum duo spectasse in hisce verbis. Primum, ut, quia carebat viro, occasione revelationis rei secretæ perduceret eam ad agnoscendum, quisnam esset. Secundum, ut eam hoc artificio ad pœnitentiam impudicæ vitæ disponeret, sine qua nemo ad aquam illam accipiendam idoneus est.

16. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17. RESPONDIT: NON HABEO VIRUM, quia sciebat illegitimum virum non esse virum, cùm interim turpitudinem suam hâc ambidextrâ locutione dissimularet. Laudat Christus ingenuitatem veracis

17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Je-

sus: Bene dixisti, quia non habeo virum :

confessionis, dicens : BENE DIXISTI. Sed mox supplet, quod illa celaverat, verum sensum ejus aperiendo.

18. Quinque enim viros habuisti : & nunc quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti.

18. QUINQUE ENIM VIROS HABUISTI, legitimos, unum post alterum. Quæ communis est antiquorum & recentiorum explicatio. Nam qui eam tot simul viros habuisse putat Maldonatus, non potest rationem dare, cur peculiariter de præsenti dicat, NON EST TUUS : HOC VERE DIXISTI, id est, hoc sensu verè dixisti, *Non habeo virum*. Hinc ergò agnoscere à longè incipiens, quis esset, qui loqueretur secum, ait :

19. Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu,

19. DOMINE, VIDEO QUIA PROPHETA ES TU, revelando mihi rem tibi naturaliter occultam, cùm sis peregrinus. Prophetarum est enim non solùm futura prædicere, sed & præsentia, si naturaliter arcana sunt : cujus exemplum est 4. Reg. 5. v. 26. Simul itaque mulier fatetur peccatum, & Christum agnoscit, saltem tamquam Prophetam, ut notat Rupertus, & ante illum Cyrill. Itaque arreptâ hâc occasione, statim proponit ei tamquam Prophetæ quæstionem tunc maximè controversam, inter Samaritanos & Judæos, ut eam sibi enodaret.

20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.

20. PATRES NOSTRI, communes Judæorum & Samaritanorum, scilicet Jacob & prisci Patriarchæ, IN MONTE HOC, Garisim, qui proximus erat civitati Sichem, ut patet Judic. 9. versu 7. In cujus montis latere erat puteus Jacob, juxtà quem Christus sedebat, teste Hieronym. Epist. 27. ADORAVERUNT, id est, sacrificare consueverunt, ut patet Gen. 33. v. 20. Nam ferè in montibus sacrificabant antiqui, ut ipso secretioris & altioris loci situ mens faciliùs in Deum sustolleretur. Unde toties dicuntur Judæi sacrificasse in excelsis : & ipsum templum in monte ædificatum fuit, & Christus in monte oblatus. Subintelligit autem mulier Samaritanos Patrum suorum exemplum sequi, ædificato scilicet etiam ibi templo : quamquam reverà illud ex æmulatione quâdam ibi extructum fuerit, ut narrat Josephus 11. Antiquit. cap. ult. qui tamen lib. 13. cap. 17. tradit illud post annum ducentesimum sub Hircano Pontifice, aliquot annis ante natum Christum, fuisse desolatum. Unde rectè mulier mentionem facit, non templi, sed montis tantùm. Nam, ut Tertull. 4. contra Marcionem, semper sibi placentes erant Samaritani de montibus & puteis Patrum. Unde Amos 6. versu 1. *Væ qui confiditis in monte Samariæ.* ET VOS, Judæi, DICITIS, QUIA JEROSOLYMIS EST LOCUS, UBI ADORARE OPORTET, id est, sacrificare. Nam juxtà legem generaliter quidem adorari poterat extrà Jerosolymam, non tamen prout hoc verbum significat illum peculiarem adorationis cultum per sacrificia, prout & sumitur Genes. 22. versu 5. *Ego & puer, postquam adoraverimus.* Nam Lex Deuteron. 12. vers. 14. & 26. jubebat offerri sacrificia tantùm in loco quem elegerat Deus, qui antea fuerat locus tabernaculi. Sed cùm tabernaculo successisset templum, Judæi interpretabantur eum locum esse Jerosolymam ; Samaritani Garisim. Decisa fuerat aliquando ista antiqua controversia à Ptolomeo Philometore, Ægypti Rege, ad quem partes provocaverant, & sententia pro Judæis lata. Qua de re Josephus 13. Antiquit. capite 6.

21. Dicit ei Jesus : mulier crede

21. DICIT JESUS : MULIER CREDE MIHI. Rem enim incredibilem

tam Judæis quàm Samaritanis prædicebat, quæ fide percipienda erat: QUIA VENIT HORA, id est, in propinquo tempus ad est, QUANDO NEQUE IN MONTE HOC, NEQUE IN JEROSOLYMIS ADORABITIS PATREM, id est, neutri, imò nulli certo loco adstringemini. Non enim vult adorationem ab illis locis excludere, sed à locis determinatis absolvere: significans consequenter, totam illam quæstionem jamjam fore supervacaneam, eo quòd lex nova & cultus novus promulgandus esset, qui nec Jerosolymam, nec Garisim postularet. Mox tamen, quantùm ad præsentem cultum, præfert Judæos Samaritanis.

mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.

22. VOS ADORATIS QUOD NESCITIS; quod inverso modo dici posset: *Vos nescitis, quod adoratis.* Nam & cum Deo vero Deos Gentium colebant, ut est 4. Reg. 17. vers. 33. & proinde non Deum verum, qui non nisi unus est, colebant. Non enim ritu ex lege præscripto, sed humanitùs adinvento adorabant Deum, ut ibidem patet v. 34. Nos, Judæi, ex quorum persona loquitur, ADORAMUS QUOD SCIMUS, Deum scilicet verum, loco divinitùs præscripto, ritu legitimo, QUIA SALUS, id est, Christus salutis auctor, EX JUDÆIS EST, quia Judæis seu tribui Judæ promissus, & inde natus est. Quomodo exponit & S. Leo Epist. 72. Cyrill. & alii. Datur itaque ratio, cur Judæi adorarent quod scirent, nempe quia indignum erat, ut Christus, auctor salutis, humano generi nasceretur ex gente, cui non constaret Dei cognitio, & verus cultus ejus: ne alioqui & ipse putaretur vel magister, vel discipulus erroris. Cùm ergò hanc brevem sententiam interjecisset, perficit sensum vers. 21. inchoatum.

22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est.

23. SED VENIT HORA, ET NUNC EST, quia adventu Christi patefacto, jamjam imminebat, QUANDO VERI ADORATORES (per quos omnium Interpretum judicio, Christianos intelligit, quia verum Deum vero & per se desideratio cultu colent,) ADORABUNT PATREM, id est, externo ritu etiam sacrificabunt Deo. Nam de vero sacrificio & loco ejus, Samaritana interrogaverat. Cùm ergò Christus eodem verbo *Adorandi* utatur, justa & digna præscriptio est, ut ad sensum interrogantis pertineat sensus respondentis, ut ait Tertull. 4. contra Marcionem cap. 38. IN SPIRITU ET VERITATE. Quæ verba duobus modis legitimè intelligi possunt. Primò, ut spiritus opponatur carni, & veritas figuris: & ita per utramque particulam, sacrificium novi Testamenti, totúsque cultus Christianus opponetur Judaïco. Primò, quia Judaïcus, ut talis, seu ut veteris Testamenti, erat carnalis, consistens in ablutionibus & sacrificiis carnalibus, bonáque spectans carnalia. Nam si quid spiritûs ei conjunctum erat, hoc tradebat ex novo Testamento. Secundò, omnia illa sacrificia erant typica, id est, figuræ rerum futurarum. Sacrificium verò Christianorum, quamvis etiam externum sit, præcipuè tamen spirituale est. Nam quòd ibi exteriùs apparet, minùs præcipuum est: præcipuum verò, ex parte objecti, est id, quod fide creditur, seu Christus ipse, qui offertur; ex parte sacrificantis, sunt spirituales actus fidei & charitatis, & invisibilis consecratio, ut meritò dicatur cultus iste esse in Spiritu & veritate. Quo sensu hæc exponunt Cyrill. libr. 2. cap. 93. & Chrysostom. & Euthymius in hunc locum. Alter exponendi modus est, quem etiam tradit D. Thom. in Joannem

23. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabũt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

& Theophil. ut adoratio in ſpiritu ſit Chriſtianorum, ut opponatur cultui Judaïco, qui, ut diximus, totus erat corporalis & carnalis: adoratio in veritate cultui Samaritano, qui ſmultis falſitatibus & erroribus admixtus erat. Et ita neutro modo cultus externus, ſeu ſacrificium externum excluditur ab adoratione in ſpiritu & veritate, ſicut hæretici volunt. Nam etiam quod in ſacrificio Chriſtianorum externum eſt, non per ſe Deo placet, ſed quatenus ab interna, & ſpirituali, & verâ pietate proficiſcitur. Unde etiam de ipſo ſacrificio crucis dicit Apoſtolus ad Hebræos 9. verſu 14. quòd per Spiritum ſanctum Chriſtus ſeipſum obtulit immaculatum Deo. Patet ergò poſſe planè ſacrificium eſſe externum, & tamen ſimul in ſpiritu. NAM ET PATER TALES QUÆRIT QUI ADORENT EUM, id eſt: nam Deus omnium Pater tales quærit adoratores, qui ſcilicet in ſpiritu & veritate eum adorent. Quòd ſi tales quærit, cur ergò, inquies, cultum Judaïcum tam carnalem & umbraticum inſtituit? Cur bona tantùm carnalia promiſit? Reſpondetur, Rudi & carnali populo, & carnalibus bonis addictiſſimo, ad tempus correptionis cultum illum aptavit, ut ad fidem Chriſti, verúmque cultum, & vera bona à Deo expetenda erudiretur.

24. Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.

24. SPIRITUS EST DEUS: Syrus addit cauſalem, *enim*, quæ ſubaudiri debet: datur enim ratio, cur tales adoratores Deus quærat, quia ſcilicet Deus eſt, ſpiritus purus, & incorporeus, & ideò, EOS, QUI ADORANT EUM, IN SPIRITU ET VERITATE, OPORTET ADORARE; ut ita ſit proportio inter adorationem & adoratum. Deus enim cùm ſpiritus ſit, delectatur hoſtiis ſpiritualibus, & veritas hoſtiis non typicis aut mendacibus, ſed veris, quia tales hoſtiæ per ſe placent. Unde Tertull. lib. De orat. cap. 10. Debet eſſe oratio de tali ſpiritu miſſa, qualis eſt ſpiritus ad quem mittitur: neque enim agnoſci poterit à Spiritu ſancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis à læto, aut impeditus à libero. Nemo adverſarium recipit, nemo niſi comparem ſuum admittit.

25. Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit (qui dicitur Chriſtus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

25. DICIT EI MULIER, cùm verba non omninò aſſequeretur, nec ſolutam quæſtionem putaret: SCIO QUIA MESSIAS VENIT. Præſentis temporis eſt, pro venire debet, ſeu brevi venturus eſt, ut reſpiciat ad Chriſti verba, verſu 21. Nam Samaritani recipiebant Pentateuchum, ubi Chriſti adventus prophetatur, & rumor tunc erat popularis de adventu Meſſiæ. CUM ERGO VENERIT ILLE, NOBIS ANNUNTIABIT OMNIA, de loco & ritu adorationis, ſopitâ omni inter nos contentione.

26. Dicit ei Jeſus: Ego ſum, qui loquor tecum.

26. DICIT EI JESUS: EGO SUM, ſcilicet Meſſias, ego, inquam, QUI LOQUOR TECUM: q. d. Oportet ergò te hæſitationem tuam ſolvere, mihique docenti credere. Et his dictis,

27. Et continuo venerunt diſcipuli ejus: & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea.

27. CONTINUO VENERUNT DISCIPULI, ex Sichar, emptis cibis, ET MIRABANTUR, tantam ſcilicet humanitatem, QUIA CUM MULIERE LOQUEBATUR, Samaritanâ, & tam abjectâ, prout exponit Cyrill. & Chryſoſt. Unde & Auguſt. Bonum mirabantur, non malum ſuſpicabantur. Quamvis expoſitio Cypriani lib. De ſingularitate Clericorum, non inconcinna videatur, miratos fuiſſe, quòd non cum hac vel alia quapam, ſed ſicuti verba ſonant, *cum muliere loquebatur*, cum extranea & ſine arbitris; hoc enim videtur fuiſſe ei inſolitum. Cùm ergò ſoleant admirantes cauſam rei quærere, NEMO TAMEN DIXIT: QUID QUÆRIS, ex illa,

illa, AUT QUID LOQUERIS CUM EA, eo quòd tantâ essent erga magistrum reverentiâ, ut non dubitarent rectè ab ipso fieri, quidquid fieret.

28. RELIQUIT ERGO, quia scilicet audiverat, & crediderat eum esse Messiam, ut notat hîc Augustus. Stupefacta igitur admiratione, & incensa ardore fidei, RELIQUIT HYDRIAM SUAM, omni curâ rei familiaris abjectâ, ET ABIIT IN CIVITATEM, ut Messiam, quem invenerat, aliis evangelizaret, ut Augustus. In quo elucet exemplum hominis verè conversi, ac divinitùs inspirati. Itaque dixit:

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in civitatem, & dicit illis hominibus:

29. VENITE ET VIDETE HOMINEM, QUI DIXIT MIHI OMNIA, QUÆCUMQUE FECI, etiam occultissima. Quo modo loquendi usa est, vel quia plura Christus ei dixisset, quàm hîc scripta sint, vel quia dixerit ei id, quod in ejus vita præcipuum erat; unde nihil dubitabat, quin nosset & reliqua. Ità præparat auditores ad fidem, inquit Cyrill. NUMQUID IPSE EST CHRISTUS? Non dubitans, sed dubitantis modo loquitur, ne de re tanta imperita & infamis præjudicare videretur, eóque vehementiùs traheret, quòminùs præ se ferebat hoc velle. Cùm autem discipuli itinere, æstu, jejunio fatigatum ad comedendum invitassent.

29. Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus?

30. Exierunt ergo de civitate, & veniebát ad eum.

31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca.

32. DICIT EIS: EGO CIBUM HABEO MANDUCARE, id est, me oportet alium cibum manducare. Cujusmodi phrasi Græca dicitur & alibi, *Baptismo habeo baptizari*, pro, oportet me meo perfundi sanguine. QUEM VOS NESCITIS, quæ verba cum intelligerent de vulgari cibo, sicut mulier de vulgari aqua, explicat eis Jesus, non per circuitum sicut mulieri; sed apertè.

32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

34. MEUS CIBUS, quo scilicet mens mea instar cibi reficitur, sustentatur, delectatur: nam, ut Psal. 18. *Judicia Dei desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multùm, & dulciora super mel & favum*, UT FACIAM VOLUNTATEM EIUS, QUI MISIT ME, idque tantâ instantiâ, UT PERFICIAM, seu omni ex parte consummem, OPUS EIUS, ab eo mihi impositum. Hoc autem opus erat, hominum salutem procurare exemplo & merito, prædicatione & passione. Hîc propriè de doctrina & prædicatione sermo est. Nimirum docet exemplo suo, discipulos Magistros orbis futuros, & Pastores ejus, ut hominum salutem proprii corporis commodis præferant, ut observat Cyrillus.

34. Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.

35. NONNE VOS DICITIS, QUOD ADHUC QUATUOR MENSES SUNT, ET MESSIS VENIT? id est, Nonne quatuor mensibus adhuc abest messis? q. d. maximè constat. Ex quo colligas, hæc dicta esse circa mensem Februarium, vel finem Januarii, cùm messis incideret in mensem circiter Maium, utpote inter Pascha & Pentecosten, ut patet Levit. 23. ECCE DICO VOBIS. Correctio est, pro, *sed ego dico vobis*: LEVATE OCULOS VESTROS, sive mentis, sive corporis: nam respicit partim ad Judæos, Legis & Prophetarum lectione præparatos ad fidem; partim ad propinquam Samaritanorum adventantium conversionem. ET VIDETE REGIONES, QUIA ALBÆ SUNT IAM AD MESSEM, maturæ scilicet instar spicarum flavescentium, quæ Evangelii prædicatione veluti falce demetantur, & in Ecclesiam transferantur: q. d. inquit Augustus. Vos quatuor menses computatis ad messem usque, ego messem aliam albam, & maturam, & paratam vobis ostendo.

35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat & qui metit.

36. ET QUI METIT, Prædicator scilicet Evangelii, ille non gratis laborat, sed MERCEDEM ACCIPIT, id est, accipiet à Domino messis, suo tempore, scilicet vitam æternam. Neque hoc tantùm, sed ET CONGREGAT FRUCTUM, quem demessuit, homines scilicet conversos; idque non in horreum corporale, sed IN VITAM ÆTERNAM, hoc est, duplici gaudio perfruetur, & essentiali & accidentali, quia salutem & suam lucrabitur, & aliorum, UT, isto modo, ET QUI SEMINAT SIMUL GAUDEAT, ET QUI METIT, hoc est, & satores & messores. Satores autem sunt Moyses & Prophetæ, teste Augustin. utpote qui gentem Judaïcam præseminaverant & excoluerant.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis.

37. IN HOC ENIM EST VERBUM TUUM, id est, eatenus namque est verum illud tritum proverbium, quo vulgò dicitur, ALIUS EST QUI SEMINAT, ET ALIUS EST QUI METIT, ad significandum alium laborasse, & alium ejus laboribus frui. Accommodat enim illud Christus ad Prophetas, & ad Apostolos sequenti versu. Videlicet quia

38. EGO MISI VOS METERE, in Judæa, dixerat enim jam eis, *Ite ad oves, quæ perierunt, domus Israël*: QUOD VOS NON LABORASTIS: quod exponit, quia ALII LABORAVERUNT, Moyses, Patriarchæ, & Prophetæ, quia præfiguraverunt fidem nostram, & disseminaverunt in terra adventum Filii Dei, ut Augustin. & Iren. libr. 4. cap. 40. rudemque populum ad aliquam disciplinam redegerunt, in quo maximè labor fuit: ET VOS IN LABORES EORUM INTROISTIS, id est, quod illorum labore creverat, messuistis: in quo minùs laboris, plus voluptatis, ut Chrysost. Nam ille cultus prævius Legis & Prophetarum causa fuit, ut eunuchus ille Act. 8. facillimè in curru Philippo crederet, & juxtà Iren. & Augustin. ut subitò tot millia Judæorum res omnes suas venditas ad pedes Apostolorum posuerint, quod in Gentibus non fiebat. Undè Iren. ibidem cap. 41. notat, ideò Paulum dicere, *Plus omnibus laboravi*, quia in Gentibus prædicavit, indisciplinatis, rudissimis, vaticinia Prophetarum & Scripturas ignorantibus, quibus in prædicando juvari potuisset.

39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.

40. Cùm venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.

41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus.

39. EX CIVITATE ISTA MULTI CREDIDERUNT PROPTER VERBUM MULIERIS, &c. Cui verisimile est addidisse mulierem, quòd se dixisset Christum esse. Nam alioqui ex secretorum revelatione tantùm sequebatur, Prophetam esse. Cùm verò postea plures credidissent, dixerunt mulieri:

42. Et mulieri dicebant: Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè Salvator mundi.

42. QUIA IAM NON PROPTER TUAM LOQUELAM CREDIMUS, id est, non propter illam tantùm. Non enim significant se fidem priorem abjecisse, sed auxisse; tacita quippe latet in verbis comparatio. IPSI ENIM AUDIVIMUS, ex ore ejus, scilicet id, quod sequitur: ET ideò etiam indubitanter credendo, SCIMUS, QUIA HIC EST VERE SALVATOR, non Israëlis tantùm, sed MUNDI totius. Credendo autem Salvatorem mundi, consequenter credebant mundum indigere salvatione, & proinde peccato perditum esse.

43. Post duos autem dies exiit inde: & abiit in Galilæam.

44. Post duos dies exiit inde, ex Sichar Samaritanorum, et abiit in Galilæam perambulaturus scilicet provinciam aliquam, præteritâ patriâ suâ Nazareth, quamvis esset in Galilæa. Nam illius ratio subjungitur: quia Propheta in patria sua honorem non habet: de quo diximus Matth. 13. v. 57.

44. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit, quia Propheta in sua patria honorem non habet.

45. Cum ergo veniisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum.

46. Et erat quidam Regulus, Græcè nunc est βασιλικός, *Regius*, Regii generis vel dignitatis, ut vult Chrysost. vel potiùs de aula Regia, scilicet Herodis, q. d. quidam Aulicus, vult Palatinus, ut Hieron. in v. Is. 65. Isaiæ. Noster videtur legisse βασιλικος, id est, *Regulus*: nam inter Regulum & Regium Græcè non est differentia, nisi unius litteræ. Sensus enim in idem redit, fuisse scilicet Præfectum aliquem Regium sub Herode Antipa, qui subinde Rex, subinde Tetrarcha Galilææ dicitur. Hic ergò famâ excitatus.

46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaüm.

47. Abiit ad eum, in occursum ejus jam adventantis circà fines Galilææ: et rogabat eum, ut descenderet, et sanaret, &c. incipiebat enim mori. Nam putabat Dominum arte curare: ars verò postulat medici præsentiam ad explorandum ægroti statum, idque antequam moriatur; nam post mortem, nullum artis remedium. Unde & vers. 49. urget, ut festinet, antequam moreretur. Tales erant & illi, qui Marci 5. vers. 35. dicebant Archisynagogo: *Filia tua mortua est, quid ultrà vexas Magistrum?* id est, artificem seu medicum.

47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus, incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Quibus verbis reprehendit, vel incredulitatem Reguli, vel imperfectionem fidei ejus, quam verbis suis expresserat? tacitè opponens eum, cæterósque Judæos Samaritanis, qui tam facilè nullis visis prodigiis aut signis, crediderant. Nam duritiæ Judaïcæ proprium fuit, signa petere, teste Apostolo, & ad Corinth. 1. vers. 22. *Quoniam & Judæi signa petunt. Signa* autem & *Prodigia* in Scripturis ferè pro iisdem usurpantur.

48. Dixit ergo Jesus: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.

49. Dicit ad eum Regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus: Vade, id est, nihil opus est, ut descendam ego tecum, quia Filius tuus vivit, id est, sanus & incolumis est, depulso morbi & periculo & initio. Itaque idem sermo Christi erat & prophetia de re absente, & imperium sanitatis. Erat enim propositio operatoria, efficiens id, quod enuntiat, qualis est illa; *Hoc est corpus meum.* Nam utraque designat rem in facto esse, quæ præsupponit fieri. Credidit homo, non dicit in Jesum, sed sermoni, quem dixit ei Jesus, illum scilicet esse verum, quòd viveret filius; quocumque modo hoc contigisset, sive naturaliter Christo rem revelante, sive supernaturaliter ipso faciente. Sed posteà, cùm intellexisset, quòd eâdem horâ febris eum reliquisset, quâ Christus hoc dixerat, videlicet horâ septima, quæ est hora prima post meridiem.

50. Dicit ei Jesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, & ibat.

51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei & nuntiaverũt dicẽtes, quia filius ejus viveret.

52. Interrogabat ergo horâ ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerũt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris.

53. Credidit ipse, videlicet absolutè Jesum esse Christum Filium Dei. Hoc enim est totius fidei principium ac fundamentum, dicente Evangelista c. 20. v. ult. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei.*

53. Cognovit ergo pater, quia illa

hora erat, in qua dixit ei Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota.

54. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset à Judæa in Galilæam.

54. HOC ITERUM SECUNDUM SIGNUM FECIT JESUS, CUM VENISSET, &c. Hyperbaton est: nam illud *iterùm* non est jungendum cum *secundùm*, sed cum *venisset*, hoc sensit: *Hoc secundum signum fecit, cùm iterùm*, secunda vice, *venisset in Galilæam*. Nam primò in Galilæam veniens, mutaverat aquam in vinum, idque in Cana, nunc secundò veniens, fecit secundum miraculum, sanans Reguli filium, idque in eadem Cana Galilææ, prout colligitur ex v. 46. prout etiam sentire videtur August. lib. 4. de consensu, c. 10.

CAPUT V. — CAPUT QUINTUM.

1. Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam.

1. POST HÆC ERAT DIES FESTUS JUDÆORUM, Paschа scilicet, ut sentit Iren. libr. 2. cap. 39. idque secundum à baptismo Christi; quamvis Chrysost. & Cyril. putent fuisse Pentecosten: ET ASCENDIT JESUS JEROSOLYMAM, juxtà Legem, idque secunda vice post baptismum, ut idem Irenæus.

2. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraïcè Bethsaïda, quinque porticus habens.

3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.

2. EST AUTEM JEROSOLYMIS PROBATICA PISCINA, quasi diceres, pecularia piscina, sive quòd ad portam pecoris, seu gregis esset sita, de qua mentio est 2. Esdræ 3. vers. 1. sive quòd lavandis pecoribus & hostiis serviret, ut vult Hieron. de locis Hebraïcis. *Piscina* autem propriè est lacus pisces continens, quod Vivarium dicimus; sed transfertur ad amplas congregationes aquarum, & si piscibus careant, sive serviant nationi, sive aliis usibus. Unde Græcè est hîc κολυμβήθρα, *Lavacrum*, seu *Natatoria*, ut vertitur c. 9. v. 7. QUÆ COGNOMINATUR HEBRAICE, id est, illo idiomate, quo tunc Hebræi utebantur, quod erat Syro-chaldaïcum, BETHSAIDA quod significat *domum piscationis*, ut ita cum *Piscina* conveniat. Sed Græcè legitur Βηθεσδὰ *Bethsedà*, quod ab Hieron. & Interprete Arabe exponitur, *domus misericordiæ*, sicut & Hebraïcè sonat, propter misericordiam scilicet Dei sanantis ægros in piscina. QUINQUE PORTICUS HABENS, in circuitu suo, quæ ambulandi causa extra pluviam ædificari solent. Serviebant autem ad recipiendos ægros, qui sanitatis causa illic expectabant, sicut patet ex vers. 5.

4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam: & movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinâ post motionem aquæ, sanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

4. ANGELUS AUTEM DOMINI DESCENDEBAT SECUNDUM TEMPUS, Deo cognitum, hominibus incertum. Nulla enim fuisset causa ibi continuò hærendi in porticu, si certis temporibus, sive Pentecostes, ut Cyril. sive in Kalendis, sive aliis festis determinatis, Angelus in piscinam descendisset: ET MOVEBATUR AQUA, Græcè, ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ, *turbabat aquam* Angelus, strepitu scilicet excitato, ut esset signum, Angelum descendisse. Quod notat Cyril. & Ambros. lib. de iis, qui initiantur cap. 4. Ex quo etiam intelligi datur, virtutem illam sanandi divinitùs aquis inditam fuisse, cùm Angelus movebat aquam. Nihil enim pertinet ad naturalem vim sanandi, & quidem quamcumque infirmitatem, aquæ motus, & ab Angelo factus. Similiter si tanta vis fluxisset ab hostiis in piscina lotis, vel à ligno, unde crux fabricata est, in piscinæ fundo posita, ut aliqui fabulantur; fuisset perpetua, nec opus fuisset aquæ motu. ET QUI PRIOR DESCENDISSET IN PISCINAM, &c. tam-

quam diligentior. Quo innuit, quòd si postea quis venisset, non sanaretur, ut August. notat. Et hoc virtutis non naturalis, sed inditæ à Deo signum: qui ipsa beneficii raritate voluit illud reddere commendatius, tamquam verè miraculosum.

5. Erat autem quidam homo tringinta & octo annos habens in infirmitate sua.

5. ERAT AUTEM QUIDAM HOMO TRIGINTA ET OCTO ANNOS HABENS IN INFIRMITATE SUA, & proinde infirmitatis incurabilis, ac desperatæ. Non tamen significatur eum, tamdiu in porticibus jacuisse. Paralysin fuisse suadet v. 7. & 8. Hunc ergò rogavit Jesus:

6. Vis sanus fieri?

6. VIS SANUS FIERI? Non quasi de hoc dubitari posset, sed ut excitaret eum in actuale desiderium, & spem sanitatis, & ita attentus fieret ad miraculum, & miraculi auctorem. Nam hoc dicendo tacitè insinuabat, se in sua potestate habere aliquem sanandi modum. Unde similiter æger exponendo miseriam suam, HOMINEM NON HABEO, &c. tacitè invocabat opem Christi. Quapropter dicit ei:

7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, alius ante me descendit.

8. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

8. SURGE, ita imperat, ut vires conferat. Non enim operis imperium tantùm fuit, sed operatio sanitatis, inquit August. unde statim effectus secutus est. Et quia sabbati dies erat, dicebant ei Judæi:

9 Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

10. Dicebant ergo Judæi illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

10. NON LICET TIBI TOLLERE GRABATUM TUUM, id est, ferre lectum tuum, quo ferebaris, quia videbatur contra Legem, Jerem. 17. v. 21. *Nolite portare pondera in die sabbati.* Quod & Nehemias, 2. Esdræ 13. vers. 15. se prohibuisse testatur. Cùm autem rectè monere viderentur.

11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

11. RESPONDIT EIS: QUI ME SANUM FECIT, ILLE MIHI DIXIT, &c. id est, non sponte feci, sed illius mandato cessi, cui tam pertinax morbus momento cesserat: q. d. religioni sibi fuisse, præcepto tantæ virtutis non obedire, & grabbati portatione mirabile Dei opus in se ostendere, non tam violando quàm sacrando sabbatum.

12. Interrogaverunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabatum tuum, & ambula?

12. Illi verò repleti insipientiâ, INTERROGAVERUNT EUM; non quis eum sanum fecisset: nam ex hoc intellexissent eum esse, qui fecit sabbatum. & proinde dispensare posse in Lege sabbati: sed QUIS EST ILLE HOMO? tantæ scilicet præsumptionis, ut non obstante Lege, DIXERIT TIBI: TOLLE GRABATUM, &c. Tam scilicet superstitiosè addicti erant externæ ceremoniæ, ut nullo casu observationem ejus prætermitti posse crederent, zelo quodam Legis, sed non secundùm scientiam.

13. Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset, Jesus enim declinavit à turba constituta in loco.

13. IS AUTEM, &c. NESCIEBAT QUIS ESSET, ut quem neque nomine sciret, nec antè vidisset, neque monstrare præsentem posset. JESUS ENIM DECLINAVIT A TURBA CONSTITUTA IN LOCO, prope sanatum: idque ne præsentiâ suâ, vel laudem popularem quærere videretur, vel iram invidorum magis exasperaret, prout notat illud quidem Ambros. hoc verò Cyril.

14. Postea invenit eum Jesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus

14. POSTEA, cùm jam & miraculi rumor, & Judæorum tumor defecisset, INVENIT EUM JESUS IN TEMPLO, gratias videlicet agentem Deo, pro præstito beneficio, ET DIXIT ILLI: ECCE SANUS FACTUS ES, JAM

factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

NOLI PECCARE, Græcè μηκέτι ἁμάρτανε, *ne amplius pecces.* Quibus verbis significat, & se conscium esse vitæ ipsius præteritæ, & propter ejus peccata morbum accidisse, ut Aug. lib. de fide & operibus cap. 20. NE DETERIUS TIBI ALIQUID CONTINGAT. Peccata enim iterata propter ingratitudinem, majorem pœnam accersunt. Itaque tum beneficii accepti memoriâ, tum futurorum malorum metu, eum in sanitate confirmat.

15. Abiit ille homo, & nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

15. ABIIT ILLE HOMO, ET NUNTIAVIT JUDÆIS, QUIA JESUS ESSET, quo nomine jam palam innotuerat, QUI FECIT EUM SANUM. Dixit autem hoc, non ut proderet, sed ut benefactorem gratus divulgaret.

16. Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.

16. PROPTEREA, id est, propter hunc prætextum soluti sabbati, PERSEQUEBANTUR EUM, ad mortem, ut patet ex v. 18. Vera autem causa erat invidia.

17. Jesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor.

17. JESUS AUTEM RESPONDIT: PATER MEUS USQUE MODO OPERATUR, id est, à mundo condito ad hunc usque diem, nullo sabbati discrimine, operatur. Continuationem enim quamdam ostendit operis ejus, quo universam creaturam continet & administrat, inquit August. 4. de Genes. cap. 12. Itaque tacitè indicat, eos non intelligere, quomodò Deus dicatur requievisse die sabbati: nempe sic ut jam novam naturam ulteriùs nullam conderet, non autem ut, quod condiderat, continere & gubernare cessaret. ET EGO OPEROR. Utrobique supplenda est vocula similitudinis: q. d. *Sicut Pater meus usque modò operatur, ita & ego operor*, id est, usque modo disponens, ac regens cum eo cuncta, nulla sabbati ratione habita. Ex quo intelligendum relinquit, se Deum esse, & auctorem sabbati; & nihil mirandum, si etiam hoc unum opus in sabbato fecisset, & grabatum portare in sabbato jussisset. Hinc ergò magis exacerbati.

18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solum solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, & dixit eis:

18. MAGIS QUÆREBANT EUM JUDÆI, seu Principes Judæorum, INTERFICERE: QUIA NON SOLUM SOLVEBAT SABBATUM, juxtà eorum opinionem, SED ET PATREM SUUM DICEBAT DEUM, longè scilicet alio modo, inquit August. quàm homines, qui etiam Patrem Deum invocabant inter Judæos. Naturâ igitur, non adoptione intelligebant ab eo dici Patrem suum Deum: ÆQUALEM SE FACIENS DEO, id est, quandoquidem æqualem se faciebat Deo. Quo significatur eos inde collegisse, quòd Patrem suum naturalem, Deum diceret, quia æquabat se Deo, non verbo scilicet solo, sed operibus asserendo sibi perpetuam administrandi mundi potestatem eamdem cum Patre, prout observat Chrysost. Nam ista verba, *& ego operor*, indicant & personarum distinctionem, & earum æqualitatem in auctoritate, & operatione.

19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter fa cit

19. RESPONDIT ITAQUE JESUS, uberiùs declaraturus verba, quibus offensi fuerant: NON POTEST FILIUS A SE FACERE QUIDQUAM, NISI QUOD VIDERIT PATREM FACIENTEM, id est, Filius nihil omninò à se ipso potest facere, sed hoc tantummodò, quod videt Patrem non fecisse, sed facere: ita significans se filium Dei accipere à Patre, quemadmodum naturam, ita etiam scientiam faciendi, non aliud quippiam, sed idem omninò numero opus, quod facit Pater. Ut proinde non indicetur hîc imitatio, sed simultanea utriusque operatio: atque ita

consequenter intelligant se accusari non debere de sabbato violato, nisi & Pater accusetur, inquit Cyril. q. d. Ego numquam curassem paralyticum istum in sabbato, nisi vidissem hoc Patrem facere : QUÆCUMQUE ENIM ILLE FECERIT, circa creaturas, HÆC ET FILIUS SIMILITER FACIT, id est, non alia, sed hæc eadem numero, non dissimiliter, sed similiter facit, ut inquit Augustinus. proinde pari majestate, potentia, scientia, auctoritate. Nec illa verba, *Non potest Filius*, inferunt imbecillitatem in Filio, quia similiter Pater facere non potest sine Filio. Unde istud, *Non posse*, quandò tribuitur Deo, est naturalis perfectionis atque virtutis, à qua recedere non magis potest, quàm à natura sua, juxtà illud Apostoli, *Negare seipsum non potest*. Unde Augustinus contrà sermonem Arianorum cap. 14. Non deficienter Filius non potest, sed potenter: non enim deficientis est, sed in eo, quòd de Patre natus est, permanentis.

20. PATER ENIM DILIGIT FILIUM, amore infinito, quantùm diligi potest : ac proinde vult ei omne bonum, & consequenter OMNIA DEMONSTRAT EI, QUÆ IPSE FACIT, id est, communicat ei omnem scientiam faciendi quidquid ipsemet facit. Illud enim *demonstrare Patris*, est generare ipsius, & ipsum *videre Filii*, est nasci, quia nascendo videt, inquit Augustinus Tract. 21. Nam ipsa visio est Filius, & ipsa scientia & sapientia Patris est Filius : ET MAIORA HIS, scilicet sanatione paralytici, DEMONSTRABIT EI OPERA. Non quasi antea non demonstrasset, sed humano more per futurum loquitur, quia de futuro opere sermo est. Et reverà, quia demonstratio illa æterna est, & non minùs futurum, quàm præsens & præteritum de illa enuntiari potest. Sicut enim semper Pater Filium generat, & generavit, & generabit, & Filius semper nascitur, natus, ac nasciturus est ; ita Pater Filio semper, demonstrat, demonstravit, ac demonstrabit. UT VOS MIREMINI, etiam incredduli & refractarii, ut pater infrà, c. 9. vers. 32. & cap. 11. vers. 48. Explicans autem, quænam sint illa opera majora addit :

20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit : & majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.

21. SICUT ENIM PATER SUSCITAT MORTUOS, ET VIVIFICAT, id est, sicut Pater potestatem habet suscitandi, & vitæ restituendi, tempus enim præsens, quo nititur, perpetuitatem quamdam significat : SIC ET FILIUS VIVIFICAT, seu potestatem habet revocandi ad vitam, QUOS VULT. Quo significatur æqualitas, non tantùm potestatis, sed etiam libertatis, ne Filius non putetur sua electione, sed aliena, velut minister Patris demonstrantis operari, ut Augustinus. Eosdem enim vivificat Pater & Filius eadem potestate, eadem voluntate.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat : sic & Filius, quos vult, vivificat.

22. NEQUE ENIM PATER IUDICAT QUEMQUAM. Videtur esse alia probatio, versus 20. majorum scilicet operum, quæ Pater Filio demonstrabit, ex quibus appareat esse Deus, nempe quia cùm judicium orbis terrarum in æquitate sit maximè proprium Deo, tamen PATER NON IUDICAT, seu judicabit, QUEMQUAM, per suæ præsentiæ manifestationem : SED OMNE IUDICIUM DEDIT FILIO, ut tamquam Judex omnibus appareat, & judicium secundùm visibilem Judicis majestatem, & exteriorem judicii formam exerceat. Non tamen propterea desinet tam Pater, quàm Spiritus sanctus, occulta secundùm divinitatem judicio unà cùm Filio, & per adventum Filii hominis judi-

22. Neque enim Pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio.

care, ut August. 10. de Civit. cap. 30. & lib. 1. de Trinit. cap. Ubi sic explicat, quasi dixisset: Patrem nemo videbit in judicio, sed omnes Filium.

23. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

23. UT OMNES HONORIFICENT FILIUM, carne vestitum, SICUT HONORIFICANT PATREM, æquali scilicet honore ac veneratione: ut qui tunc Patri apparebit æqualis. Cùm enim Judici honor debeatur, dies etiam judicii in Scripturis celebratur, ut dies gloriæ & majestatis Jesu. QUI NON HONORIFICAT FILIUM, NON HONORIFICAT PATREM, quia ut eadem natura & majestas utriusque, ita & honor esse debet. Unde in primis contumelia Filii cadit in Patrem, QUI MISIT ILLUM, non ut servum, sed ut Filium suum, per quem honoratur ab hominibus. Itaque tacitè perstringit Judæos, à quibus contumeliosè tractabatur Filius, cujus Patrem honorare videbantur. Mox autem adjicit, quis fructus sequatur eos, qui utrumque honorificaverint,

24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbũ meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed transit à morte in vitam.

24. QUI VERBUM MEUM AUDIT, fide excipiendo, & moribus obediendo doctrinæ meæ: hoc est enim verè audire, obedire: ET CREDIT EI QUI MISIT ME, tamquam Filium suum, per quem homines doceri voluit (Filio autem docenti credi non potest, nisi simul credatur Patri qui eum se misisse testatus est:). HABET VITAM ÆTERNAM, id est, eam suo tempore certissimè habiturus est. Quod per antithesin Hebræis familiarem declarat: ET IN IUDICIUM NON VENIT, id est, in damnationem non incidit, inquit Augustinus. Unde ipse legit, *non venies*. De qua sententia vide suprà cap. 3. vers. 18. SED TRANSIT A MORTE AD VITAM. Quod Præteritum similiter multi pro futuro positum esse volunt, propter rei certitudinem: atque ita erit repetitio sententiæ præcedentis, & *mors* intelligetur æterna in pœnis, eo quòd nulla major & pejor sit mors, quam ubi non moritur mors, ut August. lib. 6. de Civit. cap. 12. In Commentario tamen hujus loci intelligit transitum à morte infidelitatis ad vitam justitiæ fidei, Et sic dabitur ratio, cur in judicium, seu damnationem non sit venturus, quia scilicet hîc fide justificatus fuit. Itaque consequenter addit.

25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nũc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint, vivent.

25. AMEN, AMEN DICO VOBIS, QUIA VENIT HORA, ET NUNC EST. Quo indicat se de præsenti tempore loqui. Unde id, quod sequitur, QUANDO MORTUI, Chrysost. cum suis exponit de mortuis, quos Christus paulò pòst in vitam revocavit ante passionem; Augustinus verò de mortuis spiritu, qui AUDIENT VOCEM FILII DEI, per gratiam intùs loquentis ad eos; ET QUI AUDIERINT, VIVENT. Non addit, *si voluerint*, sed absolutè *vivent*, quia vox illa infallibiliter frangit duritiam cordis, & facit vivere. Idèò quippe se audiri facit, ut duritia cordis primitùs auferatur.

26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.

26. SICUT ENIM PATER HABET VITAM IN SEMETIPSO, ita scilicet ut vivere suum in illo sit, & non alibunde participatum à vita, quæ non sit ipse; sed ita eam habet in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse, inquit August. Tract. 19. SIC DEDIT ET FILIO, per æternam generationem, HABERE VITAM IN SEMETIPSO: non ut participando habeat vitam, sicut lucerna habet lucem, & anima sapientiam; sed sic, ut ipse sit ipsa vita. Quasi proinde diceret, inquit August. ibid. Pater genuit Filium, qui nascendo vita est, sicut Pater est vita gignendo.

27. ET

27. ET POTESTATEM, seu auctoritatem, DEDIT EI, tamquam Filio hominis, JUDICIUM, generale & novissimum, visibili formâ, FACERE; idque ideò, QUIA FILIUS HOMINIS EST, id est, quia præterquam quòd idem Deus, simul tamen etiam homo est. Nam, ut August. rectum est, ut judicandi suum Judicem videant. Et quia judicandi sunt boni & mali, formâ servi videbitur à bonis & malis, forma Dei solis servabitur bonis.

27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est.

28. NOLITE MIRARI HOC, tamquam videlicet incredibile esset id, quod de spirituali vivificatione, & judicandi potestate dixi, QUIA VENIT, id est, adventat, HORA. Non addit, *& nunc est*, sicuti antea dixerat, quia loquitur hîc de resurrectione novissima, quæ in fine sæculi futura est, ut notat August. IN QUA OMNES, tam justi quàm injusti, QUI IN MONUMENTIS SUNT. Quod non potest intelligi de mortuis tantùm spiritu, sicut vers. 25. sed de mortuis carne, ut intelligit August. Nam, ut Tertull. De resurrect. cap. 57. Monumenta nihil aliud, quàm cadaverum sunt stabula. A majori autem parte intelligit omnes, etiamsi monumentis caruerint. AUDIENT VOCEM FILII DEI, id est, sentient vim & effectum vocis, quæ jussu Filii Dei per Archangelum ad mortuos fiet. Quam vocem Apostolus, *novissimam tubam*, vocat, & aliquod evidentissimum ac præclarissimum adventûs Dominici signum esse, ut alibi ex August. diximus.

28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei.

29. ET PROCEDENT, de abditis suis receptaculis, in quibus mortuorum tam corpora quàm animæ delituerunt, QUI BONA FECERUNT IN RESURRECTIONEM VITÆ, id est, quam vita æterna comitabitur: QUI VERO MALA, IN RESURRECTIONEM IUDICII, id est, damnationis. Ut autem ostenderet judicium illud novissimum justum futurum, addit:

29. Et procedent qui bona fecerũt: in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

30. NON POSSUM EGO, sive ut Filius hominis, sive ut Filius Dei, A MEIPSO FACERE QUIDQUAM, quod non acceperim à Patre, & quod Pater per me non faciat, ne quidem ipsum judicare alios. Sed SICUT AUDIO, à Patre esse judicandum, SIC IUDICO, seu judicabo, & non aliter. Nam ut Deus, non minùs sapientiam quàm naturam à Deo accepit, cui etiam ut homo voluntatem suam conformem facit. ET propterea IUDICIUM MEUM IUSTUM EST, proinde ac si Pater ipse illud pronuntiaret, QUIA NON QUÆRO VOLUNTATEM MEAM, quæ scilicet mihi propria sit, & à voluntate Patris aliena, SED VOLUNTATEM EIUS, QUI MISIT ME: quam tamquam regulam in omnibus sequor, inquit Cyrill. adeóque voluntas illius etiam mea est. Et quia tam magnifica de seipso prædicando, fidem sibi derogare videbatur, præoccupat objectionem.

30. Non possum ego à meipso facere quidquam. Sicut audio, judico: & judicium meum justum est: quia non quæro voluntatẽ meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

31. SI ERGO TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO, quis, qualis, & quantus sim, sine aliis argumentis, TESTIMONIUM MEUM NON EST VERUM, juxtà humanum sensendi modum, id est, non idoneum, non legitimum, aut fide dignum, quia nemo in causa propria idoneus testis est, ut exponit Athanas. contrà Sabellii gregales: non enim, inquit, fide dignum videtur, neque recepti moris est, ut homo de seipso testimonium perhibeat.

31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

32. ALIUS EST, QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE ME, inter homines, scilicet Joannes Baptista; de cœlo verò Deus Pater. Unde utriusque

32. Alius est qui testimonium perhibet de me; &

scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

testimonium statim distinctè profert. ET SCIO, etiam citrà illorum testificationem, QUIA VERUM EST, &c.

33. Vos, proceres Judæorum, ultrò MISISTIS AD JOANNEM, tamquam dignum arbitrati, cui fides adhiberetur: ET TESTIMONIUM PERHIBUIT VERITATI, id est, non amicitiæ, non gratiæ datum, sed ab ipsa veritate expressum, etiam postpositâ propriâ gloriâ, dum & negavit se esse Christum, & asseruit de me, *Ecce agnus Dei, &c.* itémque *Hic est Filius Dei*, Joan. 1. vers. 34.

33. Vos misistis ad Joannem: & testimonium perhibuit veritati.

34. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico ut vos salvi sitis.

34. EGO AUTEM NON AB HOMINE, quantumcumque magno, TESTIMONIUM ACCIPIO, quasi illius indigerem. Quo tacitè significat se super homines esse DEUM, qui seipsum non solùm ipsa sua veritate, sed etiam signis, ac miraculis prodere posset. SED HÆC DICO, de Joannis testimonio, non propter me, sed UT VOS SALVI SITIS, illi saltem credendo, quem vos ipsi vobis tamquam Prophetam & maximæ auctoritatis judicem constituistis. Ne autem testimonium Joannis elevasse videretur, adjungit.

35. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus.

35. ILLE ERAT, non lux quidem, quod Deo proprium est, Joan. 1. sed LUCERNA, ab illo fonte luminis accensa, ARDENS charitate, ET LUCENS doctrinâ, ac sermone: SED VOS VOLUISTIS AD HORAM, id est, ad breve tempus, EXULTARE IN LUCE EIUS, magno cum fervore & gaudio eum recipiendo, atque ad ejus conciones & baptismum accurrendo. Indirectè verò taxat eorum inconstantiam, quòd tam citò ab illo fervore refrixerint, dum vitia eorum perstringeret Joannes, & hominem vulgarem testaretur esse Christum.

36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:

36. EGO AUTEM HABEO TESTIMONIUM MAIUS JOANNE, id est testimonio Joannis, ipsa scilicet opera mea mirabilia, quæ nemo calumniari potest ad gratiam esse facta, sicuti de humanis testimoniis potest. OPERA ENIM TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, id est, clarissimâ voce testantur, QUIA PATER MISIT ME, per incarnationem in mundum. Nimirum quia Christus patrabat ea tamquam à Patre, & cum Patre, & in Patris nomine, & ad hanc ipsam veritatem confirmandam: quibus modis Deus testis falsitatis esse non potest. Ita ferè Cyril. lib. 3. in fine. Præter hæc verò.

37. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis.

37. ET QUI MISIT ME PATER, id est, etiam ipse Pater verus Deus, IPSE TESTIMONIUM PERHIBUIT DE ME. Quod aliqui intelligunt de testimonio per eadem Christi opera, alii de testimonio per Scripturas sacras: aptiùs Chrysost. de testimonio, quod cælitùs in baptismo dedit, dicendo: *Hic est Filius meus dilectus*, &c. NEQUE VOCEM EIUS UMQUAM AUDISTIS, terribilem scilicet, qualis olim in monte Sinaï audita fuit, NEQUE SPECIEM EIUS VIDISTIS, ignem scilicet & lampades, & fulgura. Alludit ad verba Deuter. 18. vers. 16. ubi cùm territus populus diceret, *Ultrà non audiam vocem Domini, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar*; statim subjicit Deus: *Benè omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis*: scilicet Christum, *& ponam verba mea in ore ejus*, &c. quasi diceret hîc Christus: Obtinuistis jam id, quod olim ex timore petistis, ut scilicet non amplius horribilem illam Patris vocem audiretis, nec speciem horribilem videretis: sed non aliis audire Prophetam, quem ipse vobis promisit, & vos audi-

uros ſpopondiſtis. Hoc eſt enim id, quod adjicit:

38. Et verbum eius, ſeu mandatum, quod tunc impoſuit Deus, de illo ſcilicet Propheta audiendo, NON HABETIS IN VOBIS MANENS, dum illud implere vultis; quia quem miſit ille tamquam Prophetam, quem audire deberetis, HUIC VOS NON CREDITIS.

38. Et verbum ejus non habetis in vobis manens: quia quem miſit ille, huic vos non creditis.

39. SCRUTAMINI SCRIPTURAS. Cyrill. putat eſſe Indicativum; ſed rectiùs Chryſoſtom. & alii accipiunt, ut ſit Imperativi modi, hoc ſenſu: Diligenter excutite myſteria Scripturarum. Quod ideò dicit, quia velamen adhuc ſuper cor habentes, quod in ſolo Chriſto cognito evacuatur, inhærebant litteræ, ſicut & nunc, & Scripturarum cortices rodebant. QUIA VOS PUTATIS IN IPSIS VITAM ÆTERNAM HABERE, id eſt, in ipſis inveniri poſſe rationem obtinendæ vitæ & ſalutis æternæ; quod tamen numquam fiet, niſi in eis Chriſtum inveniatis: ET ILLÆ SUNT, QUÆ TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, me ſcilicet eſſe illum Chriſtum vobis promiſſum. Nam anima, ſcopus & finis omnium Scripturarum veterum eſt Chriſtus: unde Act. 10. verſ. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.*

39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ, teſtimonium perhibent de me:

40. Et tamen, non-obſtante perſpicuâ Scripturarum atteſtatione, NON VULTIS VENIRE AD ME, per fidem me tamquam Chriſtum recipiendo: quibus verbis malitiam voluntatis accuſat, velut cauſam ignorantiæ & cæcitatis. Ne verò per hoc magiſterii celebritatem affectaſſe videretur, præoccupat objectionem.

40. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis:

41. CLARITATEM, ſeu gloriam, AB HOMINIBUS profectam, NON ACCIPIO, id eſt, non requiro humanas laudes, quaſi eis ego delecter.

41. Claritatem ab hominibus nõ accipio.

42. SED COGNOVI VOS, QUIA DILECTIONEM DEI NON HABETIS: q. d. Sed ſcio, quid cauſæ ſit, cur mihi nolitis credere, tametſi munito mille teſtimoniis, videlicet quia nulla vobis cura eſt, ut Deum diligatis, & ita quod ei gratum eſt, faciatis. Nam

42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43. EGO VENI IN NOMINE PATRIS MEI, id eſt, ſemper profeſſus ſum me à Patre miſſum, me ipſius mandata dicere & facere, me omnia ipſius nomine & auctoritate gerere; ET tamen NON ACCIPITIS ME, ne quidem Dei Patris reverentiâ vel auctoritate permoti, in argumentum, quòd eum non diligatis. SI ALIUS VENERIT, id eſt, cùm alius venerit, ut legunt Iren. & Cyprian. Eſt enim prædictio rei abſolutè futuræ, ſed conditionaliter expreſſæ, propter dependentiam à libero arbitrio, cujus eventus ambiguus eſſe ſolet. *Si* ergò *alius venerit* IN NOMINE SUO, id eſt, ſuâ ſolius auctoritate privatâ nixus, nullis teſtimoniis munitus, ſuam quærens, non Dei gratiam, ILLUM ACCIPIETIS. Quod veteres, ut Iren. libr. 3. cap. 25. Hieron. quæſt. 11. ad Algaſiam, & in Abdiam Prophetam, Cyrill. Chryſoſt. & alii, exponunt de Antichriſto. Aperit autem cauſam aliam, cur ſe non reciperent, imò receptionem ſui quodammodò redderent impoſſibilem, quamdiu illa prava affectio duraret.

43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: ſi alius venerit in nomine ſuo illum accipietis.

44. QUOMODO VOS POTESTIS CREDERE, in me tamquam Chriſtum, & Filium Dei, QUI GLORIAM AB INVICEM ACCIPITIS, id eſt, qui gloriam humanam & vanam quæritis, qui conſiſtat tantùm in hominum opinione & ſermone: ET GLORIAM, QUÆ A SOLO DEO EST, qui niti-

44. Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam

quæ à solo Deo est, non quæritis?

tur solo Dei, seu ipsius veritatis occulto testimonio, NON QUÆRITIS? Hic ergò fuit scopus Pharisæorum, inanis gloria, quam ut assequerentur ab hominibus, externam sanctitatem in omni conversatione ostentabant. Ne verò eam amitterent, Christo eos reprehendenti in omnibus repugnabant: nam & doctrina ejus hanc pestem capitalem funditùs ex animo exscindi jubet. Ne autem se Moysis patrocinio tutos putarent, cujus præcepta assiduè crepabant.

45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

45. NOLITE, inquit, PUTARE, QUIA EGO ACCUSATURUS SUM VOS APUD PATREM, tamquam qui solus vobis contrarius sim: EST QUI ACCUSAT VOS MOYSES, IN QUO VOS SPERATIS, id est, ipse Moyses, quem putatis vos habere contumaciæ vestræ patronum, ut pote cujus zelo me persequimini, ipse accusat vos, tamquam qui situs & ipsi incredduli. Quod declarat, addendo:

46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.

46. SI ENIM CREDERETIS MOYSI, CREDERETIS FORSITAN ET MIHI. Ubi illud, *forsitan*, respondet Græco ἄν, quod sonat *utique*, vel certè redundat Latinè, instar expletivæ particulæ. DE ME ENIM ILLE SCRIPSIT. Ubi quidem præcipuè Christus respicit ad locum Deuteron. 18. v. 16. sed sic tamen, ut significet Moysem non uno aut altero loco, sed passim & ex proposito de se, imò nihil nisi propter se scripsisse, prout notat August. lib. 16. contra Faustum cap. 22. in fine.

47. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis:

47. SI AUTEM ILLIUS, quem tanti facitis, & in auctoritatem recepistis, LITTERIS NON CREDITIS, ea, quæ de me etiam apertè pronuntiavit, in alios detorquendo sensus: QUOMODO VERBIS MEIS CREDETIS? hominis videlicet recentis, & de se testimonium perhibentis, quod vulgò invalidum esse creditur, & quem contemnitis.

CAPUT VI. — CAPUT SEXTUM.

1. Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis.

1. POST HÆC, multis videlicet interjectis de missis Apostolis, de nece Joannis Baptistæ, & similibus. Nam ea, quæ proximè superiori Cap. descripta sunt, contigerunt in Paschate, vel certè, ut alii, in Pentecoste, ut ad versum 1. cap. 5. diximus: sequentia verò circa Paschа sequens, ut patet hîc versu 4. hoc est, interjecto vel anno integro, vel circiter decem mensibus: ABIIT TRANS MARE GALILÆÆ, quod idem est cum lacu seu stagno Geneſareth: Hebræi enim, & Scriptura, magnas congregationes aquarum vocant maria, ut Hieronym. in cap. 47. Ezech. QUOD EST TIBERIADIS, scilicet mare, ita vocatum, quia adjacet Tiberiadi, quæ civitas ab Herode Tetrarcha, in amicitiam Tiberii Cæsaris recepto, condita fuit, & Tiberii nomine vocata, ut Joseph. 18. Antiquit. c. 3.

2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.

2. ET SEQUEBATUR EUM, itinere pedestri, ut Marcus c. 16. vers. 33. MULTITUDO MAGNA, quæ, ut idem ait, prævenerat Dominum, propter impeditiorem scilicet navigationem: QUIA VIDEBAT SIGNA SUPER HIS, &c. quibus erant rapti in admirationem & amorem Domini, ut ab eo avelli non possent.

3. Subiit ergo in montem Jesus: &

3. SUBIIT ERGO IN MONTEM JESUS, ut ibi requiesceret à turba, ut

ait Marcus loco citato, ET IBI SEDEBAT CUM DISCIPULIS, quietis captandæ causâ. ibi sedebat cum discipulis suis.

4. ERAT AUTEM PROXIMUM, seu propinquum, PASCHA, tertium à baptismo Christi, sicut plerique docent: nec difficultatem habent in eorum sententia, qui Christum quarto Paschate à baptismo suo passum esse tradunt. DIES FESTUS JUDÆORUM, quod adjicit emphaticè, ad indicandam eximiam festi Paschalis celebritatem. 4. Erat autem proximus Pascha, dies festus Judæorum.

5. CUM SUBLEVASSET ERGO OCULOS JESUS, ut illis moris est, qui longè latéque prospicere volunt. Sed antequam hoc faceret, multa præcesserunt, quæ ab aliis tanguntur Evangelistis. Priùs enim descendit de monte, excepit eos, docuit, sanavit, Soléque ad occasum vergente, monitus à discipulis de turba dimittenda, jussit eos turbam pascere; & cùm negarent se posse, tunc tandem DIXIT AD PHILIPPUM, tamquam ad eum, qui fortassè minùs quàm cæteri divinæ fideret providentiæ: UNDE EMEMUS PANES? id est, unde comparabimus pretium, ut emamus? Non enim de loco agitur; nam in proximis villis emi potuisse indicant discipuli apud Marcum. 5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. HOC AUTEM DICEBAT TENTANS EUM, id est, explorans, utrùm deficientibus humanis mediis ad Christi omnipotentiam & providentiam recurreret, idque non ut sibi, sed ut Philippo propria fidei imbecillitas innotesceret, IPSE ENIM SCIEBAT, QUID ESSET FACTURUS; ne quis fortè suspicetur eum ex ignorantia, vel inopia consilii interrogasse. 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7. RESPONDIT PHILIPPUS: DUCENTORUM DENARIORUM PANES NON SUFFICIUNT. Qui si fuerint denarii majores, valentes didrachmo, seu duobus Regalibus Hispanicis, æstimatis nunc ad sex circiter stuferos, essent simul centum & viginti floreni, seu quinquaginta quos vocant Patacones, hoc est, stuferi bis mille quadringenti: sin autem denarii minores, qui dimidio minoris, hoc est, unâ drachmâ seu Regali æstimantur, essent sexaginta floreni, seu mille ducenti stuferi. Ex quo facilè patet, eos non potuisse sufficere ad cibanda quinque millia virorum, præter mulieres & parvulos. Porrò ex eo, quòd apud Marcum dicunt discipuli, *Euntes emamus ducentis denariis panes*, colligunt quidam Apostolo tunc illam summam in communi præsto habuisse, & consequenter eos fuisse affectu valde liberali, ut qui omnia in refectionem multitudinis effundere vellent. Quamquam alii ironicam locutionem fuisse malunt: q. d. Præcipis nobis rem impossibilem, qui scias tantas non esse nobis pecunias. Cùm ergò Christus rogasset, juxta Marcum, *Quot panes habetis? ite & videte*; & ipsi hoc recognovissent, respondit omnium nomine Andreas: 7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri.

9. EST PUER UNUS HIC, id est adolescens, quem alii volunt fuisse unum de turba, qui multitudini cibos venales ferret; alii adolescentem, Apostolis deservientem, eò quòd Christus jussisset eos recognoscere, quot panes ipsimet haberent: QUI HABET QUINQUE PANES, &c. SED HÆC QUID SUNT INTER TANTOS? Græcè *εἰς τοσούτους*, *inter tot*, seu *tam multos?* significans omne humanum præsidium hîc deficere. 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid sunt inter tantos?

10. Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11. Accepit ergo Jesus panes : & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus : similiter & ex piscibus quantum volebant.

11. ACCEPIT ERGO JESUS PANES: ut se miraculi istius, & multiplicationis auctorem ostenderet, ET CUM GRATIAS EGISSET, Deo Patri, pro beneplacito faciendi tantum miraculum in salutem hominum tum corporalem cum spiritualem. Matth. & Marc. insinuant hanc gratiarum actionem per aspectum in cœlum: Joannes verò sub ea comprehendit etiam benedictionem, non Dei, sed panum: nam Lucas expressè dicit, *Benedixit illis* : & Marcus, *Benedixit & fregit panes*; ad effectum scilicet multiplicationis. DISTRIBUIT DISCUMBENTIBUS, non per se, sed ministerio discipulorum, ut Græca hîc, & alii Evangelistæ suis locis dicunt: SIMILITER ET EX PISCIBUS QUANTUM VOLEBANT, ad plenam refectionem. Porrò facta est hæc multiplicatio panum, non de novo creando, sed materiam præjacentem aëris in panes vertendo, ut Iren. lib. 3. cap. 11. ut ita declararet, inquit, se esse eumdem, qui omnia ex nihilo creaverat. Multiplicavit eos autem, partim in manibus suis, ut August. hîc, partim in manibus discipulorum, ut Chrysost. partim in manibus discumbentium, ut Hilar. 3. de Trinit. Unde Ambros. in Lucam ea conjungit, in manibus distribuentium & comedentium.

12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt, ut non pereant.

12. UT AUTEM IMPLETI, seu saturati SUNT, DIXIT DISCIPULIS SUIS: COLLIGITE QUÆ SUPERAVERUNT, id est, quæ superfuerunt, FRAGMENTA; primò, ut extaret memoria abundantiæ suavitatis Domini, quòd ipse uberior sit in dando, quàm humanæ mentis angustia in sperando; secundò, ut magis commendaretur miraculi magnitudo; tertiò, NE PEREANT: id enim & œconomia bonorum Domini, & reverentia erga ejus liberalitatem postulat.

13. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant.

13. COLLEGERUNT ERGO, ET IMPLEVERUNT DUODECIM COPHINOS, &c. id est, canistra seu corbes (non enim significat hîc mensuræ genus, sicut aliquando) FRAGMENTORUM, non solùm ex panibus, sed & ex piscibus, ut Marcus addit. Itaque multò plus superfuit, quàm antequam comedissent: quod non patuisset, nisi fragmenta recondi jussisset. Mysticum sensum hujus miraculi vide accuratè apud Augustin. Tract. 25. in Joann. Homines ergò attoniti miraculo dicebant:

14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.

14. QUIA HIC EST VERE PROPHETA, QUI VENTURUS EST IN MUNDUM, id est, hic est verè Messias, seu Christus, de quo dixerat Moyses, Deuter. 18. *Prophetam suscitabit vobis Dominus, sicut me:* nam ad illum locum, qui in synagoga notissimus erat, alludere videtur.

15. Jesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

15 JESUS ERGO CUM COGNOVISSET, QUIA VENTURI ESSENT, animo scilicet non divinitùs incitato, sed planè terreno, ut Augustin. idque quia jam inter se egerant vel constituerant, UT RAPERENT EUM, illatâ vi, quia invitum noverant, ET FACERENT EUM REGEM, terrenum ac temporalem, quale plurimi ipsorum Messiam expectabant, qui totum orbem sibi subjugaret: FUGIT, Græcè ἀνεχώρησε, *secessit*, quia subduxit se clanculùm, cùm turbam dimisisset, ut Marcus, ITERUM IN MONTEM, quia iterum in montis vertice in ejus planiora descenderat, inquit Augustin. IPSE SOLUS, ut orationi vacaret, simulque fastum honoris & potestatis sæcularis declinaret. Unde cùm Matth. dicat Christum in montem ascendisse, ut oraret, Joann. verò eum fugisse; utrumque concilians Augustin. lib. 2. De consensu

16. Ut autem sero factum est,

cap. 54. dicit significari magnam nobis esse causam orandi, quando est causa fugiendi.

descenderunt discipuli ejus ad mare.

17. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ jam factæ erant: & non venerat ad eos Jesus.

18. Mare autem, vento magno flante, exurgebat.

19. Cùm remigassent ergo quasi stadia viginti-quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, & proximum navi fieri, & timuerunt.

20 Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere.

21. Voluerunt ergo accipere eum in navim: & statim navis fuit ad terram, in quam ibant.

22. ALTERA DIE, &c. TURBA, QUÆ STABAT TRANS MARE, eodem videlicet modo, quo discipuli conscenderant navem, circa montem, ubi saturati fuerant, ubi etiam pernoctasse videntur, VIDIT QUIA NAVICULA, &c. Græcè *ἰδὼν ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν, postquam vidit, quia ibi non esset alia navicula*, &c. Quo indicatur aliquid in fine iftius periodi esse subaudiendum, videlicet quòd, cùm hoc vidisset turba, quæsiverit Jesum; vel certè jungendum ei esse versum 24. qui multis interpositis suppleat orationem. Nam sicut hîc exprimitur, planè manca est.

22. Altera die, turbà quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiissent.

23. ALIÆ VERO SUPERVENERUNT NAVES, eodem videlicet die, dum adhuc exspectarent Jesum, IUXTA LOCUM, UBI MANDUCAVERANT PANEM (quod jungendum est cum verbo, *supervenerunt*, non cum, *Tiberiade*,) GRATIAS AGENTE DOMINO; quod ideò rursus inculcat, ut nobis magnam Christi gratitudinem ergà Patrem pro beneficiis nobis exhibitis in exemplum commendaret.

23. Aliæ vero supervenerunt naves à Tiberiade, juxta locum ubi manducaverât panem, gratias agente Domino.

24. Cum ergo vidisset turba, quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Jesum.

25. ET INVENERUNT EUM TRANS MARE, nullius scilicet navigii adminiculo (nam illud, *trans mare*, adfertur tamquam causa admirationis) DIXERUNT EI: RABBI, QUANDO HUC VENISTI? Potiùs quærendum erat, *quomodo?* Unde quidam curiosam fuisse quæstionem annotant, cùm hoc non multùm attineret scire: nisi fortè potiùs per illud, *quando*, significatum velint, se non semper observasse, an intraret in aliquam navem. Christus autem, neglectà eorum quæstione, severè corripit studium, quo se sequebantur.

25. Et cum inveniſſent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?

26. Quia, inquit, QUÆRITIS ME, NON QUIA VIDISTIS SIGNA; & tamen versu 2. dicitur, quòd *sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa*. Unde necesse videtur, quòd isti, de quibus hoc v. 26. non amplius quæsiverint eum, propter signa, ut scilicet eis visis Christo crederent & obedirent, sed carnali saturitatis iterandæ desiderio; ut ita Christum, tamquam Regem suum, otiosi sine cura victus & labore sequerentur. Itaque à cibi corporalis appetitu eos transferre satagens ad studium rerum spiritualium, sicut antea Samaritanam ab aqua corporali ad spiritualem, dixit eis:

26. Respondit eis Jesus, & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis.

27. OPERAMINI NON CIBUM, QUI PERIT, id est, operam & studium impendite, ut comparetis cibum: non qui instar corporalis consumatur, & in secessum emittatur, ut Matthæus loquitur; qua phrasi dicit Paulus, *Salutem vestram operamini*: SED QUI PERMANET IN VI-

27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem

filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

TAM ÆTERNAM, non solùm, quia in se incorruptibilis est, sed etiam quia effectus ejus & fructus est, ut homo in æternum beatè vivat. Qui cibus, ne longè petendus videretur, QUEM, inquit, FILIUS HOMINIS DABIT VOBIS: intellige non nauseantibus, sed desiderantibus, & ipso desiderio ad accipiendum præparatis. Nam his verbis tacitè invitat ad illum cibum à sequærendum. HUNC ENIM, supple Filium hominis, PATER SIGNAVIT, Græcè ἐσφράγισεν, *sigillavit*: quod Augustinus exponit tamquam signo seu sigillo impresso segregavit à cæteris, quia scilicet non solùm Filius hominis, sed etiam Filius Dei est. Unde consequenter Hilar. lib. 8. de Trinitat. & Cyril. expressionem Paternæ divinitatis in Filio his verbis significatam accipiunt. Character enim & imago Patris est Filius Dei, qui Filio hominis in eodem suppositò junctus est. Hæc ergò ratio est, cur tantæ auctoritatis sit Filius hominis, ut talem cibum dare possit. Unde alii exponunt, *signavit*, seu sigillavit, id est, quasi sigillo impresso & appositò ei auctoritatem dedit, nempe conjungendo divinitatem humanitati, miraculis qua sigillis eam confirmando. Deus, quia divina Patris virtus in hac re maximè enituit.

28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?

28. DIXERUNT ERGO: QUID FACIEMUS, seu facere debemus, UT OPEREMUR OPERA DEI? Deo scilicet grata: ut cibum illum à te commendatum comparemus? Respiciunt enim ad verba Christi dicentis, *Operamini cibum*, &c. Itaque Christus non multa & laboriosa, sed unicum tantùm, & facilè opus inculcans, quod est initium & fundamentum omnium bonorum operum, dixit eis:

29. Respondit Jesus, & dixit eis. Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

29. HOC EST OPUS DEI: id est, Deo gratum, & ab ipso Deo in vobis operandum, inquit Augustinus. UT CREDATIS IN EUM, QUEM MISIT ILLE, id est, in me; sed modestiæ causâ utitur tertiâ personâ.

30. Dixerunt ergo ei. Quod ergo tu facis signum ut videamus, & credamus tibi, quid operaris?

30. DIXERUNT ERGO EI: QUOD ERGO TU FACIS SIGNUM, UT CREDAMUS TIBI? q. d. Signa tua præcedentia, quæ vel audivimus, vel jam proximè vidimus, non sufficiunt, ut in omnibus tibi credamus, ac te tamquam Messiam missum à Deo, tantique cibi largitorem, recipiamus. Sunt enim verba ex improbitate profecta, parvi faciendum præcedens Christi miraculum, ut Aug. Tract. 25. Ideò quippe subjungunt:

31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare.

31. PATRES NOSTRI, sexcenta scilicet millia hominum, MANDUCAVERUNT MANNA IN DESERTO, omnium scilicet frugum sterili, idque per annos quadraginta, quibus in deserto vagati sunt. Confirmant verba sua per Scripturam, quæ dicit: *Panem de cœlo*, id est, cœlestem, cœlitus datum, DEDIT EIS MANDUCARE. Sensus igitur eorum est: Miraculum, quod Patribus nostris à Moyse præstitum est, incomparabiliter majus fuit illo, quod tu proximè fecisti; nec tamen Moyses propterea postulavit, ut in se tamquam in Messiam crederemus: quod signum ergò tu facis, ut tibi credamus? Porrò מן, *Man*, & inde deductum מנא *Manna*, non est nomen significans *paratum*, vel etiam *donum*, ut aliqui recentiores volunt; sed esse pronomen interrogativum significans, *quid*, & conversum in nomen istius cibi, latiùs diximus in Cap. Exodi 16. & ex ejusdem cap. vers. 15. manifestissimè colligitur.

32. DIXIT

32. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.

32. DIXIT ERGO EIS JESUS: NON MOYSES DEDIT VOBIS PANEM DE CŒLO, id est, cœlestem: non enim aliter panis de cœlo vocatus fuit; quàm quia non ex terra, sed ex nubium regione deplut; quomodò dicitur Psalm. 17. *Tonuit de cœlo Deus*; SED PATER MEUS, & consequenter ego, DAT VOBIS PANEM DE CŒLO VERUM, id est, verè cœlestem. Est enim antithesis, inter Moysen & Patrem suum, & consequenter seipsum; & inter panem & panem. Augustin. tamen & Cyril. panem verum dici volunt, duplici ex causa; unâ, quia non figura est; sed res ipsa, per *Man* figurata; alterâ, quia verè dat vitam mundo, ut mox sequitur. Intelligit autem hunc panem esse seipsum, qui de cœlo descendit in terram, quando Filius Dei per incarnationem homo factus est: nam ex duobus effectibus probat esse panem de cœlo verum.

33. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo;

33. PANEM ENIM DEI EST, id est, nam ille est panis verè divinus ac cœlestis, QUI DE CŒLO DESCENDIT, id est, qui non solùm ut manna mittitur alienâ auctoritate, sed qui ipsemet suâ voluntate descendit; non de nubibus, sed de vero cœlo, ubi Deus habitat, seu de sinu Patris: ET qui DAT VITAM, scilicet beatam, MUNDO, id est, orbi universo, qui illo pane pascitur. Itaque carnales carnalia cogitantes dixerunt:

34. Dixerunt ergo ad eum: Domine semper da nobis panem hunc.

34. DOMINE, DA NOBIS SEMPER PANEM HUNC, ut scilicet sine morte, tali pane in otio fruamur. Ut ergò somnium illud de cibo vulgari eis excuteret, aperit, quis ille panis sit.

35. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.

35. EGO SUM PANIS VITÆ, id est, sum ille panis vivificus, per manna figuratus, qui dat vitam mundo. Modum autem & manducandi panem illum, & vivificandi explicans, addit: QUI VENIT AD ME NON ESURIET, id est, qui mihi crediderit, assequetur saturitatem illam vitæ æternæ. Nam ne quis carnaliter ista verba intelligeret, alio modo eumdem sensum exprimit, ET QUI CREDIT IN ME NON SITIET UMQUAM. Unde August. Tract. 25. *Qui venit ad me*, inquit, hoc est, quod ait, *Et qui credit in me*: & quod dixit, *Non esuriet*, hoc intelligendum est, *non sitiet umquam*. Utroque enim significatur illa æterna satietas ubi nulla est egestas.

36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.

36. SED DIXI VOBIS: QUIA ET VIDISTIS ME, & consequenter signa, plurima, quæ à me postulastis, ut credatis mihi; ET TAMEN NON CREDITIS, verbis meis & signis. Ut ergò aperiet eis altius secretiusque principium fidei, quàm signa visibilia, & quòd, quamvis ipsi non crederent sibi, non tamen defuturi essent, qui crederent, addit:

37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me non ejiciam foras:

37. OMNE QUOD DAT MIHI PATER, id est, quemcumque cujuscumque conditionis Pater mihi, tamquam homini hominum mediatori, salvandum tradidit, AD ME VENIET, id est, reipsâ indeclinabiliter mihi credet: quia quos Deus ab æterno salvandos prædestinavit, hos sine dubio secundùm illud propositum suum vocabit. Nam illos soles Christo homini Pater dat, quos elegit atque prædestinavit. Unde Act. 13. vers. 48. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. Itaque his verbis non desperationem eis injicit, sed tacitè monet, ad illius auxilium esse recurrendum, qui dat Filio & facit credere, & credendo venire ad Filium, cum magna fiducia sperando se esse ex eorum numero, quos Pater Filio dedit. Qua de re laudè August. libro

de dono perseverantiæ. ET SUM QUI VENIT AD ME, credendo, NON EJICIAM FORAS, illum repellendo à meo contubernio, vel bonorum meorum societate. Et quasi quæreres, inquit Augustinus, quare non ejiceres cum foras, causam reddit.

38. Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

38. QUIA DESCENDI DE CŒLO, per incarnationem suscipiens hominem, NON UT FACIAM VOLUNTATEM MEAM, humanam, voluntati Patris dissentaneam, SED VOLUNTATEM EIUS: QUI MISIT ME, ut scilicet non velim aut faciam quidpiam, quod non velit Pater, sed id ipsum prorsus quod Pater: nihil enim æquius est, quàm ut legatus legantis voluntatem sequatur. Sed quænam ista voluntas Patris?

39. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.

39. HÆC EST ENIM VOLUNTAS EIUS, QUI MISIT ME, PATRIS, UT OMNE, QUOD DEDIT MIHI, ex decreto prædestinationis ejus salvandum, NON PERDAM EX EO. Quod Tertull. lib. de resurrectione carnis, c. 34. intelligit de ipsa corporis resurrectione; ut significetur non solùm corpus esse resurrecturum, sed etiam nihil omninò corporis periturum, nec capillum, nec oculum, nec dentem, inquit, ideòque dici, NON PERDAM EX EO, SED RESUSCITEM ILLUD IN NOVISSIMO DIE. Augustinus tamen & Cyrillus significari volunt, quòd neminem ex electis periturus sit, seu ejecturus foras, sicut præmiserat, imò etiam post mortem eos suscitaturus in die judicii, & æterna salute etiam corporis salvaturus. Quod clariùs explicat, repetendo.

40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me; ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

40. HÆC EST AUTEM VOLUNTAS PATRIS, QUI MISIT ME. Aug. & Cyril. legunt, *enim*, ut reddatur ratio præcedentium, UT OMNIS, QUI VIDET FILIUM, id est, qui Filium attentè consideraverit, oculis, sive corporis, sive mentis: quæ visio fidem præcedere debet, & sine consensu voluntatis esse potest, ideóque addit: ET CREDIT IN EUM, consentiendo verum esse, quod proponitur: Nam, ut Prosper lib. 2. de vocat. gentium c. 26. Visus nolentium nulla est: nec potest asseri, vel fidem, vel spem, vel charitatem eis inesse, quorum ab his bonis consensus alienus est. HABEAT, meo beneficio & meritis, VITAM ÆTERNAM. Quibus verbis explicat, quid sit non ejici foras, & non perdi. Ne verò tanta vitæ æternæ bona nostræ vetustatis & mortalitatis deformitas desperaret, subjungit: ET EGO RESUSCITABO EUM; ad plenissimam etiam corporis immortalitatem, per quam vita illa æterna compleatur. Cùm ergo murmurarent de eo, quòd dixisset,

41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi:

41. EGO SUM PANIS VIVUS, id est, vitæ; prout habetur v. 35. itemque QUI DE CŒLO DESCENDI, tamquam non esset more mortalium genitus, sed quasi Angelus de cœlo originem traheret, compescuit eos Jesus, dicendo:

42. Et dicebant: Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cœlo descendi?

43. Respondit ergo Jesus, & dixit eis: Nolite murmurare in invicem:

44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui mi-

43. NOLITE MURMURARE IN INVICEM, Græcè *μὴ γογγύζετε μετ' ἀλλήλων*, *cum invicem*, seu *inter vos mutuò*: q. d. Verba illa mea nullam continent murmurandi materiam, sed in vobis culpa est, qui caretis lumine illo divino, ad intelligenda vel credenda verba mea necessario, quia

44. NEMO POTEST VENIRE AD ME, id est, credere in me, sicut hoc explicat Christus ipse infrà vers. 64. & 65. & Augustinus diversis locis observat, NISI PATER, QUI MISIT ME, TRAXERIT EUM, ad me scilicet, hoc est, ad credendum mihi. Fit autem ille tractus non foris, sed intùs in corde: & quidem, ut Prosper contra Collat. cap. 14. diversissimis

modis, sive contemplatione elementorum, sive prædicatione rerum gestarum, sive lectione, sive timore gehennæ, sive aliquâ lætitiâ, sive aliis innumerabilibus modis. Sed revera ibi trahendi modi, vel externi tantùm sunt, vel dispositivi ad verum tractum; qui propriè in eo fiunt, quod cor mutetur, ut id diligat, quod antè fastidiebat, quod non fit, nisi per mutationem amoris, sicut Prosper ibidem indicat, & apertiùs lib. de vocatione Gentium cap. 27. ubi dicit: Qui ergò veniunt, amore ducuntur: dilecti enim sunt, qui & dixerunt, & quod eos voluit Deus velle: voluerunt. Et Aug. Tract. 26. in Joan. Nolite cogitare, invitum trahi, trahitur animus & amore. Porrò in voce *trahendi* insinuatur quædam repugnantia in eo, qui trahitur, saltem ante tractum: omnis enim voluntas, quæ ex non credente fit credens, ex ipsâ naturæ corruptione, & voluntatis aversione, fastidium ac difficultatem in credendo percepit, quam tollit ipse tractus, dum ex nolente volentem facit. Itaque tacitè Judæos his verbis hortatur, ut non murmurarent de verbis suis, sed ad Deum converterentur supplices, à quo trahi deberent, ut se intelligerent. Probat autem id, quod de Deo trahente dixerat, auctoritate Scripturæ.

fit me, venerit eum & ego reficiam eum in novissimo die.

45. Est scriptum in Prophetis, Isaiæ 54. v. 13. ut ibi observat Hieron. et erunt omnes docibiles Dei, Græcè *docti Dei*, seu à Deo: pro quo est in Isaïa, *Ponam filios tuos doctos à Domino*. Quo significat tempore novi Testamenti universos filios Ecclesiæ docendos esse, non solùm voce extrinsecùs insonante, sed à Deo intùs incrementum dante: nam, ut Augustin. Etsi ab hominibus audiunt homines, quod tamen intelligunt (id est credunt) intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Quantâ verò efficaciâ à Deo doceantur, consequenter aperit Christus: Omnis qui audivit a Patre, et didicit; quæ duo vel idem sunt, prout accipit Augustin. De prædestinatione Sanctorum, c. 8. vel certè *audire* ad informationem intellectus tantùm pertinet, *discere* ad tractum voluntatis. Omnis ergò talis, non solùm potest venire ad me, quasi Deus tantùm tribuat per gratiam, posse si velit; sed venit ad me, id est, credit reipsa, ubi jam & possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est, inquit Augustin. De gratia Christi, c. 14.

45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.

46. Non quia Patrem vidit quisquam: q. d. Non debetis ex verbis meis imaginari, quòd Pater velut ludi-magister discipulos doceat, ita ut eum illi secundùm naturam ejus videant. Nam, ut Augustin. loco De prædest. citato, valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur & docet. Nimirum gratia ista secreta est. A qua tamen generali regula seipsum excipit Christus, nisi is, qui est a Deo, pascendo secundùm divinitatem, hic vidit Patrem, utpotè ejusdem naturæ, & scientiæ cum Patre, in cujus sinu manet. Cùm ergò redarguisset Christus Judæorum incredulitatem, & eorum murmurationes repressisset à v. 36. huc usque, jam tandem redit ad vers. 35. ut pergat in explicatione istius panis & fidei.

46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.

47. Amen, amen dico vobis, qua geminatâ utitur assertione, ut eò diùs confirmet fidei efficaciam: Qui credit in me habet vitam æternam.

47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam.

quia habet pignus vitæ æternæ certissimum, illam ipsam

fidem, quæ per dilectionem operatur: vel *habet vitam æternam*, ipsum Christum, qui est vita æterna, & per talem fidem in corde habitat, ut Aug. & Cyril. Cui congruit id, quod sequitur.

48. Ego sum panis vitæ.

48. EGO SUM PANIS VITÆ, &c. q. d. Ego enim sum (datur quippe ratio sententiæ præcedentis) *panis vita*, supple æternæ: hoc est vivificus, qui vitam æternam in me credentibus, & per fidem manducantibus præbeo, hîc inchoando, postea consummando. Quod antithesi mannæ uberiùs declarat.

49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt.

49. PATRES VESTRI MANDUCAVERUNT MANNA, non quatenùs erat figura Christi, quia sic erat esca spiritalis, ut Apostolus, sed ut cibum merè corporalem: ET MORTUI SUNT, corpore, nec virtute mannæ possunt reviviscere, cùm tamen ad corporalem vitam tuendam datum esset.

50. Hic est panis de cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.

50. HIC VERÒ EST PANIS DE CŒLO DESCENDENS, per incarnationem, ut suprà explicuimus, v. 32. & 33. Loquitur autem in tertia persona, aut modestiæ causâ, aut ut panem præsentem præterito efficaciùs opponeret. Descendit autem in eum finem, UT SI QUIS EX IPSO MANDUCAVERIT, ita nempe, ut per fidem, vi dilectionis operantem, eum sibi incorporaverit. Nam ex eo fit, ut, cùm ille sit justitia, & sanctitas, homo eum diligens, justus, sanctusque fiat, justè sanctèque operetur, & ita NON MORIATUR, scilicet in æternum, neque animæ, neque corporis morte, quia vi panis illius etiam corpora vitaliter suscitanda sunt. Ex quo patet excellentia panis istius suprà manna. Rationem autem assignat tantæ præcellentiæ, quia

51. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.

52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.

51. 52. EGO SUM PANIS VIVUS, in meipso, per quod insinuat nihil mirum esse, si sit etiam vivificus aliorum, qui ipsum credendo diligendóque manducaverint. Nam à vers. 29. hucusque, fidem in se tamquam in Deum, & hominem commendavit. Cùm enim Christus vers. 27. promisisset eis, se panem quemdam, quem Sacramentum corporis sui intellexerat, daturum esse, ut eos ad tantum mysterium intelligendum aptiores redderet, statim à v. 29. explicare incœpit hucusque rem istius Sacramenti, hoc est, descensum suum de cœlo per incarnationem, & fidem illius descensus commendare, tamquam maximè necessariam. Nam ut optimè S. Leo Serm. 6. de Jejunio septimi mensis docet, frustrà de corpore & sanguine in Eucharistia satagimus, si contrà illa in propria Christi persona disputamus: hoc enim ore sumitur, quod fide creditur. Isto igitur strato fundamento, transit jam hîc Christus ad manducationem sui, non solùm spiritualem per fidem, sed etiam realem per Sacramentum: & ideò futuri temporis verbo uti incipit, dicendo: ET PANIS, QUEM EGO DABO. Ubi respicit ad illa verba sua vers. 27. *quem Filius hominis dabit vobis*, per quæ Sacramentum corporis sui, id est, Eucharistiæ promiserat. Sed antequam illud accuratiùs explicaret, necessariò præmittenda, & munienda erat apud [illos] incredulos suæ incarnationis fides, utpotè cui Sacramentum Eucharistiæ prorsus nititur: Itaque sermo iste Christi à pane Eucharistiæ incipit, & in illum desinit: manducationem interim spiritualem per fidem incarnationis recto ordine præmittens corporali, in quam [illa] per collimat. Quæ etiam ratio est, quòd cùm de [illa] ne est

sermo, illam attribuat Patri, non Filio hominis, dicendo vers. 32. *Pater meus dat vobis panem.* Eucharistiam verò tam hîc, quàm v. 27. tribuit Filio hominis, quia incarnationis Filius hominis ut talis, non causa, sed effectus est. Eucharistiam verò ipse Filius hominis dedit, dum panem sumpsit in manibus, vertitque in corpus suum. Itaque PANIS, QUEM EGO DABO vobis in cibum, in ultima scilicet cœna mea, CARO MEA EST, id est, corpus meum. Est enim differentia inter *Corpus* & *Carnem*, quòd corpus præter carnem, etiam ossa, nervos, venas, reliquamque structuram comprehendat. PRO MUNDI VITA, supple, danda; Græcè enim clariùs, *dabo*, hoc modo: *Quam ego dabo pro mundi vita*, scilicet in cruce, ut Euthymius & Theophyl. Quod addidit, ut per hoc indicaret, se non figuram, vel similitudinem carnis suæ in cœna daturum esse, sed veram carnem suam, illam ipsam, quam erat & in mortem daturus. Qua de causa & in cœna dixit, *Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, scilicet in mortem, & generis humani redemptionem.

53. LITIGABANT ERGO JUDÆI AD INVICEM, Græcè ἐμάχοντο πρὸς ἀλλήλους, *pugnabant*, inter se contendentes, aliis scilicet affirmantibus, aliis cum stomacho contradicentibus; QUOMODO HIC POTEST SUAM CARNEM DARE AD MANDUCANDUM? Intelligebant enim eam more aliorum ciborum frustatim discerpendam, ut notat August. Tract. 27. Quæ causa fuit, ut, cùm se sæpiùs *Panem* appellasset, nihil offensi fuerint, facilè suspicantes metaphoram aliquam ibi latere posse: sed cùm dixit illum ipsum panem, quem eis daturus esset, esse carnem suam, scandalizati sunt, dicendo, *Quomodo potest hic*, &c. Ubi *Hic* contemptum spirat. *Quomodo* verò esse vocem Judaïcam, notat Cyril. & incredulitatis esse signum, Chrysost. & alii. Quòd si tantummodò figuram carnis suæ, vel nudum panem Christus eis promisisset, ut Calvinistæ volunt, facillimè totam contentionem uno verbo sedare potuisset, dicendo se carnem suam figuratè daturum, sicut manna figuratè spiritualis cibus fuerat; & aqua, spiritualis potus. Sed quia rectè intellexerant verba de vera carne Christi, hinc auget sententiam præcedentem, gravissimáque confirmatione manducationi carnis suæ, quam horrebant, etiam sanguinis sui potum adjungit, quo Judæis nihil magis illicitum, ac belluinum videri poterat, utpote quibus usus omnis sanguinis, nedum humani, interdictus erat.

53. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

54. DIXIT ERGO EIS JESUS, q. d. inquit Augustin. Quomodo quidem edatur, & quis modus sit manducandi istum panem, ignoratis; verumtamen NISI MANDUCAVERITIS CARNEM FILII HOMINIS, id est, meam humanam, quam oculis vestris cernitis, ET BIBERITIS EIUS SANGUINEM. Hac ipsa carnis & sanguinis differentia insinuans, se sacrosanctum quoddam convivium, non solùm carnis, sed & sanguinis, instituturum: ad quam institutionem adhuc futuram cùm respiciat, verba non nisi post illud tempus obligationem manducandi & bibendi inducunt. Porrò sensus hujus propositionis compositæ non est disjunctivus, quasi sensus esset: Si vel non manducaveritis, vel non biberitis, &c. sic enim alterutrius speciei prætermissio esset illicita, quod hæretici volunt: sed sensus est copulativus universalis, etiam secundùm

54. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

rigorem Dialecticum. Nam illud, *Nisi*, includit negationem, idem valens quod, *Si non*, & repeti debet etiam in secunda parte propositionis compositæ: quasi diceretur hoc modo: *Si non manducaveritis carnem Filii hominis, & non biberitis ejus sanguinem*, &c. hoc est, si nec manducaveritis carnem, nec biberitis sanguinem, NON HABEBITIS VITAM, supple *æternam*, ut ipse Christus mox exponit, & Augustin. observat, ne scilicet putaretur de vita temporali esse sermonem. IN VOBIS, id est, non perseverabitis in vita, ut sit vobis æterna. Vitam enim jam habere supponuntur illi, qui isto cibo & potu uti debent: nam mortuis non servit cibus aut potus, ut reviviscant; sed viventium vita, ut perseveret, illis nutriri debet, ut Basil. lib. 1. de baptismo, & Catholici Doctores passim notant. Datur ergò hîc præceptum, sub pœnâ mortis æternæ, utendi hoc Sacramento, reipsa vel certè desiderio, si necessitas eum excludat; non tamen utendi hâc vel illâ specie, ut satis diximus. Ut autem non solùm pœna terreret fastidientes, sed etiam utilitatis magnitudine alliceret, adjungit:

55. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die:

55. QUI MANDUCAT, id est, manducaverit in posterum, MEAM CARNEM, ET BIBIT, seu biberit, MEUM SANGUINEM, eo scilicet modo, quo manducari, ac bibi debet, ut spiritualis manducatio per dilectionem fidei cum corporali conjungatur. Quo sensu Augustin. ait: Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, non manducat & bibit, licet premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Domini. HABEBIT VITAM ÆTERNAM, jam scilicet in se manentem & perseverantem, vi talis cibi & potus, utpote qui quemadmodum est vivus, ita etiam vivificus. Intellige autem, nisi alio ex capite sit defectus, quomodo tales propositiones universales intelligi debent, quemadmodum & de baptismo patet, Matth. 28. & de invocatione, ad Rom. 10. Quia verò perfecta vita æterna non est solius animæ, sed & corporis, de illa subjicit: ET EGO RESUSCITABO EUM, glorioſum ejusdem carnis & sanginis mei virtute, IN NOVISSIMO DIE, quando mors Christi, & Sacramenta ejus, finem, plenámque perfectionem in electis consequentur. Nam, ut præclarè docet Cyrill. lib. 4. cap. 14. & 15. non solùm animæ, sed & corpora nostra ex manducatione reali corporis & sanguinis Domini, immortalitatis incorruptionem trahunt. Quod & ante ipsum docuit Iren. lib. 5. c. 2. & lib. 4. cap. 34. Quam vivificationis efficaciam non statim in hac vita exerit caro & sanguis Christi, sed solùm in novissimo die: ne scilicet propter removendam mortis molestiam, delicatiùs crederetur in Christum. Nam, ut Augustin. lib. 2. De peccat. meritis, cap. 31. sic homines mortem istam timent, ut non ob aliud felices dicerent esse Christianos, nisi quod mori omninò non possent. Sic verò tali beneficio carni quædam felicitas quidem adderetur, sed minueretur fidei fortitudo, quæ per contemptum mortis ad immortalitatem tendit.

56. Caro enim mea, vere est cibus: & sanguis meus, verè est potus.

56. CARO ENIM MEA VERE EST CIBUS, id est, non metaphoricè, non allegoricè, non mysticè, sed reipsâ & verè cibus & potus [illegible], proinde verè & realiter meus cibi & potus manducanda & bibenda, ut vita servetur, roboretur, augeatur. Hoc ergò addit, tamquam causam præceptæ manducationis; & bis repetit illud, *Verè*, ne quis ænigma-

ticum & parabolicum ſermonem eſſe crederet, ut Chryſoſt. & Euthymius notant. Probat hoc ex effectu cibi & potus, qui eſt uniri & commiſceri viventi : Nam

57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.

57. QUI MANDUCAT MEAM CARNEM, ET BIBIT MEUM SANGUINEM, IN ME MANET, ET EGO IN ILLO, non ſolùm per fidem & charitatem, voluntatiſque unitatem, ſed etiam naturali quadam & corporali unione, ſeu commixtione, ſicut Chryſoſt. Hom. 61. ad populum Antioch. Hilar. libr. 8. de Trinit. & accuratiſſimè Cyril. lib. 10. in Joan. cap. 13. & lib. 4. cap. 17. explicat hoc exemplo liquefactæ ceræ, quæ alteri ceræ liquefactæ ita commiſcetur, ut unum quid cum ea effigi videatur. Hæc autem unio eſt cauſa vitæ; quod ſequentibus verbis tradit.

58. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me.

58. SICUT MISIT ME VIVENS PATER, quando me hominem fecit, divinitatem humanitati conjungendo : ET EGO VIVO PROPTER PATREM, quia ut Deus, à vivente vivens genitus ſum; ut homo, vitam divinitatis ejus, & omnis gratiæ ab eo accepi : ita ET QUI MANDUCAT ME, manducando carnem meam, ratione cujus factus ſum cibus ſub ſpecie panis. Inſinuat igitur ſe totum eſſe etiam ſub illa ſpecie, quæ manducatur; cui propterea etiam totum effectum utriuſque ſpeciei tribuit, dicendo, ET IPSE, ideſt, etiam ipſe, VIVET PROPTER ME, quia ſcilicet vitam meam habet in ſe, ſeu mihi viventi per manducationem meæ carnis unitus eſt. Hîc ergò abſolvit Chriſtus probationem verſus 55. q. d. hoc modo : Caro mea verè eſt cibus : cibus unitur, miſceturque manducanti, unio verò vitam tribuit; ergò qui manducat meam carnem, habet vitam æternam. Itaque rediens ad ſententiam primam verſus 53. occaſione cujus tanta dixerat, concludit ſermonem.

59. Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

59. HIC EST ille PANIS, QUI DE cœlo DESCENDIT, ſeu delapſus eſt, (eſt enim Præteriti temporis) quia per incarnationem quantum ad rem contentam, panis iſte quaſi præparatus & coctus fuit: NON SICUT MANDUCAVERUNT PATRES, &c. id eſt, non ſicut manna, ſeu non talis eſt panis, qualis manna, quod manducaverunt Patres veſtri, ET MORTUI SUNT, id eſt, & per hoc non potuerunt à morte, ſive corporis, ſive animæ liberari. QUI VERÒ MANDUCAT HUNC PANEM, VIVET IN ÆTERNUM, de quibus vide verſ. 49. 50. & 52. Hoc interim hîc notandum, quòd manducationi ſub ſola ſpecie panis non minùs vitam æternam adſcribat, quàm ſi ſub utraque ſpecie ſumeretur.

60. Hæc dixit in ſynagoga docens, in Capharnaum.

60. HÆC DIXIT IN SYNAGOGA, id eſt, in loco publico, in conventu omnium, DOCENS IN CAPHARNAUM, celebri civitate. Quæ circumſtantiarum expreſſio eò facit, ut mirabilis ille ſermo plus fidei haberet, nec à quoquam confictus putaretur.

61. Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt : Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire.

61. MULTI ERGO AUDIENTES EX DISCIPULIS EIUS, id eſt, ex ſeptuaginta diſcipulis, ut patet ex verſ. 67. & 68. DIXERUNT : DURUS EST HIC SERMO, id eſt, intellectu & creditu difficilis. Tertull. de reſurrect. cap. 36. exponit, intolerabilis. Nam ideò ſubjungunt, QUIS POTEST EUM AUDIRE? id eſt, cujus aures eum ferre poſſunt, dum ſe dicit de cœlo deſcendiſſe, carnémque humanam comedendam, & ſanguinem bibendum præcipit? Nam hoc ipſum carnaliter intellectum horrorem incutit. Has duas murmurationis cauſas intelligens Jeſus, & ordine refutans.

62. Siens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat?

63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentē ubi erat prius?

62. DIXIT EIS: Hoc VOS SCANDALIZAT: id est, hoc vos offendit, & à me alienos facit?

63. SI ERGO VIDERITIS FILIUM HOMINIS ASCENDENTEM in cœlum, suprà omnem naturæ creatæ potestatem, UBI ERAT PRIUS; antequam de cœlo descenderet: Idem enim suppositum est, quod & antè propter incommutabilem divinitatem in cœlo erat, indéque humanitatem assumendo descendit, & quod posteà per eamdem humanitatem ascendit. Est autem aposiopesis, seu reticentia, hoc modo supplenda: Quid tunc dicetis? an adhuc scandalizabimini verbis meis, quibus dixi, me de cœlo descendisse? Sic ergò tollit primam offensionis causam. Nunc ad secundam, quâ putabant carnem ejus more ferarum dentibus esse laniandam, ut August. Tract. 11. & Cyril. hîc.

64. Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

64. SPIRITUS EST, QUI VIVIFICAT, CARO NON PRODEST QUIDQUAM. Quæ verba à Chrysostomo cum suis, itémque Augustin. in Psalm. 98. sic exponuntur, ut significent, carnalem intelligentiam eorum de modo manducandi, nihil ad vitam prodesse; sed spiritualem, quâ caro Christi reipsâ quidem, sed tamen in Sacramento, non solâ fide, sed non sine fide, atque dilectione manducanda est. Cui sensui congruè subjungitur: VERBA QUÆ EGO LOCUTUS SUM VOBIS, SPIRITUS ET VITA SUNT, id est, non ita carnaliter, ut suspicamini, intelligi debent, sed tradunt res spirituales, æternam vitam adferentes. Non quasi de manducatione carnis figuratâ, metaphoricâ, vel per solam fidem loqueretur, ut hæretici somniant; sed quia de manducatione veræ carnis, non tamen carnali, non mortuæ, non discerpendæ, non in propria specie, sed sub speciebus panis tectæ. Idem tamen August. Tract. 27. in Joan. & lib. 10. de Civit. cap. 24. & ex professo Cyrill. in hunc locum, explicant etiam aliter, ut scilicet Christus assignet veram causam vivificationis, quam carni suæ sæpiùs attribuerat. *Spiritus est quæ vivificat*, id est, divinitas mea carni conjuncta, est illa, quæ vitam, de qua locutus sum, tribuit, per ipsam carnem meam: *caro* verò sola, seu à spiritu divinitatis separata, *non prodest quidquam*, ad vivificandum. Cui sensui Augustin. dicit similem esse sententiam Pauli: *Scientia inflat*, sola scilicet sine charitate, *charitas verò ædificat*, etiam per scientiam. Itaque hoc sensu directè tradidisset Christus modum, quo caro sua vitam tribuit, scilicet per spiritum: consequenter verò eam non sic edendam esse, ut putabant, quemadmodum editur caro mortua animalium, sed sicuti spiritu inanimata, non carnali, sed spirituali modo, nempe sub Sacramento. Spiritualis enim talis caro spirituali modo edenda est. Itaque VERBA, QUÆ EGO LOCUTUS SUM, de manducanda carne mea, SPIRITUS ET VITA SUNT, seu spiritus vivens, ut præcesserat, id est, sunt spiritualia, & sic vitam adferunt, vel sunt de spiritu vivificante per carnem intelligenda, non de carne per se sumptâ; quam vobiscum fateor non prodesse quidquam.

Ad quid ergò, inquies, caro manducatur, si spiritus solus ad hoc sufficit? Resp. Primò, quia caro vivificans homini vivificando magis congruit. Secundò, quia inæstimabilis dignitatis est, ipsissimi corporis & sanguinis Christi sumptione concorporeum & consanguineum Christo fieri. Tertiò, quia maximi momenti est, ad fructum partæ redemptionis

redemptionis assequendum, ipsissimo pretio redemptionis, hoc est, carni & sanguini Christi pro nobis datis uniri. Quarto, quia hoc efficacissimum est ad sanandam in nobis sævientem membrorum legem, ipsi carni Christi, ab omni cupiditate alienissimæ, conjungi & commisceri.

65. SED SUNT QUIDAM EX VOBIS, QUI NON CREDUNT, mihi docenti, & ideo verba mea non intelligunt. Intelligentia enim ex fide nascitur, juxtà illud Isaïæ 7. secundùm LXX. *Nisi credideritis, non intelligetis*, quasi diceret, incredulitas quorumdam est causa murmurationis, non sermonis duritia: SCIEBAT ENIM AB INITIO, id est, non solùm post expertam murmurationem, sed ab initio conversationis discipulorum secum sciebat, QUI ESSENT NON CREDENTES, ex discipulis, ET QUIS, impulsus illo spiritu incredulitatis, TRADITURUS, seu proditurus ESSET EUM. Nam, ut S. Leo Serm. 11. De Passione, nihil umquam verborum Domini cordi ejus inhæsit. Hunc ergò insinuat Evangelista hoc Christi sermone ex incredulitate fuisse scandalizatum, & alienato animo tandem in proditionem erupisse.

65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.

66. ET DICEBAT: PROPTEREA DIXI VOBIS, quia scilicet quidam ex vobis non credunt mihi, QUIA NEMO POTEST VENIRE AD ME, hoc est, credere in me, NISI FUERIT EI DATUM A PATRE MEO, ut credat: nam est explicatio ejus, quod dixerat vers. 44. *Nisi Pater meus traxerit eum*, quia, ut August. libr. 1. ad Bonifac. cap. 3. Ille trahitur ad Christum, cui datum fuerit à Patre, ut credat in Christum.

66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.

67. EX HOC, tempore istius duri sermonis, MULTI DISCIPULORUM EJUS ABIERUNT RETRO, Græcè ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, *abierunt ab ea, quæ retrò*, hoc est, ad pristinum vitæ modum, quem deseruerant. Quod magis explicat, addendo: ET IAM NON, Græcè οὐκέτι, *& non ampliùs*, CUM ILLO AMBULABANT, sicuti solebant. Ubi Augustinus notat in Psalm. 54. primam hæresim in discipulis Christi velut ad duritiem sermonis ipsius factam esse; intellige circa Eucharistiam. Christus ergò ne turbari vel angi videretur eorum discessu,

67. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.

68. DIXIT AD DUODECIM, qui remanebant: NUMQUID ET VOS VULTIS ABIRE? offensi doctrina mea, ut quæratis alium doctorem? quasi insinuans, hoc per se licere. Qua libertatis & optionis permissione significabat, quòd ipse illis, non illi Christo essent necessarii, ut August. notat Tract. 11. ut videlicet ita magis eos ad remanendum accenderet, omnibúsque pateret, quòd neque vi, neque ignorantia, neque verecundia retineretur, ac denique ut sequentem confessionem eliceret.

68. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & non vultis abire?

69. RESPONDIT ERGO PETRUS, nomine totius collegii Apostolici, cujus caput erat, ut Cyril. notat, & cujus sententiam exploratam se habere putabat: DOMINE, AD QUEM IBIMUS, te relicto? quasi diceret, non inveniendum esse similem: cujus ratio sequitur, quia VERBA ÆTERNÆ VITÆ HABES, id est non dura, non quæ ferri nequeant, ut alii putant, sed verè divina & vivifica, quibus qui obtemperant, vitam æternam assequentur. Alludit enim ad verba Christi 63. & tacitè refutat murmur infidelium. Unde adjungit:

69. Respondens ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

70. ET NOS CREDIDIMUS, jam antè, tum Joanni testificanti, tum tibi, & intelligentia fidem consequente, etiam COGNOVIMUS, ex factis

70. Et nos credidimus, & cognovimus, quia

tu es Christus Filius Dei.

tuis mirabilibus, QUIA TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI: Græcè ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ille Christus, ille Filius Dei vivi & veri, ut observat Cyril. Quibus paucis verbis summam fidei Christianæ complectebatur, insinuans se verba Christi, quantumvis minùs intellecta, vel dura, majestatis intuitu amplecti tamquam veracissima. Christus verò emendans Petrum, quatenus indicaverat omnes credere, ne fortè visa postea proditione Judæ, se quoque deceptum fuisse suspicarentur, respondit:

71. Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?

71. NONNE EGO VOS DUODECIM ELEGI, in domesticos & Apostolos, & tamen EX VOBIS UNUS DIABOLUS EST: id est, diabolicum, mihique adversantem animum gerit? Neminem exprimit, ut omnes solliciti essent ac timerent, juxtà August. & Cyrill.

72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

72. DICEBAT AUTEM, id est, notabat his verbis, JUDAM SIMONIS filium, ISCARIOTEM, de quo dictum Matth. 10. HIC ENIM ERAT TRADITURUS EUM, id est, magnum illud scelus proditionis commissurus, CUM ESSET, id est, quamvis esset UNUS EX DUODECIM, electis ad Apostolatum. Quod autem Deus tam exiguum numerum duodenarium novit esse sine malo, hoc ad exemplum nostræ patientiæ valere voluit, quoniam necesse erat, ut inter malos viveremus, ut Augustin. in Psalm. 34.

CAPUT VII.

CAPUT SEPTIMUM.

1. Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæâ ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.

1. POST HÆC AMBULABAT JESUS IN GALILÆAM, Græcè est, *in Galilæa*, sicut paulò post etiam, *in Judæa*: & significatur, quòd perambularet oppida Galilææ, declinando Judæam strictè dictam, in qua templum erat & Pascha debebat celebrari. Causa erat, QUIA QUÆREBANT EUM JUDÆI INTERFICERE, propter rationem assignatam, c. 5. v. 16. & 18. quæ etiam tangitur hoc cap. 7. versu 20. & 21. Itaque datur hîc ratio, cur non pertrexerit in Judæam ad Pascha celebrandum, quod cap. 6. v. 4. proximum fuisse dixerat, nempe periculum vitæ. In quo, ut August. infirmitati nostræ exemplum præbere voluit, pericula prudenter declinandi, quando non postulat charitas, ut vita profundatur.

2. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia.

2. ERAT AUTEM IN PROXIMO DIES FESTUS JUDÆORUM, Græcè ἐορτὴ *festum Judæorum*: non enim erat unus dies, sed durabat per septem continuos dies, Levit. 27. Dicebatur autem SCENOPEGIA, Græcè Σκηνοπηγία, hoc est, *tabernaculorum fixio*, quia mense septimò sub dio in tabernaculis habitabant, in memoriam habitationis per quadraginta annos in deserto, & protectionis divinæ. Unum erat ex festis tribus, quibus debebatur comparere coràm Domino, ut patet Deuteron. 16. v. 16.

3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis.

3. DIXERUNT AUTEM AD EUM FRATRES EIUS; quo nomine ex consuetudine Scripturarum vocantur quilibet consanguinei, ut notat Aug. Fratres ergò sive ex parte matris verè cognati essent, sive ex parte Joseph esse putarentur. TRANSI HINC, &c. q. d. Quid hîc in Galilæa obscurus delitescis? Sunt enim verba reprehendentium, & ipsâ reprehensione exhortantium, ut iret IN JUDÆAM, Jerosolymam scilicet

tamquam ad theatrum mundi, ut indicatur fuisse Act. 2. vers. 5. UT ET DISCIPULI TUI, id est, studiosi doctrinæ tuæ, quos illic tibi conciliasti, neque te sequuntur quaqua versum, VIDEANT OPERA TUA, QUÆ FACIS, admiranda, hoc est, ut etiam ibi eadem facias mirabilia, quæ videant.

4. NEMO QUIPPE IN OCCULTO QUID FACIT, id est, nemo aliquid præclarum faciens, latebras quærit, aut quærere debet, ET QUÆRIT IPSE IN PALAM ESSE, id est, sed è contrario desiderat publico innotescere. SI HÆC FACIS, id est, quandoquidem opera tam admiranda perpetras, MANIFESTA TEIPSUM MUNDO, id est, redde te celebrem universis hominibus, Jerosolymam proficiscendo, ut scilicet ibi à Sacerdotibus & Scribis approberis.

4. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo.

5. NEQUE ENIM FRATRES EIUS CREDEBANT IN EUM, tamquam Christum, quem se esse asserebat: quamvis id verum esse desiderarent, propter gloriam, quæ inde ad se redundaret. Nam ex humanæ gloriæ desiderio eos hæc verba dixisse, notat August.

5. Neque enim fratres ejus credebant in eum.

6. DIXIT EIS JESUS: TEMPUS MEUM, mihi opportunum, ut proficiscar in Judæam, & mundo manifester, NONDUM ADVENIT: TEMPUS AUTEM VESTRUM, proficiscendi Jerosolymam, SEMPER EST PARATUM, id est, opportunum, ut pote quibus ibi nihil periculi imminet: nam hanc rationem subjicit:

6. Dixit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advenit: tempus autem vestrum semper est paratum.

7. NON POTEST MUNDUS ODISSE VOS, quia nulla in vobis odii causa est, utpote quorum vita & sermo non multùm à mundi moribus discrepat: ME AUTEM ODIT, QUIA TESTIMONIUM PERHIBEO DE ILLO, id est, testor ac doceo, QUOD OPERA EIUS MALA SUNT. Talis autem veritas reprehensionis odium parit, quia ut Cyrill. animus voluptati deditus graviter fert, si à voluptate revocetur. Et quantumvis omnes homines amen veritatem lucentem, oderunt tamen redarguentem: amant eam, cùm seipsam indicat; oderant eam, cùm eos ipsos indicat; ut August. 10. Confess. cap. 23. Ideò igitur

7. Non potest mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera ejus mala sunt.

8. VOS ASCENDITE AD DIEM FESTUM, EGO AUTEM NON ASCENDO. Et tamen constat ex versu 10. eum ascendisse. Itaque Porphyrius apud Hieronym. lib. 2. contra Pelagianos, hinc arguebat Christum inconstantiæ, quòd tam citò mutasset propositum. Laborant autem plerique, ut hæc concilient. Cyrill. negat eum ascendisse, celebrandi scilicet festi causâ: August. Tract. 28. exponit eum non ascendisse gloriæ suæ causâ, sicut fratres ei consulebant. Sed expeditior solutio est, quam ibidem August. suggerit, & ipse textus indicat: quia non ascendit ad diem festum illum, hoc est ad primum vel secundum diem festivitatis; sed ascendit sequentibus diebus, ut indicatur versu 14. Vel faciliùs adhuc dici potest, quando dicitur *non ascendo*, illud Latinum, *non*, poni pro eo, quod in Græco est, οὔπω, *nondum*: nam Græcè habetur hic eadem vox, quæ versu 6. ubi dicit, *Tempus meum nondum advenit*: & quæ habetur hoc eodem versu; MEUM TEMPUS NONDUM IMPLETUM EST, quod scilicet ego propterea exspecto. Quo impleto.

8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est.

9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa.

10. TUNC ET IPSE ASCENDIT, cùm scilicet fervor Judæorum aliquantulum fortasse deferbuisset, ut minore cum periculo venire posset. Ascendit autem, NON MANIFESTE, SED QUASI IN OCCULTO: quia neque

10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad

diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

rectâ viâ profectus est, sed per diverticula & devia, transmisso scilicet Jordane per Peræam, ut ex collatione Evangeliorum colligitur: neque cum notabili comitatu, ut adventui suo celebritatem adimeret.

11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Ubi est ille?

11. JUDÆI ERGO, Principes scilicet, QUÆREBANT EUM IN DIE FESTO, ut eum apprehenderent, ET DICEBANT: UBI EST ILLE? Quam esse vocem contemptus, notat Chrysost. cum suis.

12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant: Non, sed seducit turbas.

12. ET MURMUR MULTUM, id est, multa mussitatio, variæ scilicet variorum sententiæ erant, IN TURBA DE EO.

13. Nemo tamen palam, loquebatur de illo, propter metum Judæorum.

13. NEMO TAMEN, eorum, qui defenderent eum, PALAM, Græcè, παῤῥησίᾳ, *liberè*, seu cum *libertate*, LOQUEBATUR DE ILLO: nam, ut Augustin. *seducit turbas*, clariùs sonabant; *bonus est*, pressiùs susurrabant, PROPTER METUM JUDÆORUM, Principum, quibus eum invisum esse sciebant.

14. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, & docebat.

14. JAM AUTEM DIE FESTO MEDIANTE, hoc est, cùm ejus jam esset medium, quarto scilicet festivitatis die, qui inter septem medius est, ASCENDIT JESUS IN TEMPLUM, publicè scilicet, ET, præsentibus ibi inimicis, DOCEBAT. Ut satis hinc pateat, antea exempli nostri causâ, eum, ut diximus, latuisse; nunc verò divinæ suæ potestatis ostendendæ causâ prodiisse, ut utrumque notat Augustin. Tract. 29.

15. Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?

15. ET MIRABANTUR, DICENTES: QUOMODO HIC LITTERAS SCIT, Scripturas scilicet sacras, quas allegat, ac divina mysteria, CUM NON DIDICERIT? quia multi noverant, inquit Augustin. ubi natus, quemadmodum fuisset educatus, quem tamen nunquam viderant litteras discentem.

16. Respondit eis Jesus, & dixit: mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.

16. RESPONDIT JESUS: MEA DOCTRINA, quam vobis trado, NON EST MEA. Quam apparentem contradictionem solvit Athanas. Serm. 2. contra Arianos, & breviùs Augustin. hoc loco, cum dicit: Doctrina Christi ipsius erat, quia Christus erat verbum, in quo omnes thesauri sapientiæ absconditi; & ipsius non erat, quia verbum necesse est, ut alicujus sit. Quid verò tam tuum quàm tu? & rursum, quid tam non tuum, quàm tu, si alicujus es, quod es? unde & Christus adjicit, SED EIUS, QUI MISIT ME, id est, Patris, à quo sicut essentiam, & scientiam, & sapientiam, ita & doctrinam accepi. Unde cap. 8. *Sicut me docuit Pater, hæc loquor.*

17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.

17. SI QUIS VOLUERIT EIUS VOLUNTATEM FACERE; conformando voluntatem & facta sua præceptis Dei, COGNOSCET DE DOCTRINA, UTRUM EX DEO SIT: intellectus enim bonus omnibus facientibus eum. Nam, ut Augustin. quæst. 96. super Exodum, Prius oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito devotionis istius ipse perducat? AN EGO A MEIPSO LOQUAR, id est, an mea doctrina humano sensu inventa sit, Deique contraria? Hoc enim dicit, *à meipso*, ita scilicet ut non sit ex Deo, quod necesse est Deo esse contrarium. Nam

18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit glo-

18. QUI A SEMETIPSO LOQUITUR, tamquam auctor atque inventor doctrinæ suæ, GLORIAM PROPRIAM QUÆRIT, id est, affectat gloriam proprii ingenii & inventionis, ut inde ab hominibus in pretio habeatur; QUI AUTEM QUÆRIT GLORIAM EIUS, QUI MISIT EUM, Dei scilicet,

quemadmodum me ubique facere videtis, HIC VERAX EST. Immediatè dicendum erat, *hic à ſeipſo non loquitur*, & conſequenter, *verax eſt*, deferens auctori ſuo id, quod ei debetur: ET INIUSTITIA, id eſt, impoſtura injuſta, quâ ſtudio adulandi fallat aliquem, NON EST IN EO. Nullam enim adulandi vel fallendi cauſam habet, ſed doctrinam Dei, ſive gratam, ſive ingratam, auditoribus ſine diſſimulatione tradit. Et hactenus de primo capite Judaïcæ accuſationis, quòd Patrem ſuum diceret Deum: nunc ad alteram, quòd legem Moyſis & ſabbatum violaret.

riam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.

19. NONNE MOYSES DEDIT VOBIS LEGEM: ET NEMO EX VOBIS FACIT LEGEM? q. d. Nonne vos ipſi ſolvitis legem Moyſis, cujus tranſgreſſionem mihi objicitis? Ut videlicet hoc modo in ipſomet accuſantes crimen objectum regerat. Sed in quo Judæi non ſervarent Legem, non ita liquet aut convenit. Chryſoſt. Cyril. & Auguſtin. intelligunt eos non ſervare Legem, eò quòd innocentem occidere vellent, quod lex prohibet: verſui tamen 22. videtur magis congruere, ut neminem eorum intelligat facere legem illam, de qua ſermo erat, de non violando ſabbato, ut pote in quo tota illa natio hominum circumcidebat, cum tamen hoc ſit violare ſabbatum, juxta ſententiam illam, quâ putabant à Chriſto ſabbatum, violari, hominem ſanitati reſtituendo.

19. Nonne Moyſes dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

20. QUID ergò ME QUÆRITIS INTERFICERE? ſcilicet ob violatum ſabbatum, cum ipſi vos non minus in eo rei ſitis? Quæ verba cum eſſent ad Principes dicta; RESPONDIT TURBA, putans & in ſe eſſe conjecta, & ſe criminis illius ream agi: DÆMONIUM HABES, mendacii ſcilicet, & calumniæ iſtius auctorem: QUIS noſtrum TE QUÆRIT INTERFICERE? Quibus inconditis turbæ turbatæ verbis, tamquam ex conſuetudine hominum irritatorum dictis, Dominus in veritate tranquillus reſpondit ſine maledicto:

20. Quid me quæritis interficere? Reſpondit turba, & dixit: Dæmonium habes; quis te quærit interficere?

21. UNUM OPUS FECI, ſanando unum hominem languidum in ſabbato, ET OMNES MIRAMINI: alii indignantes atque damnantes, ut verſu 23. alii ſaltem mirum judicantes, quòd non alio die hoc fecerim, ut ſic nulla in me caderet reprehenſio.

21. Reſpondit Jeſus, & dixit eis, Unum opus feci, & omnes miramini.

22. PROPTEREA, ut hanc tum indignationem vobis auferam, attendite, ſcilicet id, quod vobis dicam: MOYSES DEDIT VOBIS CIRCUMCISIONEM, id eſt, mandatum de circumciſione, ut patet Levit. 12. verſu 3. ubi dicit, *Die octavo circumcidetur infantulus*: quibus verbis circumciſio in Legis ſacramentum tranſivit: NON QUIA EX MOYSE EST, tamquam primo promulgandæ circumciſionis auctore, SED EX PATRIBUS, Abraham, Iſaac, & cæteris Moyſe vetuſtioribus Patriarchis: ET IN SABBATO, etiam à Moyſe vobis præcepto, CIRCUMCIDITIS HOMINEM, ſi videlicet dies octavus nativitatis ejus in ſabbatum incideret. His præmiſſis argumentatur adverſùs eos Chriſtus in hunc modum:

22. Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem: (non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus) & in ſabbato circumciditis hominem.

23. SI CIRCUMCISIONEM ACCIPIT HOMO IN SABBATO, quæ ex ſuo genere ſervile quoddam opus eſt, præſertim cùm ei conjungitur, quæ conjungi ſolet, medicinalis illa chirurgia, ad ſanandum vulnus neceſſaria, ut Cyril. notat, UT NON SOLVATUR LEX MOYSI, id eſt, ita ut tamen per hoc non violetur lex de obſervando ſabbato: MIHI INDI-

23. Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi: mihi indignamini quia

totum hominem sanum fecit in sabbato.

GNAMINE, QUIA TOTUM HOMINEM, id est, toto corpore paralysi dissolutum, SANUM FECI IN SABBATO? Cùm scilicet sit hoc longè remotiùs ab opere servili, ut pote solo jussu factum, sine ulla membri præcisione, vel medicinæ, vel fasciarum applicatione. Itaque

24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.

24. NOLITE IUDICARE SECUNDUM FACIEM, id est, secundùm acceptionem facierum seu personarum, hoc est, non ex æquitate causæ, sed ex odio, amore, aut alio affectu erga personam, ad causæ meritum non pertinente: q. d. Nolite ex favore Moysen vel vos absolvere; ex odio me condemnare: SED IUSTUM IUDICIUM IUDICATE, ex causæ meritis conceptum. Quo tacitè eis revocat in memoriam legem Dei, quæ ferè eisdem verbis expressa est, Deuteron. 1. vers. 16. & 17.

25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: Nonne hic est, quem quærunt interficere?

25. DICEBANT ERGO QUIDAM EX JEROSOLYMIS, Græcè ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, *Jerosolymitanis*, quibus videlicet magis perspecta erant Principum suorum consilia: NONNE HIC EST, QUEM QUÆRUNT INTERFICERE? &c. Sunt verba mirantium, ut Augustin. notat, quâ tandem potentiâ fieret, ut non teneretur; imò nec verbum ei diceretur, quem antèà Principes tantâ sævitiâ persequebantur. Et cùm dubitarent, an hoc fieret ex eo, quòd agnoscerent eum esse Christum, respondent sibi ipsis.

26. Et ecce palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognoverùt Principes, quia hic est Christus?

27. Sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

27. SED, &c. q. d. Non est hoc verisimile, quia HUNC SCIMUS UNDE SIT, hoc est, novimus ejus patrem & matrem, ut est suprà cap. 6. v. 42. CHRISTUS AUTEM CUM VENERIT, NEMO SCIT, id est, scies, UNDE SIT, id est, ex quibus parentibus. In quam persuasionem inducti sunt, forsan ex verbis Scripturæ malè intellectis, ut ex illo Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* & illo Michææ 5. *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*; & similibus, quæ de ipsius divinitate loquuntur.

28. Clamabat ergo Jesus in templo, docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

28. CLAMABAT ERGO JESUS IN TEMPLO DOCENS ET DICENS: ET ME SCITIS, nomen, faciem, conversationem; ET UNDE SIM SCITIS, id est, quibus, ut putatis, parentibus, quâ patriâ natus, ubi educatus: verùmtamen adhuc occultior mihi origo est, QUIA A MEIPSO NON VENI. Ubi per, *veni*, significat suâ se quidem voluntate venisse, sed addendo, *non à meipso*, indicat hoc suum *velle & venire* ab alio derivari. Quam ob causam congruè dicitur *missus*: missio enim origo est legationis. Ideòque adjicit: SED EST VERUS, absolutè & in omnibus, quia & verus Deus, & verus Pater, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, & verum habens Filium, verus in dictis, in promissis, in factis. Hic ergò per omnia verus & verax MISIT ME, de cœlo in terram: per quod incarnationem suam indicat: QUEM VOS NESCITIS, supple ex versu seq. quòd ab ipso sum, &c. q. d. inquit Augustin. Unde sim scitis, & unde sim nescitis: insinuans secundùm carnem se illis totum esse potuisse & gente & patriâ, secundùm divinitatem verò incognitum.

29. Ego scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.

29. EGO SCIO EUM, QUIA, seu quòd, AB IPSO SUM, id est, scio me ab ipso esse per æternam generationem, ET IPSE ME MISIT, per incarnationem. Nam, ut Augustin. magnificè utrumque monstravit, *ab ipso sum*, quia Filius de Patre natus, *& ipse me misit*, quia principii generantis auctoritate incarnatus.

30. Quærebant ergo eum appre-

30. QUÆREBANT ERGO EUM APPREHENDERE, aliqui scilicet de turbâ

verbis illis irritatâ, ut videtur colligi ex versu 32. utpote quia putabant se magistratui gratum facturos, vel quia ab eo apprehendendi facultas jam antè data fuerat: ET NEMO MISIT IN EUM MANUS, QUIA NONDUM VENERAT HORA ILLIUS, qua teneri & pati decreverat. Itaque occulta Domini virtus conatum eorum cohibebant. Cùm ergò multi alii de turba propter multitudinem signorum crederent, & Pharisæi timerent, ne eum omnes sequerentur, dixit Jesus eis, qui missi fuerant ad eum apprehendendum:

hendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.

31. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit?

32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent eum.

33. ADHUC MODICUM TEMPUS VOBISCUM SUM, id est, quamtumvis ineer vos constitutum sit, me apprehendere, velitis, nolitis, adhuc modico tempore inter vos conversabor, & illo peracto, propriâ sponte mea, VADO AD EUM, QUI MISIT ME, per mortem, resurrectionem, & ascensionem in cœlum.

33. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit.

34. QUÆRITIS ME. Hoc multi intelligunt de quæsitione in malum: q. d. Etiam post discessum meum quæretis extinguere me, & nomen meum, sed NON INVENIETIS: & ita consequenter exponi deberent sequentia: quia UBI EGO SUM, seu ero tunc, VOS NON POTESTIS VENIRE. Et iste sensus satis congruit versui 21. Capitis seq. ubi eadem verba illo sensu repetuntur. Christus ipse tamen c. 13. v. 33. repetit eadem sua verba apud Apostolos, & exponere videtur de quæsitione etiam in bonum. Itaque sensus esse poterit etiam ille, sine præjudicio sensus præcedentis: Ubi in cœlum ascendero, plerique vestrûm compuncti quæretis, optabitisque præsentiam meam corporalem, ut me docentem audiatis, & signa videatis; sed non invenietis. Ita ferè August. ET UBI EGO SUM. Illud, *Et*, est causaliter accipiendum, pro *Nam*, ubi ego tunc ero, & jam etiam sum, propter divinitatem ejusdem suppositi, VOS NON POTESTIS, seu poteritis tunc VENIRE, quamdiu scilicet mortali corpore gravati me quæsieritis. Judæi ergo cùm hoc non intelligerent.

34. Quæretis me, & non invenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire.

35. DIXERUNT AD SEMETIPSOS, id est, inter se: Quo, id est, in quem alium locum orbis terrarum ITURUS EST? Non enim apprehendebant rudes homines eum de cœlo loqui. NUMQUID IN DISPERSIONEM GENTIUM ITURUS EST? id est, ad dispersas toto orbe terrarum Gentes? Quomodò & 1. Petri 1. vers. 1. Gentilitas vocatur *Dispersio Ponti, & Galatiæ, &c.* quia Gentes non unam regionem, sicuti Judæi terram Chanaan, sibi assignatam habebant. ET DOCTURUS GENTES? Græcè utrobique est ἕλληνας, *Græcos*, per quos intelligebant reliquas nationes hominum præter Judæos. Nam ex eo tempore, quo Græci rerum potiti fuerant, dividebant Judæi totum orbem in Judæos & Græcos, ut patet ex Apostolo sæpiùs in Epist. 1. ad Romanos.

35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersione Gentium iturus est, & docturus Gentes?

36. Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi sum ego, vos non potestis venire?

37. IN NOVISSIMO AUTEM DIE MAGNO FESTIVITATIS: quem aliqui septimum fuisse putant; sed quia Scriptura non notat in feriis Scenopegiæ diem septimum fuisse magnum, imò nec ab opere servili fuisse

37. In novissimo

autem die magno festivitatis, stabat Jesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

feriatum, hinc verisimilius est, designari octavum, qui proprio nomine dicebatur, *Dies Cœtus atque Collecta*, quia totus populus eo die confluebat, tamquam postridiè domum discessurus. Unde & Salomon die octavo dedicationis dicitur fecisse collectam. Hic ergò dies octavus Scenopegiæ, quia Levit. 23. vers. 36. vocatur celeberrimus, atque sanctissimus, meritò debet intelligi esse dies magnus festivitatis: in quo propter frequentissimum auditorium, & jamjam dimittendum, Christus velut viaticum daturus, STABAT, tamquam rem maximè seriam asserturus; & ex intimo animi sensu loquens, CLAMABAT, ut facilius ab omnibus exaudiretur: SI QUIS SITIT, id est, vehementer desiderat, salutem, beatitudinem, & summum bonum; quia sitientium appetitus vehementissimus est: VENIAT AD ME, tamquam ad fontem publicum, unde nemine prohibente, refocillationem suæ sitis, hoc est, salutem hauriat. Alludere videtur ad locum Isaiæ 55. vers. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* ET BIBAT, potum salutis, quem ego ei propino, Spiritum videlicet sanctum, qui ita sitim ejus implebit, ut nullam umquam inopiam passurus sit. Ut autem intelligerent, quid sit venire ad se, explicando subjungit:

38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vitæ.

38. QUI CREDIT IN ME (credendo enim venitur, non credendo disceditur) SICUT DICIT SCRIPTURA, diversis locis, magnam Spiritus & gratiæ abundantiam promittens hominibus, ut videre licet Isaiæ 58. vers. 11. Joëlis 2. vers. 28. & aliis locis, FLUMINA AQUÆ VIVÆ, id est, multiplicia Spiritus sancti, & gratiarum dona abundanter, instar fluminum, FLUENT DE VENTRE EIUS, id est, non solùm ipsum intùs reficient, sed etiam ex animo ejus, seu intimis ejus sensibus per omne genus sanctæ operationis in alios erumpent. Hunc esse sensum Evangelista ipse exponit, dum testatur hoc esse dictum DE SPIRITU, QUEM ACCEPTURI ERANT CREDENTES, utpote qui dona sua profusissimè instar fluminum in credentes fusurus erat in Pentecoste.

39. Hoc autem dixi de Spiritu, quem accepturi erant credentes id eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

39. NONDUM ENIM ERAT SPIRITUS DATUS, visibiliter scilicet, & cum tanta plenitudine, signorumque & effectuum gloriâ. Nam, ut Augustin. omnes Prophetæ, & justi Spiritum sanctum olim acceperant: sed modus quidam futurus significatur donationis hujus, qui omninò antè non apparuerat. Causa erat, QUIA JESUS NONDUM ERAT GLORIFICATUS, per crucem seu mortem, ut Chrysost. cum suis: itemque Hieron. Epist. ad Hedibiam, quæst. 9. Sed rectiùs August. intelligit glorificationem per resurrectionem, & ascensionem in cœlum, quandò exaltatus fuit ad dexteram Patris. Unde Christus ipse ait: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Causa dilationis istius fuit, quia inordinatum videbatur glorificare Ecclesiam, seu membra Christi, antequam capitis glorificatio completa esset. Quò respexit sanctus Petrus, Act. 2. v. 33. *Dextra igitur Dei exaltatus* (id est, glorificatus) *& promissione Spiritus sancti acceptâ à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis.* Sic enim patuit, tantam donorum profusionem esse fructum victoriæ, & glorificationis Christi. Cùm ergo turbâ inter se dissentiente, ministri

40. Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant: Hic est verè Propheta.

41. Alii dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæa venit Christus?

fuissent

fuissent à Pharisæis reprehensi, cur Jesum non adduxissent captivum, causam reddiderunt: quia

42. Nonne Scriptura dicit: Quia ex semine David &, de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?

43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum.

44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum, sed nemo misit super eum manus.

45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?

46. NUMQUAM SIC LOCUTUS EST HOMO, hoc est, cum tanta eloquentia, & efficacia, & vi spiritus: nam ex solo concionandi modo aliquid divinum in eo latêre judicarunt.

46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

47. RESPONDERUNT PHARISÆI, cæteris magis implacabiles: NUMQUID ET VOS, qui nobis ministerio & clientelâ estis obstricti, SEDUCTI ESTIS, verborum ejus pulchritudine, ut ei tamquam Prophetæ, vel Messiæ adhæreatis?

47. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis?

48. NUMQUID EX PRINCIPIBUS ALIQUIS, auctoritate scilicet præcellentibus, AUT EX PHARISÆIS, sanctitate aut Legis peritiâ eximiis, CREDIDIT IN EUM, quos scilicet tutò sequi possitis? Errore enim sæculari arbitrabantur, ex personis fidem, non ex fide personas æstimari oportere, ut Tertull. de Præscript. cap. 5. Sed Christus in illis initiis non multos sapientes secundùm carnem, potentes, aut nobiles vocavit, qui sua auctoritate alios provocarent, ne divitiis, potentia, honore, favore, sæculari sapientia, homines ad se traduxisse videretur.

48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?

49. SED TURBA HÆC, QUÆ NON NOVIT LEGEM, & ideò non servat eam, neque in credendo, neque in agendo, dum istum loco Prophetæ vel Messiæ tam facilè contra Legem recipiunt, MALEDICTI SUNT, juxtà id, quod Lex dicit Deuter. 27. v. 26. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.*

49. Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt.

50. DIXIT NICODEMUS ILLE, QUI VENIT AD EUM NOCTE: ideóque tunc non incredulus quidem, sed adhuc timidus, nunc verò paulò constantior, ut qui auderet eorum furorem saltem ad examen revocare:

50. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis.

51. NUMQUID LEX NOSTRA IUDICAT HOMINEM, NISI PRIUS, &c. id est, Numquam lex Dei quemquam condemnari sinit inauditum, ut AB IPSO, præsente scilicet, causa ejus diligenter cognoscatur, utrùm reus sit, an non; quantumcumque multos habeat accusatores? ut notat Basilius in Moralibus, reg. 54. cap. 5. Quod & Judæos observasse patet ex forma condemnandi Susannam, itemque Romanos, ex Act. 25. v. 16. Hinc & Deuter. 13. v. 14. sollicitè & diligenter Lex veritatem quæri jubet, antequam ad punitionem procedatur. Itaque Nicodemus non tam Jesum defendit, quàm Legem, ut ei efficaciùs prosit: credebat enim, inquit August. quia si tantummodò eum vellent patienter audire, fortè similes ministris credentibus fierent.

51. Numquid lex nostra judicat hominem nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat?

52. RESPONDERUNT, ET DIXERUNT EI, ferociùs cum convitio: NUMQUID ET TU GALILÆUS ES? ut scilicet propter communem patriam ei faveas? vel potiùs sensus videtur: Numquid, & tu ex discipulis ejus es? Nam, ut posteà discipuli glorioso nomine dicti sunt Christiani, ita anteà probroso videnti dicti Galilæi, quia plerique tales erant, & quia Christus ipse in Galilæa educatus fuit. Unde ancilla Lucæ 22. probat

52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa Pro-

pheta non ſurgit. 53. Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam.

Petrum eſſe diſcipulum Chriſti, quia Galilæus erat: & Julianus Apoſtata morti proximus exclamabat, *Viciſti Galilæe.* SCRUTARE SCRIPTURAS, ET VIDE QUIA A GALILÆA PROPHETA NON SURGIT, Græcè ἐγήγερται, *ſurrexit*, id eſt, deprehendens nullum hactenus Prophetam ex Galilæa prodiiſſe, & proinde neque hunc eſſe Prophetam vel Meſſiam. Ineptum planè argumenti genus: ſic enim & Eliæ auctoritatem elevare potuiſſent, dicendo, quòd ex habitatoribus Galaad Propheta non ſurgeret; & omnium eorum, qui primi ex aliqua gente excitantur. Interim conſilium Nicodemi illum ſucceſſum habuit, ut reverteretur UNUSQUISQUE IN DOMUM SUAM, re videlicet infectâ, & nihil decernendo adversùs Jeſum.

CAPUT VIII.

CAPUT OCTAVUM.

1. JEſus autem perrexit in Montem Oliveti.

1. JESUS AUTEM, tamquam carens hoſpitio, nemine illud offerente, PERREXIT IN MONTEM OLIVETI, in hortum ſcilicet Gethſemani, ſitum ad latus occidentale montis Olivarum: nam illic Chriſtum frequenter conveniſſe cum diſcipulis ſuis teſtatur Joannes infrà c. 18. v. 2. idque ad orandum & pernoctandum ſub dio, ut colligitur ex Luc. c. 21. v. 37. & ex hiſtoria paſſionis.

2. Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos.

2. ET DILUCULO ITERUM VENIT IN TEMPLUM, ubi pridie docuerat. Cùm ergò adduxiſſent ei mulierem, DEPREHENSAM IN ADULTERIO, in ipſo ſcilicet facto per teſtes, ita ut negari non poſſet; dixerunt ei:

3. Adducunt autem Scribæ, & Phariſæi, mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio.

4. Et dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio,

5. In lege autem Moyſes mandavit nobis hujuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

5. IN LEGE MOYSIS MANDAVIT NOBIS HUIUSMODI, mulieres, LAPIDARE. Lex tam Levit 20. v. 10. quàm Deuter. 22. v. 22. tantùm decernit pœnam mortis, nullâ factâ mentione lapidationis: ſed veriſimile eſt Judæos, ſive ex regula interpretandi Scripturas, ſive ex traditione, extendiſſe lapidationem, cujus ſit mentio loco Deuter. cit. in verſu, tam antecedente, quàm ſequente, etiam ad mœchos: de quo latiùs diximus in locum Levit. allegatum. Tu ERGO QUID DICIS? Non tamquam Judex, ſed tamquam Magiſter ac Doctor.

6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut poſſent accuſare eũ. Jeſus autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terra.

6. HOC AUTEM DICEBANT TENTANTES EUM, hoc eſt, non diſcendi, ſed experimentum ſumendi causâ, utrùm aliquid ex ore ejus elicerent: UT POSSENT ACCUSARE EUM, nempe ut, ſi lapidandam cenſeret, famam manſuetudinis apud populum amitteret, imò adversùs finem propoſiti ſui agere videretur, qui dixerat ſe veniſſe, non ut judicet mundum c. 3. v. 17. ſin autem non lapidandam diceret, eum Legi, vel traditioni, & conſequenter cathedræ Moyſis contrarium clamarent. JESUS AUTEM INCLINANS SE DEORSUM, DIGITO SCRIBEBAT IN TERRA, in pavimento ſcilicet templi, ſeu in pulveribus ejus formando characteres, quia ſub dio erat. Quid ſcripſerit, alii aliud conjectant. Ambroſ. putat eum ſcripſiſſe id, quod habetur Matth. 7. v. 3. *Quid vides feſtucam in oculo fratris, &c.* D. Thomas in Comment. cum aliis, ſentit eum

scripsisse idem, quod ore dixit, *Qui sine peccato est vestrûm, &c.* Causa, cur scriberet, juxtà August. lib. 4. de consensu c. 10. fuit, ut significaret illos in terra scribendos, non in cœlo. Eutymius tamen & alii quidam putant Christum scribendo, & quasi aliud agendo, judicium istud declinare voluisse, & captiosam quæstionem à se avertere, adeóque contemnere. Unde editio Complutensis addit in Græco, μὴ προσποιούμενος, *dissimulans*, seu quæstionem non ad se trahens, quemadmodum prudentes viri nonnumquam facere solent. Cui benè respondet id, quod sequitur:

7. Cum ergo perseverarent interrogantes, erexit se. Quod insinuatur, Christum non nisi coactum importunitate respondisse. Perseverabant autem interrogare, quia & ipsi suspicabantur eum tergiversari tamquam perplexum. DIXIT EI: QUI SINE PECCATO EST VESTRUM, id est, ex vobis. Per quod omnes intùs ad interiorem judicem revocat, tacitéque significat eos non minoribus criminibus obnoxios esse. PRIMUS IN ILLAM LAPIDEM MITTAT, q. d. Mulierem quidem dignam lapidatione judico, sed non est congruum, ut in illa punienda Lex impleatur à puniendis; ut vi videlicet transgressor transgressorem judicet, inquit August. Itaque neque Legem læsit, nec mulierem damnavit, sed ita temperavit responsionem, ut & justitiæ de vindicta criminis, & Legi ac mansuetudini satisfaceret, & ferociam accusantium deprimeret.

7. Cùm ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.

8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra.

8. ET ITERUM SE INCLINANS, SCRIBEBAT IN TERRA, tamquam rediens ad opus præmeditatum, quod ipsi interruperant, idque ut clementissimus Judex daret eorum verecundiæ spatium recedendi, ut notat Hieron. libr. 2. contra Pelagianos.

9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Jesus, & mulier in medio stans.

9. AUDIENTES AUTEM, & ista altissimâ justitiæ regulâ tamquam telo percussi, inquit August. quia videlicet redarguti propria conscientia, UNUS POST UNUM EXIBANT, pudore profitendi se sine peccato, & timore audiendi pejora; INCIPIENTES A SENIORIBUS, eo quòd ipsi plura haberent crimina, qui diutiùs vixerant, vel quia priores vim sententiæ intellexerant, quasi prudentiores, ut Ambros. Epistol. 58. ET REMANSIT SOLUS JESUS, ET MULIER IN MEDIO STANS, nempe coram Jesu, Apostolis, & auditorio.

10. Erigens autem se Jesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condamnavit?

10. ERIGENS AUTEM SE, DIXIT: UBI SUNT, QUI TE ACCUSABANT? Quo significat se cum Scribis & Pharisæis hactenus egisse, tamquam cum accusatoribus, non judicibus. Unde etiam dixerat, *primus lapidem mittat*, eò quòd hoc soleret esse testium, non judicum. Eáque de causa faciliùs etiam fuerat accusatores ab instantiæ severitate compescere, quàm Judices à condemnatione rei convicti. NEMO TE CONDEMNAVIT? id est, te nemo lapidavit, juxtà sententiam condemnationis à me latam? Non enim agebatur de convincendo, sed de puniendo crimine.

11. Quæ dixit, Nemo, Domine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condamnabo. Vade, & jam amplius

11. NEC EGO TE CONDEMNABO. Quibus verbis, inquit Ambros. Epist. 76. dimittitur mulier, non absolvitur, quia deerat accusator, non quia innocens approbatur. Quid ergò quærerentur Judæi, qui priores à persecutione criminis, & ab executione supplicii destiterunt? Et quando quidem accusatore deficiente liber fit reus, addit Jesus, VADE,

plius noli peccare.

libera quidem à supplicio, sed IAM AMPLIUS NOLI PECCARE: ut se homini peperciſſe, non hominis culpam ſibi placuiſſe monſtraret, inquit Auguſt. Epiſt. 54.

12. Iterum ergo locutus eſt eis Jeſus, dicens: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.

12. ITERUM ERGO LOCUTUS EST EIS JESUS, id eſt, perrexit ſermonem à Judæis interruptum facere, videlicet ad populum, qui verſ. 2. dicitur ad eum veniſſe, DICENS: EGO SUM LUX MUNDI, non ſolùm quatenus ſum Sapientia & Veritas, in æternum manens, ſed etiam quatenus in carne vivo. Nam de verbo incarnato dixit Iſaïas, cap. 9. *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam:* & Chriſtus ipſe c. 9. v. 5. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Itaque *ſum lux mundi*, ſeu mentium humanarum, ita ut illa lux per verba, per converſationem, per mores, per totam corporis compoſitionem reſplendeat, adeóque ut per ſenſus etiam externos hominum obſervari, & morum regula eſſe poſſit: & ideò, QUI SEQUITUR ME, verbo, doctrinâ, & exemplo prælucentem converſationi ſuæ, NON AMBULAT IN TENEBRIS, id eſt, non vivet in erroribus, aut peccatis; utrumque enim damnat ac tollit doctrina, & converſatio mea: SED HABEBIT LUMEN VITÆ, æternæ, inquit Auguſt. cùm ſcilicet ad metam ambulationis ſuæ pervenerit. Nam, ut eſt Pſal. 35. *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

13. Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum.

13. DIXERUNT EI: TU DE TEIPSO TESTIMONIUM PERHIBES: ideóque TESTIMONIUM TUUM NON EST VERUM, quemadmodum ſcilicet tu dixiſti capite 5. v. 25. Sed tunc loquebatur ad hominem, hoc eſt ſecundùm morem inter homines uſitatum; ubi propter ſuſpicionem falſitatis, quæ ex amore ſui naſci ſolet, homini de ſe teſtificanti non creditur; quem morem tunc Dominus non tamquam omni ex parte verum probavit; ſed ſaltem circa ſe Phariſæorum causâ admiſit, utens aliis notioribus de ſe teſtimoniis. Hîc verò totam auctoritatem ſuam, etiam ratione divinitatis ſibi competentem proferre volens, docet caſum dari, in quo rectiſſimè ſuo de ſe uti poſſet teſtimonio: ita tamen ut *teſtimonium ſuum verum ſit.* Ratio eſt, QUIA SCIO, id eſt, accuratiſſimâ cognitione comprehendo, UNDE VENI, nempe ex ſinu Patris, in hunc mundum, tamquam Deus ex Deo; ET QUO VADO, iterum ſcilicet ad Patrem abſolutâ diſpenſatione legationis meæ. Quibus verbis breviter complectitur omnia de ſe credenda, videlicet & ſe Deum eſſe ex Deo, & initium ac finem incarnationis ſuæ, ac proinde ſibi maximè credendum eſſe: quia, ut Chryſoſt. Deus ſibi ipſi idoneus teſtis eſt: &, ut Auguſt. lumen idoneum eſt, ut & alia demonſtret & ſe. VOS AUTEM NESCITIS, UNDE VENIO, AUT QUO VADO, id eſt, ignoratis originem & egreſſum meum ex Patre, & regreſſum ad Patrem.

14. Reſpondit Jeſus, & dixit eis: Et ſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum: quia ſcio unde veni, & quo vado: vos autem neſcitis unde venio, aut quo vado.

15. Vos ſecundum carnem judicatis: ego non judico quemquam:

15. VOS SECUNDUM CARNEM IUDICATIS: id eſt, ſecundùm ſuggeſtionem carnis, & affectuum carnalium veſtrorum: itemque ſecundùm infirmitatem carnis meæ oculis veſtris conſpicuam pronuntiatis de me. EGO verò NON IUDICO QUEMQUAM, ſupple, ſecundùm carnem, ſicut ſupplet Auguſt. id eſt, nihil pronuntio de me, aut de aliis ex affectu carnali, & ex iis, quæ ſolis ſenſibus foris apparent. Proinde

16. Et ſi judico ego, judicium

16. SI IUDICO EGO, id eſt, teſtificor quippiam de me, aut aliis, IUDICIUM MEUM VERUM EST, id eſt, teſtimonium illud meum legitimum

est, & non suspectum. Nam, & præcedentia & sequentia apertè postulant, ut *judicare* & *judicium*, pro *Testari* & pro *Testimonio* sumantur. QUIA SOLUS NON SUM, qui scilicet testimonium de me perhibeo: SED EGO, ET QUI MISIT ME, PATER, hoc est, quia duo sumus.

meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me, Pater.

17. ET IN LEGE VESTRA SCRIPTUM EST, QUIA DUORUM HOMINUM, nihil in se divinitatis habentium, TESTIMONIUM VERUM EST, id est, pro vero, & legitimo recipiendum est, ita ut ei sit standum: quantò magis testimonium Patris & meum? Alludit enim ad locum Deuter. 19. v. 15. Nunc verò

17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.

18. EGO SUM, QUI TESTIMONIUM PERHIBEO DE MEIPSO, ET PATER. Quibus verbis explicat id, quod dixerat v. 16. nempe duos esse, qui de se testimonium perhibeant, seipsum scilicet tamquam Deum, & Patrem suum; quorum uterque per os humanæ naturæ Christi, & per opera mirabilia de Christo testimonium ferebat.

18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

19. DICEBANT ERGO EI: UBI EST PATER TUUS? satis animadvertentes de alio Patre, quàm de Joseph esse sermonem: dissimulant tamen, & quasi per ludibrium rogant, ut clariùs expressum in calumniam trahant. RESPONDIT JESUS, palàm eis exprobrans ignorantiam, occultè autem satisfaciens quæstioni, ut calumniæ non pateret locus: NEQUE ME SCITIS, sicuti putatis, NEQUE PATREM MEUM. Quamvis enim eum noveritis aliquatenùs sub ratione Dei; non tamen sub ratione Patris mei: quasi diceret, inquit Augustin. Dicitis, *Ubi est Pater tuus?* quasi jam me sciatis, & quasi totum hoc sim, quod videtis. SI ME SCIRETIS, id scilicet, quod potissimùm sum secundùm divinitatem meam, & præsertim secundùm proprietatem divinitatis meæ personalem; FORSITAN ET PATREM MEUM SCIRETIS. Pro, *forsitan*, eadem vox Græca ἄν infrà, cap. 14. versu 7. transfertur, *utique: Patrem meum utique cognovissetis*, hoc est sciretis me æternum habere Patrem, qui me ex utero ante luciferum genuit æqualem sibi: non enim potest intelligi in divinis Filius sine Patre, neque contrà.

19. Dicebant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrē meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.

20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.

21. DIXIT ERGO ITERUM EIS JESUS, quia in perversa voluntate apprehendendi eum perseverabant: EGO VADO, ex hoc mundo ad Patrem, q. d. Non sitis anxii de me tollendo, non diu hærebo inter vos: moriar enim brevi; scelere quidem vestro, sed sponte mea: ET QUÆRETIS ME, non desiderio, sed odio, inquit Augustin. ut eradatis nomen meum de terra viventium, ET IN PECCATO VESTRO, odii mei, MORIEMINI. Ubi sententiam condemnationis eis prædictam esse ex ore veritatis, notat idem August. quamvis nonnulli hoc tantùm dictum esse velint ratione periculi, in quo versabantur. Et QUO EGO VADO, per mortem regnaturus apud Patrem, VOS NON, seu numquam, POTESTIS VENIRE, impediti scilicet illo odii, & incredulitatis peccato.

21. Dixit ergo iterum eis Jesus: Ego vado. & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.

22. DICEBANT ERGO JUDÆI, ad se invicem mussitantes: NUMQUID INTERFICIET SEMETIPSUM, QUIA DIXIT: QUO EGO VADO (quibus verbis videbatur significari spontaneus, ac propriæ actionis voluntarius discessus) VOS NON POTESTIS VENIRE. Intelligebant enim hæc quasi dixisset: Interficiendo meipsum, effugiam manus vestras. Nuper cap. 7. vers. 35. aliam conjecturam multò benigniorem ex iisdem verbis fece-

22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire?

rant ; utramque verò, quia ignorabant eum habere potestatem ponendi animam suam.

23. Et dicebat eis : Vos de deorsum estis : ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

23. ET DICEBAT EI, id est, & addebat Jesus verbis suis ; non enim tam est responsio, quàm continuatio sermonis præcedentis, cui Evangelista illam impiam conjecturam Judæorum interposuerat : VOS DE DEORSUM ESTIS, id est, de terra, & ita terram sapitis, terrenis cogitationibus impleti : EGO DE SUPERNIS SUM, id est, de cœlo ex Patre natus ; ideóque cælestia loquor & sapio. VOS DE MUNDO HOC ESTIS, & proinde pleni iis, quæ in hoc mundo corrupto sunt, concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ ; EGO NON SUM DE HOC MUNDO, quia à mundi vitiis & concupiscentiis ejus, vanitate & pravitate prorsus liber.

24. Dixi ego vobis, quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

24. DIXI ERGO VOBIS, meritò scilicet quia tales estis, QUIA MORIEMINI IN PECCATIS VESTRIS. Nam ex illa mundana prudentia eorum nascebatur acerbissimum istud odium in Jesum : ex odio incredulitas, quæ fidem in Mediatorem, unicum remedium liberationis, excludebat. Nam hoc est quod addit : SI ENIM NON CREDIDERITIS, quod eos non facturos prævidebat, & prædixerat, tacitè suggerens modum, quo possent à peccatis liberari ; quasi diceret, ex oppositio : Ergo si credideritis, non moriemini in peccatis vestris. Atque ita in spem aliquam revocavit eos, qui erant ex eis crediturí : non enim omnes erant reprobi, ut hîc Augustinus. QUIA EGO SUM, absolutè. Respicit enim ad locum Exodi 3. vers. 14. ubi Deus admirabile nomen suum exprimens, dicit Moysi : *Ego sum qui sum.* Quo nomine docet Augustinus propriè significari immutabilitatem esse divini, & consequenter æternitatem, infinitatem, &c. hoc est, esse divinum principio & fine carens. Hoc enim propriè dicitur esse, quod numquam mutatur, id est, cujus futurum numquam transit in præteritum, sed semper est. Unde istud, *Nisi credideritis, quia ego sum*, idem est quod, *Nisi credideritis, quia ego sum Deus*, ut fusiùs Augustin. Vide dicta Exodi 3. Quia verò Christus non explicaverat, quidnam vel quisnam esset, putantes aliquid subaudiri, dicebant ei :

25. Dicebant ergo ei : Tu quis es ? Dixit eis Jesus : Principium, qui & loquor vobis.

25. TU QUIS ES ? quibus respondit : PRINCIPIUM, QUI ET LOQUOR VOBIS, id est, principium omnium creaturarum, qui etiam per assumptam humanitatem vobis loquor, prout exponit Ambr. lib. 3. de fide c. 4. & aliis locis, August. sæpiùs, Prosper, Bernard. & alii Latini. Sed textus Græcus omnes, maximè recentiores torquet, in quo illud, *principium*, est quarti casus, & pro *qui*, est *quia*, vel *quòd*, τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Neque potest referri ad *principium*, tamquam relativum ejus, quia genere differunt. Itaque August. Tract. 28. in Joan. dicit Christum respondere non ad verba, sed ad mentem Judæorum, qui dicendo & interrogando, *Tu quis es ?* tacitè rogabant, Quemvis te esse credamus ? quibus respondet Christus : *Principium*, supple, me credite. Quæ constructio quia durior est, hinc alii aliis multis modis, sed à Latino textu valde recedentibus, difficultatem expedire conantur. Dicendum videtur, illud ἀρχήν Græcè poni adverbialiter, ut subaudiatur præpositio κατὰ, quemadmodum subauditur, quandò dicunt πάντως, id est, *finem*, pro *tandem*, *denique*, *in fine*. Et ita sensus

erit: *A principio*, ſupple, *ego ſum*, quia omni tempore prior ſum, apud quem non eſt fuiſſe vel fore, ſed immutabiliter ſemper eſſe: *qui*, vel *quia* (in idem enim redit) etiam *loquor*, ſeu dico hoc ipſum *vobis*, quando dixi, *Ego ſum*. Hic ſenſus Græci textus videtur commodiſſimus, & vulgato textui maximè vicinus, & vix differt ab illo primo ſenſu Ambroſ. Auguſt. & aliorum antiquorum, qui non tam verba Græca, quàm ſenſum reddiderunt.

26. MULTA HABEO VOBIS LOQUI, id eſt, quæ de vobis loquar & expoſtulem, ET JUDICARE, id eſt, imò propter quæ vos meritò condemnare poſſem (ingratitudinem enim & incredulitatem eorum præcipuè notat;) SED QUI MISIT ME, VERAX EST, q. d. Sed omiſſis omnibus illis, hoc unum vobis dicam, ad redargutionem infidelitatis veſtræ, quòd Pater, qui miſit me, verax eſt: ET EGO, QUÆ AUDIVI AB EO, HÆC LOQUOR IN MUNDO, id eſt, & nihil loquor in hoc mundo, niſi quæ à verace audivi; ac proinde neceſſe eſt, veram eſſe doctrinam meam, cui tamen credere & obedire recuſatis.

26. Multa habeo de vobis loqui, & judicare: ſed qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.

27. ET NON COGNOVERUNT, QUIA PATREM EIUS DICEBAT DEUM, id eſt, non obſervarunt, ſeu non intellexerunt, quòd de Deo tamquam Patre ſuo naturali loqueretur: neſcientes videlicet, quid ſibi vellet in illis verbis, verſu 25. Quod promittit eos aliquando cognituros, addendo:

27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum.

28. CUM EXALTAVERITIS FILIUM HOMINIS, in cruce, prout explicat ipſe Evangeliſta cap. 12. verſ. 33. TUNC COGNOSCETIS, ex miraculis in paſſione contingentibus, ex ſucceſſu eventuum prædictorum, ex ſigno Jonæ Prophetæ, hoc eſt, reſurrectione, & ex mirabilibus, quæ poſt aſcenſionem acciderunt, QUIA EGO SUM, id eſt, me Deum eſſe æternum, & immutabilem. Et ne putaretur Pater, ſubjungit prout notat Auguſt. ET A MEIPSO FACIO NIHIL: id eſt, cognoſcens, me non eſſe primum actionum mearum principium, ſed eſſe Deum de Deo, à quo habeo omnia, quæ ſum, & facio; QUIA SICUT DOCUIT ME PATER, HÆC LOQUOR. Docuit autem Pater, quatenùs ſciens ſcientem genuit: nam quemadmodum illi gignendo dedit, ut eſſet, ſic gignendo dedit, ut noſſet. Non enim ſic docuit, quaſi indoctum genuerit, ſed in natura ſimplici veritatis, hoc eſt eſſe, quod noſſe, ut Auguſt. Tract. 40.

28. Dixit ergo eis Jeſus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.

29. ET QUI MISIT ME, id eſt, cujus auctoritate tamquam paternâ incarnatus ſum, MECUM EST, id eſt, non receſſit à me, etſi non ſimul incarnatus ſit: ET NON RELIQUIT ME SOLUM, id eſt, miſit quidem, ſed non dimiſit, ſeu non deſeruit me, neque ſecundùm divinitatem, neque ſecundùm humanitatem. Cujus rei argumentum, ac ſignum eſt, QUIA QUÆ PLACITA SUNT EI, FACIO SEMPER, cum ipſo ſcilicet ut Deus, cuncta componens, & ordinans, & gubernans ſine intermiſſione, tamquam ejuſdem cum ipſo voluntatis & operationis: ut homo verò nihil volens, aut faciens à paterna voluntate diſſentaneum. Ex quo patet, quàm accuratè, quàm ſtudiosè, ac ſollicitè Chriſtus omnia ſua deferat Patri tamquam principio ac fonti. Ut ita nos doceret rem graviſſimam maximéque neceſſariam, videlicet ut animus noſter, Deo tamquam principio ſemper inhæreat, & ad illum cuncta referat, ne aliquid ſibi reſervando, vel ſibi placendo, quodammodò ſibi ſuum fiat principium, &

29. Et qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego, quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

per ſuperbiam cadat, ut Auguſt. 14. de Civit. cap. 13. Cùm ergò ei loquenti multi credidiſſent, dicebat eis Jeſus:

31. Dicebat ergo Jeſus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos: Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis:

31. SI VOS MANSERITIS IN SERMONE MEO, id eſt, perſeveraveritis in fide, & obedientia verborum meorum, VERI DISCIPULI MEI ERITIS, id eſt, tunc verè merebimini nomen diſcipulorum, quia fructum ac fidem diſcipulatus aſſequemini: vitam ſcilicet æternam, juxtà illud, *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Qui enim credunt, & in tempore tentationis recedunt, non merentur nomen diſcipulorum Chriſti. Quo vero fructu futuri ſint diſcipuli, exponit, addendo:

32. Et cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

32. ET COGNOSCETIS VERITATEM, proficiendo ad rerum creditarum intelligentiam. Fides enim eſt, inquit Auguſt. credere, quod non vides; veritas (ſeu cognitio veritatis) videre, quod credis: qui eſt fructus fidei. ET VERITAS, credita, atque cognita, LIBERABIT VOS, id eſt, ex ſervis liberos faciet, ſicut Græcum ἐλευθερόω ſonat, libertate ſcilicet propriè dictâ, & oppoſitâ ſervituti, quâ concupiſcentiis peccatorum dominantibus ſervitis; ut videlicet deinceps Deo, non timore pœnæ, ſicut ſervi, ſed ingenuo amore ipſius Dei, ſeu juſtitiæ ſerviatis. Ita plerumque Auguſt. ut Serm. 48. De verbis Domini, lib. 1. operis imperf. contra Julianum, & aliis locis. Quem ſenſum & ipſa cohærentia verborum ſequentium poſtulat: nam illi ex Judæis, qui increduli remanſerant, audito nomine liberationis.

33. Reſponderunt ei: Semen Abrahæ ſumus & nemini ſervimus unquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?

33. RESPONDERUNT EI: SEMEN ABRAHÆ SUMUS, ET NEMINI SERVIVIMUS UMQUAM. Quod ſi de ſe intelligant, verum dicunt, quia Romanorum non erant ſervi, ſeu mancipia, ſed politico jure ſubditi & ingenui: ſin de majoribus, ſplendidum mendacium fuiſſe teſtatur ſervitus Ægyptiaca & Babylonica. QUOMODO TU DICIS: LIBERI ERITIS? quaſi ſcilicet liberi non ſimus, vel antè non fuerimus, quandoquidem libertas, de qua tu loqueris, non ſit niſi à ſervitute. Quòd cùm Chriſtus refutare potuiſſet, etiam juxtà carnalem eorum intellectum; oſtendere tamen maluit, ſe non de corporis, ſed animi libertate loqui.

34. Reſpondit eis Jeſus: Amen, amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.

34. RESPONDIT ergò: AMEN, AMEN, id eſt, quàm veriſſimè, DICO VOBIS (nam ſuperlativum, ſeu exceſſum, Hebræi ſæpè repetitione ejuſdem vocis exprimere ſolent:) QUIA OMNIS, QUI FACIT PECCATUM, ſive de cætero ſit corpore ſervus, ſive liber, SERVUS EST PECCATI, dominantis arbitrio ejus. Nam peccato perpetrato non ſolùm non poteſt homo viribus ſuis inde liberari per remiſſionem peccati, ſed etiam deſiderio peccandi ita tenetur obſtrictus, ut niſi gratia retineat, in alia deinceps peccata præcipitetur: quod Apoſtolus vocat *regnare peccatum*, ac *dominari peccatum*. Ubi nomine *Peccati* certum eſt intelligi imperioſam illam concupiſcentiam, quæ ſervos ſuos ſemper ad peccata ſollicitat, & certiſſimè impellit, niſi vi majore gratiæ compeſcatur: & eam hoc quoque loco intelligi Auguſtin. tradit. Ab hac ergò peccati ſeu concupiſcentiæ peccandi ſervitute liberantur illi, quos veritas per potentem gratiam, ſeu juſtitiæ oppoſitæ delectationem liberos facit: quæ libertas arbitrii, & oppoſita ei ſervitus, luculentè deſcribitur ab Apoſtolo, ad Roman. 6. verſ. 12. uſque ad finem, & 2. Petri 2. verſu 16. Ut autem magis eos terreat, explicat conditionem talis hujus ſervitutis

&

& libertatis, adhibitâ similitudine ex jure politico.

35. SERVUS AUTEM NON MANET IN DOMO, IN ÆTERNUM, id est, hæc est conditio servorum, ut non semper maneant in familia, sicuti filius jure suo tamquam heres, sed ejicitur, aut venditur, cùm domino placuerit. Relinquit autem eis tacitè supplendam alteram similitudinis partem, nimirum, ita justo Dei judicio servus peccati ex domo Dei ejicietur. Nam in hujus rei figuram Ismaël tamquam filius ejectus fuit, juxta illud Scripturæ, *Ejice ancillam & filium ejus.* Isaac verò tamquam filius est retentus.

35. Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.

36. SI ERGO VOS FILIUS, id est, ego, qui sum veritas illa, de qua antè locutus fui, LIBERAVERIT, ab ista servitute peccati, cui obstricti estis, VERE LIBERI ERITIS, non solùm libertate civili, de qua gloriamini, sed libertate verâ animi: quæ in eo sita est, ut homo neque concupiscentiæ peccatorum in se dominanti, & consequenter neque dæmoni, sed soli Deo per charitatem sinceram, tamquam filius serviat.

36. Si ergo vos filius liberavit: verè liberari eritis.

37. SCIO QUIA FILII ABRAHÆ, Græcè σπέρμα, *semen Abrahæ*; respicit enim ad verba illorum, versu 33. ut retundat eorum gloriationem de patre Abraham: SED QUÆRITIS ME INTERFICERE, QUIA SERMO MEUS NON CAPIT IN VOBIS, id est, non invenit locum in corde vestro. Retenta est enim phrasis Græca οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν, tam inusitata, quàm Latina, quâ tribuitur sermoni id, quod cordibus conveniebat. Significabat enim eos propter servitutem peccati, non capere sermonem suum, seu sermonem non capi ab eis: quo sensu alibi dicitur, *Non omnes capiunt verbum hoc.*

37. Scio quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere: quia sermo meus non capit in vobis.

38. EGO QUOD VIDI APUD PATREM MEUM LOQUOR, hoc est, Veritatem vidi, veritatem loquor, inquit August. & simili modo, vos, QUÆ VIDISTIS APUD PATREM VESTRUM, FACITIS, dum scilicet quæritis me interficere, & sermonem meum repellere. Relinquit eis tacitè subsumendum: sed non vidistis hoc apud vel in Abraham, ergò ille non est pater vester, sed alius aliquis sceleratior. Quam argutationis tacitæ vim cùm Judæis satis intelligerent.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud Patrem vestrum, facitis.

39. RESPONDERUNT: PATER NOSTER ABRAHAM EST, apud quem scilicet nihil mali exempli vidimus. DICIT EIS JESUS: SI FILII ABRAHÆ ESTIS, legitimi, & benedictionis ejus hæredes, OPERA ABRAHÆ FACITE, quia veri filii Abrahæ censentur, non filii carnis, sed filii promissionis, seu gratiæ Dei; hoc est, non qui ex Abraham carne nati sunt, sed qui per gratiam Dei renati, imitantur fidem & opera Abrahæ, sicut docet Apostolus ad Rom. 4. & ibid. c. 9. vers. 7. & 8. & ad Galat. 3. vers. 7.

39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

40. NUNC AUTEM QUÆRITIS ME INTERFICERE, &c. HOC ABRAHAM NON FECIT. Ergò non potestis jactare vos esse filios Abrahæ genuinos, sed potiùs ad dedecus vestrum degeneres.

40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi à Deo: hoc Abraham non fecit.

41. VOS FACITIS OPERA PATRIS VESTRI, id est, operæ consentaneæ operibus patris vestri, nempe alterius quàm Abrahæ, qui homicida non fuit: quem patrem eorum intelligit esse diabolum, ut sequitur versu 44. sed eum antè non clarè exprimit, quàm eos à filiatione tam Abrahæ, quàm Dei excluſisset. Itaque cùm animadverterent non de carnali generatione, sed de spirituali Christum loqui, hoc

41. Vos facitis opera patris ve-

stri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati: unum patrem habemus Deum.

est, non de carnis propagatione, sed de vitæ institutione, inquit Augustin. sciéntque idololatriam in Scripturis *fornicationem* vocari, quando Diis falsis & multis anima tamquam prostituta subjicitur; DIXERUNT EI: NOS EX FORNICATIONE NON SUMUS, id est, non fornicatoribus seu idololatris, sed ex veri Dei cultoribus : proinde UNUM PATREM HABEMUS, videlicet DEUM, quem tamquam religionis nostræ, verúmque Deum colimus & imitamur. Nihil habes igitur, quod nobis objicias de patre nostro, neque secundùm carnem, neque secundùm spiritum.

42. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset: diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à meipso veni, sed ille me misit.

42. DIXIT ERGO EIS JESUS : SI DEUS VESTER PATER ESSET, adoptione, & vos germani filii Dei, DILIGERITIS UTIQUE ME, qui sum Filius Dei naturalis. Non est enim filii adoptivi filium ejusdem patris naturalem odisse, aut non diligere : EGO ENIM EX DEO PROCESSI, ut Filius unicus, ut æqualis, ut verbum Patris, ait Augusti. ET VENI, in mundum per incarnationem: NEQUE ENIM A MEIPSO VENI; proprio scilicet consilio, secluso Patre, SED ILLE ME MISIT.

43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

43. QUARE LOQUELAM MEAM NON COGNOSCITIS? hoc est, si Deus est pater vester, ut gloriamini, cur non agnoscitis linguam seu idioma meum, cùm sit divinum, ut pote & patris vestri, & fratris vestri? Nam conterranei, & præcipuè domestici, linguam suam invicem familiarissimè intelligunt: QUIA, id est, nisi quia, (est enim magis increpatio, quàm responsio) NON POTESTIS AUDIRE SERMONEM MEUM, id est, præ animi aversione, & odii magnitudine, me neque loquentem ferre potestis. Unde Sapientiæ 2. versu 15. dicunt Judæi de Christo: *Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius*, &c Quapropter ut apertiùs vobis loquar.

44. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater ejus.

44. VOS EX PATRE DIABOLO ESTIS, non creatione, aut generatione, aut adoptione; quibus modis dicuntur in Scripturis filii alicujus, sed morum imitatione, ut Augustin. quomodo omnes credentes vocantur filii Abrahæ. Unde & Christus quasi rationem redderet istius filiationis, subjungit: ET DESIDERIA PATRIS VESTRI, de me occidendo jam diu meditata, VULTIS FACERE, ea ad effectum deducendo. Explicat autem duo tantùm genera desideriorum diaboli, quæ Judæi accuratè exprimebant, homicidium & mendacium. Nam ILLE HOMICIDA ERAT AB INITIO, hominis scilicet conditi, quia primis parentibus peccatum persuadendo, totum genus humanum occidit, juxtà illud Sapientiæ 2. *Invidiâ diaboli mors introïvit in orbem terrarum.* Unde eodem homicidii amore docuit paulò pòst Cain occidere fratrem suum, quia, ut Basil. Homil. de Invidia, illam artem nemo adhuc hominum illo tempore excogitaverat. Deinceps verò ipse est, qui bellis & homicidiis infinitis totum orbem implevit & implet. ET IN VERITATE, id est, amore possidendæ, dicendæ & faciendæ veritatis, NON STETIT, id est, non permansit. Ergò in veritate fuit aliquando, sed non stando ac perseverando, de veritate lapsus est, ut notat hîc August. Significatur enim mutatio ejus in deterius, à veritate ad fraudes & mendacia. QUIA NON EST VERITAS IN EO. Signum redditur, non causa ejus, quòd in veritate non steterit, ut idem notat 11. de Civit. cap. 14. qu. d. Quod ex eo perspicuum est, quia nunc in affectu ejus non est veritas, eò quòd eam

non diligat, neque in dicendo, neque in faciendo. Insinuat ergo eum creatum fuisse in veritate: neque enim fieri potest, ut à Deo extra veritatem creetur. Ergò cùm nunc in eo non sit veritas, meritò arguitur, non quòd in veritate non fuerit, sed quòd in ea non steterit, id est, perseveraverit. Itaque CUM LOQUITUR MENDACIUM, quod fit, quandocumque aliquis contrà id, quod sentit, loquitur voluntate fallendi, prout definit August. in Enchiridio c. 22. EX PROPRIIS LOQUITUR, quia diabolus non aliundè mendacium accepit, sicut ille, cui ab alio persuadetur mendacium. Hunc enim sensum Christus ipse declarat, addens: QUIA MENDAX EST, id est, quia diligit mendacium. Sic enim distinguitur *Mentiens* à *Mendace*, quòd Mentiens est etiam, qui mentitur invitus; Mendax verò amat mentiri, atque habitat animo in delectatione mentiendi; mentiens videlicet solâ mentiendi fallendique libidine, ut August. libr. De mendacio c. 11. & 14. ET PATER EIUS, supple mendacii, quod præcessit, hoc est, est primus auctor, & inventor mendacii, ut pote quod ipse à nemine didicit, quàm à seipso, & statim primis parentibus persuasit. Nam, ut idem Augustin. Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem, sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium; & ideò est pater mendacii, sicut Deus est pater veritatis.

45. EGO AUTEM, quomodo textus Græcus & August. QUIA VERITATEM DICO, NON CREDIDISTIS MIHI. Significatur ergò summa perversitas eorum, quòd ideò ei non crederent, quia dicebat veritatem, cùm è contrario magis unicuique credendum sit, quia veritatem dicit. Contingere autem hoc solet ex odio dicentis, & ex amore vitii, quod arguitur. Adfert hoc Christus argumentum, quòd sunt filii diaboli, qui amat mendacium.

45. Ego autem si veritatem dico nō creditis mihi.

46. QUIS EX VOBIS ARGUET ME DE PECCATO? id est. Quis redarguet, seu argumentis convincet de ullo peccato, maximè mendacii, aut falsitatis in dicendo ac docendo? supple, ut propter hoc non videamini mihi credere. Si autem VERITATEM DICO VOBIS, irrefragabilem, QUARE NON CREDITIS MIHI? cùm scilicet nullam causam non credendi mihi, nec ex doctrina, nec ex verbis, nec ex moribus meis prætexere possitis: q. d. Quare non creditis, nisi quia non ex Deo, sed ex patre diabolo estis, cui invisa est veritas? Hanc enim causam tacitè tangit, quando subjungit:

46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi.

47. QUI EX DEO EST, tamquam Patre per imitationem, & animi morúmque similitudinem, VERBA DEI AUDIT, id est, ea libenter accipit, tamquam auribus, affectui, & moribus suis consona. PROPTEREA AUTEM VOS NON AUDITIS, id est, non recipitis ac diligitis verba Dei, QUIA EX DEO NON ESTIS, SED EX PATRE DIABOLO. Quod ideò dicit, non ut propterea excusabiles viderentur, sed ut de illa perversitate compuncti, aures audiendi à Deo peterent.

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. RESPONDERUNT ERGO JUDÆI, quasi lacessiti hâc invidiâ: NONNE BENE DICIMUS NOS, id est, optimo jure dicere solemus inter nos: numquam enim leguntur hoc expressè objecisse Christo; quamquam nihil vetet, sæpiùs objectum fuisse, licet non sit scriptum, ut notat Chrysostom. QUIA SAMARITANUS ES TU, origine, affectu, religionis Mo-

48. Respondérunt ergo Judæi, & dixerunt ei: Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu,

& dæmonium habes?

ſaïcæ, & gentis contemptu, moribus, ET DÆMONIUM HABES, quod ſcilicet tibi & verba illa inſpirat, & ſigna in te perpetrat? Itaque quia Chriſtus negaverat eos eſſe ex patre Abraham, & aſſeruerat eſſe ex diabolo; reddunt ei in utroque convitiando talionem, dicendo eum eſſe ex infami ſtirpe Samaritanorum, & à diabolo agitari. Primam calumniam, quia notoriè falſa erat, negligit: ad ſecundam verò, quæ atrociſſima erat, & omnem detrahebat fidem dictis factiſque ſuis, reſpondit Jeſus ſummâ cum manſuetudine & clementiâ, qui ſummâ cum vehementiâ improbitatem eorum redarguerat, ut utrumque notat Chryſoſt.

49. Reſpondit Jeſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me.

49. EGO DÆMONIUM NON HABEO, id eſt, nihil mihi cum dæmone commercii, SED HONORIFICO PATREM MEUM, id eſt, in omnibus gloriam Dei Patris mei ſpecto ac tueor, etiam dum vos homicidas ac mendaces non ſino filios Dei atque Abrahæ vocari: ET INHONORASTIS ME, tantâ me afficiendo contumeliâ, ut non poſſitis atrociori.

50. Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & judicet.

50. EGO AUTEM, ne me puteris contumeliis veſtris angi, NON QUÆRO GLORIAM MEAM, id eſt, non admodùm curo, non affecto, non propugno: EST QUI QUÆRAT, ſupple *gloriam meam*. Intelligit Patrem, inquit Auguſt. ET IUDICET, id eſt, ulciſcatur contumelias meas, ut non puteris eas vos impunè laturos. Itaque neglectis contumeliis eorum, pergit aſſerere fructum doctrinæ ſuæ, quaſi connectens hæc verſui 31. & 32. ex quibus poſtrema Judæorum contradictio nata fuerat.

51. Amen, amen dico vobis: ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.

51. SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, fide & opere, MORTEM NON VIDEBIT IN ÆTERNUM, id eſt, non experietur mortem æternam: ſubinſinuans mortem quidem temporalem viſurum, ſed ab ea tranſiturum ad vitam æternam.

52. Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis ſermonẽ meum ſervaverit, non guſtabit mortem in æternum.

52. DIXERUNT ERGO JUDÆI, quaſi audito ingenti paradoxo: NUNC COGNOVIMUS, certo certiùs, QUIA DÆMONIUM HABES, cujus inſtinctu tantam arrogantiam ſpirantia verba loqueris. Nam ABRAHAM MORTUUS EST, ET PROPHETÆ, qui tamen ſermonem Dei ſervaverunt: ET TU DICIS, majora quaſi arrogans verbis tuis, quàm Deus ſuis: SI QUIS SERMONEM MEUM SERVAVERIT, &c. quæ Chriſti verba ipſi quaſi de morte temporali dicta arripuerant.

53. Numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? & Prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis?

53. NUMQUID TU MAIOR ES PATRE NOSTRO ABRAHAM? &c. Conſequentia poſtulabat, ut dicerent: Numquid tu major es Deo? & qui te audiunt, major es Abraham, & Prophetis? ſicut Chryſoſt. notat: ſed contenti ſunt dicere, *Numquid tu major es Abraham*, &c? eò quòd per abſurdum illis videretur, eum vel Abrahamo & Prophetis majorem dici. Neceſſe enim erat eum, qui ſuâ auctoritate quemquam ad vitam revocat, eſſe majorem eo, qui neceſſitate moritur: ET PROPHETÆ MORTUI SUNT, id eſt & Prophetis, qui mortui ſunt. QUEM TEIPSUM FACIS, per ipſam tuam jactantiam?

54. Reſpondit Jeſus: Si ergo glorifico meipſum: gloria mea nihil eſt: eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus veſter eſt.

54. RESPONDIT JESUS, ad illud ſcilicet, quod proximè præcedit, *Quem teipſum facis?* SI EGO GLORIFICO MEIPSUM, id eſt, ſi ego verbis illis magnificis propriam gloriam capto, meipſum laudando, ſicut vos putatis, GLORIA MEA NIHIL EST, id eſt, inanis eſt, quia ex parte laudantis, nullius omninò apud homines auctoritatis eſt, nec veram gloriam inter homines facit: ſed EST PATER MEUS QUI GLORIFICAT ME: oraculis Prophetarum, teſtimoniis de cœlo, miraculis indubitatis,

testando vera esse, quæ dico, & me talem esse, qualem dico. Quòd si quæritis, quis sit Pater meus? is, inquam, est, QUEM VOS DICITIS, QUIA DEUS VESTER EST, ne fortè putetis testimonium ejus à vobis repudiari posse. Significat igitur se esse Filium illius Dei naturalem.

55. Et non cognovistis eum; ego autem novi eum? Et si dixero quia nō scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem ejus servo.

55. ET, pro *sed*, NON COGNOVISTIS EUM, neque ut Patrem meum, neque ut glorificantem me signis ac miraculis: EGO AUTEM NOVI EUM, ut pote Filius ejus naturalis. Quod iterum arrogantiæ videri poterat; sed non ita arrogantia caveri debet, ut veritas relinquatur, inquit August. ideóque addit: ET SI DIXERO, QUIA NON SCIO EUM, ERO SIMILIS VOBIS MENDAX, quia contra mentem meam, & conscientiam loquar, more vestro, qui veritati etiam agnitæ resistitis, & non agnitam vos scire dicitis. SED SCIO EUM, cujus signum est, quia SERMONEM, id est, mandata, EIUS SERVO: tacitè indicans eos non servare, ideóque non cognovisse Deum, & mendaces esse. Nam, ut aptissimè dicitur 1. Joan. 2. v. 3. & 4. *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, & mandata ejus non custodit, mendax est.* Amotâ igitur jactantiæ opinione, jam ex ipsō Abraham ostendit, eum non ægrè laturum fuisse, quòd ei præferretur.

56. Abraham pater vester exultavit ut videret diē meum; vidit, & gavisus est.

56. ABRAHAM PATER VESTER, quem mihi objicitis, EXULTAVIT, id est, gestivit, seu summo affectu desideravit, UT VIDERET DIEM MEUM. Quod August. nonnumquam exponit de illo die, qui nullo finitur crastino, nullo prævenitur hesterno, hoc est, de ipsa æternitate, in qua Filius coæternus est Patri, prout loquitur lib. De peccato orig. cap. 27. Sed verisimilius est per Hebraismum, diem Christi vocari tempus, quo vixit mortalis in hoc mundo, quod Abraham videre desideravit; quia desideravit videre vicinam salutem, & omnium Gentium benedictionem in semine suo, hoc est, Christo. Ex quo colligit August. ibid. fuisse Abraham fide incarnationis ejus imbutum. VIDIT, reipsâ, inquiunt aliqui recentiores, Deo scilicet illi revelante in limbo, ubi tunc degebat. Sed communis veterum interpretatio est, Christum loqui de visione, vel per fidem, vel per particularem & propheticam revelationem. Itaque eum vidisse diem Christi, quomodo Filium immolare voluit, atque arietem cornibus inter vepres hærentem vidit: uterque enim Christi patientis typum gessit. Ita Chrysost. Theophyl. itémque Iren. c. 14. & 15. Vel vidisse, quando jussit, ut servus poneret manum suam sub femora ejus, & juraret per Deum cœli. Quo significabat Deum cœli de femore suo nasciturum, ut Augustin. tum hîc, tum loco suprà citat. ET GAVISUS EST, propter beneficii prophetici prævisi magnitudinem. Quo indicat se Abrahamo longè majorem esse, ut Chrysost.

57. Dixerunt ergo Judæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

57. DIXERUNT ERGO JUDÆI, existimantes hoc dici de corporali visione per oculos carnis: QUINQUAGINTA ANNOS NONDUM HABES, ET ABRAHAM VIDISTI? qui tot sæculis vixit. Supponunt enim Christum vidisse Abrahamum, tamquam tempore coætaneum. Colligit ex his verbis Iren. lib. 2. capite 40. Christum tunc temporis excessisse annum quadragesimum, & quinquagesimo propinquasse. Sed argumentum est inefficax; utuntur enim numero longè majore annorum, quàm revera Christus exegerat, ut efficaciùs eum refutarent.

58. Dixit eis Jesus: Amen,

58. DIXIT EIS JESUS: ANTEQUAM ABRAHAM FIERET, Græcè γένηται

amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

γενέσθαι, *factus* seu *natus esset*, EGO SUM. Quo vocabulo, *Essendi*, constans & immobilis æternitas ejus exprimitur: ideóque non dicit, *fui*, aut, *eram*, sed *sum*: sicut olim dixerat Deus ad Moysen, *ego sum, qui sum*, Unde & August. hîc notat illud, *fieret*, ad humanam facturam; *sum*, verò ad divinam subsistentiam pertinere, omnis scilicet temporis & mutationis expertem.

59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.

59. TULERUNT ERGO LAPIDES, UT IACERENT IN EUM, tamquam in blasphemum, juxtà Legem Levitic. 24. versu 16. ubi tales jubentur lapidari. Intelligebant enim eum asserere voluisse istis verbis divinitatem suam. JESUS AUTEM ABSCONDIT SE, invisibilem se reddendo insidiatoribus, ut notant Theodorus Heraclienſis in Catena Græca, & ex illo Theophyl. & Euthym. ET, sic inconspicuus per medium eorum, prout additur Græcè & Syriacè, EXIVIT DE TEMPLO. Nam alioqui in templo omnibus præsentibus non erat abscondendi se in atrio templi.

CAPUT IX.

CAPUT NONUM.

1. Et prætereiens Jesus vidit hominem cæcum à nativitate.

1. ET PRÆTERIENS, per viam, in ipso scilicet egressu de templo, (indicat enim Evangelista, istâ sermonis continuatione, paulò pòst eâdem die hoc magnum miraculum editum fuisse, ut jam non verbis, sed rebus ipsis probaret Judæis divinitatem suam) VIDIT HOMINEM CÆCUM A NATIVITATE, & proinde naturalibus remediis incurabilem.

2. Et interrogaverunt eum discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?

2. ET INTERROGAVERUNT EUM DISCIPULI: QUIS PECCAVIT, HIC, AUT PARENTES EIUS, &c. id est, cujus peccato factum est, ut hoc singulare malum cœcitatis ei infligeretur? Nam quamvis nossent nulli malo obnoxium futurum fuisse genus humanum, nisi peccatum originale præcessisset, suspicabantur tamen particularia quæque mala non obvenire cuiquam, sine particulari vel suo, vel parentum delicto. Tollit hanc falsam suspicionem, respondendo:

3. Respondit Jesus: neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur opera Dei in illo.

3. NEQUE HIC PECCAVIT, NEQUE PARENTES EIUS, supple, ut cœcus nasceretur, ut notat August. & Chrysostom. Nam quamvis prima transgressio sit fons generalis omnium miseriarum nostrarum, causa tamen proxima, cur hoc vel istud hùic vel illi obtingat malum, non est semper proprium vel parentum peccatum, sed in diversis valdè diversa est, & aliquando (sicut in hoc cæco) causa est, UT MANIFESTENTUR OPERA DEI IN ILLO, scilicet sanando: hoc est, ideò cæcitas hæc, juxtà vitiosam dispositionem, vel materiæ, vel generantium, obtingere permissa est, vel etiam inflicta est, ut occasio daretur operandi illustre miraculum, quo Dei potestas, & bonitas glorificetur. Quod qnia per ipsum Christum explendum erat, addit:

4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

4. ME ENIM OPORTET OPERARI OPERA EIUS, QUI MISIT ME, id est, Dei Patris opera, quæ scilicet mihi tamquam legato suo edenda præcepit, ut per ea homines ad fidem & salutem adducam. Nam de operibus legationis, vitæque temporalis Christi sermonem esse, patet ex eo, quod sequitur: DONEC DIES EST: VENIT NOX, QUANDO NEMO POTEST OPERARI. *Diem* vocat præsentis vitæ tempus; *Noctem*, mortem: quia

ficuti dies hominibus ad operandum opportuna est, nox verò importuna; ita & vita mortalis Christi destinata erat implendæ per ipsum legationi, à morte verò cessandum.

5. Quamdiu sum in mundo, id est, in vita hac mortali, lux sum mundi, doctrinâ, conversatione, & moribus, exemplar vitæ Evangelicæ me præbendo, & intùs gratiâ, foris miraculis persuadendo.

5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit super oculos eius, quo scilicet etiam videntes faciliùs excæcantur, quàm cæci sanantur: ut ita magis vim miraculosam suæ operationis ostenderet, ut Chrysost. notat Hom. in Epist. 1. ad Corinth. Idem verò observat hîc, sicut & Iren. lib. 5. cap. 15. Christum hoc facto probare voluisse, se eundem esse, qui totum hominem ex luto fecerat, dum partem, quam imperfectam reliquerat, ex eodem luto perfecerat. Miscuit autem sputum, ut ostenderet quàm salutaris esset, & medica caro sua.

6. Hæc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus.

7. Et dixit ei: Vade lava in natatoria Siloe, Græcè εἰς τὴν κολυμβήθραν, *in piscina*, ut vertitur cap. 5. vers. 2. seu in lavacro Siloë. Est autem *Siloë* fons ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis (hoc est perpetuis) sed incertis horis diebusque ebullit, & per terrarum concava & antra cum magno sonitu venit, prout Hieron. in versu 6. c. 8. Isaiæ dicit, se non dubitare posse, eò quòd in illa provincia habitaret. Hîc autem sumitur *Siloë* pro piscina, seu receptaculo aquarum ex illo fonte tandem confluentium: Quod interpretatur Missus, quia derivatur ex Hebraïco verbo שלח *Scaiách*, id est; *Misit*. Significare voluit Evangelista interpretationem istam ad rem præsentem spectare, sive quia nunc sanandus esset cæcus, cùm fuisset eò missus, ut canit Nonnus & Euthym: sive ut indicaret Siloën figuram esse Christi, qui peculiariter tamquam fons omnis illuminationis & gratiæ nostræ, à Patre missus est, ut Augustin. & Theoph. Unde ulteriùs idem Augustin. notat cæcum à nativitate significare genus humanum; aquas Siloë, baptismum Christi. Abiit ergo, & lavit, nihil hæsitans in fide, nihil in obedientia, nihil disputans, ad quid lutum, ad quid lotio, ut perpendit Chrysost. Ideóque venit, id est rediit, videns, ut scilicet gratias ageret curatori suo. Quo insinuatur, sicut & v. 11. quòd lavando, hoc est, non nisi absolutâ lotione, visum sit consecutus. Post disceptationem igitur aliquam populi, de modo & auctore miraculi istius,

7. Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.

8. Itaque vicini, & qui viderant eum priùs qui mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui edebat, & mendicabat? Alii dicebant: Quia hic est.

9. Alii autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum.

10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & lava. Et abii, lavi, & video.

12. Et dixerunt ei: Ubi est ille? Ait: Nescio.

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat, tamquam ad judices, qui eo diligentiùs interrogato, & re accuratiùs perpensâ, de tam publico miraculo judicarent.

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

14. Erat autem sabbatum, &c. Quo indicat hanc fuisse illis dubitandi causam de veritate miraculi, & utrum probandum, an improbandum esset, quia videbatur religioni sabbati repugnare. Quam falsam opinionem ut Christus ex Judæis tolleret, constantissimè in sab-

14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Jesus,

& aperuit oculos ejus.

batis miracula operatus est. Pharisæis verò, aliis aliud sentientibus,

15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & lavi & video.

16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.

17 Dicunt ergo cæco iterùm: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est.

17. SCHISMA ERAT INTER EOS, hoc est dissidium in opinionibus. Ut ergò aliquid certi elicerent, vel fortè etiam ut calumniandi miraculi ansam captarent, si cæcus ipse Christum vel reprehenderet, vel eum laudando, causam ejiciendi se ex synagoga præberet, DICUNT CÆCO ITERUM: TU QUID DICIS DE ILLO, &c. hoc est, quid hominis eum esse putas? bonum an malum? Ille autem constanter, quod sentiebat, expressit: QUIA PROPHETA EST; sciebat enim Prophetas olim miracula faciendo, populumque divina docendo, probavisse se esse servos Dei: nec enim quidquam sublimius adhuc de Christo noverat.

18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset, & vid sset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat:

18. NON CREDIDERUNT ERGO, QUIA CÆCUS FUISSET, DONEC VOCAVERUNT PARENTES. Per quod Chrysost. indicari notat, eos multis modis miraculum tegere & abolere voluisse. Sed illa est veritatis natura, ut unde magis oppugnatur, inde magis confirmetur.

19. Et interrogaverunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

19. ET INTERROGAVERUNT EOS, primò quidem, HIC EST FILIUS VESTER? ut scilicet primò constaret, utrùm idonei essent ad ferendum testimonium. Deinde, QUEM VOS DICITIS, QUIA CÆCUS NATUS EST? Ordinatissimum est enim, ut antè constet de ægritudine, ut inde pateat veritas curationis. Ex quo fit, ut qui etiam nunc nova miracula explorant, antè omnia inquirant de veritate ægritudinis. Tertiò interrogant: Si cæcus natus fuit, QUOMODO ERGO NUNC VIDET, cùm hoc sit naturaliter impossibile? Consequens est enim, ut explorata infirmitate, modus curationis indagetur, utrùm sit naturalis, an supernaturalis. Ad duo priora respondent affirmativè, tertium tergiversando declinant, dicendo:

20. Respondérunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est;

21. Quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur.

21. NOS NESCIMUS; quia id tam exploratè non cognoverant, utpote qui curationi ejus non interfuerant: IPSUM INTERROGATE, ÆTATEM HABET: q. d. Nullus magis idoneus istius rei testis esse potest, quàm ipsemet, qui neque puer est, neque desipit. Ita cautè & verè à se amovent responsionis periculum, quia filius minori invidia, & majori fide, rem totam prædicare poterat. Itaque causam talis responsi indicans Evangelista v. 22. dicit eos timuisse, NE EXTRA SYNAGOGAM FIERENT, id est, timuisse anathema, seu interdictionem ab ingressu synagogæ, multoque magis templi. Unde id videtur fuisse Judæis olim, extra synagogam fieri, quod nunc Christianis, excommunicari. Audito igitur, quòd esset filius eorum, & cæcus natus,

22. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

23. Propterea parentes ejus dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

24. Vocaverunt ergo rursum

24. DIXERUNT ET: DA GLORIAM DEO, id est, glorifica Deum, confitendo simpliciter veritatem, quasi præsente Deo. Videtur fuisse phrasis

phrasis & modus adjurandi aliquem, ut hanc gloriam & honorem deferret Deo, quatenus reverendo majestatem, & omniscientiam ejus, palàm mallet confiteri veritatem, quàm coram eo mentiri, ut patet Josuæ 7. vers. 19. Scopus tamen Pharisæorum fuit, ut negaret se beneficium à Christo accepisse, ut notat Chrysost. & August. idque hoc fingendo sibi aliunde constare, quia videlicet NOS, tamquam litterati & sancti viri, & talis rei competentes judices, certò SCIMUS, QUIA HIC HOMO PECCATOR EST, id est, sceleſtus & impius, qui proinde nullâ ratione potest adscribi curatio tua.

hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.

25. DIXIT ILLIS: SI PECCATOR EST, NESCIO, quia nullum ejus rei argumentum habeo: UNUM SCIO, QUIA CÆCUS CUM ESSEM, MODO VIDEO, supple, ipsius beneficio; nam tacitè redarguit Pharisæos. q. d. Res ipsa loquitur, utrùm peccator, an Propheta sit, qui hoc mihi fecit. Nam sic acceperunt Pharisæi responsum ejus, quando dixerunt.

25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: unum scio, quia cæcus cum essem, modò video.

26. QUID FECIT TIBI? QUOMODO APERUIT, &c. tot iteratis percunctationibus nihil aliud captantes, nisi ut in narrando non constaret sibi, & ita fides ejus vacillaret. Ille pertæsus superfluas interrogationes audire, respondit eis?

26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos?

27. DIXI VOBIS IAM, &c. NUMQUID ET VOS VULTIS DISCIPULI EIUS FIERI, scilicet sicut ego? Est enim hæc confessio discipulatus sui, & simul falsa irrisio Pharisæorum, utpote quos sciebat, præ superbia, & odio Jesu nihil ignominiosius sibi ducere, quàm discipulos ejus fieri.

27. Respondit eis: Dixi vobis jam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli ejus fieri.

28. MALEDIXERUNT ERGO EI, Græcè ἐλοιδόρησαν, *convitiati sunt ei*, irritati scilicit tantâ mendici libertate, ET DIXERUNT, sequentibus verbis ei convitiantes: Tu DISCIPULUS ILLIUS SIS. Quod maledictum est, inquit August. si cor discutias loquentium, non si verba perpendas. Quidquid enim eo animo profertur, ut alter afficiatur contumeliâ, maledictum est; licet verbum per se non videatur contumeliosum, ut ait Basil. Interrogatione breviori 24. NOS AUTEM MOYSI DISCIPULI SUMUS, qua particula adversativa indicant Jesum Moysi esse contrarium. Causam addunt, cur Moysem præferant:

28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.

29. Nos SCIMUS, ex sacris scilicet litteris eruditi, QUIA MOYSI LOCUTUS EST DEUS: ut proinde dubitari nequeat, nos Deum ipsum sequi, infallibilem quandò Moysis doctrinam sequimur: HUNC AUTEM NESCIMUS unde SIT, hoc est, unde ad nos venerit, & consequenter unde, tam docendi auctoritatem seu missionem, quàm doctrinam ipsam acceperit, à Deo, an à seipso. Ille nihil turbatus maledicto, intrepidè respondit:

29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit.

30. IN HOC ENIM MIRABILE EST, QUIA VOS, &c. id est, enim verò mirabile quiddam in hac re contingit, quòd vos viri, tam perspicaces ac docti, nesciatis unde sit: ET APERUIT MEOS OCULOS, id est, & tamen aperuit, sive cùm tamen aperuit meos oculos. Obliquè enim perstringit eos, quòd ex miraculo tam illustri nihil moti adhuc missionem Jesu sibi ignotam esse fingerent. Probat autem eos hoc scire debere.

30. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos:

31. SCIMUS AUTEM, nos etiam idiotæ, ex communi & publica hominum sententia, QUIA PECCATORES DEUS NON AUDIT, id est, non exaudit,

31. Scimus autem quia pecca-

tores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

ut sequitur : nam Græcè utrobique idem verbum est, ἀκούει : SED SI QUIS DEI CULTOR EST, non verbis tantum, ac ceremoniis, sed qui per obedientiam mandatorum ejus, VOLUNTATEM EIUS FACIT, HUNC EXAUDIT. Quæ cæci sententia difficultatem habet : nam constat peccatores non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus multis exaudiri à Deo, ut patet ex Publicano : imò & ad miracula facienda, Matt. 7. v. 22. Unde Aug. tum hîc, tum Homilia 43. c. 5. & lib. 2. contra Epist. Parmeniani c. 8. ex professo docet, hanc sententiam esse hominis nondum intùs illuminati. Si quis tamen eam, ut generaliter veram accipere velit, exponenda esset, quòd Deus non exaudiat peccatores, ad facienda hujusmodi miracula, quibus probent innocentiam suam, & se, doctrinamque suam esse à Deo : nam de istis agebatur. Subsumit autem cæcus.

32. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.

32. A SÆCULO NON EST AUDITUM, &c. q. d. Sed in tot signis, & in primis in hoc tanto miraculo, quod ad confirmationem innocentiæ, & auctoritatis suæ edidit, palàm est eum esse exauditum à Deo : Ex quo concludit :

33. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.

33. NISI ESSET HIC A DEO, scilicet missus & approbatus, tamquam cultor & observator voluntatis ejus, NON POTERAT FACERE QUIDQUAM, nempe tale, ut jam diximus. Quasi concluderet : ergò ille homo non est peccator, sed cultor Dei, &c.

34. Responderunt ei : In peccatis natus es totus, & tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras.

34. RESPONDERUNT ET DIXERUNT EI : IN PECCATIS NATUS ES TOTUS, non solùm animâ peccato infectâ, sed etiam corpore abominabilem statum animæ testante : nam, ut Chrysost. & Theophyl. notant, convitium est, quo ei cæcitatem exprobrant : ET TU, ita corpore & anima maledictus, DOCES NOS, Legis-peritos & sanctitatis cultores ? Cùm scriptum sit : *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum ?* ET EIECERUNT EUM FORAS, extra conclave. Nam simul è synagoga hunc ejectum fuisse, non est verisimile, quia nondum professus erat eum esse Christum.

35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras, & cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ?

35. ET CUM INVENISSET EUM JESUS, DIXIT EI, ad consolandam & compensandam illam ignominiam : TU CREDIS IN FILIUM DEI, missum scilicet in mundum ? Nam cæcus intelligens illam quæstionem includere, quòd esset aliqua persona visibilis, quæ esset Filius Dei, Respondit :

36. Respondit ille, & dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum ?

36. QUIS EST, DOMINE, scilicet ille Filius Dei, UT CREDAM IN EUM ? Est vox hominis non diffidentis, sed parati credere, seu, ut Chrysost. loquitur, est vox animæ valde desiderantis, & inquirentis, ut eum veritatis amatorem fuisse intelligas.

37. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.

37. DIXIT EI JESUS, non id, quod brevius erat & clarius, *Ego sum*, sicut Samaritanæ dixerat ; sed quod erat modestius & ad incitandum efficacius, in tertia persona : ET VIDISTI EUM, quando abstersâ cæcitate, in gratiarum actionem revivisti. Quo verbo revocat ei memoriam præstitæ sanitatis. Sed quia illud, *vidisti*, adhuc dubium erat verbum, addit manifestiùs : ET QUI LOQUITUR TECUM, IPSE EST.

38. At ille ait : Credo Domine. Et procidens adoravit eum.

38. AT ILLE AIT : CREDO DOMINE. Compendiosè profitens, & Deum habere Filium, & eum esse incarnatum, seu hominem factum, adeóque ipsum esse Jesum, qui loquebatur. ET PROCIDENS ADORAVIT EUM,

fidem ſuam non verbo tantùm, ſed & opere proteſtando. Itaque adoratio hæc fuit fidei, quam profitebatur, congrua; hoc eſt, adoratio latriæ, ſoli Deo debita.

39. Et dixit Jesus, circumſtantibus ſcilicet occaſione cæci, animo jam videntis, ſic tamen, ut ad corporalem ejus illuminationem & cæcitatem alludat: IN IUDICIUM EGO IN HUNC MUNDUM VENI, id eſt, veni ut faciam judicium, ſeu diſcretionem hominum in duas contrarias partes: ita videlicet, UT QUI NON VIDENT, animo, ſimpliciter ſcilicet ignorantes res ſaluti ſuæ neceſſarias, & ignorantiam ſuam agnoſcentes, VIDEANT, id eſt, per fidem illuminentur; ET QUI VIDENT, ſua ſcilicet opinione, ſicut exponit Chriſtus verſ. 41. hoc eſt, qui ſibi perſuadent, omnia ſe noſſe, nec indigere doctrina mea, CÆCI FIANT, id eſt, animo excæcentur per incredulitatem. Nam talibus, cujuſmodi Phariſæi erant, contigit id, quod Apoſtolus de Philoſophis dicit, *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Itaque illud, *in judicium*, & particula, *ut*, non ſcopum, aut finem adventûs Chriſti in hunc mundum ſignificant, ſed effectum potiùs, ſeu conſecutionem: nam proprio vitio excæcati ſunt ſuperbi ex ipſa luce, id eſt, doctrina & miraculis Chriſti.

39. Et dixit Jeſus: In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.

40. Et AUDIERUNT QUIDAM EX PHARISÆIS, qui eum quaquaversùm ſequebantur, ut obſervarent, quid diceret, atque faceret, ET DIXERUNT EI: NUNQUID ET nos, id eſt, etiam nos, qui legis peritiâ excellimus, & aliorum doctores, CÆCI SUMUS, per adventum videlicet tuum, omni ſcientiæ noſtræ luce privati? Videbant enim ſe notari, ideóque rogant, ut rem paradoxam & per ſe abſurdam, quemadmodum putabant, clariùs exprimat.

40. Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci ſumus?

41. DIXIT EIS JESUS: SI CÆCI ESSETIS, corpore, inquit Chryſoſt. & Theophyl. Sed multò rectiùs exponitur, ut ſit antitheſis ad id, quod ſequitur, *dicitis, quia videmus.* Itaque ſi cæci eſſetis, judicio ſcilicet veſtro, id eſt, ſi vos cæcos eſſe adverteretis, cæcóſque fateremini, ut exponit Auguſtin. PECCATUM NON HABERETIS, id eſt, jam videretis: nam ipſa cæcitas, ſeu incredulitas eorum, peccatum erat. Ideò autem peccatum non haberetis, quia cæcitatis conſcii ad me medicum ſanandi currereris. NUNC VERO DICITIS, QUIA VIDEMUS, id eſt, perſuaſi eſtis, vos eſſe ſapientes, nec indigere ullius doctrina. PECCATUM VESTRUM MANET, id eſt perfidia & incredulitas, quia me repellitis, tamquam non neceſſarium, perſeverat in vobis, ſine ulla venia, aut excuſatione.

41. Dixit eis Jeſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum veſtrum manet.

CAPUT DECIMUM.

Caput X.

1. AMEN, AMEN DICO VOBIS, Phariſæis in primis: nam ex v. 19. & 21. videtur hic ſermo occaſione cæci paulò antè ſanati habitus, ut ſcilicet Chriſtus declararet non eſſe veros paſtores ovilis Dei, qui excluderent eos à ſynagoga, qui eum Meſſiam eſſe faterentur. QUI NON INTRAT PER OSTIUM, viâ ſcilicet regiâ, IN OVILE OVIUM, SED ASCENDIT ALIUNDE, per feneſtram ſcilicet, aut fracto pariete, ILLE FUR EST, ET LATRO, ille judicari ſolet fur & latro: *fur*, qui id quod

1. Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro.

alterius est, suum esse putet; *latro* verò, qui quod est furatus, occidat, inquit Augustinus.

2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.

2. QUI AUTEM INTRAT PER OSTIUM, viâ legitimâ, PASTOR EST OVIUM, id est, per hoc tamquam primum & capitale argumentum ostendit reipsa se pastorem esse. Alterum autem argumentum est, quòd

3. Huic ostiarius aperit, & oves ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas.

3. HUIC OSTIARIUS APERIT, non furi, aut latroni. Loquitur enim Christus de ovili, quasi magni patrisfamilias, in qua quispiam constitutus est, qui claves omnium portarum curet. ET OVES VOCEM EIUS AUDIUNT, id est, discernunt eam, tamquam vocem veri pastoris sui, eique obediunt; non sic voci furis, aut latronis: ET PROPRIAS OVES VOCAT NOMINATIM, id est, suas sibique propriè commissas, sigillatim ad se vocat, ut curet singulas, ET EDUCIT EAS, ad pascua, non ad lanienam, sicut fur & latro. Hæc sunt alia tria indicia veri pastoris.

4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves eum sequuntur, quia sciunt vocē ejus.

4. ET CUM PROPRIAS OVES EMISERIT, ANTE EAS VADIT, id est, præcedit eas, ut eis viam monstret ad pascua, & defendat in periculis. Hoc est sextum veri pastoris argumentum. Septimum verò, ET OVES ILLUM SEQUUNTUR. Causa est, QUIA SCIUNT VOCEM EIUS, id est, quia assuetæ sunt sibilis & sonis ejus.

5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non noverunt vocem alienorum.

5. ALIENUM AUTEM, furem scilicet, aut latronem, tamquam aliena voce sibi loquentem, NON SEQUUNTUR.

6. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.

6. Hoc PROVERBIUM DIXIT EIS Jesus, id est, hanc parabolam, ex vulgari usu desumptam. *Proverbium* enim alioquin brevis est & vulgò trita sententia: *Parabola* verò prolixior sermo multumque figuratus, & ideò etiam plerumque obscurus. Atque hac de causa Pharisæi & Judæi NON COGNOVERUNT, QUID LOQUERETUR EIS, id est, quid sibi vellet ille sermo, seu quem sensum innueret. Per quod indicatur, eos cognovisse, quòd esset parabola ex rebus rusticis petita, sed sensum ejus ignorasse. Voluit itaque Christus in hac parabola delineare conditiones veri pastoris ovilis sui, seu Ecclesiæ suæ: Primò, quòd intrat per ostium, non ascendens aliunde, id est, non intrudens se in superiorem locum regendi, sicut fur clanculum & per fraudes, vel sicut latro per violentiam. Tali ergò ostiarius Christus, vel Spiritus-sanctus aperit. Oves voci ejus obediunt, & ille nominatim novit & vocat singulas ad se gratiâ suâ, tamquam quas nominatim descriptas habet in libro vitæ, singularúmque curam gerit. Præcedit eas exemplo vitæ bonæ, & oves eum imitantur, quia sciunt vocem ejus, ut qui potenter eas ad imitationem sui voce, & moribus, & gratia provocet. Porrò per *Oves* hîc intelliguntur non omnes fideles, quemadmodum Joan. ult. nec omnes justi, sed soli electi, sicut patet v. 14. 15 16. 26. & 27. & in primis 28. Nam quamvis ovile sit tota Ecclesia, non tamen ita vocatur, quòd omnes & solas contineat oves; sed quia oves, id est electi, præcipua Ecclesiæ membra sunt, stabilia, & propter quos Ecclesia instituta est, & unde ovilis nomen sortitur.

7. Dixit ergo eis iterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.

7. DIXIT ERGO EIS ITERUM: EGO SUM OSTIUM OVIUM, de quo scilicet in parabola locutus sum. Cùm autem ostium sit, per quod ingrediuntur tam oves, quàm pastores, dicitur Christus *Ostium*, quia per illum oves habent aditum ad populum Dei, & consequenter ad salutem

& vitam æternam, quia per fidem ejus, per meritum, per inſpirationem: rurſum per illum ingrediuntur alii paſtores, quia per auctoritatem ejus, ſive de cœlo immediatè datam, ſive legitima ſucceſſione tranſmiſſam.

8. OMNES QUOTQUOT VENERUNT, ſcilicet à ſeipſis, non per me, ſeu per auctoritatem meam; vel, quod idem eſt, quotquot venerunt non miſſi, prout exponit Auguſt. 16. contrà Fauſtum, cap. 12. Non enim notantur hîc Moyſes & Prophetæ, quia miſſi ab ipſo, & per ipſum venerunt, & ipſum prædicaverunt: ſed de illis loquitur, qui non miſſi, ſed ſua ſponte venientes, ſe duces ovibus ad beatitudinem exhibere voluerunt, de quibus Jerem. 14. verſ. 14. & 15. & cap. 23. verſ. 21. Tales ergò FURES SUNT, ET LATRONES, quia vel dolosè, vel violentè in ovile aſcendunt, ut oves inſtar furum ſibi vindicent, & inſtar latronum in exitium præcipitent. SED NON AUDIERUNT EOS OVES, vel nullo modo, vel non perſeveranter, ut Auguſt. hîc. Efficit enim Deus providentia & inſpiratione ſua, ut eos oves prædeſtinatæ ſaltem finaliter exhorreant.

8. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, & latrones, & non audierunt eos oves.

9. EGO SUM OSTIUM. Repetitione confirmat ſermonem, & ſimul explicat: SI QUIS INTROIERIT PER ME, inſpiratione & auctoritate mea, ſeu *per me*, intùs vocantem, & exteriùs auctoritatem dantem, SALVABITUR. Per quod ſatis indicat, ingreſſum illum etiam per gratiam internam debere fieri. Multi enim Chriſti quidem auctoritate accipiunt præfecturam in ovili; ſed non ſalvantur, quia non ſpiritu ejus vocante, ſed ſpiritu cupiditatis, vel ambitionis impellente proſiliunt ad gubernacula: ET INGREDIETUR, ſecundùm fidem interiùs contemplando res divinas, ET EGREDIETUR, externa officia operando; & utrovis modo PASCUA INVENIET, id eſt, pabulum, quo & ſe, & gregem reficiat. Vel *ingredietur* in Eccleſiam, *& egredietur*, diſcedendo ex hoc mundo in cœleſtem gloriam, ubi paſcitur Iſraël pabulo æternæ veritatis. Utrumque ſenſum dat Auguſtin. Quamquam *Ingredi* & *Egredi* ſignificare ſoleat in Scripturis totam hominis converſationem, ut clarè patet Act. 1. v. 21. & Pſalm. 120. v. 8. q. d. Quocumque ſe vertet, proſperè aget, & paſcua inveniet.

9. Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.

10. FUR NON VENIET, NISI UT FURETUR, id eſt, ſui commodi cauſa, ut oves à Deo abſtrahat, & faciat ſuas; ET EAS MACTET, veneno pravæ doctrinæ occidendo; ET PERDAT, æterna perditione. Econtrariò verò, EGO VENI, UT OVES VITAM HABEANT, juſtitiæ per fidem in hac vita, ET ABUNDANTIUS HABEANT, æternam in futuro, ut Auguſtinus Tractatu 45. Ratio autem curæ tam beneficæ & ſalutaris, ſubjicitur: quia

10 Fur non venit niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.

11. EGO SUM PASTOR BONUS, q. d. Non ſolùm ſum oſtium, per quod ingrediantur alii, ſed etiam ipſe *ſum Paſtor*, & quidem *bonus*. Quod non diceret, inquit Auguſt. niſi eſſent & paſtores mali, fures ſcilicet & latrones, aut certè mercenarii. Bonum ergò ſe eſſe paſtorem, oſtendit ex proprietate ejus: quia BONUS PASTOR ANIMAM SUAM DAT PRO OVIBUS SUIS, id eſt, vitam ipſam, multò magis commoda temporalia profundere paratus eſt pro ſalute ovium ſuarum, ſi neceſſitas earum hoc poſtulet. In quo perſpicua differentia eſt ab iis, qui fures ſunt & latro-

11. Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.

nes. Sed quia nonnulli ſunt veri paſtores, quantùm ad auctoritatem, non quantùm ad affectum paſtoralem, etiam ab illis ſe diſcernit, addendo:

12. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cujus non ſunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & diſpergit oves:

12. MERCENARIUS AUTEM, ET QUI NON EST PASTOR. Quis in cortice parabolæ *Mercenarius* ſit, perſpicuum eſt, ille ſcilicet, cujus non ſunt oves, ſed mercede ad hoc officium paſcendi conducitur: cujus conditio eſt, ut pericula à lupis imminentia parum curet, quia non illi, ſed domino oves pereunt. Unde pulchrè alicubi Auguſtin. Viles habent oves, quia non emerunt eas. In re autem ſignificata *Mercenarius* eſt, qui paſcit oves, non ſalutis earum vel Dei causâ, ad quem pertinent, ſed mercedis & ſui commodi gratiâ, ſua ſcilicet quærens, non quæ Jeſu Chriſti, ET QUI NON EST PASTOR, ovium, ita ſcilicet, ut earum ſalutem tamquam proprii gregis, & ſuam ipſius quærat; quales mercenarios paſtores deſcribit Iſaïas, cap. 56. verſ. 10. & 11. VIDET LUPUM VENIENTEM, id eſt, pſeudo-doctorem, ſicut hoc exponit Apoſtolus Act. 20. verſ. 26. *Intrabunt poſt diſceſſum meum lupi rapaces*; quos ſtatim explicat eſſe eos, qui abducunt diſcipulos poſt ſe. Ponit autem Chriſtus ſpeciem pro genere: nam ſub *lupis* intelliguntur etiam ſchiſmatum, & quarumlibet perſecutionum, ac periculorum auctores. ET DIMITTIT OVES ET FUGIT, abjectâ curâ & protectione earum. De cujuſmodi paſtoribus Tertull. libr. De corona militis, cap. 1. Novi paſtores eorum in pace leones, in prælio cervos. ET LUPUS RAPIT OVES, per falſas doctrinas, ET DISPERGIT, per diviſiones & perſecutiones, quæ paſtoris præſentia & protectione diſſipari potuiſſent.

13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.

13. MERCENARIUS AUTEM FUGIT, QUIA MERCENARIUS EST, hoc eſt, quia ſolam mercedem, ſeu compendium ſuum ſpectat, ET NON PERTINET AD EUM DE OVIBUS, id eſt, non ei cura de earum ſalute, ſed mercede dumtaxat ſua. Cujuſmodi paſtoris ſenſus & voces ſunt, *Quod moritur, moriatur; & quod ſuccidítur, ſuccidatur*, ut eſt apud Zachar. c. 11. Unde de talibus dicit Spiritus Dei, *O paſtor & idolum, derelinquens gregem!*

14. Ego ſum paſtor bonus: & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.

14. EGO SUM, non fur, non latro, non mercenarius, ſed PASTOR BONUS. Quod declarat duobus argumentis, cognitione ovium, & animæ ſuæ profuſione: ET COGNOSCO MEAS, id eſt, quia ſingularum conditionem diſtinctiſſimè novi, non ſterili cognitione, ſed ut eis ſubveniam: eſt enim hæc cogitatio æternæ electionis, ac dilectionis, juxtà quàm dicit alibi, *Ego eos quos elegerim*: & Apoſtolus, *Novit Dominus, qui ſunt ejus.* ET COGNOSCUNT ME MEÆ, tamquam paſtorem & ſalvatorem ſuum: infirmæ quidem ut medicum; proficientes ut ductorem; tentatæ ut adjutorem; valentes ut nutritorem. Quam cognitionem paſtoris ſui, ut oves habeant, dicit Ambroſ. libr. 3. De virginibus: Si vulnus curare deſideras, medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi cœlum deſideras, via eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Ut autem declaret, quàm ſit affectuoſa illa mutua paſtoris & ovium cognitio, explicat hoc adjectâ ſimilitudine, & quaſi per parentheſin interpoſitâ.

15. Sicut novit me Pater, & ego

15. SICUT ME NOVIT PATER, ſupple, ſic ego noſco meas: ET ſicut

EGO AGNOSCO PATREM, ſupple, ſic cognoſcunt me meæ (ita enim videntur hæc membra inter ſe conferenda: hoc eſt, ſicut novit me Pater Filium ſuum, ita ut dilectiſſimum habeat, curet & ſervet; ſic ego cognoſco oves meas, & viciſſim, ſicut ego novi Patrem, ita ut eum gratiſſimè agnoſcam omnium bonorum meorum fontem; ſic oves meæ noverunt me, ut ſuprà explicuimus. Itaque illud, *ſicut*, ſimilitudinem, non æqualitatem ſignificat, & reſpicit illa verba verſ. 14. quæ præceſſerunt, *Cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut novit me Pater*, &c. ET ANIMAM MEAM PONO PRO OVIBUS MEIS, id eſt, vitam ipſam pro eis liberandis profundo; quod ſignum conſummatæ dilectionis. Nam, ut Chriſtus dicit, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ponat quis pro amicis ſuis*: quod ipſe pro inimicis fecit. Ut autem ſcirent Judæi, quænam ſint illæ oves, adjicit:

agnoſco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis.

16. ET ALIAS OVES HABEO, id eſt, habeo autem & alias oves à Patre mihi traditas, ſcilicet ex Gentibus, dicente Patre ad Chriſtum, Iſaïæ 49. *Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob & faces Iſraël convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium*, &c. QUÆ NON SUNT EX HOC OVILI, id eſt, ex populo Iſraël, ut exponit Auguſtin. Vocantur autem *Oves*, vel per anticipationem, quia oves erunt, vel potiùs ratione prædeſtinationis Dei. ET ILLAS OPORTET, juxta decretum æternum Patris, ME ADDUCERE, ad ovile meum, ſeu Eccleſiam meam, nempe per diſcipulos meos; nam Chriſtus per præſentiam corporalem non fuit miniſter, niſi circumciſionis: ET VOCEM MEAM AUDIENT, obediendo prædicationi meæ, per ora diſcipulorum meorum reſonanti. Et ita FIET UNUM OVILE, id eſt, grex, μία ποίμνη, ut eſt Græcè, ex duobus ſcilicet populis, Judaïco & Gentili, ET UNUS PASTOR, ego ſcilicet ipſe Chriſtus, tamquam lapis angularis, faciens utraque unum, ſicut præclariſſimè prophetatum hoc eſt apud Ezech. c. 37. v. 21 uſque ad 25.

16, Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus paſtor.

17. PROPTEREA ME DILIGIT PATER, QUIA, juxta mandatum ejus, ut eſt verſu ſequenti, EGO PONO ANIMAM MEAM, ſcilicet pro diligendis ovibus, ſeu hominibus, quos mihi ſalvandos dedit. Ita tamen eam pono, UT ITERUM SUMAM EAM: non reſumitur autem *anima*, niſi quæ à corpore ſeparata fuerit; ut proinde *Ponere animam*, ſit idem quòd eam emittere. *Iterum* autem *ſumere*, eſt eam propriâ auctoritate & virtute corpori reſtituere; ſic enim ſeipſum Chriſtus exponit:

17. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam.

18. NEMO TOLLIT, id eſt tollet, EAM A ME, invito ac nolente, SED EGO PONO EAM A MEIPSO, id eſt, ſponte, quando & quomodo voluero. Quod fecit non ſolùm, quia ſe ſponte ad crucem tradidit, ſed etiam quia ſponte mortuus, ex divinitatis auctoritate; cùm virtute propriâ divinitùs vivere potuiſſet, ut ex illo magno clamore morientis patuit. ET POTESTATEM HABEO, plenam ac liberam, PONENDI EAM ET SUMENDI EAM, id eſt, moriendi & reſurgendi, ita ut nemo me invitum poſſet vel occidere, vel in morte retinere. Hoc MANDATUM ACCEPI A PATRE MEO: quod refer ad, *ponere animam*, ſeu ad paſſionem; nam ad reſurrectionem non erat dandum mandatum. Hoc autem ipſum mandatum non fuit invito, ſed volenti & conſentienti datum. Inſinuat autem mandatum Patris non intuliſſe ſibi neceſſitatem, ſed integram ſibi reliquiſſe arbitrii libertatem.

18. Nemo tollit am à me ſed ego pono eam à meipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo.

19. Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos.

19. DISSENSIO ITERUM FACTA EST INTER JUDÆOS. Nam prior dissensio facta fuerat Cap. præcedent. vers. 16. Idem enim verbum est hìc Græcè, quod ibi, scilicet schisma: PROPTER SERMONES HOS, parabolicos, quos non intelligebant. Unde DICEBANT MULTI: DÆMONIUM HABET, QUID EUM AUDITIS? &c.

20. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid eum auditis?

21. Alii dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

22. Facta sunt autem Encænia Jerosolymis: & hiems erat.

22. FACTA SUNT AUTEM ENCÆNIA, id est, festum Encæniorum: quod ita dicitur, quasi festum innovationis, quia est festum renovatæ dedicationis structuræ sacræ. Quidam Græci intelligi putant dedicationem templi primi, structi per Salomonem; sed illius dedicatio fiebat mense septimo, non hyeme. Chrysostom. ac Theophyl. accipiunt dedicationem templi secundi, per Zorobabel erecti post captivitatem: fiebat enim mense duodecimo, scilicet Adar, respondente nostro partim Februario, partim Martio. Verius est intelligi de anniversaria dedicatione altaris facta per Judam Machabæum, quæ incidebat in 25. mensis Casleu, id est novi, respondentis nostro Novembri, ac Decembri, & proinde HYEMS ERAT, de quo festo vide 1. Machab. 4. vers. 59. & 2. Machab. 10. vers. 5. & seqq. ubi describitur modus celebrandi, instar festi Tabernaculorum.

23. Et ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis:

23. ET AMBULABAT JESUS, non recreandi sui, sed docendi causâ, quasi paratus, si se offerret opportunitas, IN TEMPLO. Quòd ne putares fuisse vel in ipsa æde sacra, vel in loco sacrificii, ubi hoc dedecuisset, addit explicandi causâ, IN PORTICU SALOMONIS: per quam intelligit atrium, non Sacerdotum, sed populi, sub dio cinctum porticu, ita ut à parte totum nominetur: & quia eodem loco structum erat, quo illud Salomon olim struxerat, dicebatur *Porticus Salomonis*. De quo atrio Salomonis agit Josephus lib. 8. Antiquit. c. 2.

24. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.

24. CIRCUMDEDERUNT ERGO EUM, quasi nacti opportunitatem insignem, dum ab aliis rebus vacaret: ET DICEBANT: QUOUSQUE ANIMAM NOSTRAM TOLLIS? id est, quamdiu nos suspensos, ac dubios tenendo enecas? SI TU ES CHRISTUS, Patribus promissus, DIC NOBIS PALAM, sine parabolis, & verborum involucris: quasi insinuantes, hanc esse causam, cur hactenus ei non credidissent, & auditâ veritate se credituros: verùm, ut August. notat, non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. Itaque

25. Respondit eis Jesus: Loquor vobis, & non creditis; opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me:

25. RESPONDIT EIS: LOQUOR VOBIS, id est, jam diu dixi vobis, supple me esse Christum, & non creditis, qu. d. Non oritur hoc ex obscuritate verborum meorum, sed ex incredulitate vestra. Causa autem, cur non hìc palàm dicat, *Ego sum Christus*, prima est: quia, ut dixi, non quærebant veritatem, sed calumiam; ut, si assereret, quod res erat, accusarent eum, quòd se faceret Christum Regem, sicut ei in passione objectum fuit. Secunda, quia operibus id probare malebat, quàm nudis assertionibus; reservans responsionem talem in terminis publico concilio Sacerdotum, quando coram judicibus ad exemplum nostrum palàm veritatem professurus erat. OPERA QUÆ FACIO IN NOMINE PATRIS MEI, id est, voluntate, & auctoritate & virtute Patris mei, tamquam superantia omnem creaturæ potestatem, HÆC TESTIMONIUM PERHIBENT DE ME, supple, quis ego sim.

26. Sed non vos creditis, quia

26. SED NON VOS CREDITIS, neque verbis, neque operibus. Causa est,

est QUIA NON ESTIS EX OVIBUS MEIS, id est, ex prædestinatis ad vitam æternam, sed potiùs ad interitum, prout exponit August. Cujus rei causa cùm non possit esse nisi culpa hominum, tacitè taxat obdurtatam eorum malitiam, propter quam divinâ gratiâ destituti erant. Probat autem eos non esse ex ovibus suis, ex conditionibus veratum ovium.

27. Oves meæ, id est, prædestinati, & mihi ad salvandum dati, VOCEM MEAM AUDIUNT, id est, obediunt, credendo mihi. Nam *Audire* subinde significat nudam perceptionem vocis Dei, sive exteriorem, sive etiam interiorem, ut *Hodie si vocem ejus audieritis*, &c. Subinde assensum & obedientiam respectu vocis Dei, ut, *Locutus sum, & non audistis*, &c. prout & hìc sumitur. Porrò dicendo, *vocem meam audiunt*, significat se ovibus priùs loqui, eásque ad se convertere; quod clariùs indicat addendo: ET EGO COGNOSCO EAS, non sterili solius mentis cognitione, sicut & hœdos novit, sed simul affectus, quâ trahuntur oves ad pastorem, ET SEQUUNTUR ME verbum meum scilicet credendo, & exemplum operando. De tali cognitione loquitur Apostolus ad Galat. 4. v. 9. *Cum cognoveritis Deum, imò cogniti sitis à Deo*: per quod significat ipsam cognitionem Galatarum à Deo, tamquam pastore cognoscente oves suas, proveniisse. Ne verò parvi facerent, esse ovem Christi, cúmque pastorem sequi, subjicit:

27. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me.

28. ET EGO VITAM ÆTERNAM DO EIS, in præmium, quo nullum majus bonum ovium excogitari potest, ET NON PERIBUNT IN ÆTERNUM, propria aliqua voluntatis mutabilitate vel defectu. Sic enim eis dabitur vita æterna, ut ne quidem per proprium velle ab ea excidere possint: nam eis perseverandi possibilitas & voluntas, divinæ gratiæ largitate donatur, ut latiùs August. de Corrept. & gratia c. 12. Insinuat autem eos è contrario in æternum perituros, eò quòd non essent ex ovibus suis, ut notat August. Tract. 48. ET NON RAPIET EAS QUISQUAM, non fur, non latro, non mundus, non caro, non dæmones, non prospera, non adversa, DE MANU MEA, id est, de potestate mea, qua proteguntur: quod addit, ne aliena vi, fraudibus aut insidiis, à Christo avelli posse putarentur. Ne verò miraretur tantam suam potestatem in tanta carnis infirmitate, rationem reddit: quia

28. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.

29. PATER MEUS QUOD DEDIT MIHI, id est, id, quod dedit mihi Pater gignendo, ut essem videlicet unigenitus Filius Dei, MAIUS OMNIBUS EST, id est, potentius omni re creata: ET NEMO POTEST RAPERE violentè oves, DE MANU PATRIS MEI, supple; ergò nec de mea. Ratio sequitur v. 30. Porrò Græcè sensus est faciliior in masculino, Pater qui dedit mihi, servandas scilicet oves, major omnibus est. Nemo autem potest rapere de manu Patris; ergò nec de mea. Consequentiam illam probat, quia

29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.

30. EGO ET PATER UNUM SUMUS, natura divina, & consequenter potestate & voluntate: nam ubi unitas, adeóque identitas, ibi nulla prorsus disparitas. Notant autem communi consensu Interpretes & Patres, August. Oration. De quinque hæresibus, Hieron. c. 6. Isaïæ, Ambros. lib. de Spiritu sancto, & alii passim, illud, *Unum*, designare identitatem substantiæ seu naturæ; *sumus*, distinctionem personarum. Unde August. Epist. 174. docet his verbis significari, Filium esse

30. Ego & Pater unum sumus.

ὁμοούσιον Patri, id est, ejusdem individualis substantiæ. In quem sensum & Judæi hoc acceperunt, cùm visus est eis blasphemasse; quod nullo modo judicassent, si tantùm significatam existimassent concordiam voluntatis.

31. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum.

33. SUSTULERUNT ERGO LAPIDES JUDÆI, UT LAPIDARENT EUM, tamquam blasphemum. Intellexerunt enim Judæi, inquit Augustin. quod Ariani non intelligunt. Senserunt enim non posse dici, Ego & Pater unum sumus, nisi ubi est æqualitas Patris & Filii, Christus autem intrepidè.

32. Respondit eis Jesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis,

33. RESPONDIT EIS, blandiusculè, ut furorem eorum ratione temperaret: MULTA OPERA BONA OSTENDI VOBIS, id est, multis beneficiis vos affeci; nam *Ostendere bona*, vel *mala*, apud Hebræos est benè vel malè facere, ut patet Psalm. 70. vers. 20. & Psalm. 59. vers. 5. *Ostendisti populo tuo dura*: EX PATRE MEO, id est, tamquam virtute Patris mei facta; quem semper tanquam operum meorum, & missionis principium agnovi, & proinde probant me esse Filium ejus. PROPTER QUOD EORUM OPUS ME LAPIDATIS? id est, ad lapidandum vos præparatis?

33. Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum.

33. RESPONDERUNT JUDÆI: DE BONO OPERE, id est, propter bonum opus, NON LAPIDAMUS TE, SED DE BLASPHEMIA, quam te admisisse probamus: ET QUIA, (illud, ὅτι, est exegeticum seu declarativum, pro, *id est*, nam hæc ipsa est blasphemia, quam designare volunt) TU HOMO CUM SIS, FACIS, id est, jactas & prædicas TE IPSUM DEUM. Benè enim intellexerant, quòd verbis versu 30. positis se verum Deum asseruisset: sed illo principio nitebatur error ipsorum de blasphemia, quòd nemo posset esse simul homo & Deus. Existimantes forsan hoc aliter non posse fieri, quàm per conversionem divinæ naturæ in humanam, aut humanæ in divinam, aut per commixtionem utriusque in aliquam substantiam tertiam. Unde Augustin. Tractat. 18. in Joan. In homine non intelligebant Deum: carnem videbant, Deum nesciebant: habitaculum cernebant: habitationem ignorabant: caro illa templum erat, Deus inhabitabat intùs; per unionem scilicet naturæ divinæ ac humanæ in eamdem personam. Quamobrem Athan. pro decretis Conc. Nicæni notat eos potiùs sermonem convertere debuisse hoc modo: Cur tu Deus cùm sis, homo factus es? Nam opera, sicut & verba, eum Deum esse declarabant.

34. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis?

34. RESPONDIT EIS, non negando se Deum esse, sicut omninò facere debuisset, si fuisset falsum; sed tuendo verba sua, argumento à minori: NONNE SCRIPTUM EST IN LEGE VESTRA, id est, in sacra Scriptura à vobis in auctoritatem receptâ, & proinde vobis irrefragabili: nam *Lex* hîc totam Scripturam comprehendit, sicut & infrà, cap. 15. v. 25. quamvis sæpiùs usurpetur pro solo Pentateucho, ut Lucæ ult. v. 44. QUIA EGO DIXI, DII ESTIS? Verba sunt ex persona Dei ad judices dicta, quos uti potestatis, ita & nominis sui participes fecit, ut sint tamquam Dii quidam terreni in administranda justitia.

35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura:

35. SI ILLOS DIXIT DEOS, AD QUOS SERMO DEI FACTUS EST, id est, quos Deus in illo Psalmi loco compellat, ET NON POTEST SOLVI SCRIPTURA, id est, erroris redargui, vel irrita reddi, quasi malè, vel blasphemè homines mortales appellaverit deos.

36. Quem pater

36. QUEM PATER SANCTIFICAVIT, sanctitatem, quâ ipsemet sanctus,

est, communicando ei, hoc est sanctum per essentiam gignendo; provt exponit Augustin. Nam hæc sanctificatio videtur præcedere missionem in mundum, quam subjungit; & proinde non videtur ita convenienter intelligi de sanctificatione humanæ naturæ, sive per gratiam, sive per unionem divinæ naturæ cum humana, sicut aliqui interpretantur. Vos DICITIS: QUIA BLASPHEMAS: QUIA DIXI, FILIUS DEI SUM? Vos dicitis me blasphemare, eo quòd me dixerim esse Filium Dei? qu. d. Immeritò hoc dicitis: longè quippe justius est, ut ille, quem Pater sanctum genuit, vocetur Filius Dei, & consequenter naturâ Deus, quàm illi, quos Deus alloquitur, & exiguam aliquam divinæ proprietatis participationem habent, provt August. per antitheses aliquas declarat. Probat autem se à Patre sanctificatum:

sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?

37. SI NON FACIO OPERA PATRIS MEI, id est, opera Patri propria, seu quæ non possunt alteri adscribi, quàm Patri, NOLITE CREDERE MIHI, asserenti me unum esse cum Patre. Nam vis argumenti in eo sita est, quòd quorum eadem sunt numero opera, illi unum idémque sint necesse est. Quæ veritas, quia in hac vita valde remota est ab hominum clarâ cognitione, remittit eos ad operum testimonium.

37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38. SI AUTEM FACIO, scilicet opera Patris mei, miracula, quæ à nemine fieri poterant, nisi à Deo Patre: simul verò palàm erat, ea quoque à Christo fieri propria auctoritate: ET SI MIHI NON VULTIS CREDERE, propter verba scilicet mea, OPERIBUS CREDITE, id est, propter opera mihi credite, ut per opera COGNOSCATIS ET CREDATIS, id est, cognoscatis credendo; neque enim clarè ex operibus cognosci potest, sed tantùm credendo: QUIA PATER IN ME EST, ET EGO IN PATRE, per naturam. Nam ista verba idem continent, quod illa superiora, *Ego & Pater unum sumus*. Unitas enim ista in eo sita est, quod personæ in se mutuò sint ratione unius individuæ essentiæ: nam per illam intimam inhabitationem, seu circumincessionem fit, ut singula sint in singulis & omnia in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia, ut loquitur August. lib. 6. de Trinit. c. 10.

38. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre.

39. QUÆREBANT ERGO EUM APPREHENDERE quia videbant eum persistere in eo, quod dixerat: ET EXIVIT DE MANIBUS EORUM. Quo insinuatur eum jam penè apprehensum è manibus elapsum esse, sive ipsâ fiduciâ egressionis, sive etiam occultâ divinitatis virtute eos cohibente.

39. Quærebant ergo eum apprehendere: & exivit de manibus eorum.

40 ET ABIIT ITERUM TRANS JORDANEM, ut per absentiam ejus sedaretur indignatio, IN LOCUM, UBI ERAT JOANNES BAPTIZANS PRIMUM, hoc est in Bethania seu Bethabara, de quo cap. 1. versu 28. nam posteà Joannes migravit in Ænnon juxta Salim, ut est capite 3. versu 23.

40 Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum, ubi erat Joannes baptizans primùm: & mansit illic.

41. ET MULTI DICEBANT, admoniti scilicet ipso loco, in quo Joannes baptizaverat: QUIA JOANNES QUIDEM SIGNUM FECIT NULLUM, supple, & tamen ei credidimus; q. d. Quantò justius est, ut ei credamus, qui innumeris miraculis verba sua confirmat.

41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Joannes quidem signum fecit nullum.

42. OMNIA AUTEM QUÆCUMQUE DIXIT JOANNES DE HOC Jesu scilicet VERA ERANT, id est, vera esse ipso eventu demonstratum est. Hoc est secundum argumentum credendi. Itaque duobus illis adducti, scilicet

42. Omnia autem quæcumque

dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

miraculis Jesu, & testimonio Joannis in memoriam revocato, MULTI CREDIDERUNT IN EUM, quod scilicet esset Christus Filius Dei.

CAPUT XI.

CAPUT UNDECIMUM.

1. ERat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis ejus.

1. ERAT AUTEM QUIDAM LANGUENS, Græcè ἀσθενῶν *ægrotus*, LAZARUS, distinctus tamen ab illo mendico, de quo Lucæ 16. A BETHANIA, quæ quid sit, statim adjicit, explicationis causâ: DE CASTELLO MARIÆ ET MARTHÆ, hoc est, de pago seu vico, in quo habitabant; quomodo Bethsaïda dicitur civitas Andreæ & Petri, cap. 1. versu 44. Describit tam exactè circumstantias, ut miraculum omnium celeberrimum, credibilius fieret.

2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis: cujus frater Lazarus infirmabatur.)

2. MARIA AUTEM ERAT, QUÆ UNXIT DOMINUM UNGUENTO, id est, liquore odorifico. In quo attestatur Joannes Lucæ narranti hanc concionem cap. 7. ut sic distingueretur hæc Maria ab aliis eodem vocatis nomine.

3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

3. MISERUNT ERGO SORORES EIUS, nuntium è Bethania trans Jordanem: nam luctus earum, & cura infirmi, & sexûs conditio, & fiducia in Jesu, satis erat, ne ipsæmet proficiscerentur, ut notat Chrysost. DICENTES, id est, cum mandato dicendi ei præscriptis verbis nomine suo: DOMINE, ECCE QUEM AMAS, INFIRMATUR. Tacitè ipsum & verecundè, & prudenter provocantes ad sanandum: nam super omnes preces ægri, & amicorum ejus, est amor benefactoris. Unde August. Amanti satis nuntiasse; non enim amas & deseris. Scopus earum fuit, ejus adventum impetrare, qua in re quædam fidei imperfectio fuit, non sperantium solo jussu ab absente conferri posse sanitatem, sicut hoc patet clariùs infrà v. 21. & 32.

4. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

4. AUDIENS AUTEM JESUS, DIXIT EIS, sororibus per eumdem illum internuntium: INFIRMITAS HÆC NON EST AD MORTEM, quia nec mors ipsa ejus erat ad mortem, sed ad miraculum, inquit Aug. hoc est, infirmitas ista non adferet ei mortem talem, qualem vos timetis, ut sit ultimus terminus vitæ hujus mortalis, quia jamjam resuscitandus est: SED PRO GLORIA DEI inflicta est hæc infirmitas: quod explicat addendo, UT GLORIFICETUR FILIUS DEI, id est, ut credatur & celebretur, tamquam Patri æqualis & verus Deus, PER EAM, supple, infirmitatem, non mortem, ut ex Græco patet.

5. Diligebat autem Jesus Martham, & sororem ejus Mariam, & Lazarum.

5. DILIGEBAT AUTEM JESUS MARTHAM, &c. Quod addit, tum ut redderet rationem versûs tertii, tùm ut indicaret Lazarum ad vitam revocatum esse non tantùm ex amore Lazari, sed etiam sororum ejus: tum denique ut hinc disceremus, non mirari vel ægrè ferre, si viri boni, Deóque dilecti morbis & incommodis affligantur, ut Chrysost. monet.

6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

6. UT AUTEM AUDIVIT, MANSIT IN EODEM LOCO DUOBUS DIEBUS, ut interea & moreretur, & sepeliretur Lazarus, ne quisquam calumniam struere posset miraculo. Posteà verò dixit:

7. Deinde post

7. EAMUS IN JUDÆAM, id est, in sortem tribus Judæ & Benjamin; nam tunc agebat ultrà Jordanem, ut colligitur ex cap. 10. v. 40. Cùm ergò discipuli eum ab itinere, periculo lapidationis objecto deterrerent.

9. RESPONDIT JESUS, NONNE DUODECIM SUNT HORÆ DIEI; ab ortu scil. ad occasum Solis? æstate quidem longiores, hyeme breviores, ut Aug. lib. de vera relig. cap. 43. Liranus & multi post ipsum, putant proverbium fuisse, provt & nunc vulgò usurpatur, quo significetur Judæos mutari posse, ut quod una hora diei voluerint, alia nolint: sed sequentia isti sensui difficulter aptantur. Aug. sensu magis mystico, quàm litterali per *Diem* intelligit Christum, per *Horas* Apostolos duodecim, quos Christus moneat non debere sibi dare consilium, sed potiùs se sequi, sicut horæ sequuntur diem, non contrà. Videtur Christus significare velle duodecim esse horas diei, hoc est, certis horis spatium diei esse definitum; ita ut, SI QUIS AMBULAVERIT IN DIE, quacumque scilicet hora ejus, etiam ultima, NON OFFENDAT, pedibus, QUIA adhuc LUCEM VIDET.

10. Die autem finito, statim SI AMBULAVERIT IN NOCTE, OFFENDIT, defectu scilicet licis. Qua similitudine significatum vult suæ quoque vitæ mortali, tamquam diei suo certum spatium à Deo præfinitum, quod nullis persecutionibus minui possit. Illius diei adhuc aliquid superesse, quo in Judæam tutò ambulare possit: sed cùm nox, hoc est, tempus passionis, & occasus vitæ advenerit, tunc offensionis, quæ à Judæis immineat, periculum esse. Ita Rupertus, quem alii multi secuti sunt.

11. POST HÆC DIXIT EIS, cùm eos hoc suo sermone securos de periculo reddidisset: LAZARUS AMICUS NOSTER DORMIT, SED VADO, &c. de mortuo tamquam de dormiente loquitur, partim modestiæ causa, ne resuscitationem apertè promittendo, se ipsum jactare videretur; partim ut indicaret tantam esse facilitatem resuscitandi Deo, quanta est nobis excitandi dormientem de lecto, ut August.

12. DIXERUNT ERGO DISCIPULI: SI DORMIT, SALVUS ERIT, quia, ut Tertull. lib. de Anima cap. 43. Somnus probator valetudinis, hoc est; ut August. Somnus ægrotantium, est salutis indicium. Itaque tacitè significant, non esse proinde opus, periculosum iter suscipere.

13. DIXERAT AUTEM JESUS DE MORTE EIUS: quæ *Somnus* dicitur in Scripturis, & mortui subinde *Dormientes*, quia, ut Aug. 4. de Anima cap. 18. Consanguineus, id est, cognatus, seu affinis est lethi sopor: nimirum non solum, quia omnes instar dormientium ad vitam resurgent, sed etiam, ut Ambros. de resurrect. quia postquam ab ipsius mundi laboribus requietum fuerit, vigor nobis vivacior refundetur.

14. TUNC ERGO, cùm videret eos præ ruditate non intelligere, DIXIT EIS MANIFESTE, sine allusione vel metaphorâ: LAZARUS MORTUUS EST q. d. Somnus, de quo locutus sum, mors ejus est.

15. ET GAUDEO PROPTER VOS, UT CREDATIS QUONIAM NON ERAM IBI. Rectiùs ordo verborum est: *Gaudeo, quoniam non eram ibi propter vos, ut credatis.* Causa ergò gaudij erat, quòd non esset ibi, quia precibus, & ploratu amantium permotus fuisset, ut eum vel à morte præservaret, vel statim suscitaret; neutrum conveniebat, propter vos, ut credatis. Loquitur de fidei incremento, quæ ex perspectis fidei evidentissimis argumentis magis firmatur. Cùm ergò dixisset Christus, EAMUS AD EUM, & discipuli forsan adhuc trepidare viderentur,

hæc dixit discipulis suis: Eamus in Judæam iterum.

8 Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?

9. Respondit Jesus: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt:

10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11. Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut à somno excitem eum.

12. Dixerunt ergo discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit.

13. Dixerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc ergo Jesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est:

15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo.

16. DIXIT THOMAS, QUI DICITUR DIDYMUS, id eſt, alio nomine Græco etiam appellabatur *Didymus*. Nam ſicut primus Apoſtolorum vocatur *Cephas* & *Petrus*, utroque nomine idem ſignificante, ita iſte dicebatur *Thomas* & *Didymus*, & utrumque ſignificat geminum ſive gemellum: AD CONDISCIPULOS, minùs alacres: EAMUS ET NOS, UT MORIAMUR CUM EO, quia non obſtantibus verbis Domini, putabat & ipſum, & diſcipulos certum mortis periculum adituros. Verba ſunt ergò viri conſtantis juxtà Bedam & Rupertum, Chriſtumque diligentis potiùs quàm timidi, ſicut putavit Chryſoſt. & Theophyl. quaſi per ironiam fuiſſent dicta.

17. Venit itaque Jeſus: & invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.

17. VENIT ITAQUE, ET INVENIT EUM QUATUOR DIES IAM IN MONUMENTO HABENTEM, ut proinde facilè quinque diebus aut ſex fuerit mortuus: nec enim eodem die maximè ab amantibus ſepeliri ſolent. Permiſit hoc, ut & mors eſſet probatior, & miraculi gloria illuſtrior. De quibus diebus quatuor, vide myſticè Auguſt.

18. (Erat autem Bethania juxta Jeroſolymam quaſi ſtadiis quindecim.)

18. ERAT AUTEM BETHANIA IUXTA JEROSOLYMAM. Quod addit, ut rationem reddat conflûxus Judæorum ex Jeroſolymis, utpote quæ non abeſſet, niſi STADIIS QUINDECIM; id eſt, quaſi duobus milliaribus Italicis, ſeu duobus millibus paſſuum: nam *Stadium* continet centum viginti quinque paſſus, ita ut octo ſtadia conficiant mille paſſus, hoc eſt, milliare Italicum, & tria milliaria circiter iter unius horæ. Propter hanc ergò propinquitatem.

19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut conſolarentur eas de fratre ſuo.

19. MULTI EX JUDÆIS VENERANT, officij causâ; UT CONSOLARENTUR EAS, verborum humanitate. Ex quo colligitur Lazarum & ſorores ejus non vulgares fuiſſe perſonas, quibus hujuſmodi officia maximè poſt quintum aut ſextum diem impendi non ſolent, ſed fuiſſe, vel divitiis, vel nobilitate conſpicuas.

20. Martha ergo ut audivit quia Jeſus venit occurrit illi: Maria autem domi ſedebat.

20. MARTHA ERGO, &c. OCCURRIT ILLI, tanquam hoſpiti ac Domino, honoris atque amoris causâ: MARIA AUTEM DOMI SEDEBAT, excipiens Judæos conſolatores ſuos, & ab eis detenta.

21. Dixit ergo Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus:

21. DIXIT MARTHA: DOMINE, SI FUISSES HIC, FRATER MEUS NON FUISSET MORTUUS. Eadem ſunt, & verba ſororis, v. 32. quibus & modeſtè luctum ſuum exprimunt, & Domini potentiam, & benignitatem, arcendam à fratre ſuo mortem; quamvis in eo deficiant, quòd potentiam ejus ad potentiam corporalem adſtringant. Et quia verba ſpeciem querelæ præ ſe ferebant, mitigat eam, addendo.

22. Sed & nunc ſcio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

22. SED ET NUNC SCIO, etiam fratre mortuo, QUIA QUÆCUMQUE POPOSCERIS A DEO, DABIT TIBI DEUS, etiamſi poposceris, ut frater mortuus ad vitam redeat. Non audet hoc directè petere, propter rei magnitudinem. Unde neminem legimus, hoc à Chriſto petiiſſe, relinquunt igitur rem judicio ejus, ut notat Auguſt. Quamquam non deſint, qui putent Martham de reſuſcitatione deſperaſſe, ut probabiliter colligitur ex verſ. 24. & 39. & iſta verba hujus verſus, *Nunc ſcio*, &c. dicunt intelligi, quòd Chriſtus impetraturus eſſet quidlibet, ad hoc, ut oſtenderet ſermonem ſuum verſu 4. ad ſorores tranſmiſſum (ſcilicet *infirmitas hæc non eſt ad mortem*) verum eſſe. Unde ut Chriſtus ſenſum ejus explicaret Marthæ,

23. Dicit illi

23. DIXIT ILLI: RESURGET FRATER TUUS. Quod cùm modeſtiæ causâ

ambiguè dictum esset, & Martha de resurrectione generali intelligeret, ut quæ præsentem sperare non auderet,

25. DICIT EI JESUS: EGO SUM RESURRECTIO ET VITA, id est, non opus est, ut poscam à Deo; ego ipse sum auctor resurrectionis, & fons vitæ mortuis, qui eos exsuscito, vitamque tribuo, quibus volo. Intelligit autem vitam eam, quæ vera vita est, æterna ac beata: nam vita communis bonis & malis includitur in nomine *resurrectionis*. Ut autem ostenderet, quâ ratione fieri quis posset particeps tanti boni, utrumque explicat: QUI CREDIT IN ME, quidquid, & quo modo credendum est, ETIAMSI MORTUUS FUERIT, carne, sicut Lazarus mortuus est, prout supplet August. VIVET iterum carne immortaliter: & ita non turberis de fratre tuo jam mortuo, utpote qui crediderat in me. Et hoc quidem de jam mortuis; nunc de viventibus.

26. ET OMNIS, QUI VIVIT, adhuc in corpore, in hoc sæculo, ET CREDIT IN ME, etiamsi moriatur ad tempus propter mortem corporis, NON MORIETUR IN ÆTERNUM, propter vitam beatam spiritus, & immortalitatem resurrectionis. Promittit itaque credentibus in se, mortuis quidem resurrectionem vitæ, viventibus verò immortalitatem: ita ut & illi quidem recuperent vitam, hi numquam amittant. CREDIS HOC? quæ interrogatio est ad credendum provocatio. Cùm verò Martha verba Christi non satis intelligeret.

27. AIT ILLI: UTIQUE DOMINE, EGO CREDIDI, jam pridem, QUIA, id est, quòd, TU ES CHRISTUS FILIUS DEI VIVI. De quibus verbis dictum Matth. 16. v. 16. q. d. Hoc autem credendo, ego consequenter credidi, quòd tu sis resurrectio & vita, &c. ut August. Et ita patet appositum esse responsum Marthæ.

28. ET CUM HÆC DIXISSET, ABIIT, ET VOCAVIT MARIAM SOROREM SUAM, jussa scilicet à Domino; quòd brevitatis causâ suppressit Evangelista Vocavit autem eam SILENTIO, id est, clàm submissa voce, ne Judæi intelligerent, ac turbam testem ad miraculum contra consuetudinem suam Christus advocasse videretur. DICENS: MAGISTER ADEST. Ante vocaverat eum *Dominum*, ex quo advertas, promiscuè à discipulis vocatum fuisse *Magistrum ac Dominum*, non solùm ab Apostolis, quibus infrà c. 13. v. 13. dicit, *Vos vocatis me, Magister & Domine*, &c. sed etiam ab aliis.

29. ILLA UT AUDIVIT, SURGIT CITO, præ amoris vehementia, & moræ impatientia, oblita luctûs, urbanitatis, ac decori erga consolatores circumstantes:

30. NONDUM ENIM VENERAT JESUS IN CASTELLUM, id est, in pagum Bethaniæ. Causa erat, quòd Lazarum suscitaturus erat, cujus monumentum, sicut communiter omnium Judæorum, extra oppida, & vicos esse solebant. Sequentibus verò eam Judæis,

Jesus: Resurget frater tuus.

24. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

25. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet:

26. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28 Et cum hæc dixisset, abiit, & vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

29. Illa ut audivit, surgit citò, & venit ad eum:

30 Nondum enim venerat Jesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha.

31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

32. CECIDIT AD PEDES EIUS, nihil morata præsentium Judæorum turbam, & malè de Christo sentientium. Unde videtur magis perspectam habuisse dignitatem Jesu, & ferventiùs amasse, quàm soror: nam vitæ contemplativæ studium, cui vacabat, plus in ea pepererat

32. Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, & di-

cit ei : Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

devotionis, reverentiæ, humilitatis ; ET DICIT EI, DOMINE, SI FUISSES HIC, &c. Post quæ pauca verba videtur tacuisse, & rem lacrimis magis egisse, quàm verbis.

33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum.

33. JESUS AUTEM UT VIDIT EAM PLORANTEM, &c. INFREMUIT SPIRITU, id est, in semetipso, ut est vers. 38. seu in nullum circumstantium fremendo. Est autem *Fremitus*, sonitus quidam indignantis, qui flatu oris represso fit : quo modo congruè dicitur Marci 14. v. 6. quòd Apostoli fremebant in Magdalenam. Fremitum autem Christi fuisse contra peccatum, unde mors nata est, putat Aug. alii contra mortem ; alii contra diabolum mortis auctorem ; alii non improbabiliter contra Judæorum incredulitatem, propter quos mors Lazari permissa fuerat. Sed quia *Fremere* subinde sumitur generaliùs, cùm & mare & leo fremere dicantur, videtur per fremitum significari quidam lugentis condolentisque affectus : quòd & Evangelista indicat, dum eum significat expressum esse ex lacrymis Mariæ, & Judæorum. Unde quasi explicans id quod dixerat, addit : ET TURBAVIT SEIPSUM, motu tristitiæ & compassionis, tanquam radice fremitus istius, quem etiam usque ad lacrymas exteriores permisit. Porrò dicendo, *turbavit seipsum*, significat eum non turbatum illis motibus ex naturæ infirmitate, sicut nos, sed à seipso, tamquam talium affectionum arbitro, quia in illius potestate erat, sic, vel sic affici, vel non affici : ubi enim summa potestas est, inquit August. secundùm voluntatis nutum tractatur infirmitas. Hæc autem turbatio affectuum, qui hominem interiorem reddunt impacatum, in illa visione æternæ paucis nulla erit, ut Aug. 14. de Civit. c. 9.

34. Et dixit : Ubi posuistis eum ? Dicunt ei : Domine, veni, & vide.

34. ET DIXIT : VBI POSUISTIS EUM ? humano modo cum hominibus agens, etsi non ignoraret, ut scilicet miracula patrando ordinatè fieret locus. Ideóque & exoratus lacrymis illud fecit, ne se ingessisse videretur.

35. Et lacrymatus est Jesus

35. ET LACRYMATUS EST JESUS, veram tristitiam sinens in vera ejus signa prorumpere. Nam ut August. loco cit. in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, non erat falsus humanus affectus. Causa tristitiæ, & lacrymarum erat mors amici Lazari, quæ verum in se malum erat : de quo tristari & lacrymari moderatè voluit, cum lacrymantibus, ut se verum hominem, & humanum ostenderet : nam absque compassione nullius commiseratione tangi, inclementiam & immanitatem quamdam feram indicat. Immoderatè verò lamentari mulierum est, non viri sapientis, ut Basil. Hom. 4. & Theophyl.

36. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum.

36. DIXERUNT ERGO JUDÆI, visis lacrymis : ECCE QUOMODO, seu quantopere, AMABAT EUM, amore scil. lacrymas exprimente in viro tam gravi & constante. Hi colligunt inde amoris magnitudinem, alii verò virtutis impotentiam : quia

37. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur ?

37. QUIDAM EX IPSIS DIXERUNT, non satis benè affecti Domino : NON POTERAT HIC, QUI APERUIT OCULOS CÆCI NATI, FACERE, UT HIC NON MORERETUR ? cùm sit facilius morbum arcere, vel ægrotum sanare, quàm cæco nato visum restituere ; & eum invitum fuisse lacrymæ testentur.

38. Jesus

38. JESUS ERGO RURSUM FREMENS. Particula, *ergò*, designat causam fremitus ejus à præcedentibus pendere. Fremuit ergò præ indignitate in improbitatem illam, quâ beneficia ipsi vertebant in improperium, & affectus sui humanitatem in incredulitatem potestatis ejus. Fremuit igitur IN SEMETIPSO, quia sonum indignationis intra semetipsum cohibuit. ERAT AUTEM SPELUNCA, non, uti Christi sepulchrum, supra terram ex lapide excisa, sed deorsum tendens, ut satis colligitur ex eo, quòd LAPIS, quo claudebatur non erat advolutus ostio, sed SUPERPOSITUS ERAT EI, spelunca: quæ proinde videtur fuisse similis foveæ, cujus os esset æquale terræ, sic tamen, ut gradibus in eam descenderetur, quemadmodum adhuc extare dicitur.

38. Jesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum; erat autem spelunca; & lapis superpositus erat ei.

39. AIT JESUS: TOLLITE LAPIDEM. Sed cur vel ipse non sustulit imperio suo, vel immoto lapide Lazarum eduxit? Respondetur, Primò, ne res tota spectrum magicum videretur, ac dicerent non esse Lazarum, sicuti de cæco dixerunt. Secundò, ut Judæi, vel oculis suis crederent, qui mente credere nolebant. Removent ergò ipsi lapidem, vident cadaver, fœtorem sentiunt, instas rumpunt, non possunt negare defunctum, quem vident resurgentem. Vident signa mortis, & vitæ munera: dumque conantur, ipso labore emendantur, sicut hæc expendit Ambr. lib. de fide resurrect. DICIT EI MARTHA, SOROR EIUS, QUI FUERAT MORTUUS, ideóque testis magis idonea quatriduanæ mortis: DOMINE IAM FŒTET. Tacita est ac modesta prohibitio, ne fœtor erumpens sensum ejus, & adstantium offenderet. Nam videtur putasse, quòd solùm amici videndi causâ lapidem jussisset amoveri, neque speraſſe quatriduani mortui & fœtentis resuscitationem: nam hac de causa, tamquam parum tenacem fidei ac memorem, reprehendit eam dicens:

39. Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.

40. NONNE DIXI TIBI: QUONIAM SI CREDIDERIS, VIDEBIS GLORIAM DEI? id est, opus præclarum, quo glorificetur & celebretur Deus. Dixit hoc autem, quandò per nuntium transmisit similia verba vers. 4. Quamvis alii putent hoc ei dictum vers. 23. & 25. vbi dicitur, *Resurget frater tuus*, &c. quod reipsa idem est, quod videre gloriam Dei resuscitantis. Addit autem, SI CREDIDERIS, quia potest hanc gloriam Dei infirmitas fidei impedire: sicut impedivit in Petro, quandò videns ventum validum, cœpit mergi. Itaque confirmat hîc Christus Marthæ fidem nonnihil labascentem: sicut & fidem Jairi, Lucæ 8. v. 50. *Crede tantùm & salva erit.*

40. Dixit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41. TULERUNT ERGO LAPIDEM quia scilicet Dominus pergebat urgere amotionem lapidis. Interea verò dum amotus esset, & sepulchrum quisque inspiceret, fœtoremque hauriret, ut nulla posset esse dubitatio de mortuo ibi condito, JESUS ELEVATIS SURSUM OCULIS, tamquam alloquens Patrem suum (oculos enim in eos figimus, quos alloquimur) & illi omnia accepta referens, dixit: PATER GRATIAS AGO TIBI, QUONIAM AUDISTI ME, de Lazaro suscitando. Quod quamvis petiisse non legatur, voluisse tamen, ac desiderasse, certum est. Non solùm autem preces, sed & desiderium pauperum, & præparationem cordis eorum exaudit Dominus, ut est Psalmo 9. v. penult.

41. Tulerunt ergo lapidem: Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.

42. EGO AUTEM SCIEBAM, QUIA SEMPER ME AUDIS, in omnibus,

42. Ego autem

sciebam ; quia semper me audis : sed propter populum, qui circumstat, dixi : ut credant quia tu me misisti.

quæ vel postulo, vel volo : q. d. Non est mihi hoc novum, vel inopinatum, SED PROPTER POPULUM, QUI CIRCUMSTAT, DIXI, verba scilicet illa, quòd gratias ago tibi : idque eo fine, UT CREDANT QUIA TU ME MISISTI, ut qui per hoc ipsum videbunt, me tantum opus tua auctoritate & potestate fecisse, cui hoc adscripsi, antequam fieret. Loquitur in his omnibus secundùm formam hominis.

43. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare veni foras.

43. HÆC CUM DIXISSET, VOCE MAGNA CLAMAVIT, ut omnibus constaret se esse, qui suscitabat, figuramque daret illius tubæ, & vocis magnæ, quâ suscitabit mortuos in novissimo die, ut hîc notat Theophyl. & Ambros. libr. de fide resurrectionis : LAZARE, quæ est vox significans compositum ex corpore & anima, & suppositum : & quamvis hoc jam non esset, tamen Dei est vocare ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt, quia vocando facit ut sint. Proprio autem nomine vocat Lazarum, ne, inquit Ambr. loco cit. alius pro alio suscitatus videretur, aut fortuita magis resurrectio, quàm imperata videretur. Per illam ergò vocem, LAZARE, suscitatus est : per istam verò, VENI FORAS, jam vivus ex antri profundo, vel latere ad ostium prodire jussus : Itaque.

44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus ; Solvite eum, & sinite abire.

44. STATIM, nullâ interpositâ morâ post vocem clamantis, quasi in momento, in ictu oculi, sicut Apostolus dicit futuram omnium resurrectionem, PRODIIT, de sepulchro, LIGATUS MANUS ET PEDES INSTITIS id est, fasciis quibusdam, juxtà ritum Judaicum sepeliendi mortuos, qui tangitur infrà cap. 19. vers. 40. Sed quomodò processit ligatis pedibus? Respondet August. hîc & Basil. Hom. 4. fuisse miraculum in miraculo, potentiam scilicet Dei hoc operatam esse, non vires Lazari. Nam etiam FACIES ILLIUS SUDARIO ERAT LIGATA, ut obvinctis oculis videre non posset, quò vel quà pergeret. Simili sudario ligatam fuisse faciem Christi patet cap. 20. vers. 7. DIXIT EIS JESUS : SOLVITE EUM, omnibus fasciis sepulcralibus, ET SINITE ABIRE, liberum, quò voluerit ; idque ut conversatio inter homines esset veritatis confirmatio. Miraculosè ergò prodiit, utpote qui nunc foris constitutus, adhuc ambulare non posset. Jussit Christus per alios eum solvi, cùm verbo solo potuisset, quia non solet miraculum adhiberi in iis, quæ possunt ab hominibus fieri, ut scilicet non sint vacua sapientiæ suæ opera, ut est Sapientiæ 14. v. 5.

45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.

45. MULTI ERGO EX JUDÆIS, QUI CONVENERANT, CREDIDERUNT IN EUM, evidentiâ miraculi, & simul gratiâ intùs persuadente victi.

46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Jesus.

46. QUIDAM EX IPSIS, similiter miraculi spectatoribus, ABIERUNT AD PHARISÆOS. Quo insinuat eos neque sic credidisse in Christum, sed insuper rem ad Pharisæos detulisse, malo scilicet animo, ne ampliùs gloria Christi crescret : videntur enim ex illis fuisse, qui vers. 37. notantur. Cùm ergò res consultatione digna videretur.

47. Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium,

47. COLLEGERUNT PONTIFICES CONCILIUM, Græcè ἀρχιερεῖς, *summi Sacerdotes*, penes quos solos congregandi concilii potestas erat. Videntur fuisse Caïphas & Annas, qui nominantur Lucæ 3. v. 2. ubi & causas diximus, cur plures vocentur summi Pontifices, cùm non nisi unus ex divino instituto præesse deberet. Concilium autem intelligit illud magnum septuaginta duorum virorum ; ad quod causæ gravissimæ de religione & Republica referebantur, qualis causa videba-

tur hæc esse de Christo. ET PHARISÆI, non auctoritate, sed instigatione: nam illi ut tales, nulla pollebant potestate in clerum Judaicum, sed tantùm quorundam rituum, & externæ sanctitatis professione eminebant. ET DICEBANT: QUID FACIMUS, quòd hominem toties apprehendere conati, huc usque non apprehendimus? Continent enim verba tacitam ignaviæ suæ reprehensionem: QUIA HIC HOMO, quem propter contemptum, nec nomine dignantur, MULTA SIGNA FACIT? quibus videlicet magis magisque clarescit in dies, populoque fit gratus & mirandus.

lium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?

48. SI DIMITTIMUS EUM SIC, hoc est, ut sine obstaculo quæ quantáque voluerit, faciat miracula, OMNES CREDENT IN EUM, tamquam in Christum Regem. Quo sanè confitentur maximam fuisse miraculorum vim in persuadendo fidem, & è contrario duritiam fuisse obstinatissimam in repellendo. Plus enim perditi homines cogitabant, quomodò nocerent ut perderent, quam quomodò sibi consulerent, ne perirent, inquit August. ET VENIENT ROMANI, tamquam adversùs eos, qui deserto Cæsare alium Regem suscitaverimus; nam hoc ipsum ei posteà coram Pilato objecerunt: ET TOLLENT NOSTRUM LOCUM, templum, civitatem, totamque Judæam sibi usurpabunt. ET GENTEM, in alium locum transferendo, sicut olim fecerunt Babylonii. Ita invidia & odio prætexunt salutem Reipublicæ, cùm satis intelligerent nihil terreni regni Christum quærere, intelligere deberent, eum, qui suscitabat mortuos, pericula vivorum posse dispellere, nec propter incerta pericula certam claramque veritatem opprimendam esse.

48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.

49. UNUS AUTEM EX IPSIS CAIPHAS NOMINE, CUM ESSET PONTIFEX ANNI ILLIUS (non quòd annui essent Pontificatus tunc temporis, sed quòd per avaritiam Romanorum Præsidum frequenter personæ mutarentur) DIXIT EIS, tamquam Præses concilii, majori loquens auctoritate & libertate, vel, ut Chrysost. ait, majori impudentia: VOS NESCITIS QUIDQUAM, ad expediendas res perplexas. Indicat enim eos variasse opinionibus, tamquam inopes consilii.

49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam,

50. NON COGITATIS QUIA EXPEDIT VOBIS, Græcè ὑμῖν, *nobis*, id est, longè satius est, seu magis expedit (habet enim vim comparativi) ad omnium nostrùm & Reipublicæ salutem, UT UNUS HOMO, sive nocens, sive innocens, MORIATUR PRO POPULO, id est, occidatur à nobis pro salute populi: ET NON TOTA GENS PEREAT, id est, potiùs quàm ut illo superstite tota natio Judaica à Romanis excidatur. Hæc fuit mens Caïphæ falsa & impia, politico spiritu concepta, cui propositum est quibuscumque mediis temporalem Reipublicæ statum salvum esse velle, eóque colore & prætextu obumbrare impietatem suam.

50. Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo: & non tota gens pereat.

51. HOC AUTEM A SEIPSO NON DIXIT, id est, proprio instinctu, quatenùs videlicet veram sententiam continebat: nam quatenùs falsam jam dictam, planè hoc dixit à semetipso, quia ex odio in personam: SED CUM ESSET PONTIFEX ANNI ILLIUS, in quo Deus respiciebat sacram sacerdotii à se instituti unctionem ac dignitatem, PROPHETAVIT; quatenùs Spiritus-sanctus ita verba ejus moderatus est, ut veram pro-

51. Hoc autem à semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente,

phetiam, mente nesciente, imò errante, proferret. Nam Caïphas dicendo, *Vos nescitis quidquam*, eorum stupiditatem despiciebat: Spiritus-sanctus verò significabat rei prophetatæ notitiam nemini ex seipso loquenti in mentem venire posse. Caïphas dixit, *expedit vobis*, non *nobis*, quia non ipsi, sed aliis erat fructus ex passione obventurus, dixit, *ut moriatur*, non *ut occidatur*, quia scelesta illa innocentis interfectio non est, quæ profuit, sed mors ejus: dixit, *pro populo*, & *non tota gens*, ut sensus ad Judæos non coarctaretur, sed universus orbis comprehendi posset, cùm tamen ipse omnia contrario modo intelligeret. Unde exponit breviter Evangelista, quidnam prophetaverit, videlicet, QUOD JESUS MORITURUS ERAT PRO GENTE, Judaica quam Caïphas solam intelligebat, ut Augustinus notat.

52. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum,

52. ET NON TANTUM PRO GENTE, scilicet illa Judaica moriturus erat, quam etiam ob causam Dei instinctu assumpta fuerant per Caïpham verba generalia: SED UT FILIOS DEI, non ex justificatione, sed ex Dei prædestinatione (non enim adhuc crediderant, QUI DISPERSI ERANT, per universum mundum in variis populis & erroribus) CONGREGARET IN UNUM, non locum, sed in unum corpus, seu Rempublicam, quæ est Ecclesia, ut ita fieret unum ovile & unus pastor.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

53. AB ILLO ERGO DIE COGITAVERUNT, id est, communi consilio firmiter decreverunt, ut Græcum συνεβουλεύσαντο indicat, arripientes avidè Caiphæ sententiam, non ut vaticinium, quod & ipsi ignorabant, sed ut prudentissimum, ad arcendum temporale malum, consilium, UT INTERFICERENT EUM, quantumvis innocentem. Nam anteà in hoc tantùm tumultuariè & segniter incubuerant.

54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.

54. JESUS ERGO, sciens decretum eorum, IAM NON IN PALAM AMBULABAT, more hominis cavens sibi, inquit Augustinus. & more justi cavens etiam aliis: ne vel illos magis exasperaret, vel se studio in periculum præcipitaret, cùm nondum venisset hora sua: SED ABIIT IN REGIONEM IUXTA DESERTUM Judææ, non procul à Jordane, IN CIVITATEM, QUÆ DICITUR EPHREM, Græcè Ἐφραὶμ, *Ephraim*. Urbs obscura est; nam quamvis aliqui putent, fuisse *Ephron*, de qua prima Machab. 5. vers. 46. minùs est verisimile, quia erat ultra Jordanem. Verius est esse *Ephron*, de qua 2. Paralip. 13. vers. 19. quæ erat prope Bethel in tribu Ephraim.

55. Proximum autem erat Pascha Judæorum: & ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.

55. PROXIMUM AUTEM ERAT PASCHA JUDÆORUM, quartum prædicationis Christi, in quo & crucifixus est: ET ASCENDERUNT MULTI JEROSOLYMAM DE REGIONE, id est, ex tota terra promissionis, UT SANCTIFICARENT SEIPSOS, id est, purificarent, seu mundarent per aliqua sacrificia pro peccatis oblata: de cujusmodi sanctificatione prævia secundùm præscriptum ante comestionem agni Paschalis, fit mentio 2. Paralip. 30. vers. 18.

56. Quærebant ergo Jesum: & colloquebatur ad invicem, in tem-

56. QUÆREBANT ERGO JESUM, ut qui soleret festum istud multis diebus ad docendum prævenire, ET COLLOQUEBANTUR: QUID PUTATIS, QUIA NON VENIT? Græcè τί δοκεῖ ὑμῖν, &c. *Quid videtur vobis, an non veniet ad diem festum?* Est enim interrogatio hominum, qui de ad-

ventu ejus incerti sunt, idque propter illud mandatum, de quo sequitur. Chrysost. tamen cum suis, itémque August. Rupertus, & alii, putant eos hoc malo animo quæsiviſſe, ut eum scilicet juxtà mandatum Pontificum comprehenderent.

plo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices & Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

CAPUT DUODECIMUM.

CAPUT XII.

Historia convivii hujus latè explicata est Matth. 26. Solùm observandum, quod dicitur de Juda, murmuraſſe eum de unguenti effusione, tamquam nociva pauperibus:

1. JEsus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus.

2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, & unxit pedes Jesu, & extersit pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti.

4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus.

5. Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis?

6. NON QUIA DE EGENIS PERTINEBAT AD EUM. Græcè οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, *non quia de pauperibus ei cura erat*; SED QUIA FUR ERAT, in usum privatum rapiens, quæ in communem Christi & Apostolorum dabantur. Unde Basil. de hac furti specie loquens in Constitut. Monasticis, cap. 35. Societatis, inquit, expilatio est, rei cujuscumque & undecumque in privatum usum sevocatio; & qui id facit, alter Judas est. ET LOCULOS, seu marsupium, HABENS suæ fidei creditos, EA QUÆ MITTEBANTUR, Græcè τὰ βαλλόμενα, *quæ conjiciebantur*, scilicet intrò in loculos, PORTABAT, tamquam dispensator & œconomus familiæ Christi: non tamen, ut videtur, pro libitu suo, sed juxtà jussum Domini, qui videtur administrationem loculorum sibi servasse, tam quoad dandas eleemosynas, quàm res familiares. Nam ideò putabant discipuli, cap. 13. vers. 29. Christum dicendo, *Quod facis, fac citiùs*, jussisse ut aliquid emeret necessarium, vel egenis daret. Porrò hinc & ex cap. seq. patet, non sic Christum sectatum esse paupertatem, quin aliquid in communi possideret, quod ei à piis viris, vel mulieribus, ut est Lucæ 8. vers. 3. offerebatur; non in puram eleemosynam, sed in stipendium, tamquam naturali jure debitum iis, qui prædicant Evangelium. Patet item, hoc non repugnare mandato de deponenda sollicitudine in crastinum, quam prohibet Matth. 6. vers. ult.

6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, probat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.

7. Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.

8. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

9. COGNOVIT ERGO TURBA MULTA, QUIA ILLIC EST, id est, quòd esset Jesus in Bethania: ET VENERUNT, NON PROPTER JESUM TANTUM, SED UT LAZARUM VIDERENT, id est, curiositatis, non charitatis causâ, ut Augustin. experiri scilicet volentes videndo, & interrogando, an verum esset, quod sana narrabat. Et quia Lazari celebritas, & publica conversatio, & continua præsentia reviviscere faciebat quotidie miraculum, mirabili invidiâ & cæcitate ducti.

9. Cognovi ergo turba multa ex Judæis quia illic est: & venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit à mortuis.

10. Cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent:

10. COGITAVERUNT, UT ET LAZARUM INTERFICERENT, unà scilicet cum Jesu, ne etiam Jesu occiso, propter Lazarum superstitem in ipsum mortuum crederent, sicut propter ipsum credebant in viventem; vel ne Lazari superstitis præsentia esset perpetua redargutio impietatis ipsorum. Sed stulta erat hæc cogitatio, & cæca sævitia; Dominus enim qui suscitare potuit mortuum, etiam posset occisum, inquit August. Tract. 50. in Joan.

11. Quia multi propter illum abibant ex Judæis, & credebant in Jesum.

12. In crastinum autem, turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam:

12. IN CRASTINUM AUTEM, id est, postridie illius cœnæ, quæ erat dies quinta ante diem festum Azymorum, seu Paschæ, incidens in diem, quem dicimus Dominicum, seu primam sabbati, eratque decima mensis primi, quâ die agnus Paschalis deligebatur, & in locum immolationis ducebatur, immolandus in Paschate, juxtà Legem Exodi 12. v. 3. Quam figuram implendo Christus eadem die Jerosolymam intrare voluit. TURBA MULTA, QUÆ VENERAT AD DIEM FESTUM, jam instantem, partim purificationis, partim agni maturè præparandi causâ, CUM AUDIVISSENT, QUIA VENIT JEROSOLYMAM, id est, quòd veniret, & jam esset in itinere.

13. Acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israël.

13. ACCEPERUNT RAMOS PALMARUM, &c. ut cum insigniis victoriæ ipsum festivè, & quasi triumphantem, Jerosolymam introducerent, jumento vectum, more eorum, qui inaugurantur. Porrò de hac introductione, vide dicta latè Matth. 21.

14. Et invenit Jesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est:

15. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ.

16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.

17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum à mortuis.

17. TESTIMONIUM ERGO PERHIBEBAT, cæteris scilicet præsentibus, qui non viderant miraculum, TURBA, QUÆ CUM EO, &c. id est, quæ oculis suis spectaverat suscitationem Lazari, totámque rei gestæ seriem.

18. Propterea & obviam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum:

18. PROPTEREA ET OBVIAM VENIT EI TURBA. Ubi Evangelista dat rationem, cur totus populus obviam Christo effusus fuerit, quod numquam antèà contigerat, nempe quia fama tanti miraculi totam civitatem impleverat.

19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

19. PHARISÆI ERGO, tamquam rebus desperatis indignissimè ferentes populi fidem in Christum, tantámque gloriam ejus, DIXERUNT AD SEMETIPSOS, id est, inter se; erubescebant enim coram aliis fateri, se irritis conatibus suis ab eo esse superatos: VIDETIS QUIA NIHIL PROFICIMUS, omni nostrâ contradictione resistentiâ, mandatis? ECCE MUNDUS TOTUS POST EUM ABIIT, credendo eum, & confitendo Messiam, spretis nobis: qu. d. Opus est celeri & severiore remedio. Verba sunt enim hominum hyperbolicè exaggerantium mali magnitudinem, ut se acuant ad exequendum quantociùs occasionis decretum.

20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant ut adorarent in die festo.

20. ERANT AUTEM QUIDAM GENTILES, Græce vocantur ἕλληνες, *Græci*, qui phrasi Scripturæ novi Testamenti solent Judæis opponi. Chrysost. itémque Cyril. putant eos de Judaismo suscipiendo cogitasse, hoc est, ut proselyti fierent, QUI ASCENDERANT Jerosolymam, templi

viſendi causâ, quod pro ſui veneratione & ſanctitate per univerſum mundum honorabatur; ut 2. Machab. 2. v. 12. UT ADORARENT IN DIE FESTO, non ſolùm precibus, ſed & ſacrificiis per Sacerdotes offerendis. Nam hoc factitatum fuiſſe patet ex ſacrificiis, quæ Heliodorus ethnicus obtulit, ibid. v. 35. Hinc enim erat & atrium Gentium, ubi orare ſinebantur Deum Iſraelis.

21. HI ERGO ACCESSERUNT AD PHILIPPUM, ſive primum obvium, ſive aliunde eorum, ſive in extrema turba verſantem, ut, ſi quid forte eſſet Domino concionanti nuntiandum, viâ per turbam tamquam auctoritate diſcipulatûs ſui factâ, nuntiaret. ET ROGABANT EUM: DOMINE, VOLUMUS JESUM VIDERE, quòd propter circumfuſam undique turbam non poterant. Hoc ipſum verò erat argumentum propenſi animi in Jeſum: nam ſic etiam Zachæus voluit tantummodò videre Jeſum, non alloqui ex ſycomoro. Per alios verò acceſſum quærere, erat ſubmiſſionis, reverentiæ, & honorificentiæ non exiguæ. Sciebant enim Judæos, ipſúmque Chriſtum Gentilium conſortium declinare.

21 Hi ergo acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jeſum videre.

22. VENIT PHILIPPUS ET DICIT ANDRÆÆ, tamquam ſeniori, priùs vocato, majoris auctoritatis. Ratio communicandi rem Andrææ fuit, quia præter conſuetudinem & Chriſti præceptum, Gentiles ad eum adducere, videbatur Philippo eſſe majoris momenti. Re verò intellectâ,

22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus dixerunt Jeſu.

23. JESUS RESPONDIT EIS, tam Apoſtolis, quàm Gentilibus à longe audientibus; nec enim aliud eis reſponſum dediſſe legitur: VENIT, ſeu inſtat, HORA, ut CLARIFICETUR FILIUS HOMINIS, id eſt, ut ego multò illuſtriùs, quàm inter Judæos, brevi glorificer inter Gentiles; quod iſte accurſus iſtorum ad me ſignificat. Itaque tacite indicat, gratam ſibi eſſe viſitationem iſtorum, qui tanquam Gentium primitiæ nomine omnium profitebantur, Chriſti conſpectum ſibi fore acceptiſſimum. Sed quia iſta glorificatio non niſi morte ſua præeunte fieri poterat, explicat hoc Chriſtus familiari ſimilitudine.

23. Jeſus autem reſpondit eis, dicens. Venit hora, ut clarificetur Filius hominis.

24. AMEN, AMEN DICO VOBIS, NISI GRANUM FRUMENTI CADENS IN TERRAM, id eſt, ſeminatum, MORTUUM FUERIT, terræ ſcilicet humore & calore reſolutum, ac putrefactum, IPSUM SOLUM MANET, unicum ſcilicet & ſterile, & ſine fructu: nam ei opponitur, quòd mortuum MULTUM FRUCTUM AFFERT, nempe pro uno grano plurima. Relinquit ſupplendam altetam ſimilitudinis partem, hoc vel ſimili modo; ita ego, ſi mortuus fuero, inſtar unici grani meſſem ingentem, fidem & ſalutem omnium Gentium prolaturus ſum. Nam, ut Auguſt. Chriſtus eſt granum illud mortificandum, & multiplicandum: mortificandum in infidelitate Judæorum, & multiplicandum in fide omnium populorum. Porrò exhortans omnes ad iſtius paſſionis ſectanda veſtigia, ut ſicuti tribulationis, ita & clarificationis Chriſti participes eſſe poſſint, addit:

24. Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

25. QUI AMAT ANIMAM SUAM, hoc eſt ſemetipſum, videlicet in hoc mundo, ſicut ex ſequenti parte ſupplendum eſt. *Amat* autem ſic *animam ſuam*, qui non niſi hujus mundi ſibi quærit commoda, & fugit incommoda: *odit* autem, qui hujus mundi auſteritates & afflictiones non fugit propter juſtitiam. De qua ſententia vide latiùs dicta Matth. 10. verſu 39.

25. Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.

26. SI QUIS MIHI MINISTRAT, id eſt, ſi ſe miniſtrum meum profi-

26. Si quis mi-

hi miniſtrat, me ſequatur : & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus.

teri velit, ME SEQUATUR, id eſt, imitetur, ut Auguſtin. in odiendo ſcilicet animam ſuam in hoc mundo. Chriſtus enim pro nobis paſſus eſt, inquit Sanctus Petrus, relinquens nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus; & ideò Petro miniſtrorum primo dicit, *Sequere me.* Sed quâ mercede? Ne timeat animam ſuam à morte interituram, quia UBI SUM EGO, id eſt, brevi ero, in æterna ſcilicet & ineffabili gloria apud Patrem, ILLIC ET MINISTER MEUS ERIT, ejuſdem conſors gloriæ, beatitudinis, & honoris; nam hoc quaſi explicans ſubjungit: HONORIFICABIT EUM PATER MEUS, illo ſcilicet honore maximo, ut ibi ſit adoptatus, ubi eſt Filius unicus & naturalis, non æqualis factus divinitati; ſed conſociatus æternitati, inquit Auguſt. Ubi enim benè erit ſine illo? aut quando eſſe malè poterit cum illo? Factâ autem paſſionis inſtantis mentione, ſubjicit:

27. Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.

27. NUNC ANIMA MEA TURBATA EST, id eſt paſſionis horrore & mœrore concuſſa, adeóque iſtis affectibus inquietata. Nec verò ab alio quopiam turbata eſt, ſed, ut Cap. præced. dixit. *Turbavit ſeipſum*, quia animo præmeditato, ſuppliciorum & paſſionis amaritudinem ſibi propoſuit, eóſque affectus non neceſſitate, ſed electione voluntatis induit, ut latiùs dictum in Cap. 26. Matth. Hujuſmodi autem turbatio videtur Chriſto non hîc tantùm, ſed totius vitæ decurſu ſæpè contigiſſe, quoties ſubiret animum paſſionis inſtantia. Nam inde ſunt illa verba apud Lucam c. 12. v. 50. *Baptiſmo*, ſcilicet ſanguinis mei, *habeo baptizari: & quomodo*, id eſt, quantopere, *coarctor animo, uſque dum perficiatur*? Cujus anguſtiæ exemplum hîc editum voluit, ut inde conjiceremus, quod frequenter animo pateretur. ET QUID DICAM? Patri, id eſt, Quid rogabo eum? Sunt enim verba anxii & deliberantis; cui in hominibus infirmis, quorum figuram in ſe exprimere voluit, primùm occurrere ſolet liberatio ab anguſtiis. Quid ergò rogabo? SALVIFICA ME EX HAC HORA? id eſt, an iſtud petam, ut liberes me ab hac inſtantis paſſionis anguſtia? Videtur enim aptè legi poſſe interrogativè, ſicut inſinuat Theophyl. Quamquam ſi aſſertivè legatur, ut Auguſt. & alij legunt, exponi poteſt eo modo, quo orationem Chriſti in horto fuſam pro transferendo calice expoſuimus. SED PROPTEREA VENI IN HORAM HANC, ut ſcil. non ſalver ex ea, ſed moriar. Importunum eſt autem, onus aliquod aggredi, & cùm ad rem venitur tergiverſari. Eſt enim correctio naturalis iſtius deſiderij, quo paſſionem horrebat: qu. d. Non hoc rogabo Patrem, ſed iſtud potiùs;

28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: Et clarificavi, & iterum clarificabo.

28. PATER CLARIFICA, Græcè δόξασον, *glorifica*, NOMEN TUUM, ſive vitâ, ſive morte meâ. Eſt enim ſimile illi, quod in paſſione dixerat, *Fiat voluntas tua*. VENIT ERGO VOX DE CŒLO: ET CLARIFICAVI, id eſt, jam glorificavi nomen meum, tot ſcilicet mirabilibus in vita tua, ET ITERUM CLARIFICABO, per mortem & exaltationem tuam. Ex illis enim fides & cultus Patris inter Judæos propagatus fuerat; ut ideò dixerit poſteà, *Ego te clarificavi ſuper terram*: ex his verò etiam religio ejus inter Gentiles propaganda.

29. Turba ergo, quæ ſtabat, &

29. Cùm ergò quidam putarent TONITRUUM ESSE FACTUM, propter vocis magnitudinem, & quia non niſi in articulatum ſonum exceperant:

rant: alii verò minus hebetes existimarent, ANGELUM EI LOCUTUM ESSE, cujus ministerio vox tam excellens nomine Patris sonuisset.

audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii dicebant: Angelus ei locutus est.

30. RESPONDIT JESUS: NON PROPTER ME HÆC VOX VENIT, ut per eam instruar de ignotis, vel conforter in adversis, quasi turbatus; SED PROPTER VOS, ut inde discatis, me esse missum à Deo, me non esse adversarium ejus, me esse curæ ipsi, me gloriam ejus quærere. Statim autem explicat, quid sibi vox illa voluerit, hoc est, modum, quo clarificatus esset Pater, dicendo:

30. Respondit Jesus, & dixit Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

31. NUNC IUDICIUM EST MUNDI, id est, jamjam instat tempus, quo causa humani generis definienda est. Intellige non in malum, per justum judicium condemnationis, sed in bonum pro mundo, adversùs Principem hujus mundi, quem ipse captivum tenebat. Nam explicans id, quod dixerat, NUNC, inquit, PRINCEPS HUIUS MUNDI, diabolus (non quasi cœli terræque dominus sit, inquit Augustin. absit; sed *mundi*, id est, hominum in mundo habitantium, quibus universis peccati persuasione dominatus est) EIICIETUR FORAS, ex cordibus hominum tamquam ex arce, quam occupavit. Fecit hoc Deus, dum eum priùs justitiæ, deinde potentiæ suæ vinculis alligavit. Justitiæ quidem; justum enim erat, ut quia diabolus meritò tenebat eos, quos peccati reos conditione mortis obstrinxerat, hos per eum meritò dimitteret, quem nullius peccati reum immeritò pœnâ mortis affecit. Hac justitia victus, & hoc vinculo vinctus est fortis, ut vasa ejus diriperentur, inquit August. libr. 13. de Trinit. cap. 15. Merebatur enim omnium amittere servitutem, dum unius nihil debentis persequitur libertatem, ut ait S. Leo Serm. 8. de Passione. Postea verò vinculis potestatis alligat diabolum, quando eum justè innocenti sanguine victum, potenter ejicit in baptismo extra corda hominum, & coërcet eum, ne ampliùs intùs tyrannicè Dei electis dominetur, sed tantummodò foris oppugnet.

31. Nunc judicium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.

32. ET EGO SI EXALTATUS FUERO A TERRA, id est, nam ego cùm in crucem actus fuero (datur enim ratio versus præcedentis, explicando modum, quo Princeps ille à principatu suo in homines dejiciendus erat) OMNIA, quæ possidebat, & ex quibus ejicitur foras, inquit Augustinus, hoc est, omnes nationes, vel omnia hospitum genera, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in artium licitarum & utilium professionibus omnibus, prout idem explicat; non enim omnibus omninò individuis hominibus loquitur, propter id, quod sequitur, TRAHAM AD MEIPSUM, ut sim caput eorum, & illi membra mea, hoc est, ut in me credant, & mihi amore cohæreant: nam talem esse tractum Dei, patet Joan. 6. v. 44. Hoc verò non in omnibus omninò contingit. In verbo autem *Trahendi* indicatur & potestas gratiæ trahentis, & vis diaboli resistentis, & infirmitas ejus, qui trahitur.

32. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.

33. HOC AUTEM, de sua exaltatione, DICEBAT, SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS, id est, quo mortis genere. Videtur enim hæc phrasis apud Judæos fuisse usitata ad significandam mortem crucis, sicut apud nos significat suspendium; nam, ut ex versu sequenti

33. (Hoc autem dicebat, significans quæ morte esset moriturus.)

patet, Judæi ſic ſtatim intellexerunt. Nili dicamus eos in verbis ejus intellexiſſe id, id quod facere cogitabant; ut eis verborum iſtorum obſcuritatem aperuerit, non infus à ſapientiâ, ſed ſtimulatâ conſcientiâ, ut ſentit Auguſt. Itaque

34. Reſpondit ei turba: Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis?

34. RESPONDIT TURBA: NOS AUDIVIMUS EX LEGE, id eſt, ex ſacris litteris, prout & Pſalmi ſuprà nomine *Legis* vocati ſunt, QUIA CHRISTUS MANET, id eſt, manebit, vivet, regnabit, IN ÆTERNUM, juxta illud Pſalmi, *Tu es Sacerdos in æternum*: & illud Iſaiæ 9. v. 7. *Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit amodò & uſque in ſempiternum*; de quo & Danielis 7. v. 14. & aliis locis. ET QUOMODO TU DICIS: OPORTET EXALTARI FILIUM HOMINIS, id eſt, quomodo ergò dicis te Filium hominis (ſciebant enim eum ſic ſe vocare ſolitum, vel ſic ſe in ſuperiori ſententia vocaſſe, etſi Evangeliſta non expreſſerit) in cruce moriturum? cùm videlicet una ex parte te pro Chriſto geras, & nunc pro Chriſto receptus ſis; & ex altera parte, mori repugnet Chriſti æternitati. Ex quo patet, eos exiſtimaſſe Meſſiam ſuum in æternum victurum. QUIS EST ISTE FILIUS HOMINIS, quem in cruce moriturum eſſe dicis? Quo tacitè videntur indicare velle ipſum proinde non eſſe verum Chriſtum.

35. Dixit ergo eis Jeſus. Adhuc modicum lumen in vobis eſt, Ambulate dum lucem habetis ut non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadat.

35. DIXIT ERGO EIS JESUS, non reſpondens ad quæſtionem, quia importunum erat; ſed potiùs fidem verbis ſuis habendam ſuadens: ADHUC MODICUM, id eſt, adhuc exiguo tempore, Græcè ἔτι μικρὸν χρόνον, *ad modicum tempus*, LUMEN IN VOBIS EST, ſeu vobiſcum eſt, hoc eſt, Ego, qui inſtar lucis vobis monſtro viam veritatis in credendis & agendis verbo & exemplo, non diu vobis adero, ſed brevi moriar. AMBULATE, in me credendo, & ſequendo, DUM LUCEM HABETIS, me ſcilicet vobis præſentem, & prælucentem. Nam quod Chryſoſtom. cum ſuis, itémque Rupertus putant vitam unuſcujuſque vocari *Lucem*, mortem verò *Tenebras*, non congruit præſenti loco, ut patet ex verſu ſequente. UT NON VOS TENEBRÆ, errorum, excœcationis, & obdurationis, COMPREHENDANT: ET QUI AMBULAT IN TENEBRIS, NESCIT QUO VADAT. Nec enim viam videt, vel terminum viæ, ideóque errat, offendit, præcipitatur. Relinquit ſupplendam alteram partem ſimilitudinis: Ita qui ambulat in mentis errore, & cœcis animi ſui affectibus, viam vitæ neſcit, & in æternæ mortis exitium præceps ruit. Proinde.

36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis. Hæc locutus eſt Jeſus: & abiit, & abſcondit ſe ab eis.

36. DUM LUCEM HABETIS, me ſcilicet adhuc præſentem ac docentem, CREDITE IN LUCEM, ita ſcilicet, ut de veritate & virtute doctrinæ meæ, quamvis non intellectæ, non dubitetis, UT FILII LUCIS SITIS, ſeu eſſe poſſitis. Fides enim integra, & indubitata, eſt certiſſima ad filiationem Dei via, quamvis non ſit completa ejus forma. HÆC LOCUTUS EST JESUS, ET ABIIT, ET ABSCONDIT SE. Græcè ἀπελθὼν ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν; *cùm abiiſſet, fuit abſconditus ab eis*. Nempe abiit veſperi in Bethaniam, ut tradit Marc. c. 11. v. 11. & Matth. c. 21. ut 17. idque clam æmulis ſuis, ne ſciretur, ubi nocte diverſaretur, ad evitandas eorum inſidias.

37. Cùm autem tanta ſigna

37. CUM AUTEM TANTA SIGNA FECISSET, in tanta ſcilicet multitudine, & magnitudine, & varietate, & virtute, idque CORAM EIS,

ut nullus esset tergiversandi locus, NON CREDEBANT IN EUM. Principes intelligit, maximámque turbæ partem. Ex quo facilè intelligas, cur tanto studio inculcaverit Christus, ut in se tamquam in lucem crederent.

feciſſet coram eis, non credebant in eum:

38. UT SERMO ISAIÆ IMPLERETUR, hoc est, ita ut prophetia ejus impleretur; eventum enim, non causam denotat *ut*: non enim quia hoc dixit Isaïas, idcirco non crediderunt, sed quia non erant credituri, ideò prævidit atque prædixit, ut ait Chrysostom. QUEM DIXIT, id est, prædixit sancti Spiritus afflatu de Judæis istis. Voluit enim Deus hoc propterea prænuntiari, ne multos perplexos teneret tanta incredulitas ergà Messiam, ipsis promissum & expectatum. DOMINE, QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? id est, quàm rarus est, qui credidit rebus auditis ex nobis, hoc est Evangelio, quod ex nobis prædicantibus auditum est, ut exponit Apostolus ad Roman. 10. vers. 16. Et ipse Propheta exponens auditum illum, seu rem auditam, adjicit: ET BRACHIUM DOMINI, id est, Christus Dominus, qui *Brachium* dicitur (quia virtus Patris est, & verbum ejus, per quod omnia facta sunt, ut declarat Augustin. quia per verbum fit operatio) CUI REVELATUM EST? id est, quàm raris per fidem agnitum est! Et quia dixerat, quòd non crediderant, jam auget sermonem, quasi causam ejus reddens:

38. Ut sermo Isaiæ propheræ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum est?

39. PROPTEREA NON POTERANT CREDERE, QUIA ITERUM DIXIT ISAIAS, non quasi prædictio Isaiæ, sed quia res prædicta erat causa illius impotentiæ, excæcatio scilicet & obduratio voluntatis; ut sensus proinde sit, Non poterant credere, propter cæcitatem suam, quam prædixit Isaïas. Nam superiore versu 38. prædixerat Isaias tantummodò incredulitatem Judæorum; hîc verò reddit causam ejus, & quidem talem, ut cum eâ fides non possit consistere. Mentis enim excæcatio, & voluntatis obduratio talis est, ut quamdiu durat, nullo modo admittat fidem: est enim credendi impotentia, non prævia voluntati, quasi quæ jam volentem credere impediat; sed in ipsa firmissima & voluntaria voluntatis determinatione consistens, ideóque quam maximè culpabilis. Sic itaque dictum est, *non poterant*, ubi intelligendum est, quòd nolebant; quemadmodum dictum est de Deo, *Negare seipsum non potest*. Sicut ergò quòd Dominus negare seipsum non potest, laus est voluntatis divinæ; ita quòd illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ, inquit Augustin. Tractat. 53. in Joann. Ecce dico & ego, inquit ibidem, quòd qui tam superbè sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantùm existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum adjutorium ad benè vivendum, non possunt credere in Christum, scilicet tamquam in mediatorem, in Salvatorem, in adjutorem. Nam illa est propriè fides in Christum; & illi directè repugnabat illa Judaïca, itémque Pelagiana superbissima præsumptio de viribus & justitia sua. Non poterant ergò credere, non quia mutari in melius homines non possunt, sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere, ut Augustin. ibidem docet. Potrò quæ sequuntur v. 40. de excæcatione & obdurationc, explicata vide Matth. 13. v. 14. & 15. Nam quod ibi dicitur, *Incrassatum est cor & oculos suos clauserunt*; hîc verò, *excæcavit*, &c. significatur excæcationem atque

39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias?

40. Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.

obdurationem, & ad homines & ad Deum referri. Ut intelligeremus in uno eodémque opere, aliud venire de astutia suadentis, aliud de nequitia volentis, aliud de justitia punientis; dum diabolus suggerit, homo consentit, Deus deserit, ut docet Aug. 21. contrà Faustum c. 9.

41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriã ejus, & locutus est de eo.

41. HÆC DIXIT ISAIAS, QUANDO VIDIT GLORIAM EIUS, id est, majestatem Christi in illa gloriosa visione, ET LOCUTUS EST DE EO, Christo in mundum venturo in quem Judæos post tanta signa prævidit non credituros. Nam Isaïæ 6. ubi illa visio describitur, habetur etiam versu 10. illa prædicatio excœcationis. Vidit autem Isaias sub specie corporali significativo modo gloriosam quamdam repræsentationem sanctissimæ Trinitatis, & consequenter etiam Filii Dei: nam illa verba apud Isaïam, *Quem mittam?* sunt verba Dei Patris, qui de missione Filii sui in mundum singulariter sibi competente loquitur. Et quia Filius ex omnium personarum assensu incarnatus est, hinc subjungitur, *Et quis ibit nobis?* Cui respondit Isaias, nomine Filii Dei se paratum offerens, *Ecce ego mitto me*, prout appositè exponit Athanas. in illud Evangelij. *Omnia mihi tradita sunt.* Nam illa, quæ sequuntur apud Prophetam, *Excœca cor populi ejus*, &c. non satis aptè quadrant in personam Prophetæ, nisi prout figuram gerebat Filij Dei: ut hanc ob causam rectè dicat Evangelista Isaiam hoc dixisse, QUANDO LOCUTUS EST DE EO scilicet Christo Filio Dei.

42. Verumtamen & ex principibus multi credidérunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, ut è synagoga non ejicerentur.

42. VERUMTAMEN ET, id est, etiam, EX PRINCIPIBUS, seu optimatibus, & Rempublicam gubernantibus, MULTI CREDIDERUNT IN EUM: insinuans etiam ex vulgo credidisse in eum, tamquam Deum incarnatum, ac Messiam. Addidit hoc per modum correctionis vers. 37. ne quis nullum omninò Judæorum putaret credidisse. SED tamen PROPTER PHARISÆOS, professos hostes Jesu, NON CONFITEBANTUR, id est, non se gerebant publicè pro discipulis ejus, celantes se in ipsum credere, ut E SYNAGOGA NON EIICERENTUR, sicut constitutum erat c. 9. v. 22. Quamvis ergò major esset potestas Principum, quàm Pharisæorum, tanta tamen erat auctoritas horum & gratia apud plebem, ut nec Principes eos auderent offendere.

43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.

43. DILEXERUNT ENIM GLORIAM HOMINUM, quæ ex conventibus, & confessibus in synagoga, & ex primis cathedris proficiscitur, MAGIS QUAM GLORIAM DEI, id est, gloriam, quæ est à solo Deo, ut explicatur cap. 5. vers. 44. vel, ut Apostolus ad Rom. 4. vers. 2. gloriam, quæ est apud Deum, quam scilicet Deus promisit, ac tribuit confessoribus veritatis. Nam alioqui *Gloria Dei* etiam dicitur, quâ glorificatur Deus; sed de illa non videtur hîc agi.

44. Jesus autem clamavit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

44. JESUS AUTEM CLAMAVIT, id est, clara ac libera voce, non obstantibus Pharisæis, professus est, ut scilicet re ipsa confitendi fiduciam doceret, QUI CREDIT IN ME, NON CREDIT IN ME, id est, non tantùm credit in me, quem abjectum hominem putatis, SED etiam IN EUM, QUI MISIT ME, hoc est, in Patrem. Cùm enim nemo credat in Christum, nisi qui crediderit eum esse Filium Dei, necesse est, ut hoc ipso credat & in

Patrem. Similis eſt locutio cap. 9. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me.* Addidit hoc, ut metum ac pudorem detraheret illis, qui non cõfitebantur, ut quia non erubeſcant in Patrem, tamquam Deum credere, ſcirent nihil cauſæ eſſe, cur non etiam in ſe crederent, utpote qui eſſet Filius ejus æqualis.

45. Et qui videt me, id eſt, per nonnullam fidei intelligentiam, perſpectam habet naturam ac dignitatem meam; VIDET EUM, QUI MISIT ME, quia una eſt, & inſeparabilis utriuſque natura, juxtà id, quod ſuprà dixit, *Ego & Pater unum ſumus.* Adde, quia nec Filius ſub ratione Filij intelligi poteſt, niſi intelligatur ſimul & Pater.

45. Et qui videt me, videt eum, qui miſit me.

46. Ego lux in mundum veni, id eſt, ego cùm eſſem lux æterna in principio apud Deum, per aſſumptam hominis naturam in mundum veni, ut videlicet mundo lucis, ſeu Solis orientis officium præſtarem. Tacitè enim inſinuat, ut Auguſt. notat, totum mundum in tenebris jacuiſſe. Qua de cauſa adjicit: UT OMNIS, QUI CREDIT IN ME, obediendo ſcilicet doctrinæ meæ, tamquam radiis lucis, IN TENEBRIS NON MANEAT, erroris, & iniquitatis, & mortis æternæ, in quibus jam erat.

46 Ego lux in mundum veni ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et ſi quis audierit verba mea, auribus corporis, ET NON CUSTODIERIT, credendo, obediendo, ſervando, Græcus legit ὑ μὴ πιστεύσῃ, *& non crediderit*, ſcilicet fide per dilectionem operante, EGO NON IUDICO EUM, id eſt, non condemno eum, ſcilicet nunc in preſenti ſæculo, ut ſupplet Auguſt. & Euthymius. Cauſam reddit, NON ENIM VENI UT IUDICEM MUNDUM, SED UT SALVIFICEM, id eſt, ad ſalutem revocem, MUNDUM: q. d. Nunc in hoc adventu meo tempus eſt miſericordiæ, poſteà erit judicii. Itaque ne ſe propterea impunem fore putaret, ſubjicit:

47 Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit: ego non judico eum: non enim veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem mundum.

48. Qui ſpernit me. Quid hoc ſit, explicat ſequentibus verbis, ET NON ACCIPIT VERBA MEA; nam qui non credit verbis Chriſti, ſpernit eum, & afficit injuriâ, HABET QUI IUDICET EUM, id eſt, qui condemnet & puniat. SERMO, QUEM LOCUTUS SUM, quem Auguſt. intelligit ipſum verbum Dei, ſeu Chriſtum, quem ipſe annuntiabat; ſed commodius videtur intelligi poſſe, eſſe ipſam Chriſti prædicationem. ILLE ergò ſermo IUDICABIT EUM IN NOVISSIMO DIE, quia præbebit materiam judicandi, cauſamque damnandi, adeóque tanquam teſtis dignum æternis ſuppliciis eſſe clamabit, propter contemptum ſui.

48. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea: habet qui judicet eum, ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in in noviſſimo die.

49. Quia ego ex meipſo non sum locutus, id eſt, propriâ privatáque auctoritate, ſed Dei Patris, quia QUI MISIT ME PATER, IPSE MANDATUM DEDIT, QUID DICAM, ET QUID LOQUAR. Quæ duo vel idem ſunt, vel, ſi quid diſcriminis eſt, *Dicere* ſignificat meditatam orationem, ſed *Loqui* ſermonem familiarem: ut ſic indicaret nullum prorſùs verbum ſibi excidiſſe, multò minùs factum, quod non Pater ſibi præſcripſerit & præceperit. Itaque reddit rationem, cur ſermo ſuus eos judicaturus ſit, qui non crediderunt.

49. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.

50. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna, id eſt, via ad vitam æternam, & cauſa ejus credentibus, & obedientibus, juxtà illud Chriſti. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Qua cauſali phraſi dicitur Proverb. 16. v. 24. *Dulcedo anima ſanitas oſſium*, id

50 Et ſcio quia mandatum ejus vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit

mihi Pater, sic loquor.

est, lætitiæ animi est causa sanitatis. Quæ ERGO EGO LOQUOR, SICUT DIXIT MIHI PATER, SIC LOQUOR, id est, sicut præscripsit & jussit me ea secundùm naturam humanam loqui. Et proinde qui spernit sermonem, quem locutus sum, spernit eum, qui misit me.

CAPUT XIII.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

ANte diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

1. ANTE DIEM FESTUM PASCHÆ. Non dicit *Ante Pascha*, nam hæc ablutio pedum facta est Paschate jam inchoato, utpote illâ vesperâ, quâ agnus immolatus fuerat: sed dicit, *Ante diem festum Paschæ*, Græcè uno verbo πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς, *ante festivitatem*, seu ante lucem festivitatis Paschalis. Distinxit illa duo accuratè Moyses, Levit. 23. v. 5. *Mense primo, quartadecimâ die mensis ad vesperum, Phase Domini est, & quintadecimâ die mensis hujus, solemnitas Azymorum Domini est.* Quæ distinctio observatur & Numer. 28. vers. 16. & utroque loco est in LXX. eadem vox Græca, quæ hîc. SCIENS JESUS, ab æternitate tamquam Deus, ab initio conceptionis, ut homo, QUIA VENIT HORA, divinitùs constituta, UT TRANSIBAT EX HOC MUNDO AD PATREM, per mortem, & subsequentem resurrectionem, & ascensionem; mors enim sola non fuisset ille transitus. Porrò alludit ad nomen Hebraïcum *Pascha*, transitum vel transultum significans, quod quodammodo nobis Evangelista hîc interpretatur ut notat Aug. Tract. 55. CUM DILEXISSET suos, Apostolos, seu familiares; nam toto tempore conversationis suæ nihil eis nisi dilectionis officia verbis & factis exhibuerat: IN FINEM DILEXIT EOS, id est, usque in finem vitæ suæ, imò etiam in finem usque dilectionis; quia nihil ejus dilectioni addi potuit, dum & summo humilitatis officio, quod mentibus eorum præcipuè commendabat, pedes eorum lavit, & Sacramentum corporis & sanguinis sui eis præbuit, & sermone nihil nisi amorem spirante eos consolatus est, ac denique animam suam pro eis posuit, quâ nulla est alia major charitas, ut est c. 15. vers. 13. Ita. August.

2. Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ:

2. ET CŒNA FACTA, id est absoluta. Hanc aliqui intelligunt legalem, seu agni Paschalis; sed illa stando fiebat, juxtà Legem: Christus autem dicitur hîc surrexisse à cœna. Intelligit ergò cœnam communem, seu ordinariam, quæ post esum agni Paschalis, si quis largiore cibo indigeret, apponebatur, & propriè *Cœna* dicitur. Illa ergò finita, quamvis mensa, ciborumque reliquiis nondum sublatis, ut qui vellet adhuc comedere posset. CUM DIABOLUS JAM MISISSET IN COR, id est, suggessisset, imò persuasisset. Quod additur, non ad excusationem Judæ, sed ad sceleris exaggerationem: nam antè sæpiùs videtur Judas meditatus, UT TRADERET EUM inimicis, sed benignitate & delinimentis pietatis Christi revocatus fuisse, donec diabolus ei hoc persuaderet, ut notat Ambros. Hoc ergò adjicit Evangelista, ad designandum excessum humilitatis Christi, quòd etiam illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manus jam prævidebat in scelere, inquit August. tam execrando. Multò autem magis magnitudo istius humi-

litatis elucet ex magnitudine majeſtatis ejus, de qua ſequitur.

3. Sciens, QUIA OMNIA DEDIT EI PATER IN MANUS, id eſt, cùm non eſſet ignarus ſe Dominum univerſorum conſtitutum, quibus uti poſſet ad miniſterium ſuum, ET QUIA A DEO EXIVIT, id eſt, ex Deo natus homo apparuit, ET AD DEUM VADIT, per aſcenſionem in cælum. Quæ idcò notat Evangeliſta, ut ſciremus Chriſtum humilem fuiſſe electione & voluntate, non ignorantiâ ſui, ut Bernardus Serm. 42. in Canticum. Cùm ergò tantum ſe eſſe ſciret, tamen

3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit:

4. SURGIT A CŒNA, id eſt, à menſa, cibis adhuc appoſitis inſtructâ, ET PONIT VESTIMENTA SUA, non omnia, ut videtur Origenes Tomo 32. in Joan. putaviſſe, ideóque linteo fuiſſe ſuccinctum, ſed tunicam exteriorem & laxiorem, quam propriè vox Græca ἱμάτιον ſignificat, vel certè pallium. Nam plures veſtes geſtiſſe Chriſtum, præter tunicam inconſutilem, manifeſtè patet Joan. 19. verſ. 23. & Matth. 27. verſ. 35. ET CUM ACCEPISSET LINTEUM, PRÆCINXIT SE, eodem illo linteo ad extergendos diſcipulorum pedes. Fecit hæc omnia, ut expedicior eſſet ad iſtud miniſterij genus; plenéque formam ſervi acciperet, nec alio miniſtro indigeret; ideóque tam minutè hæc deſcribuntur, ut omnibus magis admirabilis appareret humilitas.

4. Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cum accepiſſet linteũ, præcinxit ſe.

5. DEINDE MITTIT AQUAM IN PELVIM, manibus ſcilicet ſuis. Ubi Tertull. notat Chriſtum uti voluiſſe linteo, urceo, pelvi, & ſimilibus inſtrumentis, quæ à Diis Gentilium adinventa creduntur, quia meras utilitates, & certa ſubſidia, & honeſta ſolatia neceſſitatibus vitæ humanæ procurant, ut ab ipſo Deo inſpirata credantur, proſpectore, & inſtructore, & oblectatore hominis ſui. ET CŒPIT LAVARE, id eſt, ſe compoſuit ad lavandum, vel certè iſtis verbis rem priùs in genere exprimit, ut deinde ad ſingularia deſcendat. Non enim aliquos antè lavit, & poſteà venit ad Petrum, ut putat Orig. qui à Juda initium factum docet; ſed à Petro, tanquam Apoſtolorum primo, lavando cœpiſſe videtur, ut Auguſt. Tract. 59. & Bernard. Serm. 2. de cœna Domini, & ferè Latini. PEDES DISCIPULORUM, quia diſcalceati videntur inceſſiſſe. Pedes autem elegit potiùs, quàm manus aut caput, quia in iis lavandis eſt major humilitas, & affectuoſior charitas. Pedes ſubinde charioribus hoſpitibus lavari ſolitos ante convivium, ſatis colligitur ex Lucæ 7. verſ. 44. Tranſtulit hunc ritum Chriſtus in finem convivii, ut ſignificaret ſe ſacratiorem eis adhuc parare cœnam. Quid ſingula ſignificent allegoricè, vide Aug. in fine Tract. 55. in Joan.

5. Deinde mittit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

6. VENIT ERGO AD SIMONEM PETRUM, ut ab illo inchoaret illud humilitatis officium. ET DICIT EI PETRUS, expaveſcens videlicet ad perſonæ magnitudinem, & inauditum illud abjectionis exemplum: TU MIHI LAVAS PEDES? Singula verba ſpirant emphaſin, quam expendens Auguſt. ait, Quid eſt *Tu*? quid eſt *Mihi*? quid eſt *Pedes*? Cogitanda ſunt potiùs, quàm dicenda, ne fortè quod ex his verbis aliquatenùs dignum concipit anima, non explicet lingua. Ita ille. Habent autem vim, tum recuſantis præ reverentia, tum increpantis Chriſtum, quòd rem ſe indignam facere videretur.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?

7. RESPONDIT JESUS: QUOD EGO FACIO, TU NESCIS MODO. Nam, ut

7. Reſpondit

Jesus & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

Cyrillus, Petrus putabat ad quamdam solummodò corporis quietem, ut fieri solet, lotionem istam adhiberi, ad mitigandum scilicet laborem itineris, aut stationis, aut sordes abluendas: SCIES AUTEM POSTEA, cùm receptis vestibus accubuero, & postea cùm Spiritus sanctus vos docuerit omnem veritatem. Tunc enim discipulis insinuatum est, lotionem istam fuisse fidei mysterium, & humilitatis insigne, ut loquitur l. 3. de Virginibus. Utrumque explicat, & primum quidem licet obscurè vers. 10. alterum verò vers. 14. & 15.

8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus: Si non lavero te, non habebis partem mecum.

8. DICIT EI PETRUS, præter nimiam quamdam & pietatis plenam ergà Dominum reverentiam, arbitratus gravari humilitatem servi, si sibi obsequium Domini patienter admitteret, inquit Ambros. quia, ut notat Cyril. libr. 9. c. 4. in Joan. mirabilis horroriſque plena res erat videre Filium Dei ad suos pedes prostratum. Cui similia habet Augustin. Tractat. 36. Itaque Petrus Dominici facti altitudine exterritus, ait: NON LAVABIS MIHI PEDES IN ÆTERNUM, hoc est, inquit Augustin. numquam hoc feram, numquam hoc patiar, numquam hoc sinam: hoc quippe in æternum non fit, quod numquam fit. Quæ Petri recusatio, quia ab ejus fide, à reverentia, à dilectione, ab humilitate proficiscebatur, excusabilis erat ante severam illam Christi comminationem; imò laudabilis, quia etiam civili honestati maximè congruebat. RESPONDIT JESUS: SI NON LAVERO TE, id est, si pertinaciter te non permiseris lavari, NON HABEBIS PARTEM MECUM, in mensa, in consortio, in familia, in regno: q. d. nihil mihi tecùm ampliùs commune erit. Non quòd humilis illa & verecundia Petri recusatio, quæ præcesserat, tantam pœnam mereretur, sed pertinax illa inobedientia meruisset illam, si perstitisset, ut insinuant Cyrill. & Basil. in proœmio lib. De moribus. Qui verò intelligunt Christum minari, quòd nisi eum laverit à peccatis venialibus præcedentibus, non sit habiturus partem cum Christo, eo quòd nihil inquinatum intrare possit in regnum Dei; sensum dant mysticum, non literalem.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput.

9. DICIT EI SIMON PETRUS, adhuc vehementiòr in admittendo, quàm fuerat in detrectando; quia amore & timore perturbatus, inquit Augustin. plus expavescebat Christum sibi negari, quàm usque ad pedes suos humiliari: DOMINE NON TANTUM PEDES MEOS, SED ET MANUS, ET CAPUT, supple, lavari sino potiùs, quàm non habeam partem tecum. Ex quo patet, eum anteà potiùs ex amore & observantia, quàm ex inobedientia lotionem recusasse.

10. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non

10. DICIT EI JESUS: QUI LOTUS EST, v. g. in balneis, ille NON INDIGET, NISI UT PEDES LAVET, utpote qui facillimè propter contactum terræ iterum inquinantur, si vel tantillùm egressus fuerit, SED EST MUNDUS TOTUS, præter pedes videlicet, quos solos habet opus lavare, inquit August. Hæc est igitur prima pars similitudinis, cui Christus adjungit alteram: Ita ET VOS discipuli mei, MUNDI ESTIS, toti scilicet, hoc est, ita & vos loti estis à peccatis omnibus per baptismum, prout exponit August. vel per fidem & obedientiam sermonis mei, ut insinuat Christus, cap. 15. v. 3. Relinquit supplendum ex præcedentibus, hoc vel simili modo: ut proinde non indigeatis, nisi ut vobis lavemur pedes.

des. Itaque transilit subitò Christus à lotione pedum corporali ad spiritualem, quam ex Christi mente significabat. Unde etiam *Pedes*, eodem interprete Augustin. significant humanos affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur. Nam per illos terrenis rebus afficimur in quotidiana conversatione, & sordibus peccatorum venialium inquinamur, ita ut subinde non tam pulvere aspergi, quàm luto obliniri videantur, inquit Hom. 50. SED NON OMNES, uno videlicet Juda excepto, quia numquam mundatus, vel certè post mundationem mutatus fuerat. Hæc, juxtà Cyrillum, fuit quædam correptio & quidem prima Judæ, ut stimulo conscientiæ percussus, à consilio prodendi revocaretur.

estis mundi omnes.

12. POSTQUAM ERGO LAVIT PEDES EORUM. Quo insinuatur, cæteros, exemplo Petri eruditos, lotioni consensisse. DIXIT EIS: SCITIS QUID FECERIM VOBIS? id est, quo consilio, quâ significatione laverim pestes vestros? Interrogat ignorantes, ut attentiores reddat ad explicationem, quam suprà v. 7. promiserat Petro.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis. Scitis quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me, Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim.

13. VOS VOCATIS ME, MAGISTER. Vocativus est, sicut & illud, ET DOMINE, quamvis Græcè sit utrumque Nominativus: ET BENE DICITIS, quia verum dicitis, SUM ETENIM. Veritas enim & sapientia Dei est, quæ docet hominem scientiam, quæ doctrix est disciplinæ Dei, quæ in omni gente primatum habet, quæ omnium sublimium & superborum colla propriâ virtute calcat. Ergò, nec arroganter Christus hoc sibi tribuit, quia verè competit: nec jactanter, quia Deus, quantumcumque se laudet, non potest se extollere. Nec hoc faciendo, illi vitium est, sed nobis beneficium, ut latiùs declarat August. Tract. 58.

14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus & Magister: & vos debetis alter alterius lavare pedes.

14. SI ERGO EGO LAVI PEDES VESTROS, DOMINUS ET MAGISTER, multò profectò magis ET VOS, servi atque discipuli, DEBETIS ALTER ALTERIUS PEDES LAVARE. Est enim argumentum à minore, hoc est, à minùs verisimili ad majus; vel si rem ipsam spectes, à maximo ad minimum. Non tamen de sola pedum ablutione sermo est, sed de quibusvis humanitatis obsequiis, atque ministeriis, cum quadam abjectione conjunctis. Et quia hæc lotio externa pedum ex Christi mente significabat, mundandos esse terrenos affectus, seu maculas leviores, tamquam pulveres pedum iis, qui corpus & sanguinem Domini suscipere debent: hinc ulteriùs sub lotione obsequia spiritualia comprehendit, quibus delicta proximorum lavare debemus, sive orando, sive docendo, sive increpando, sive exemplariter conversando, sive peccata in se admissa dimittendo, ut satis indicat August. & Beda. Utroque ergò modo & sensu Christus in hoc facto suo nobis exemplum dedit, ut significat v. 15.

15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

15. EXEMPLUM ENIM DEDI VOBIS. Ne quis verò suspicaretur Apostolos & ministros Christi, propter legationis suæ sublimitatem, à talibus abjectis obsequiis eximendos, subjicit duas proverbiales sententias.

16. Amen, amen dico vobis: Non est servus major domino suo: neque Apostolus est major eo, qui misit illum.

16. NON EST SERVUS MAJOR DOMINO SUO, &c. ut proinde non dedignari debeat, quod non dedignatus est ejus dominus: sed potiùs hoc ipsum ad gloriam ei valere & sufficere debet, quòd humilitati magistri sui ac domini æquetur, ut Tertull. in Scorpiaco, cap. 9.

17. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

17. SI HÆC SCITIS, BEATI ERITIS, non sola cognitione, sed SI ETIAM FECERITIS EA, quia, ut Apostolus ait, *Non auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur.* Verùm quia scie-

tis, beati eritis si feceritis ea.

bat aliquos ex ipsis facturos ea, quæ sciebant, beatósque futuros, aliquem autem non; hinc ad illorum consolationem, hujus autem correptionem, addit.

18. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum.

18. NON DE OMNIBUS VOBIS DICO, quòd futuri sitis ea, vel beati futuri: EGO SCIO QUOS ELEGERIM, ad beatitudinem: quasi diceret. Est enim aliquis inter vos, qui neque beatus erit, neque faciet ea. Ita Augustin. & quasi aliquis quæreret: Cur ergò eum inter tuos domesticos esse permisisti? Respondet objectioni: UT ADIMPLEATUR SCRIPTURA, id est, voluntas Dei per Scripturam expressa, qua decretum fuit, ut infidelitatem & proditionem unius permitteret. Posset tamen etiam exponi de electione ad Apostolatum, hoc sensu: Ego novi, qui & quales sint, & quales sint futuri, quos in Apostolos meos elegi: non enim vel præsentis, vel futuri status eorum ignarus hoc feci, sed ut adimpleretur Scriptura, quæ dicit: QUI MANDUCAT MECUM PANEM, id est, qui eodem mecum cibo alitur, & mensa fruitur (per quod familiarissima conjunctio significatur) LEVABIT CONTRA ME CALCANEUM, id est, calce me petet, seu calcitrabit contra me, vel potiùs calcaneo, sed pede inter pedes posito, me supplantabit. Est enim metaphora, vel ab equo dolosè dominum calcibus vulnerante, vel potiùs ad homine luctante, qui industria quadam, pede suo supplantat adversarium. Utroque modo significatur fallacia proditoris Judæ, qui sub specie discipuli & pacis, osculo magistrum tradidit. Unde LXX. legunt in Psal. 40. *Magnificavit super me supplantationem*, id est, magnam fecit supplantationem, quia mirum in modum decepit. Hæc secunda fuit Judæ admonitio.

19. A modo dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.

19. A MODO, Græcè ἀπ' ἄρτι, *ex nunc* DICO VOBIS, PRIUSQUAM FIAT, quòd scilicet à domestico meo supplantandus sum: UT CUM FACTUM FUERIT, CREDATIS, QUIA EGO SUM, is scilicet, qui sum, id est, ut credatis, quia sum verus Deus, cujus nomen proprium est *Esse*, de quo Exodi 3. v. 14. Prædicit ergò eis proditionem à proprio discipulo futuram, ne eam videntes postea fieri, putarent eum ignarum fuisse, & vacillarent in fide divinitatis ejus. Probatio enim divinitatis, veritas est divinationis, inquit Tertull. in Apologet. Sed quia dicere posset aliquis infirmorum, si Apostolis in tam humilibus officiis versandum est, quâ ratione tuebuntur auctoritatem suam, cùm ab omnibus contemnendi videantur? occurrit Christus:

20. Amen, amen dico vobis Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

20. QUI ACCIPIT SI QUEM MISERO, ME ACCIPIT, &c. q. d. Homines in eis Deum ipsum veneraturi sunt, & proinde auctoritas eorum pendebit, non à pompa visibili, sed ex respectu suo, & Patris sui, quorum personam gerunt. Nam superiorum quidem est humilia obsequia non detrectare, sed inferiorum est, eos propterea non minoris facere.

21. Cùm hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu: & protestatus est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.

21. CUM HÆC DIXISSET JESUS, amanter, placidè, & cum totius animi quiete, TURBATUS EST; non tamen immediatè post illa dicta: nam interposita fuit tota institutio sanctissimæ Eucharistiæ, ut patet ex Lucæ cap. 22. quam Joannes hîc prætermittit, tamquam sufficienter ab aliis Evangelistis expressam. Itaque quòd Matth. sequentia in Joanne verba narrat, tamquam ante Eucharistiæ institutionem à Christo dicta, uti videtur anticipatione. Quamvis August. lib. 3. De consensu, c. 1. putet hæc immediatè sequentia Christi verba eadem cum iis, quæ narran-

ur apud Matth. & Marcum, tamquam ante Eucharistiæ institutionem prolata: quâ institutâ continuaverit sermonem de eodem Juda, sicut narrat Lucas, c. 22. v. 21. & 22. & 23. ubi interrogant inter se discipuli, quis hoc esset facturus: cui interrogationi docet August. subjungendum esse id, quod Joannes hîc dicit, v. 23. *Erat ergò recumbens*, &c. Sed, ut antè monui, faciliùs videtur dici posse, quod Matthæus & Marcus anticipatione usi fuerint in narrando, & omnia illa de Juda post Eucharistiæ institutionem dicta fuerint. Cùm ergo Christus mentem suam convertisset ad imminentem jam passionem, & præcipuè ad facinus Judæ, quod jamjam executurus erat, TURBATUS EST SPIRITU, id est, animo suo: potestate scilicet, non infirmitate, quia sponte turbavit seipsum, ut August. Tract. 60. Nam affectum humanum in seipso suâ potestate commovit, motu scilicet doloris, de duritia & perditione Judæ, ut eum efficaciùs revocaret. Quam ob causam etiam cùm ante bis eum occultè perstrinxisset, nunc tandem tertiò PROTESTATUS EST, id est, palàm contestatus est, & apertè affirmavit, constanti etiam utens asseveratione, AMEN, AMEN.

22. ASPICIEBANT ERGO AD INVICEM DISCIPULI, partim stupentes rei novitate & atrocitate, partim ut observarent, si quod indicium in aliquo, ex voce vel vultu appareret, utpote HÆSITANTES DE QUO DICERET. Lucas addit eos quæsiviſſe inter se, quis esset hoc facturus; imò Marcus etiam eos singulos rogasse Dominum? *Numquid ego sum?*

22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

23. ERAT ERGO RECUMBENS UNUS IN SINU JESU, quod infrà vers. 25. dicitur, *Supra pectus Jesu*, ut notat August. Quidquid enim est inter stomachum & brachia, *Sinus* vocari solet. Nam Orientales plerumque recumbebant ad mensam in lectulis, seu thoris convivalibus, eo situ, ut in cubitum sinistrum incumberent, & reliqua pars corporis inferior extrorsùm in longum protenderetur. Ex quo situ fiebat, ut caput ejus, qui secundus accumbebat, respiceret pectus, aut umbilicum primi; & sic deinceps de cæteris. Sic ergò cùm Joannes accumberet Christo proximus, posterior pars capitis ejus respondebat sinui, seu pectori Christi. QUEM DILIGEBAT JESUS. Hac periphrasi seipsum significat Evangelista, modestiæ causâ nomen suum supprimens. Quod Scriptoribus sacris esse familiare, Moisi, Matthæo, Paulo, tradit Augustinus. Porrò hæc dilectio Christi erga Joannem erat familiarior quidam usus ejus, & quædam peculiaris benevolentiæ demonstratio, quia junior erat & virgo, & morum fortasse verecundiâ, & suavitate singulari, ut multi sentiunt. Hâc ergo attentâ Joannis cum Christo familiaritate, & loci propinquitate,

23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.

24. INNUIT HUIC SIMON PETRUS (unde constat eum à Christo fuisse remotiorem, fortassis è regione, ut faciliùs innuere potuerit) ET DIXIT EI, hoc est, innuendo, seu nutu dixit, non aliquid sonando, ut notat Augustin, nam si aliquid verbo dixisset, non erat opus innuere. Unde Græcè tantùm est νεύει οὖν τούτῳ, *innuit huic* Petrus, ut scilicet interrogaret, QUIS EST, DE QUO DICIT? scire avidus, non quòd de seipso timeret, ut aliqui putant; quia constat eum de seipso fuisse confidentissimum: sed ut pro suo amore ac zelo impediret.

24. Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei Quis est, de quo dicit?

25. ITAQUE CUM RECUBUISSET ILLE, Græcè ἐπιπεσὼν, *cùm incidis-*

25. Itaque cum

recubuiſſet ille ſupra pectus Jeſu, dicit ei: Domine quis eſt?

ſet, ſeu *recidiſſet* SUPRA PECTUS JESU, erexerat enim ſe aliquantulum ſed innuente Petro reclinavit ſe iterùm ad pectus Jeſu, eo ſitu, quo ſuprà diximus: DICIT EI, ſecretò & quaſi in aurem: DOMINE QUIS EST? Cui reſpondit.

26. Reſpondit Jeſus: Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxiſſet panem dedit Judæ Simonis Iſcariotæ.

26. ILLE EST, CUI PANEM INTINCTUM PORREXERO, id eſt, buccellam panis, ut eſt v. 27. inſtar offulæ condimento intinctam, quæ benevolentiæ causâ ſubinde alicui dari ſolet. ET CUM INTINXISSET PANEM, DEDIT JUDÆ, & eo facto manifeſtè proditorem Joanni deſignavit. Porrò hæc buccella non fuit corpus Domini, ut tradit Auguſtin. tum Tract. 62. tum aliis locis, & Conc. Bracarenſe tertium Can. 1. nam Judas cum cæteris Apoſtolis corpus Domini acceperat, ſicut Lucam evidentiſſimè narrare dicit Auguſtinus.

27. Et poſt buccelam, introivit in eum ſatanas. Et dixit ei Jeſus: Quod facis, fac citiùs.

27. ET POST BUCCELLAM, acceptam & comeſtam, ſimulato animo quaſi gratum habendo ſignum iſtud benevolentiæ, INTROIVIT IN EUM SATANAS, ut ſibi jam traditum pleniùs poſſideret, tamquam dominus videlicet cogitationum & voluntatum ejus, in quem priùs intraverat, ut deciperet, inquit Auguſtinus. Cauſam addit Hieron. in Epiſt. ad Epheſ. quia tunc, inquit, vel maximè diabolo in poteſtatem damur, quando nec humanitate, nec elementia nec, manſuetudine ejus vincimus, quem indignè odimus. Nimirum Judas cùm animadverteret, vel indicio illo buccellæ ſe Joanni eſſe proditum, vel etiam cæteris coapoſtolis per illa verba, *Tu dixiſti*, quæ ſunt apud Matth. exacerbatus in Chriſtum, obfirmavit prorſus animum ad perficiendum ſcelus, quod pactus erat. ET DIXIT EI JESUS, videns animum ejus ad executionem paratum: QUOD FACIS, id eſt, facere paras, FAC CITIUS. Vox eſt non jubentis, ſed ſinentis, non trepidi, ſed parati, qui oſtenderet ſe moram non facere traditori, & ſic paternam exequi voluntatem, ut facinus nec impelleret, nec timeret, prout explicat S. Leo Serm. 7. de Paſſione, cui conſentit Aug. Tract. 62. Ceſſit enim Jeſus his verbis, ut poſſet Judas; non egit, ut vellet: q. d. Non impedio, per me licet, ut facias, imò ut citiſſimè facias. Eadem phraſi dixit Judæis, *Solvite templum hoc*: & Elizæus filiis Prophetarum importunè urgentibus, ut mitteretur aliquis ad quærendum Eliam, *Mittite*: & Cyprian. moriturus dixit Proconſuli: *Fac quod tibi præceptum eſt*, ut Auguſt. refert.

28. Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei.

28. HOC AUTEM NEMO SCIVIT DISCUMBENTIUM, &c. ne Joannes quidem: quia quamvis proditorem ſciret, non tamen ea nocte, & jam ſtatim perpetrandum eſſe ſcelus. Vel certè Joannes in eo numero ſeipſum non comprehendit, ſicut nec Judam. Ex quo colligere licet, quanta fuerit & Judæ hypocriſis, omnia diſſimulantis, & Apoſtolorum ſimplicitas in malo, & Chriſti benignitas in Judam. Nam ex iſtis tribus capitibus factum eſt, ut in nullius mentem cadere poſſet alicujus mali ſuſpicio.

29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixiſſet ei Jeſus: Eme ea, quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum: aut egenis ut aliquid daret.

30. Cùm ergo accepiſſet ille buccellam, exivit

30. CUM ERGO ACCEPISSET ILLE BUCCELLAM, qua tamquam ſigno Joanni ſe indicatum ſuſpicabatur, utpote quem aliquid interrogaſſe, vel locutum eſſe viderat, EXIVIT CONTINUO, ſpecie exequendi præcepti Dominici; ſed reverâ furore quodam actus, diabolo admovente calcaria. Unde Cyrill. curſim & greſſu præcipiti Judam ſe proripuiſſe tradit, diabolo videlicet timente, ne morando daretur locus pœnitentiæ, & quaſi è temulentia mentem ſuam rectiùs cogitando eriperet.

Qui & addit, diabolum quoque timuiſſe, ne Euchariſtia ſumpta ſcintillam aliquam illuminationis in animo ejus accenderet. Nihil enim vetat corpus Domini etiam indignè ſumptum præter legem quaſi miriculo aliquid correctionis operari; qualem effectum tribuit Auguſt. baptiſmo in homine abominante baptiſmum, lib. 4. Confeſſ. cap. 4. ERAT AUTEM NOX, quæ oppoſitè ſignificabat Judæ tenebras, cui occiderat Sol juſtitiæ, ut Auguſt. lib. 2. de Caïn & Abel, c. 4. Cùm ergò ſupradictis verbis, *Quod facis*, &c. Judam Chriſtus è familia ſua ablegaſſet, ſicut olim Joſeph Ægyptios, ne quis adeſſet alienus agnitioni mutuæ, cœpit ab hoc tempore ſuaviſſimis verbis viſcera charitatis ſuæ, & quaſi animam ſuam in diſcipulos effundere: nam ideò utitur particula illa continuativa. continuo Erat autem nox.

31. CUM ERGO EXISSET, Judas nocte intempeſta, DIXIT JESUS, familiariùs tamquam ab eo liberatus, coram quo minùs convenie bat has intimæ dilectionis margaritas effundere. Erupit itaque in hæc verba: NUNC CLARIFICATUS EST, id eſt, glorificatus, ſeu clarus & celebris effectus eſt, FILIUS HOMINIS, cæleſti videlicet doctrina & admirandis miraculis: ET DEUS CLARIFICATUS EST IN EO, id eſt gloriosè inclaruit per Filium hominis, tum quòd illa ſemper ad Deum Patrem retuliſſet; tum quòd manifeſtum eſſet, ut fatebatur Nicodemus, neminem poſſe hæc ſigna facere, niſi Deus eſſet cum eo: cujus proinde virtus & bonitas per ea clareſcebat. 31. Cùm ergo exiſſet, dixit Jeſus: Nunc clarificatus eſt filius hominis: & Deus clarificatus eſt in eo.

32. Quod SI DEUS CLARIFICATUS EST IN EO, id eſt, ſi hactenus glorificatus fuit per Filium hominis: ET DEUS CLARIFICABIT EUM IN SEMETIPSO, id eſt, jam viciſſim tempus inſtat, ut Deus illuſtrem & glorioſum faciat Filium hominis, ſeu humanitatem ejus, IN SEMETIPSO, id eſt, per ſeipſum, quia Deus in ipſo exiſtens, & ſubſiſtens in perſona, glorioſum faciet, declarans eum eſſe Filium Dei, idque CONTINUO, etiam in media paſſionis imminentis ignominia; maximè verò per glorioſam reſurrectionem, & aſcenſionem in cœlum, quæ ſtatim conſequentur. Utrumque tangit Chryſoſtomus. 32. Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo: & continuo clarificabit eum.

33. FILIOLI, tenerrimè ſcilicet dilecti. Videtur enim vox blandientis; quamvis etiam ſignificare poſſet, eos adhuc tenellos eſſe, qui adhuc quaſi uberibus Chriſti lactati nondum poſſent perfectiora portare. Quo ſenſu Apoſtolus vocabat Galatas *Filiolos*, quos iterùm parturiebat, donec formaretur in eis Chriſtus. ADHUC MODICUM VOBISCUM SUM, id eſt, vobiſcum more mortalium, & cum iſta familiaritate converſabor. QUÆRETIS ME, id eſt, præſentiam meam corporalem, ut ex ea ſolatium & adjutorium hauriatis in tribulationibus ingruentibus: ET SICUT DIXI JUDÆIS, ſupple, ſic etiam vobis dico, prout infrà ſequitur: Quo EGO VADO, ad poſſidendam gloriam meam in cœlo, VOS NON POTESTIS VENIRE, id eſt, non poteſtis me ſequi. Sed quia aliquando ſecuturi erant, adjicit explicationis causâ: ET VOBIS DICO, MODO. Ubi illud, *modò*, conjungi poteſt vel cum *dico*, vel potiùs cum *venire*, ut ſenſus ſit: Non poteſtis eò nunc venire, ſed poſteà ſequemini; ſic enim videtur exponere hæc verba Chriſtus ipſe Petro v. 36. Ratio, cur non poſſent, erat, eò quòd gloriæ illius participatio multis laboribus ac diſcurſibus, imò morte ac paſſione ipſorum comparanda erat, ad quam tolerandam nondum erant ſatis 33. Filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum. Quæretis me: & ſicut dixi Judæis: Quò ego vado, vos non poteſtis venire: & vobis dico modò.

fortes. Sic enim tanquam infirmitatis ſuæ notam accepit ea verba Petrus v. 37.

34. Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.

34. MANDATUM NOVUM DO VOBIS, hoc unicum ſcilicet, ex quo tamquam compendio diſcatis, quam vivendi formam me abſente inter vos tenere debeatis, videlicet UT DILIGATIS INVICEM, non verbo ſcilicet, neque linguâ, ſed opere & veritate. Nam ut regulam quamdam mutuæ iſtius dilectionis haberent, adjicit: SICUT DILEXI VOS, UT ET VOS DILIGATIS INVICEM, hoc eſt, dilectione non carnali, ſed ſpirituali, ut Auguſtin. Tract. 65. dilectione, quâ temporalem vitam, & incolumitatem, & commoda, æternæ ſaluti proximorum poſtponatis, ſicut ego meam poſtpoſui veſtræ. Sed cur *novum* vocat hoc *mandatum*, cùm mandatum dilectionis ab initio fuerit? Diverſæ rationes à Doctoribus tum antiquis, tum novis excogitatæ ſunt. Aug. quia innovat hominem à vetuſtate. Sed Chriſtus videtur novitatem non in dilectione, ſed in ipſo dilectionis mandato, quaſi noviter dato, conſtituere. Unde alij volunt novum dici, quòd hucuſque non ſit datum. Sed hoc non videtur eſſe verum, ut patet ex illo magno præcepto dilectionis Dei & proximi toties inculcato. Alij aliter rem expediunt. Veriſimiliùs videtur poſſe dici, *Mandatum novum do*, quaſi dixiſſet: Mandatum de novo do vobis, ut diligatis invicem, hoc eſt, meo exemplo, ſingularique affectu & ſtudio, meo denique nomine inſtauro & commendo vobis præceptum dilectionis mutuæ. Nam inde eſt, quòd Paulus illam vocat ad Galat. 6. *Legem Chriſti*; Joannes, teſte Hieronym. *Præceptum Domini*: à quorum utroque propterea tantopere inculcatum fuit. Proinde addit Chriſtus:

35. In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.

35. IN HOC COGNOSCENT OMNES, QUIA DISCIPULI MEI ESTIS, qu. d. Non ex jejuniis, vitæque auſteritate, ut diſcipuli Joannis; non ex veſtitûs genere, & obſervantiis corporalibus, ut Phariſæi; non ex certis philoſophiæ placitis, ut Philoſophi; non ex miraculis, linguis, ſacramentis, prophetiis, ſcientia, fide, vel quocumque dono, quod habere poſſunt & mali: ſed ex ſola dilectione, tamquam genuino ſymbolo diſcipulatus mei, cognoſcemini ad me pertinere. Nam ſine charitate reliqua omnia nihil proſunt, ut Auguſtin. ex Apoſtolo, 1. ad Corinth. 13. Unde Tertull. in Apolog. cap. 39. Vel maximè dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam. Vide, inquiunt, ut ſe invicem diligunt. Hæc ergò genuina nota eſt, non Chriſtianiſmi, non profeſſionis Chriſti, non Eccleſiæ, ſed veri, hoc eſt ſinceri, & boni Chriſtiani. Cùm autem Petro nihil altiùs inhæreret, quàm quòd dixiſſet Chriſtus, *Quò ego vado, vos non poteſtis venire*; hinc quaſi taxatus de infirmitate à Domino, ait:

36. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis: Reſpondit Jeſus: Quò ego vado, non potes me modo ſequi, ſequêris autem poſtea.

36. DOMINE, QUO VADIS? quò ſcilicet non poſſum te ſequi? RESPONDIT JESUS, potiùs ad mentem Petri, quàm ad verba; nam animo ſequendi hoc interrogaverat, ut Chryſoſt. & Auguſt. notant: QUO EGO VADO, per mortem ad regnum Dei, NON POTES ME SEQUI MODO, quia vires tibi deſunt ad paſſionem pro nomine meo tolerandam: SEQUERIS AUTEM POSTEA, quando & exemplo meo, & Spiritu ſancto infuſo, mortis terrorem didiceris ſuperare, & omnia bona & mala temporalia contemnere.

37. DICIT EI PETRUS, impatiens quòd Christus de se vel tantillùm submisse sentitet; nam plenus præsumptione virium suarum, nihil putabat esse tam difficile, quod non suâ animositate superaret? QUARE NON POSSUM TE SEQUI MODO? qu. d. Estne aliquod incommodum, aut periculum vitæ, quod impediat? ANIMAM MEAM, hoc est vitam, quæ præ omnibus rebus diligitur, PRO TE PONAM, quanto magis reliqua? *Pellem* enim *pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*, ut est Job 2. Dixit hoc Petrus bono quidem animo, sed virium suarum ignaro: putabat enim hoc posse, quod se velle sentiebat. Nam charitas quidem ejus erga Christum vera erat, sed adhuc invalida, quæ multùm crescere debebat, ut August. lib. De gratia & libero arbitrio c. 17.

37. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam pro te ponam.

38. RESPONDIT EI JESUS: ANIMAM TUAM PRO ME PONES? qu. d. Multùm abest. Non enim tibi satis erit amore vitæ tuæ conservandæ fugere, vel confessionem nominis mei silentio declinare, sed NON CANTABIT GALLUS, id est, non erit tempus gallicinij, DONEC TER ME NEGES, seu negaveris. Qua de re diximus latiùs Matth. 26. versu 33. Solùm hîc notandum, prædictionem istam trinæ negationis fuisse primam, & contigisse domi, quam & Lucas narrat cap. 22. Illa verò, quam narrant Matthæus & Marcus, contigit postea in itinere versùs montem Oliveti, cùm nondum Petri præsumptio esset satis compressa prædictione Christi.

38. Respondit ei Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi: Non cantabit gallus, donec ter me neges.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

CAPUT XIV.

CUM ergò videret Dominus, discipulorum animos prædictione tum proditionis suæ, & imminentis mortis, tum negationis Petri, qui omnium animosissimus videbatur, consternari, & pusillanimes fieri, occurrit motibus illis:

1. NON TURBETUR COR VESTRUM, timore, vel mœrore ex dictis meis. Modum verò comparandi roboris & præsidii adversùs instantes difficultates suggerens, CREDITIS, inquit, IN DEUM. Supplenda est ex idiotismo Hebraico particula similitudinis: qu. d. Sicuti ex Lege Moysis instructi creditis in unum Deum, ita & in me credite, tamquam in eumdem Deum & Filium Dei, & quidem incarnatum. Nam hoc totum illis verbis indicat, ut Cyrill. notat. Fidem enim divinitatis, quæ sub lege explicitè prædicabatur, non ad alium Deum transferendam esse docet, sed ad plures personas extendendam. Itaque tacitè monet Christus, ut oculos mentis in divinitatem suam figant: nam ita fore, ne turbarentur, quidquid ei tandem accideret. Ne verò ad illam domum Patris, quò Christus migrabat, hoc est, ad regnum Dei, putarent non posse pervenire, nisi eos, qui summâ essent virtute, & animi robore præditi, & ab omni lapsu alieni, adjicit:

1. NOn turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite.

2. IN DOMO PATRIS MEI MANSIONES MULTÆ SUNT, quia magna illa beatitudinis aula non solùm capax est innumeræ multitudinis, sed in ea quoque diversissimi sunt beatitudinis, honorum, & dignitatum gradus. Utrumque enim notari & loci capacitatem, & gloriæ cujus-

2. In domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus, dixissem vobis: Quia

vado parare vobis locum.

que differentiam, obſervat Cyrill. SI QUO MINUS, Græcè εἰ δὲ μή, *ſi autem non*, hoc eſt alioquin, prout vertitur verſ. 11. q. d. Si non eſſent multæ manſiones, quibus excipi poſſetis, ego DIXISSEM VOBIS, ſcilicet non eſſe, neque lactaſſem vos inani ſpe obtinendæ manſionis alicujus, QUIA VADO PARARE VOBIS LOCUM, id eſt, quia diſceſſurus ſum veſtri causâ, ut videlicet, quia cœlum hactenus hominibus inacceſſibile fuit, introitum ejus vobis aperiam ad capiendam poſſeſſionem ejus. Nam alioqui quantum ad prædeſtinationem, regnum & locus regni, unicuique paratus eſt à conſtitutione mundi, ut eſt Matth. 25. v. 34.

3. Et ſi abiero, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, ut ubi ſum ego, & vos ſitis.

3. ET SI, id eſt, cùm vel poſtquam, ABIERO, ET PRÆPARAVERO VOBIS LOCUM, ITERUM VENIO, ad judicium omnium, ET ACCIPIAM VOS AD MEIPSUM, id eſt, in conſortium meum introducam, UT UBI SUM EGO, in domo ſcilicet & gloria Patris, corpore & animâ glorificatus, ET VOS SITIS, ejuſdem gloriæ & beatitudinis participes: qu. d. Digreſſus à vobis non diu abero, nec obliviſcar veſtri, ſed citò rediturus ſum. Quod maximè valebat ad eos à turbatione recreandos. Porrò ſub adventu ad judicium, Chriſtus more ſuo adventum ad unumquemque in morte, qua ex hac vita ſingulos educit, intelligere ſolet, ut alibi dictum.

4. Et quo ego vado, ſcitis, & viam ſcitis.

4. ET QUO EGO VADO, SCITIS, ex iis, quæ proximè & ſæpiùs dixi, nempe ad Patrem in cœlum, in gloriam meam: ET VIAM SCITIS, quâ ego illuc profecturus ſum, ſcilicet per mortem meam. Nam & utrumque eis prædictum fuerat. Sed quia, juxta Auguſt. 14. De Civit. c. 7. habemus in abdito mentis quarumdam rerum notitias, quas videmur ignorare, vel quia inde non cogitamus, vel non recordamur, vel modum non ſatis penetramus, hinc Thomas dicit:

5. Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quo vadis: & quomodo poſſumus viam ſcire?

5. DOMINE, NESCIMUS QUO VADIS: ET QUOMODO POSSUMUS VIAM SCIRE? Nam ſicuti motus, ita etiam via ſpeciem ſumit à termino: q. d. Tu dicis nos utrumque ſcire; nos utrumque neſcimus. Quamobrem Chriſtus latentem diſcipulorum ſcientiam eis ad memoriam revocans, & plenius eos inſtruens.

6. Dicit ei Jeſus. Ego ſum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me.

6. DICIT EI, utrumque ſcilicet explicans, & viam, & terminum viæ: EGO, ut homo ſcilicet, & mediator Dei ac hominum, SUM VIA, illa ſcilicet, de qua quæritis, tam mihi ipſi, quàm aliis. Nam Chriſtus ſibi quidem via fuit, quia propriæ paſſionis merito intravit in gloriam ſuam, & Patris, ut patet Lucæ cap. 23. v. 33. & ad Philip. 2. Aliis verò via eſt, doctrinâ, exemplo, & merito, quia non niſi per ipſum habemus acceſſum ad Patrem. Majorem obſcuritatem habet, quod adjicit, ET VERITAS ET VITA. Plerique recentiores probabiliter volunt eſſe majorem explicationem viæ, q. d. Ego ſum Via Veritatis & Viæ: Via vera, non fallax, non erratica; Via, quæ ſine errore ducit ad vitam æternam. A qua interpretatione non abhorret Hilar. lib. 7. de Trinitat. Cui ſenſui appoſitè ſubjungit, NEMO VENIT AD PATREM, tamquam ad terminum viæ, (ſic enim explicat, quò vadat) NISI PER ME, id eſt, per doctrinam meam, cui obtemperet; per converſationem, quam imitetur; per mortem, quâ redimatur. Sed quia ſingulis vocibus valdè emphaticè eſt additus Græcè articulus ὁ ὁδὸς, &c.

&c. *illa Via, illa Veritas, illa Vita*: videntur ſingula in abſtracto meritò de Chriſto explicari poſſe, præſertim quia ei ſic propriſſimè conveniunt. Itaque Auguſt. tum hîc, tum alibi, plerumque vult his duobus vocabulis explicari terminum viæ, nempe divinitatem Chriſti, quam eamdem habet cum Patre ſuo; primo verò verbo explicari ipſam viam, ſcilicet humanitatem ejus. Creatura quippe rationalis in ſuum terminum, ſub ratione veritatis & vitæ conſideratum, propriè & principaliter tendit, quia nihil anima fortiùs deſiderat, quàm veritatem & vitam, quorum utrumque Deus eſt. Unde & ejus beatitudo non eſt aliud, quàm immortale, nullâ moleſtiâ interpellante, de ipſa ſola, per quam vera ſunt omnia, veritate gaudium, ut Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 23. Itaque Tractat. 69. Chriſtus, inquit, ibat ad veritatem, ibat ad vitam. Ibat ergò ad ſeipſum, per ſeipſum. Et nos quò imus, niſi ad ipſum? (id eſt, ad fruitionem vitæ & veritatis, ſeu divinitatis ejus) & quà imus, niſi per ipſum? Ipſe igitur ad ſeipſum per ſeipſum, nos ad ipſum per ipſum; imò utrique ad Patrem, qui eadem cum ipſo Veritas & Vita eſt, ſeu idem & unus Deus. Nam ne alium viæ terminum induxiſſe videretur, quàm Patrem, addit juxtà hunc Auguſtini ſenſum, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Et quia cauſari poſſent diſcipuli, ſe quidem jam ipſum ſcire, quòd ſit Veritas & Vita, ad quam venire debeant, ſed ſe Patrem ejus ignorare, tollit eis hanc excuſationem.

7. SI COGNOVISSETIS ME; ſecundùm divinam naturam meam, ET PATREM MEUM, id eſt, etiam Patrem, UTIQUE COGNOVISSETIS, quia propter divinæ naturæ identitatem non poteſt natura Filij cognoſci, niſi & natura Patris cognoſcatur. Imò nec una perſona ſine altera cognoſci poteſt, tum quia divina natura propter ſummam ſimplicitatem ejus, cum qua perſonalitas identificatur, non niſi tota videri poteſt: tum quia ratio perſonæ, ſeu proprietas perſonalis eſt relativa; quò fit, ut qui unam videat, videat & alteram: ET MODO COGNOSCETIS EUM, cùm Spiritus ſanctus brevi in nobis complebit conghitionem Dei, ac perſonarum divinarum; imò ET VIDISTIS EUM, quatenùs naturam ſeu divinitatem meam, ex doctrina & mirabilibus operibus meis, & ex revelatione Patris credidiſtis, & utcumque cognoviſtis: nam illa eadem eſt ipſiſſima natura Patris: Adde, quòd jam omnes Apoſtoli per revelationem cognoverant Chriſtum eſſe Filium Dei vivi; prout Petrus profitetur Matth. 16. Non poteſt autem Filius agnoſci ſub ratione Filii, niſi agnoſcatur Pater.

7. Si cognoviſſetis me: & Patrem meum utique cognoviſſetis: & amodo cognoſcetis eum, & vidiſtis eum.

8. DICIT EI PHILIPPUS, DOMINE OSTENDE NOBIS PATREM, id eſt, exhibe eum oculis noſtris corporalibus præſentem, quem nos vidiſſe dicis. Arripit enim Chriſti verbum, quo omnes Patrem vidiſſe dixerat, non audens aperè reſpondere, quòd non ita eſſet: q. d. Fac, ut quod dicis, verum ſit, & eum clarè demonſtra: ET SUFFICIT NOBIS, hoc eſt, & nihil aliud ultrà quærimus, utpote qui te jam ſatis novimus atque vidimus. Quimquam Cyril. & nonnumquam Auguſt. hoc ita exponant, ut id ſufficere velit Philippus ad plenam beatitudinem, quæ in perfecta Dei viſione ſita eſt.

8. Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.

9. DICIT EI JESUS, ut declararet ejus inexcuſabilem imperitiam:

9. Dicit ei Je-

ſus : Tanto tempore vobiſcum ſum : & non cognoviſtis me ? Philippe : qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis : Oſtende nobis Patrem ?

TANTO TEMPORE VOBISCUM SUM, docendo vos verbis, & operibus, quis ego ſim, ET NON COGNOVISTIS ME? per hoc indicans non ſolùm eos Patrem, ſed ne ſe quidem cognoviſſe, quem oculis videbant, maximéque ſe cognoſcere putabant. Ratio eſt, quia QUI VIDET ME, VIDET ET PATREM. Non quòd ipſe eſſet Pater ſimul & Filius, quod in Sabellianis Catholica fides damnat ; ſed quòd tam ſimiles ſint Pater & Filius, ut qui unum noverit, ambos noverit, inquit Auguſt. Nam propter naturæ unitatem, uno intuitu conjunctim videntur Pater & Filius ; propter perſonarum verò ordinem, conſequenter. Inſinuat ergò duas in ſe eſſe naturas, eo ipſo, quo ſignificat ſe ab illis non videri, etiamſi corporalibus oculis hominem viderent. QUOMODO TU DICIS, id eſt, quomodò igitur tam imprudenter, & imperitè loqueris, ut dicas, OSTENDE NOBIS PATREM ? qui Patrem tam quoad naturam, quàm proprietatem perſonalem in meipſo videre potuiſti. Quod tamen ſi nondum intelligitis, an ſaltem

10. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba, quæ ego loquor. vobis, à me ipſo non loquor. Pater autem in me manens, ipſe facit opera.

10. NON CREDITIS, (Græcè οὐ πιστεύετε, *non credis*, ut ſolum Philippum alloquatur (QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? propter unam & eandem utriuſque naturam? q. d. Non credis, quòd ego & Pater unum & idem ſumus, tamquam duæ perſonæ unius naturæ ? Probat hoc autem ab effectis, quia VERBA, QUÆ EGO LOQUOR VOBIS, A ME IPSO NON LOQUOR, ita ſcilicet, ut non à Deo Patre. Nam quamvis Filius haberet in ſe principium loquendi, hoc ipſum tamen habebat à Patre. PATER AUTEM IN ME MANENS (quo ſignificat ſe ita à Patre proceſſiſſe, ut tamen ab eo non ſit divulſus aut ſeparatus) IPSE FACIT OPERA, tam verba ſcilicet, quæ loquor, quàm miracula, quæ facio. Per quod manifeſtum relinquit, inquit Ambr. libr. 3. de fide c. 5. quòd unum omninò opus Patris & Filii credere debeamus, & conſequenter inſeparabilem eſſe utriuſque naturam, quâ Filius ſit in Patre, & Pater in Filio ; quod probandum ſuſceperat.

11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt:

11. NON CREDITIS, igitur mihi affirmanti, QUIA EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? Neque enim ſi ſeparati eſſemus, inſeparabiliter operari ulla ratione poſſemus, inquit Auguſt. ALIOQUIN, ſi ſcilicet verbis minùs creditis, PROPTER OPERA IPSA, mirabilia, CREDITE, quæ in teſtimonium hujus veritatis edidi, quòd ego & Pater unum & idem ſumus, hoc eſt, unus Deus, & conſequenter ego in Patre, & Pater in me. Nam opera evidenter probant Chriſtum eſſe Deum, partim omnigena ſua varietate, & magnitudine, propter quod dicit c. 15. ſe opera feciſſe, quæ nemo alius fecit : partim ex facientis auctoritate, quia faciebat ea non tam rogatu, ut alij Sancti, ſed juſſu & imperio ſuo, tamquam evidenti propriæ virtutis teſtimonio : partim quia ad hanc ipſam veritatem adſtruendam ea faciebat. Quòd ſi adhuc iſta non ſufficiant, addo adhuc aliud potentius.

12. Alioquin propter opera ipſa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego

12. AMEN DICO VOBIS, QUI CREDIT IN ME, iſtud ſcilicet credens, quod aſſervi, me eſſe in Patre, & Patrem in me, ſeu me eſſe Filium Dei conſubſtantialem Patri, OPERA miraculoſa, QUÆ EGO FACIO, quæ ego homo mortalis hactenus feci, ET IPSE FACIET, q. d. Non ſolum mihi eſt illa facultas patrandi miracula, ſed, quod ampliùs eſt, eam etiam aliis dabo, ut & ipſi inde colligant ſanam eſſe fidem ſuam de divinitate mea, & hoc aliis per-

ſuadeant. Imò MAIORA HORUM FACIET, id eſt, majora his: Primò, amplitudine, quia Chriſto prædicante pauci Judæi miraculis crediderunt, diſcipulis verò omnes Gentes. Secundò, quodam faciendi modo, quia Chriſtus fimbriâ ſuâ, Petrus etiam umbrâ ſuâ ſanavit ægrotos. Utrumque modum tangit Auguſt. Tertiò, etiam difficultate faciendi: Chriſtus enim quatriduo mortuum & fœtentem, nonnulli Sancti etiam multis annis defunctos ſuſcitarunt. Quartò, viſibilia miracula Chriſtus ferè circa corpus fecit, diſcipuli etiam circa animas, dum viſibiliter Spiritum ſanctum impoſitione manuum dederunt. Nec tamen propterea Sancti ſunt majores Chriſto, quia per Sanctos illa eadem fecit Chriſtus; quod in ſequentibus ſignificat, QUIA EGO AD PATREM VADO, ſeſſurus ad dexteram ejus in gloria Patris, tamquam Dominus omnium.

facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado.

13. ET propterea QUODCUMQUE PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, id eſt, per me, & propter merita mea inſinuans diſcipulos hæc majora per invocationem Dei Patris, interpoſito Chriſti nomine facturos, ac facere debere, HOC FACIAM, unà ſcilicet cum Patre exaudiens & faciens, tamquam auctor iſtorum operum mirabilium: UT GLORIFICETUR PATER, tamquam originalis effector iſtorum operum majorum, IN FILIO, id eſt, per Filium, tamquam per mediatorem, utpote cujus invocatione facta ſint: deinde tamquam per artem omnipotentis Dei Patri æqualem, quâ facta ſunt. Indicat ergò finem miraculorum eſſe gloriam, quâ glorificatur Pater in Filio & viciſſim Filius in Patre, quoniam unum ſunt Pater & Filius, & neuter ſine alterutro facit, ut Auguſt. Ut verò ſcirent etiam ipſum Chriſtum invocari poſſe, & non ſolum Patrem per Chriſtum, ut quidam hæretici arbitrati ſunt, ſubjungit opportunè.

13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio.

14. SI QUID PETIERITIS ME IN NOMINE MEO, id eſt, propter me metipſum, & gloriam nominis mei, HOC FACIAM. Quamquam Græcè deſit illud, *me*, ut ſit tantùm repetitio ſententiæ præcedentis, aſſeverandi cauſa, quia ritum orandi hactenus inuſitatum introducebat, per merita ſcilicet incarnationis ſuæ. Hoc FACIAM, tamquam æqualis Patri, idque non minùs, ac ſi eſſem præſens corpore. Quomodò verò hujuſmodi promiſſio intelligenda ſit, dictum eſt Matth. 7. verſ. 7. Et hactenus quidem reſpondit ad quæſtiones Thomæ & Philippi; nunc pergit eos conſolari & hortari.

14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

15. SI DILIGITIS ME, MANDATA MEA SERVATE, id eſt, operibus explete ea, quia obſervatio mandatorum non ſolùm eſt ſignum dilectionis, ſed etiam effectus, ita neceſſarius, ut pereat dilectio, niſi in opus erumpat. Unde 1. Joan. 5. verſ. 3. *Hæc eſt charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.*

15. Si diligitis me, mandata mea ſervate.

16. ET EGO, ſi hoc feceritis, non ero immemor veſtri, ſed ROGABO PATREM, tamquam homo, ſeu mediator Dei & hominum: quomodò etiam nunc interpellat, & orat pro nobis, teſte Apoſtolo ad Rom. 8. verſ. 34. Non tamen ſupplex, & cum lacrymis, quemadmodum in diebus carnis ejus conveniebat; ſed glorioſus, ut advocatus noſter aſſidens Patri. ET ALIUM PARACLETUM DABIT, Spiritum ſanctum ſcilicet. Quo oſtendit & ſe Paracletum, ſeu conſolatorem

16. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum,

esse, sed alium, quia persona non natura distinctum. Adde, *alium*, propter quemdam distinctum quoque consolationis modum, quia Christus ut homo, suos consolabatur præsentia & operatione verborum sensibili; Spiritus sanctus verò præsentiâ & operatione spirituali, quatenus amittentes temporalia, interno & sempiterno gaudio perfrui facit, ut August. lib. 1. de sermone in monte. Quam Spiritus sancti operationem clariùs explicat addendo, UT MANEAT VOBISCUM IN ÆTERNUM: nam Christi corporis paracletis, non nisi paucorum annorum fuerat. Et quamvis ipse quoque æternus & internus fidelium consolator sit, tamen sicuti Patri potentia, & Filio sapientia; ita Spiritui sancto bonitas ac favor, atque amor, & consequenter quæ sunt amoris & consolationis, per quamdam appropriationem, tribui solent. Promittitur autem hîc eis Spiritus sanctus, cùm tamen eum jam haberent, quia plenius & superabundantiùs & manifestiùs eis infundendus erat, ut latiùs Augustinus.

17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

17. SPIRITUM VERITATIS, id est, meum: Christus enim veritas est, à quo Spiritus ille procedit: vel *Spiritum veritatis*, id est, veracem, phrasi Hebraicâ, seu veritatis auctorem, ac doctorem; quomodò dici solet *Spiritus erroris & mendacii*. QUEM MUNDUS, id est, mundi dilectores, seu homines mundani, mundo addicti, NON POTEST ACCIPERE, quamdiu scilicet mundus est, ita nempe ut simul mundum diligat & à Spiritu sancto inhabitetur. Nam amor mundi, & amor ille per quem Spiritus sanctus animum inhabitat, ex diametro repugnant. QUIA NON VIDET EUM, oculis corporis: imò NEC SCIT EUM, id est, non cognoscit, aut intelligit, aut gustat eum, juxtà illud Apostoli, *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei*. Stultitia enim est illi, & non potest intelligere, utpote rerum temporalium amore cæcus & nauseans. VOS AUTEM COGNOSCITIS EUM, credendo, & utcumque videndo naturam ejus, & gustando suavitatem ejus. Ratio est, QUIA APUD VOS MANEBIT, familiariter, atque perseveranter. Ne verò putarent ita mansurum, quemadmodum apud hominem, inquit Augustinus, hospes visibiliter manere consuevit, exposuit addendo: ET IN VOBIS ERIT: q. d. Non ita visibiliter vobiscum manebit, ut ego, sed in ipsis vestris animis habitabit. Et hæc est ratio, cur eum cognoscerent, quia cognosci, quemadmodum cognoscendus est Spiritus sanctus, non potest à nobis, si non sit in nobis.

18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.

18. NON RELINQUAM VOS, per discessum meum ORPHANOS, id est, velut filios patre orbatos: nam superiùs paterno, tenerrimóque affectu eos *Filiolos* appellaverat. VENIAM AD VOS, id est, iterùm redibo: quod dicit, non solùm quia incœpit eis esse divinitate propinquior, ut quidam exponunt, sed veniam, id est redibo etiam corporaliter. Respicit enim ad resurrectionem post diem tertium futuram, ut August. & Ethymius exponunt.

19. Adhuc modicum: & mundus me jam non videt. Vos autem videtis me: quia ego vivo, & vos vivetis.

19. ADHUC MODICUM, scilicet tempus erit, ET MUNDUS ME IAM NON VIDET, id est, non amplius videbit, quia scilicet formam suam visibilem Christus subtraxit mundo per mortem, nec eam videndam & contrectandam reddidit post resurrectionem, nisi tantùm discipulis suis. Propter quod addit, VOS AUTEM VIDEBITIS ME, id est, brevi

post mortem videbitis, QUIA EGO VIVO, hoc est, vivam seu reviviscam à morte, ET VOS VIVETIS, id est, reviviscetis mecum, participes facti & immortalitatis & divinitatis meæ. Hæc est tertia consolandi ratio; nam secunda continebatur v. 18. Jam addit quartam:

20. IN ILLO DIE, Quod multi referunt ad diem Pentecostes; alii ad tempus à resurrectione ad ascensionem usque: sed multò rectiùs cum Cyrillo, August. & aliis, refertur ad diem æternæ beatitudinis; tunc enim propriè videbimus, & cognoscemus contemplando, quod nunc credimus. Nam, hoc est, quod dicit: IN ILLO DIE VOS COGNOSCETIS, per speciem scilicet & evidentiam, QUIA EGO SUM IN PATRE MEO, tamquam verus Patris Filius, ejusdem omninò cum ipso substantiæ. Tunc etiam cognoscetis, quòd ET VOS IN ME estis, tamquam corpus in capite, & palmites in vite per incarnationem meam: ET EGO IN VOBIS, tamquam caput in membris, influens, regens, sanctificans ea. Tria itaque mysteria indicantur perfectè cognoscenda, Trinitatis, Incarnationis, & Sanctificationis, quæ capita sunt totius doctrinæ divinæ.

20. Illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

21. QUI HABET MANDATA MEA, mente & notitia retinendo, ET SERVAT EA, operibus implendo: unde August. Qui habet in memoria, & servat in vita; qui habet in sermonibus, & servat in moribus; qui habet audiendo, & servat vivendo, ILLE EST QUI DILIGIT ME, maximè si servat ea, studio atque animo mihi placendi: nam ea pro jussione facere, servientis est; studio verò placendi, diligentis. QUI AUTEM DILIGIT ME, DILIGETUR A PATRE MEO: nam Pater diligit eos, qui diligunt Filium suum, quem ipse omnium maximè diligit, juxtà illud cap. 16. v. 27. *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis.* ET EGO, unà cum Patre, DILIGAM EUM, tamquam jam amicum, ego enim diligentes me diligo: ET MANIFESTABO EI MEIPSUM, per revelationem, non humanitatis meæ, quam cernitis, sed divinæ essentiæ meæ, ut August. 4. de Trinit. c. 19. idque in præmium istius dilectionis mei.

21. Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

22. DICIT EI JUDAS, NON ILLE ISCARIOTES: utpote qui jam exiverat, sed alius, frater scilicet Jacobi, dictus Thaddæus & Lebbæus, scriptor Epistolæ Canonicæ, & Catholicæ, ut August. DOMINE, QUID FACTUM EST, id est, quid causæ, unde sit, QUIA MANIFESTATURUS ES NOBIS TEIPSUM, ET NON MUNDO? Cui Christus ita respondet, ut significet etiam aliis præter Apostolos hanc manifestationem obtingere posse; dixit enim ei generalissimè:

22. Dicit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?

23. SI QUIS DILIGIT ME, quicumque tandem ille fuerit, SERMONEM MEUM, seu doctrinam & præcepta mea, SERVABIT. Charitas enim necessariò & indefinenter conjunctam habet præceptorum observantiam, ut ait Basil. libr. 2. de baptismo, cap. ult. quia hæc est proprius & immediatus, & adæquatus effectus dilectionis, usque adeò ut nec dilectio sine isto effectu, nec iste effectus sine dilectione esse possit, ut significatur v. seq. & hac de causa, PATER MEUS DILIGET EUM, sicut & ego: nam sermo pluralis, qui sequitur, satis indicat, quòd etiam se comprehendat. ET AD EUM VENIEMUS, Pater & ego, intellige per incrementum di-

23. Respondit Jesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.

lectionis, & consequenter inhabitationis; quia non omnes, quos Deus inhabitat, inhabitat æqualiter, ut Aug. Epist. 57. quia paulatim perficit in proficientibus inhabitationem suam. ET MANSIONEM APUD EUM FACIEMUS, faciendo eum in eadem dilectione, & bonis operibus perseverare. Nam dicendo, *Faciemus mansionem*, seu stabilem inhabitationem, significat se futuros causam perseverantiæ, dando scilicet suis electis non solùm ut possint perseverare, sed ut re ipsa perseverent. Relinquit autem intelligendum, quòd se illis, apud quos manet, manifestaturus sit, & ita simul habes expositam causam, cur se suis manifestaturus sit, & non alienis, quos Judas *mundum* appellaverat; nimirum quòd hi diligant, illi non diligant, ut notat Aug.

14. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus: sed ejus, qui misit me, Patris.

24. QUI NON DILIGIT ME, SERMONES MEOS, id est, mandata mea, NON SERVAT. Quibus ut majorem adjiceret auctoritatem apud eos, qui suam divinitatem nondum satis plenè cognitam habebant, ideò addit: ET SERMONEM, QUEM AUDISTIS, NON EST MEUS, quia ipsemet Filius, qui loquebatur, non est suus, sed Patris. De quo vide c. 7. v. 16. Dominus enim tamquam studiosissimus Paternæ auctoritatis, & observantissimus ordinis ex origine sibi competentis, passim in omni occasione inculcat se suáque à Patre esse, tamquam qui sit verbum Patris.

25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens.

25. HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, APUD VOS MANENS, id est, dum his tribus annis visibiliter vobiscum conversatus sum. Quo subindicat se jamjam corpore discessurum.

26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

26. PARACLETUS AUTEM SPIRITUS SANCTUS, QUEM MITTET PATER IN NOMINE MEO, id est, propter me, quia scilicet propter merita mea, & preces meas, ut est vers. 16. Item *In nomine meo*, id est, loco meo, qui vices meas impleat, consolando, docendo, &c. juxtà eumdem versum 16. ubi Spiritus sanctus vocatur *Alius Paracletus*. ILLE VOS DOCEBIT OMNIA interna inspiratione, atque illustratione insinuando menti vestræ scientiam. Doctrinam enim, seu scientiam non auditus, aut memoria, sed intellectus rerum facit. Nihil enim prodest multa vel audivisse, vel legisse, nisi intellexeris quæ vel legeris, vel audieris, ut Ambr. Serm. 10. v. 1. in Psal. 118. ET SUGGERET VOBIS OMNIA, ut vobis vel oblita, vel etiam retenta tempore suo in mentem veniant. Quod ad peculiarem Spiritus sancti directionem pertinere agnoscit, & Prosper Epist. ad Demetriadem, & Augustin. lib. 4. de doctrina Christiana. QUÆCUMQUE DIXERO, Græcè εἴπον, *dixi* seu *dixerim*, VOBIS, supple, apud vos manens. Opponit enim doctrinam interiorem Spiritus sancti exterioribus verbis suis, ut videlicet ita consoletur eos, si quæ minùs à se dicta intelligerent, vel postea oblivioni traderent.

27. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

27. PACEM RELINQUO VOBIS, id est, commendo vobis discessurus, tamquam testamentum meum, supremamque voluntatem, prout notat Augustin. Tract. De ovibus, c. 13. Quam pacem clariùs explicans, PACEM, inquit, MEAM, hoc est spiritualem, internam, divinam, quæ includit tria: primò, pacem seu reconciliationem, & amicitiam hominis cum Deo: secundò, pacem, seu tranquillitatem hominis in seipso: tertiò, pacem, seu concordiam hominis cum hominibus; quarum posterior ordine, semper ex priore nascitur. Sed quia parum

prodesset pacem istam extremâ voluntate nobis commendari, nisi eam ipsemet cordibus heredum suorum infunderet, ideo addit : Do vobis. Et adhuc clariùs differentiam tum pacis suæ, tum modi donandi notat : NON QUOMODO MUNDUS DAT, pacem, EGO DO VOBIS. Pax enim hujus mundi est, ut homines in rebus hujus mundi nihil adversi sentiant, hoc est, ut mundo & bonis ejus sine molestia litium, & bellorum perfruantur, inquit August. Quæ pax ferè malis artibus acquiritur, & externa est, brevis, lubrica fallax, imò pernicioſa. Et hanc ipsam pacem mundus verbis quidem optare potest, non autem dare; sicut Christus pacem suam internam, stabilem, perpetuam, & complementum omnis humani desiderii, ut doctissimè & fusissimè tradit August. lib. 19. de Civitate, cap. 12. & seqq. NON TURBETUR COR VESTRUM, audita mentione discessus mei, NEQUE FORMIDET, tamquam ab omni auxilio deserendi. Nam

28. AUDISTIS, QUIA EGO DIXI VOBIS, jam antè versu 2. & 3. & 18. & 19. VADO, id est, hinc abeo ad Patrem per mortem substrahendo vobis visibilem speciem meam : sed iterùm VENIO AD VOS, tum per secuturam continuò resurrectionem, tum verò maximè per exhibitionem perpetuæ præsentiæ meæ in cælo. SI DILIGERETIS ME, sincero illo amore amicitiæ, qui non spectat proprium commodum, sed id, quod amico placet, & bonum est, ut declarat Cyrill. in hunc locum, GAUDERETIS UTIQUE, QUIA AD PATREM VADO, id est, gauderetis de discessu meo ad Patrem. Ratio est, QUIA PATER, ad quem vado, MAIOR ME EST; & proinde non potest illa profectio ad Patrem mihi cedere nisi ad majorem honorem, gloriam, dignitatem, fœlicitatem de qua mihi congratulandum esset. Significat ergò amori discipulorum, quo Christum diligebant, multum amoris proprii fuisse permixtum, ex quo de discessu tristabantur. Porrò dicitur hîc Pater major Filio, non ratione personæ, quatenus Pater est origo Filii, ut quidam voluerunt; quia hoc non tollit æqualitatem eorum : sed ratione humanitatis, per quam solam ibat ad Patrem. Per illam igitur Filius minor est, non Patre solo, sed etiam Spiritu sancto, imò & seipso, inquit hîc Aug. qua major est forma Dei, quæ amissa non est, quàm forma servi, quæ præcepta est.

28. Audistis quia ego dixi vobis : Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me : gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est.

29. ET NUNC DIXI VOBIS, me scilicet iturum ad Patrem, & rediturum, PRIUSQUAM FIAT : UT CUM FACTUM FUERIT, CREDATIS; non id, quod videritis esse factum, quia fides est argumentum non apparentium : sed ut credatis, quod credendum est de me, videlicet quia ego sum, prout suppletur, c. 13. v. 19. Vel ut credatis quòd sum Filius Dei, qui potuit hoc facere, cùm prædixit; & prædicere, antequam faceret. Non quasi antè non crederent, sed ut nunc crederent fide auctâ, non novâ; aut certè fide refectâ, cùm resurrexit, quæ cùm moreretur, defecerat. Fides enim illa, quæ tunc, quando loquebatur discipulis, erat parva, & cùm moreretur, jam penè nulla, aut nulla, visis eventis revixit, & credenda credidit, ut idem exponit. Nam, ut ex Tertull. diximus, probatio divinitatis, veritas est divinationis.

29. Et nunc dixi vobis, prius quam fiat : ut cum factum fuerit, credatis.

30. JAM NON MULTA LOQUAR VOBISCUM, mortalis cum mortalibus. Cujus rationem dat Christus : VENIT ENIM PRINCEPS MUNDI HUIUS,

30. Jam non multa loquar vo-

biſcũ, venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam.

id eſt diabolus, princeps non cœli & terræ, ſed mundi, hoc eſt, peccatorum, ſeu amatorum hujus mundi. Unde & Paulus ad Epheſ. 6. v. 12. cùm dæmones vocaſſet *Rectores mundi*, expoſuit, addendo *tenebrarum harum*, id eſt, cæcorum amatorum mundi. Venit ergò, ſeu jamjam veniet princeps ille, ut ſcilicet per ſe ſuoſque me interimat, imò etiam examinet animi mei & vitæ ſtatum. Hoc enim omnibus hominibus circà finem vitæ contingere auctor eſt S. Baſilius in Pſalm. 7. ut ſi quid peccati habeant, detineantur. Ideóque Chriſtus addit, ET IN ME NON HABET QUIDQUAM, id eſt, nihil juris, ut me occidat, quia nihil peccati, ſive proprii, ſive ex parente tracti: meritum enim mortis peccatum eſt. Quia verò jure quæri poſſet, quâ de causâ ergò morieris? præoccupat Chriſtus: ſed

31. Sed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite eamus hinc.

31. SURGITE, ex menſa; diſcumbens enim diſcumbentibus loquebatur: EAMUS HINC, ad locum, unde ſum tradendus in mortem: q. d. Ecce me paratum offero ad mortem, ultrò ſine merito ſubeundam. Non enim his dictis ſtatim ſurrexit & abivit, ut patet ex cap. 18. verſ. 1. EAMUS ergò HINC, ut COGNOSCAT MUNDUS, ex hoc ſcilicet, quòd ſponte me offero adverſariis meis, QUIA DILIGO PATREM, id eſt, quòd morior non infirmitate, non aliquo reatu, non Satanæ violentiâ, non futuri eventus ignorantiâ, ſed purè ex Patris dilectione, itémque ex obedientia mandati ejus. Nam illam tangit addendo: ET SICUT MANDATUM DEDIT MIHI PATER, moriendi ſcilicet in cruce, SIC FACIO. Quemadmodum enim valde inculcaverat diſcipulis, conjungendam eſſe dilectioni mandatorum obſervationem, ita hîc utriuſque ſe exemplum ſtatuit. Sic ergò videtur hic verſus conſtruendus, ut illud, *Surgite*, &c. præcedat, & unus ſenſus ex toto illo verſu fiat, ſicut videtur intelligere Auguſtin. tum hîc, tum libr. 2. De peccatorum meritis, cap. 29. & 31. Cyrill. tamen & Chryſoſtom. cum ſuis, ſtatuunt in illis ultimis verbis, *Surgite*, &c. novam ſententiam. Sed prius videtur nobis eſſe veriſimilius.

CAPUT XV.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

1. Ego ſum vitis vera: & Pater meus agricola eſt.

1. EGO SUM VITIS. Hîc jam incipit hortari diſcipulos, quod valde neceſſarium erat, ne ſe umquam ab ipſo, quamvis hinc diſcedente, hoc eſt ab ejus fide & amore, avelli paterentur. EGO igitur SUM VITIS, id eſt, ſimilis viti (eſt enim locutio allegorica) ſecundùm humanam naturam quidem, ſed quatenus unitam Deo. Nam quamvis vitis & palmites unius naturæ eſſe debeant, hoc eſt humanæ: Chriſtus tamen influentiam vitis ſuis palmitibus non præſtaret, niſi ſimul Deus eſſet, ut notat Auguſt. VERA, ratione effectus ſcilicet, quia longè nobiliùs & perfectiùs influit in palmites ſuos homines, ſuccum, vigorem, alimentum, vitam, quàm vitis naturalis in ſarmenta ſua. Cujuſmodi ſenſu vocatur ipſe Joan. 1. verſ. 9. *Lux vera*, & Joan. 6. *Panis vivus*. Non quòd verè ſit corporalis illa lux, vel panis, ſed quia tam verè, imò longè veriùs & perfectiùs illuminat & nutrit, quàm lux, aut panis. ET PATER MEUS AGRICOLA EST, id

id est, cultor vitis & palmitum. Nulla quippe arbor tanta indiget cultura, atque vitis. Et quamvis ipse Christus, ut Deus, etiam agricola sit, ut pote unum cum Patre, convenientiùs tamen hoc Patri tribuebat, tum ad decorem parabolæ, in qua vitis & agricola distingui solent, tum qui ipsum nomen Patris providentiam quamdam sonat.

2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

2. OMNEM PALMITEM IN ME NON FERENTEM FRUCTUM; id est, omnem hominem mihi, seu corpori meo tamquam viti insitum per fidem & fraternitatis amorem (permiscet enim hîc Christus parabolam cum re significata) *non ferentem fructum*, in operibus scilicet justitiæ, sed sola fidei & religionis professione, tamquam pampinis contentum, TOLLET EUM, id est, compage vitis superabit tamquam inutilem palmitem. Quod fit vel eum deserendo, ut per hæreses, vel schismata ab Ecclesia separetur, in pœnam sterilitatis, vel etiam morte tollendo. ET OMNEM QUI FERT FRUCTUM, PURGABIT EUM, putando & resecando superflua, UT FRUCTUM PLUS AFFERAT. Fit hæc purgatio non solùm internis, externisque admonitionibus, & increpationibus, sed in primis per adversitates, tribulationes, & persecutiones, variásque tentationes, per quas tollit ab eis Deus ignorantiam, cupiditatem animalem, timores, amorésque sæculares desideria inania, curas superfluas: idque, *ut fructum plùs afferat*, quia appetitus hujusmodi vitiosi in quos vires cordis effunduntur, distinent animum, & à fructibus pietatis impediunt. Hanc generalem parabolam applicat jam præsentibus.

3. Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

3. JAM VOS MUNDI ESTIS, id est, jam vos non solùm mihi tamquam viti inserti estis, sed etiam purgati palmites, PROPTER SERMONEM, QUEM LOCUTUS SUM VOBIS, id est, per doctrinam Evangelicam, vobis à me traditam. Nam illa quoque est unum falcis genus, quo Deus utitur ad purgandos palmites. Jam hinc usque ad vers. 12. instantissimè septem argumentis hortatur discipulos, ut in ista vite per dilectionem Dei perseverent.

4. Manete in me & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.

4. MANETE IN ME, perseverando in fide, in charitate, in bonis operibus; nam etiam purgati palmites subinde ad priora relabuntur, & à vite separantur: ET EGO IN VOBIS id est, ut sic ego vicissim possim perpetuò vitam & vigorem in vos influere. Deus enim non deserit, si non deseratur, ut piè semper sanctéque vivatur, inquit August. libr. de natura & gratia cap. 26. Necessitatem autem hujusce permansionis, & continui influxus sui declarat ista similitudine: SICUT PALMES NON POTEST FERRE FRUCTUM A SEMETIPSO, id est, separatim à vite, & ex se solo, NISI MANSERIT IN VITE, id est, sed tantùm si manserit, & manendo vixerit, de radice ex ea succum trahens: SIC NEC VOS, NISI IN ME MANSERITIS, credendo ac diligendo. Quæ permansio opus est quidem liberi arbitrii, sed sic tamen, occultiori quâdam gratiâ Deus in hominis animo operetur, ut in Christo manere velit: ne vel hoc ipsum suis viribus homo tribuat, & non gratiæ Dei. Ut autem apertiùs explicaret totam hanc parabolam, repetit Christus, EGO SUM VITIS, VOS PALMITES.

5 Ego sum vitis, vos palmites:

5. QUI MANET IN ME, ET EGO IN EO, id est, ita, ut & ego vicissim in eo maneam, per continuum gratiæ meæ influxum,

qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.

HIC FERT FRUCTUM MULTUM, quia illa stabilitas justitiæ perseverans nullum tempus irritum, vel vacuum à bonis operibus esse sinit. Qui verò à justitia excidunt, & posteà revertuntur, multos dies fructibus vacuos ducunt: similes videlicet Nazaræis, quorum dies, Num. 6. vers. 12. censebantur irriti, si casu aliquo, tempore suæ sanctificationis fuissent contaminati. QUIA SINE ME, id est, sine succo, seu auxilio gratiæ meæ, faciente, ut faciatis (non enim significatur hîc auxilium sine quo non, sed auxilium, quo fit opus, quale est auxilium Christi, ut docet Aug. lib. de correpț. & gratia c. 12.) NIHIL POTESTIS FACERE, id est, nullum fructum vitæ dignum, sive nullum opus bonum, nec parvum, nec magnum, nec facile, nec difficile potestis non solùm non perficere, sed nec facere, prout hæc omnia urget Aug. contrà Pelagianos diversis locis, & in primis lib. 2. ad Bonifac. c. 8. Nam per illud, *Nihil*, initium finémque omnis boni operis comprehendit. Quod Apostolus clariùs ait, *Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere.*

6. Si quis in me non manserit: mittetur foras sicut palmes, & arescet, colligent eum, & in ignem mittent & ardet.

6. SI QUIS IN ME NON MANSERIT, non solùm fide, sed etiam dilectione, & operibus bonis, MITTETUR FORAS SICUT PALMES, id est, sicut sarmentum infructuosum à vite, seu Ecclesiæ communione separabitur, hoc est omni succo gratiæ, fidei, spei spoliabitur, eo modo, quo dictum est versu 2. ET ARESCET, ut pote omni humore gratiæ amisso, quemadmodum sarmentum humi abjectum arescere solet, ET COLLIGENT EUM, messores Angeli, quos dicit Christus alligaturos zizania in fasciculos ad comburendum, Matth. 13. vers. 30. & 41. Unde & hîc verbum, *colligent*, videtur pluralitatem eorum, qui colliguntur, indicare, & pro, *eum*, Græcè est *eos*. ET IN IGNEM MITTENT, sicut aridis sarmentis congruit. Nam, ut Aug. unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit. Ne quis autem in igne sine afflictione futuros putaret, ut quidam somniarunt, subjicit, ET ARDET, hoc est, ita ut mox & perpetuùm ardeat. Significatur enim & ignis vehementia statim inflammantis sarmentum aridum, & ejusdem ardoris perpetuitas. Hinc & Matth. 25. ignis æternus, in quem discedere jubentur, exponitur per *Supplicium æternum*, quod Augustinus legit *Combustionem æternam*; ne quis putaret hujusmodi in Scripturis ad terrorem dumtaxat commemorari, non ad supplicii veritatem.

7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

7. SI MANSERITIS IN ME, tamquam fructuosi palmites per dilectionem mihi inserti, atque conjuncti, ET VERBA MEA IN VOBIS MANSERINT, non solùm memoriâ, sed animi affectione & observatione. Nam, ut Augustinus, tunc dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus, quæ præcepit, & diligimus quæ promisit. Hoc addidit Christus, ut significet deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi operum accessione farciantur, ut loquitur Cyprian. lib. De opere & eleemosyna. QUODCUMQUE VOLUERITIS, PETETIS, intellige quod congruit manenti in Christo velle. Non enim par est, qui manet in Christo, petat aliquid, quod non congruat Christo, ut Augustinus ait, vel quod non placeat Deo, ut Cyril. Unde 1. Joan. 5. vers. 14. quasi explicationis loco dicitur, *Quodcumque pe-*

tierimus ſecundùm voluntatem ejus, audit nos. FIET VOBIS, id eſt impetrabitis. Vide dicta cap. ſuperiori, & Matth. 7. v. 7. & 8.

8. IN HOC CLARIFICATUS EST PATER MEUS, id eſt, in hoc glorificabitur Pater meus, ſeu gloria ejus in eo ſita eſt, UT FRUCTUM PLURIMUM AFFERATIS, bonorum operum, tam in vobis ipſis, quàm in aliis. Unde Chriſtus ipſe Matth. 5. v. 16. quaſi explicans, quod hîc dixit, *Sic luceat*, inquit, *lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent, &c.* ET EFFICIAMINI, id eſt, & ſitis iſto modo, ſeu iſtâ permanendi in me ſtabilitate, bonorúmque operum fœcunditate, MEI DISCIPULI, veri & germani. Qua phraſi dixerat, c. 8. v. 31. *Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis.* Verè enim diſcipulus eſt, qui obtinet effectum & finem diſcipulatus Chriſti.

8. In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.

9. SICUT DILEXIT ME PATER, amore videlicet maximo ſummum illud humanæ naturæ conferendo beneficium, ut ſit in perſona unita Deo: quam mirabilem ſuſceptionem nulla ejus opera bona meruerunt, ſed ex ea omnia ſuo tempore profluxerunt, ut notat Auguſt. ET EGO, hoc eſt, ita & ego DILEXI VOS, magno illo beneficio, quo vos elegi de mundo, mihique tamquam viti palmites inſerui, Apoſtolos feci, &c. Similitudo enim, non æqualitas ſignificatur. MANETE igitur IN DILECTIONE MEA, iſta ſcilicet, qua ego vos diligo, hoc eſt, manete in gratia mea, ſeu benevolentia mea, ut Auguſtin. Non enim loquitur de dilectione Chriſti paſſiva, ſed activa; unde & Interpres noſter vertit, *dilectione mea*, non *mei*: qu. d. Curate igitur, ut digni maneatis iſtâ dilectione meâ, quâ dilexi vos, quæque vobis omnium bonorum cauſa eſt. Modum autem docens, quo poſſent permanere in dilectione, ſeu gratia ſua, adjungit:

9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione mea.

10. SI PRÆCEPTA MEA SERVAVERITIS, MANEBITIS IN DILECTIONE MEA, id eſt, pergam vos diligere. Nam obſervatio mandatorum, quamvis in nobis eſſe non poſſit, niſi nos dilexerit Deus, gratiam obſervandi tribuendo, jam tamen exhibita, in eadem dilectione & gratia Dei nos permanere facit. SICUT ET EGO PRÆCEPTA PATRIS MEI SERVAVI, quatenus homo, factus obediens uſque ad mortem. Et hac de cauſa MANEO IN EIUS DILECTIONE, eâ ſcilicet, quâ ipſe me diligit, ut idem Aug. notat.

10. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in eius dilectione.

11. HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, UT GAUDIUM MEUM IN VOBIS SIT, hoc eſt, ut tale veſtrum gaudium ſit, quale meum, ut ſcilicet iiſdem de rebus, quibus ego gaudeo, & vos gaudeatis, gloriâ Dei, & profectu proximi; &c. ita Cyrill. Sed quia eſt oppoſitio inter *gaudium meum*, & *gaudium veſtrum*, congruentior videtur expoſitio Auguſt. *ut gaudium meum*, quo ego gaudeo, *in vobis ſit*, id eſt, permaneat de nobis, ſicut eſſe cœpit. Sic enim dicimur in aliqua re gaudere, quæ nobis placet. Et hîc ergò tacitè hortatur, ut ſibi fide & dilectione conjuncti maneant, quæ eſt Chriſto materia gaudii, quam dignatur habere de nobis: ET GAUDIUM VESTRUM, quo vos in me, ſeu de me gaudetis, non ſolùm augeatur, ſed IMPLEATUR, id eſt, conſummetur in æterna mecum beatitudine. Quid eſt enim gaudium noſtrum, quod dicit implendum, inquit Auguſt. niſi ejus habere

11. Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.

consortium? Jam hinc patet primum argumentum ad permanendum cum Christo v. 4. sumptum esse à sterilitate: secundum versu 5. à fœcunditate: tertium vers. 6. à pœnæ magnitudine: quartum versu 7. à promissa utilitate: quintum versu 8. à gloria Dei: sextum v. 9. à dilectione Christi, cui ingrati esse non debent: septimum v. 11. à mutuo amantis & redamantium gaudio. Et quia per hæc satis eos de dilectione Dei instituerat, jam pergit ad inculcandam dilectionem proximorum.

11. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.

12. Hoc EST PRÆCEPTUM MEUM, id est, peculiariter meum, quia mihi præcipuè cordi est, &, ut paulò antè inculcatum est, præcipuè observatum volo. Nam cap. 14. vocaverat *Mandatum novum*, tamquam non fuisset antè mandatum; hîc *meum*, tamquam non sit aliud ejus mandatum, inquit Augustinus. UT DILIGATIS INVICEM, non quolibet modo: nam & homines se mutuò, ut homines diligunt, sed SICUT DILEXI VOS, ratione scilicet tam finis, quàm modi diligendi. Finis diligendi esse debet, ut fruatur Deo: modus verò, ut non solùm temporalia bona, sed etiam vita saluti eorum postponatur. Nam ad utrumque Christus præcessit exemplo suo. Quem dilectionis modum statim explicat.

13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis,

13. MAJOREM HAC DILECTIONEM, id est, majus dilectionis opus, NEMO HABET, scilicet erga amicos, UT ANIMAM SUAM PONAT PRO AMICIS SUIS, id est, ut vitam impendat pro iis, quos diligit. Vitâ enim inter omnia, quæ alterius causâ contemni possunt, nihil habet homo pretiosius. Dicendo autem, *pro amicis*, tacitè significat, sicut & versu seq. se animam pro discipulis tamquam amicis posuisse: cùm tamen Apostolus ad Roman. 5. commendet charitatem Christi, quia pro impiis, & inimicis mortuus est. Nempe quia utrumque verum est: pro amicis quidem, quia jam amici reipsa erant, quando pro eis Christus se in mortem tradidit: pro inimicis verò, quia per mortem Christi etiam ipsi discipuli, cùm fuissent inimici, facti fuerant amici. Non ergò his verbis præfert Christus dilectionem amicorum dilectioni inimicorum, usque ad mortem; sed mortem pro amicis toleratam præfert omnibus aliis dilectionis operibus, quæ iisdem amicis exhibentur. Nam eodem modo dicere potuisset: Majorem dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro inimicis suis. Quamquam non sit improbabile, *Amicos*, hîc ponit generaliter pro iis, qui diliguntur ab aliquo, sive ex parte sua redament illi, & amici sint, sive non: & ita occasione illius verbi, *Amicis*, transitum Christus faceret ad declarandum, quo pacto Apostoli amici sui esse possint. Sed prior sensus videtur esse probabilior, quia textûs connexio satis indicat Christum de propriè dictis amicis loqui, quales esse dicit discipulos versu 14. & 15.

14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

14. VOS AMICI MEI ESTIS, id est, eritis, (hoc enim postulat verbum subjunctivi modi, quod sequitur) SI FECERITIS, QUÆ EGO PRÆCIPIO VOBIS: hæc enim non fiunt, nisi Christum, qui nos amavit, redamando, juxta illud cap. 14. versu 21. *Qui amat mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Porrò, *eritis* intelligit permanenter, seu permanebitis; jam enim erant amici, ut patet versu sequente.

15. JAM NON DICAM VOS SERVOS, Græcè οὐκέτι ὑμᾶς λέγω, *non dico*, id est, non vos habeo loco servorum, QUIA SERVUS NESCIT, seu nescire solet, QUID FACIAT DOMINUS EIUS, id est, quid, quo consilio facere decreverit. Non enim eis secreta domini consilia communicari solent. Vos AUTEM DIXI AMICOS, QUIA OMNIA mysteria ad salutem hominum pertinentia, QUÆCUMQUE AUDIVI A PATRE MEO, tamquam mediator & legatus ad eos missus, NOTA FECI VOBIS. Cùm tamen paulò pòst dicat: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*. Verùm, ut August. notat, propter rei certitudinem utitur præsenti tempore, dicendo se nota fecisse etiam ea, quæ noverat jamjam se nota esse facturum. Hoc ergò utitur tamquam signo amicitiæ, quia, ut idem ait Serm. 21. De verbis Domini. Illum in amicitiam recipimus, cui omnia nostra consilia refundere audemus. Ut autem intelligerent magnitudinem illius beneficii, quo gratis eis obtigerat illa prærogativa amicitiæ, subjungit:

15. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.

16. NON VOS ME ELEGISTIS, in amicum, vel præceptorem, vel dominum, SED EGO ELEGI VOS, ut me amaretis & sequeremini. Sed quomodo? inquies: Nonne Apostoli elegerunt Dominum, & omnibus bonis hujus sæculi prætulerunt? Respondet Augustin. libr. De prædestinat. Sanctorum cap. 17. & lib. De gratia & libero arbitrio cap. 18. ideo hoc dici, quia non elegerunt eum, ut eligeret eos, sed, ut eligerent eum, elegit eos. Nam gratia Dei prævenit voluntatem eorum, ut ei crederent, eum eligerent, diligerent, sequerentur. ET POSUI VOS, id est, constitui vos jam electos, UT EATIS, in mundum universum, ET FRUCTUM AFFERATIS, ET FRUCTUS VESTER MANEAT, id est, fructum afferatis non perituram, sed permansurum in vitam æternam; nempe tam in vobis ipsis prædicantibus, quàm iis, quibus Evangelium vitæ æternæ prædicabitis. Ex hoc autem consequetur, UT QUODCUMQUE PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, DET VOBIS, quod & v. 7. dixerat. Nam fructus justitiæ quò est uberior, eò dat majorem fiduciam impetrandi.

16. Non vos me elegistis: sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

17. HÆC MANDO VOBIS, ea scilicet, quæ à v. 12. huc usque dicta sunt; est enim conclusio præcedentium. Hæc igitur idcirco dixi vobis, UT DILIGATIS INVICEM, eo scilicet modo, quo ego vos dilexi, animam meam pro vobis ponendo, & gratuitis beneficiis præveniendo. Stabilito igitur amore in eos mutuo, pergit eos armare adversùs odia & persecutiones mundi.

17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

18. SI MUNDUS VOS ODIT, non sit vobis hoc novum aut molestum, sed solatii loco, SCITOTE, QUIA ME PRIOREM VOBIS ODIO HABUIT, id est, priùs quàm vos, quamvis innocentem Filium Dei, qui mundum perpetuis affici beneficiis. Recusat enim esse in corpore, qui non vult odium mundi sustinere cum capite, inquit August.

18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.

19. SI DE MUNDO FUISSETIS, id est; si essetis de numero mundanorum hominum, moribus & vitâ illis similes, in quibus videlicet nihil regnat nisi concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: MUNDUS QUOD SUUM ERAT, DILIGERET, tamquam sibi similes, quia similitudo est causa amoris. QUIA VERO DE MUNDO NON ESTIS, neque propriis cupiditatibus mundi immersi, neque la-

19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo propterea odit vos mundus.

rum, ſed & per os diſcipulorum facta fuit, hinc addit:

27. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.

27. ET TESTIMONIUM PERHIBEBITIS, de eadem divinitate & innocentia mea: ſicut eos efficaciſſimè & luculentiſſimè feciſſe teſtatur caput 2. & 3. Actorum. Unde Actor. 4. verſu 20. dicunt, *Non poſſumus quæ vidimus & audivimus, non loqui*, QUIA AB INITIO MECUM ESTIS, à baptiſmate ſcilicet Joannis uſque in diem aſſumptionis, ſicut explicat S. Petrus Act. 1. v. 21. q. d. Jure vestro, & meritò id poteritis teſtimonium reddere, ut qui ab initio mihi familiariter juncti, & ingreſſum egreſſumque meum obſervantes, habetis totam vitam meam, & innocentiam exploratiſſimam.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

CAPUT XVI.

1. Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.

1. HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, de odio veſtri & perſecutionibus, & Judæorum incredulitate, UT NON SCANDALIZEMINI, id eſt, ut non offenſi tot adverſitatibus tamquam inexſpectatis, à fide mea, vel a patientia, vel ab officio vobis impoſito decidatis. Nam, ut Cyrill. quod inexpectatum & præter opinionem ſubitò irruit, magnos etiam plerumque animos turbat. Tela verò prævisa minùs feriunt. Itaque duo perſecutionum genera graviora proponit; unum pertinens ad ſummam ignominiam, alterum ad maximam pœnam.

2. Abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.

2. ABSQUE SYNAGOGIS, Græcè uno verbo ἀποσυναγώγους, *exortes ſynagogæ*, FACIENT VOS, expellendo ſcilicet vos à ſynagogis, tamquam ſeductores, & Judæis execrabiles. Neque hoc tantùm; SED VENIT HORA, ſeu brevi aderit, UT OMNIS, QUI INTERFICIT VOS, ARBITRETUR SE OBSEQUIUM PRÆSTARE DEO, ut pote credens, quòd deſerant Deum Iſraël, quotquot convertuntur ad me, zelo ſcilicet incitatus non ſecundùm ſcientiam. Prædicitur enim hîc perſecutio Apoſtolis imminens, non à Gentilibus, qui diis ſeu dæmoniis obſequium ſe præſtare credebant, cùm hoc facerent; ſed à Judæis, verum Deum colentibus, ut obſervat Auguſt.

3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt patrem, neque me.

3. ET HÆC FACIENT VOBIS, QUIA NON NOVERUNT PATREM, ſub ratione Patris mei, hoc eſt, quia non noverunt Deum verum eſſe Patrem meum; noverant enim eum ſub ratione Dei, Chriſto eis dicente cap. 8. v. 54. *Quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt?* NEQUE ME, tamquam Filium ejus incarnatum.

4. Sed hæc locutus ſum vobis: ut cum venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.

4. SED HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, id eſt, propheticè hæc omnia prædixi, UT CUM VENERIT HORA, tempus ſcilicet, quo reipſa vobis accident, EORUM REMINISCAMINI, QUIA EGO DIXI VOBIS, id eſt, recordemini me vobis ea prædixiſſe, ut ita veritas vaticinii mei fidem divinitatis meæ confirmet vobis, armetque ad patientiam.

5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram. Et nunc vado ad eum, qui miſit me; & nemo ex

5. HÆC AUTEM VOBIS AB INITIO NON DIXI. Et tamen Matth. 10. verſ. 17. & ſeqq. ſimilia eis prædicta legimus. Unde quidam putant illa fuiſſe à Matthæo per anticipationem temporis dicta, quia prædicta tantùm tempore paſſionis: ſed hoc perabſurdum eſt, ut patet ex Matth. 11. v. 1. Itaque Auguſt. illud, *Hæc* refert ad id, quod prædixerat de Paracleto mittendo. Sed reverà contextus omninò videtur

detur postulare, ut illud, *Hæc*, hujus versus referatur ad eadem, ad quæ refertur illud, *Hæc*, quod habetur vers. 3. itemque 4. de iisdem enim loquitur; & certum videtur, quòd priora ad persecutiones referantur. Itaque, *Hæc*, intellige proximè prædicta de ejectione à synagogis, de morte ipsorum Apostolorum determinatè, & quidem tanta cum rabie, ut obsequium se putent præstare Deo. Nam prædictiones apud Matth. generales sunt, & de omnibus quidem discipulis Christi; hæ verò speciales. QUIA VOBISCUM ERAM, hoc est, quia præsentia mea corporalis faciebat, ut non esset tunc adhuc necessarium, tum quia impediebam, ne acciderent vobis, tum quia non erat opus ante tempus vos terrefacere. ET NUNC, Græcè νῦν δὲ, *nunc verò*, VADO AD EUM, QUI ME MISIT, & proindè non expedit ultrà differre id, quod præscire vobis necessarium est, ET NEMO EX VOBIS INTERROGAT ME. Verba sunt quasi mirantis eorum taciturnitatem: q. d. Cùm audiatis me hinc discedere, mirum est neminem vestrûm amplius instare interrogando, Quo VADIS? id est, in quem locum qua de causa, quo consilio, quo fructu, quid facturus, &c? sicut ab abeuntibus amici solent.

vobis interrogat me, Quo vadis.

6. SED QUIA HÆC LOCUTUS SUM, de discessu meo, & malorum acerbitate, TRISTITIA IMPLEVIT COR VESTRUM, ita ut attoniti sitis, & de aliis rebus interrogare, vel cogitare non occurrat, vel non lubeat. Est enim suavis excusatio taciturnitatis eorum, ut Cyril. notavit. Ut ergò tolleret mœrorem ex animis eorum, subjungit:

6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.

7. SED EGO VERITATEM DICO VOBIS: EXPEDIT VOBIS, UT EGO VADAM, q. d. Absentia mea corporalis non debet vobis esse mœrori, sed magno potiùs solatio, cùm vobis sit futura utilissima. Ratio est, SI ENIM NON ABIERO, PARACLETUS, id est, consolator ille toties jam à me promissus vobis, NON VENIET AD VOS, ut vos eximiis copiosisque donis suis perfundat, & in virtute perficiat. Causa triplex hujus dilationis. Prima, quia placuit Deo, ut ad plenitudinem gratiæ spiritualis etiam Apostoli paulatim pertingerent, ut latè Tertull. libr. de vilandis virginibus cap. 1. Secunda, ut distinctè, ac sigillatim mysterium trium personarum mundo innotesceret, ut indicat hîc August. Pater per mundi creationem ac gubernationem, Filiique missionem; Filius, per carnis assumptionem; Spiritus sanctus perviisibilem donorum profusionem. Tertia, ut abundantia Spiritus sancti in homines ostenderetur esse fructus mortis & glorificationis Christi, prout indicatur Joan. 7. v. 39. Idcóque & hîc subjungit, SI AUTEM ABIERO, resuscitatus in cælum MITTAM EUM AD VOS, ut & certissimi sitis de adventu futuro ejus, & ut glorificationis mortisque meæ fructum agnoscatis. Quæ verò etiam in publicum utilitas inde consecutura sit, consequenter explicat.

7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. 9 ET CUM VENERIT ILLE, ARGUET MUNDUM DE PECCATO, &c. Locus admodum perplexus, in cujus enodatione duæ ferè sunt sententiæ celebriores. Prima Aug. & Bedæ, cui ex parte Cyrillus adhæret. Secunda Chrysostomi cum suis. Augustinus quidem intelligit quòd Spiritus sanctus ARGUET MUNDUM, id est, perspicuis argumentis convincet mundum, seu mundanos homines, DE PECCATO increde-

8: Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio:

9: De peccato quidem, quia non

credíderunt in me.

dulitatis, QUIA, ut sequitur, NON CREDIDERUNT IN ME, quod de Judæis potissimùm intelligitur, iuxtà v. 22. cap. 15. ET DE IUSTITIA, id est, per justitiam, scilicet credentium: quia inquit, fidelium comparatio infidelium est vituperatio, quòd eam non sint imitati. Quem sensum August. ex eo colligit, quia sermone ad Apostolos credentes converso, rationem subjungit:

10. De justitia vero, quia ad Patrem vado, & jam non videbitis me.

10. QUIA AD PATREM VADO, ET IAM NON VIDEBITIS ME. Justitia enim Apostolorum, & fidelium omnium in eo sita est, ut credant in eum, quem non vident.

11. De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.

11. DE IUDICIO AUTEM, id est, de condemnatione: quia mundus cum suo principe damnatur, quem imitatur, QUIA PRINCEPS HUIUS MUNDI IAM IUDICATUS, seu damnatus, EST. Quæ interpretatio quia aliqua ex parte durior videtur, hinc aliis magis placet sententia Chrysostomi, qui exponit, quòd Spiritus sanctus ARGUET, seu perspicuè convincet MUNDUM, tam Judæos quam Gentes, DE PECCATO, infidelitatis, quo non credunt in Christum, ET DE IUSTITIA ipsius Christi, id est, convincet Christum esse justum & innocentem, imò omnis justitiæ in hominibus auctorem. Quod ex eo demonstrabitur, QUIA AD PATREM VADO, ET IAM NON VIDEBITIS ME, in ista scilicet carnis infirmitate & contemptu, ut priùs. Nam antea habebat aliquid, quod incredulitati suæ prætexere possent. Sed postquam resurrexit, & tamquam Deo gratissimus ascendit ad Patrem glorioſus, nihil fuit excusationis reliquum, quin eum & innocentem & justum, & omni humano generi justitiæ auctorem esse crederent, per cujus fidem, & ipsi homines justificari possent. DE IUDICIO autem convincet mundum, ut scilicet se judicio, ac damnationi obnoxium esse intelligat, QUIA PRINCEPS HUIUS MUNDI, diabolus, cui tamquam principi mundus peccati merito subjectus, IAM IUDICATUS EST, id est, damnatus à Deo, quatenus suo in homines dominio per justitiam Christi spoliandus, & judicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est. Per hæc autem ostendetur etiam mundum cum suo principe damnandum esse, qui eum adhuc superbum & impium imitari voluerit. Utitur autem præterito tempore pro futuro, quod jamjam instabat.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.

12. ADHUC HABEO MULTA VOBIS DICERE, id est, dicenda, seu explicanda, & ut S. Leo Serm. 2. de Pentecoste, enarranda. Ut proinde non significet aliam eis veritatem ac doctrinam esse prædicandam, inquit idem; sed eamdem enucleatiùs percipiendam. Et hæc sunt profundiora, quæ in ipsis rebus etiam revelatis continentur. SED NON POTESTIS PORTARE MODO: id est intelligere, propter capacitatem vestram, quæ per illam Spiritus sancti affluentiam tollenda est. Ut enim nonnulla mysteria, quæ creduntur, etiam intelligantur, non est satis fidelem esse, sed profeciſſe oportet in Spiritu. Quare ut eos redderet non desperando frigidiores, sed desiderando capaciores, spem certam facit, eorum cognitionem eis per Spiritum sanctum esse tradendam.

13. Cum autem venerit ille Spiritus

13. CUM AUTEM VENERIT ILLE SPIRITUS VERITATIS, id est, veritas, vel *veritatis*, id est, Filii Dei, qui est Veritas, & à Veritate, quia Deus de Deo, DOCEBIT vos, absque verborum involucris, per

infusa vobis dona scientiæ & sapientiæ (nam per illa fit ipse homo intrinsecus capacior) OMNEM VERITATEM, non de futuris eventibus, vel de occultis naturalis philosophiæ difficultatibus, sed omnem veritatem eorum, quæ ad instruendam Ecclesiam, & ad perficiendos homines in fide & bonis moribus erunt necessaria; hoc est, quidquid veritatis in verbis atque institutis meis, & in Scripturis latet. Nam eorum intellectus à Spiritu sancto eis datus est; & in illis comprehenditur quidquid ad fidem & bonos mores instruendos, & ad Ecclesiæ gubernationem requiritur. Itaque singulis personis sua assignat munia, ut Verbum caro factum disciplinam veritatis traderet ore suo, Spiritus verò sanctus ejusdem intelligentiam daret; partim ut sic homo ab externo auditu incipiendo, ad rerum scientiam ordine quodam proficeret: partim, ne, si Spiritus sanctus sine externo Verbi incarnati ministerio novas veritates revelasset, occasionem majorem inde arriperent hæretici, sicut quidam postea fecerunt, dicendi hæc vel illa novæ fidei mysteria sibi à Spiritu sancto de novo esse inspirata. Qua de re vide latiùs Augustinum Tract. 97. & 98. Dans verò rationem, cur *Spiritum veritatis* appellasset, & simul occurrens errori, quo quis putare posset Spiritum, qui docturus erat omnem veritatem, quam Filius nondum explicuisset, esse majorem Filio, vel aliena & contraria doctrinæ fidei docturum, opportunè subjicit: NON ENIM LOQUITUR A SEMETIPSO, quia non est à semetipso, & proinde nihil loquetur veritati seu Filio, à quo est, dissentaneum. Nam sicuti de semetipso dixerat cap. 14. v. 10. *A me ipso non loquor*, hoc est nihil præter Patris voluntatem, nihil à me inventum, Patrique contrarium; ita etiam de Spiritu veritatis, SED QUÆCUMQUE AUDIET, LOQUETUR, id est, nihil præterquam quod audiet, seu quod intelliget, seu accipiet ex me. Nam ab illo audiet, à quo procedit. Audire autem illi est scire; scire verò, esse. Quia ergò non est à semetipso sed à Filio, consequenter à quo est illi essentia, ab illo & scientia & locutio: ab illo igitur & audientia, quæ nihil est aliud quàm scientia, prout hæc tractat Augustin. ET QUÆ FUTURA SUNT, maximè ea, quæ spectant ad pericula fidelium vitanda, fidémque confirmandam, ANNUNTIABIT VOBIS, id est, longè antè prædicet. Per quod, interprete Chrysost. animos eorum excitavit, quia ad nihil tam cupidum est humanum genus, quàm ad futura cognoscenda.

tus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquitur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

14. ILLE ME CLARIFICABIT, id est, celebrem glorioſúmque reddet toto orbe terrarum, secundùm naturam & humanam & divinam, quia revelabit fidelibus, quanta sit virtus, & potentia divinitatis Christi. Hoc autem dixit Spiritum facturum, quod Apostoli per Spiritum facturi erant; QUIA DE MEO ACCIPIET, ET ANNUNTIABIT VOBIS, id est, quia id, quod annuntiabit vobis, scilicet omnem etiam de futuris rebus veritatem, *accipiet de meo*, hoc est de me, seu de plenitudine & infinito thesauro divinitatis & sapientiæ meæ. Per quod significat Spiritum sanctum, & à se procedere, & sibi consubstantialem esse. Utrumque notat Cyril. Ne verò crederetur Filius dixisse, quod hoc, *suum*, de quo Spiritus sanctus acciperet, haberet à se, & ita detraxisset aliquid Patris gloriæ, subjicit:

14. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : quia de meo accipiet, & annuntiabit vob s.

15. OMNIA QUÆCUMQUE HABET PATER, potentiam, sapientiam, veritatem, essentiam, quæcumque scilicet in illa simplici divina natura multipliciter & simpliciter continetur. Per hoc autem, quòd non dicit, *Deus*, sed *Pater*, insinuat illud, *Omnia*, de iis intelligi debere, quæ sunt naturæ, non personæ, quia persona habet naturam; ut sic Sabellianus error excludatur; sicut notavit Didymus libr. 2. de Spiritu sancto. MEA SUNT, non gratiâ, sed naturâ, non aliquid quasi mihi jam existenti donatum possidendo, sed nascendo. Itaque PROPTEREA, id est, hoc sensu, DIXI: QUIA DE MEO ACCIPIET, nimirum ne vllo modo videar mihi quidquam omninò vindicare, quod non habeam à Patre. In quo lucet mirabiliter, quantopere, & quàm accuratè deferat Filius Patri, etiam secundùm divinam naturam. Sed quid miramur, si defert Patri, qui subditur etiam matri? ut Ambr. lib. 2. in Lucam.

16. Modicum, & jam non videbitis me : & iterum modicum, & videbitis me : quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo, Quod est hoc, quod dicit. Modicum? nescimus quid loquitur.

19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaude-

16. MODICUM, id est, pusillum adhuc temporis spatium est, ET IAM NON VIDEBITIS ME, id est, post quod non ampliùs me videbitis conversantem vobiscum, quia scil. per mortem subtrahar oculis vestris: ET ITERUM, supple, simile quid continget, videlicet MODICUM temporis erit, ET VIDEBITIS ME, id est, quo exacto rursus redivivum me videbitis. Itaque primum illud, *modicum*, complectitur tempus, quod restabat usque ad passionem, paucarum scilicet horarum: secundùm verò, *modicum*, complectitur tempus à morte usque ad resurrectionem. Ita sentiunt Cyril. & August. qui Tract. 101. hoc exponens: Post paululum, inquit, passus est, & non viderunt eum: rursus post paululum resurrexit, & viderunt eum. Nam phrasis ista, *modicum &*, significat, *post modicum*, sicut pater Aggæi 2. vers. 7. *Adhuc unum modicum est, & movebor*, &c. Oseæ 1. v. 4. *Adhuc módicum, & visitabo sanguinem.* Quod benè notandum, propter diversos sensus, in quos hæc verba trahuntur. QUIA VADO AD PATREM, id est, quia jamjam instat tempus, quo per mortem & resurrectionem intercedentem mihi eundum est ad Patrem. Et sic datur ratio utriusque brevis intervalli, scilicet mox sublatæ, & statim redditæ visionis: idque sive *ire ad Patrem* accipiatur pro ascensione, quam mors & resurrectio debebant, ut diximus, antecedere; sive etiam, ut aliqui malunt, pro ipsa immortali resurrectione, sed minùs congruè ad istam phrasin Scripturæ. Cùm ergò discipuli non intelligerent, quid sibi vellent ista verba, quæ obscuritatem adferebant, eò, quòd tamquam prophetica nondum essent impleta, dixit Dominus:

20. AMEN AMEN DICO VOBIS. Est vehementissimè confirmantis, per illam repetitionem: quod frequentiùs in Evangelio secundùm Joannem invenitur, quia, ut Ambros. in Psalm. 40. ipse maximè de cæleſtibus, & profundis mysteriis est locutus. QUIA PLORABITIS ET FLEBITIS VOS, scilicet post illud primum *modicum*, quandò per mortem auferar à vobis: MUNDUS AUTEM, Judæi amici huic mundo, interfectores mei, GAUDEBIT. Lætati enim sunt occiso Christo, quandò discipuli sunt contristati, inquit Aug. SED TRISTITIA VESTRA IN GAUDIUM, post illud secundum *modicum*, quandò me iterum videbitis ex mortuis resuscitatum. Itaque non explicat Christus quæstionem

discipulorum, neque quid esset illud *modicum*, neque quandò implendum, utpote quod illos ex eventu potiùs discere volebat: sed explicat, quid ipsis interim esset eventurum. Porrò vicissitudinem illam gaudij post eorum tantam tristitiam declarat similitudine.

21. MULIER CUM PARIT, &c. supple, *sicut*, quod apud Hebræos sæpissimè supprimitur, quemadmodum & sequenti versu deest, *Ita*, vel ejus loco positum est, *Igitur*: q. d. Tristitiam, doloresque capietis in morte mea, sed quales sunt dolores puerperarum, qui lætitiæ causa sunt, omnem non solùm tristitiam, sed etiam memoriam ejus absorbentis. Sic igitur.

bit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22. ET VOS NUNC QUIDEM TRISTITIAM HABETIS, id est, mox habebitis in passione, & morte mea, post primum scilicet illud modicum, quandò non videbitis me: ITERUM AUTEM VIDEBO VOS, statim à morte & sepultura mea, post secundum illud modicum exactum, ET GAUDEBIT COR VESTRUM, id est, ex intimo corde gaudebitis de me immortaliter resuscitato, sicut patet Joan. 20. ET GAUDIUM VESTRUM NEMO TOLLET A VOBIS, id est, nemo tollere poterit; & proinde perpetuum erit de me vivo, florente, ac triumphante. Significat enim quòd resurgens à mortuis non morietur amplius, & mors illi ultrà non dominabitur, sicut August. & Chrysost. notant. Porrò idem Augustin. alio sensu ab eo quem priùs dederat, & post illum Beda accipiunt illud primum modicum pro tempore à morte usque ad ascensionem, post quam non essent ampliùs visuri Christum; sed tristes futuri in miseriis & laboribus hujus mundi: secundum verò modicum accipiunt tempus totum usque ad resurrectionem universalem, postquam eum iterùm visuri erunt, & æterno, & incorruptibili gaudio gavisuri in cœlo. Et intelligunt consequenter diem, in quo lumine gloriæ illustrati nihil interrogabunt ampliùs, ipsa scilicet manifestatione æternæ veritatis scientes omnia. Sed ad primum sensum continuandum convertendo subjicit Christus:

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

23. ET IN ILLO DIE, id est illo tempore, quo resuscitatus fuero, NON ROGABITIS QUIDQUAM, id est, non interrogabitis me ampliùs. Respicit enim ad diem Pentecostes, quo Spiritus-sancti lumine illustrati nihil opus habuerunt ampliùs, os Christi secum loquentis consulere. Ita Chrysost. & ferè Græci. AMEN, AMEN DICO VOBIS: SI QUID PETIERITIS PATREM, post subtractam vobis præsentiam meam corporalem, IN NOMINE MEO, id est per me tamquam redemptorem, mediatorem, & caput. Nam ut redemptor, sanguine suo nos emit, & meritis, suis omnia saluti nostræ necessaria nobis procuravit: ut mediator, insuper in dextera Dei Patris interpellat pro nobis: ut caput nostrum, ipsemet in membris suis accipit illa, quæ petimus. Quâ ratione dicit Psalmus, *Accepisti dona in hominibus*. Quæ tria simul juncta ineffabilem obtinent vim ad impetranda postulata. DABIT VOBIS. De cujusmodi promissionum intelligentia jam sæpè diximus.

23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

24. USQUE MODO NON PETISTIS QUIDQUAM IN NOMINE MEO, id est, hactenus non petivistis quidquam à Patre in nomine meo, tamquam redemptoris, mediatoris, & capitis vestri; quia, ut rectè Cyrill.

24. Usque modo non petistis quidquam in no-

mine meo. Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

hic orandi ritus priscis omnibus ignotus fuit, quia nondum peracta redemptio, neque confessus ad dexteram, neque dignitas capitis ei delata fuerat. Unde nec Christus Apostolis illum orandi ritum nisi jamjam moriturus tradidit, ut Patri post glorificationem suam offerretur: quem propterea Ecclesia ex hac Domini institutione in omnibus suis precibus frequentat. Itaque deinceps PETITE, in nomine scilicet meo, ET, experti talis efficaciam petitionis, ACCIPIETIS, UT GAUDIUM VESTRUM SIT PLENUM, tùm in hac vita impetrando postulata, quæ ad sanctificationem vestram faciunt, tum in futura, quæ ad glorificationem. *Gratiam* enim *& gloriam dabit Dominus*, ut est Psal. 83.

25: Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora: cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis.

25. HÆC IN PROVERBIIS LOCUTUS SUM VOBIS, id est, tamquam per proverbia & parabolas, sermone videlicet obscuriore, & qui non facilè à discipulis capiebatur, ut Cyril. quia ferè de rebus futuris locutus fuerat, de orando in nomine suo, de abitu & reditu suo, de Patre & Paracleto, de illo modiço, &c. Sed ne vos contristet sermonis obscuritas. VENIT HORA, CUM IAM NON, &c. SED PALAM DE PATRE ANNUNTIABO VOBIS, id est, de Deo & rebus divinis disseram vobis apertissimè. Respicit enim ad illos dies quadraginta, quibus post passionem cum ipsis conversatus est, & ad missionem Spiritus-sancti, qui eos docturus erat omnia. Primum Chrysost. secundum notat Augustinus.

26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis.

26. IN ILLO DIE, seu tempore peractâ scilicet redemptione, & obtentâ mediatoris & capitis jam glorificati dignitate, IN NOMINE MEO PETETIS, quia tunc cœpit ille modus orandi invalescere: ET NON DICO VOBIS, QUIA EGO ROGABO PATREM DE VOBIS. Non quasi significet Christus, se nullo modo in cœlis pro eis rogaturum, cùm constet eum hoc facere ex cap. 8. ad Rom. vers. 34. & ad Hèb. 7. vers. 25. & ibid. cap. 9. v. 24. sed significat se jam nolle facere mentionem illius interpellationis suæ, ne putarent discipuli nullam omninò habendam essem rationem à Patre precum etiam suarum propriarum, sed aliquid ampliùs se ad eorum consolationem velle dicere, videlicet quòd etiam se non petente impetrabunt.

27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Deo exivi.

27. IPSE ENIM PATER AMAT VOS, ut proinde ultrò ex isto amore aures ejus attentæ sint ad preces vestras. Significat ergò merita tam discipulorum, quàm Christi ad eundem fructum orationis obtinendum concurrere; tantùm abest, ut, quod hæretici dicunt, meritis nostris merita Christi obscurentur: sicut nec precibus nostris preces Christi & bonitas Dei obscurantur, quando ad eundem effectum concurrunt, sicut concurrebant, cùm diceret Deus, 4. Reg. 20. versu 6. *Protegam urbem istam propter me, & propter David servum meum.* Ideo autem Pater amat vos, QUIA VOS ME AMASTIS, id est, quia genuini estis discipuli, & amici mei; quamvis eos jam antè Pater amore suo prævenisset, ut amici fierent: ET CREDIDISTIS, QUIA EGO A DEO EXIVI, id est, quòd ex Deo tamquam Verbum & Filius natus sum, juxtà illud Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi.*

28. Exivi à Patre.

28. EXIVI A PATRE, æternâ generatione nascendo tamquam verus

Filius ejus, ET VENI IN MUNDUM, naturam humanam assumendo ex Virgine: ITERUM RELINQUO MUNDUM, corporali discessione ET VADO AD PATREM, per ascensionem in cœlum.

tre; & veni in mundum: iterum relinquo mundum: & vado ad Patrem.

29. DICUNT EI DISCIPULI: ECCE NUNC PALAM LOQUERIS, &c. id est, nullo parabolico & obscuro sermone nobis loqueris de amore Patris, de exitu & reditu tuo, præstans scilicet id, quod initio promisisti palàm te locuturum. Putabant enim se jam plenè intelligere ea, quæ Christus loquebatur, cùm revera multùm eis deesset.

29 Dicunt ei discipuli ejus: Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis.

30. NUNC SCIMUS, ex hoc scilicet perspicuo sermone tuo, QUIA SCIS OMNIA, etiam humanorum cordium arcana, ET, ut illa scias, NON OPUS EST TIBI, UT QUIS TE INTERROGET, id est, ut tibi quæstionem suam proponat, quam dissolvi velit: quia scilicet priusquàm interrogaris, ipsius interrogantis nosti voluntatem. Quod ex eo colligebant, quia cùm vellent eum paulò antè interrogare, quid esset quod eis dixerat, *Modicum & non videbitis me, &c.* ipse præveniendo interrogationem eorum, dissolverat quæstionem, prout hæc notant August. & Chrys. IN HOC, id est, ex hoc argumento, quòd nosti omnia, CREDIMUS, QUIA A DEO EXISTI, id est, quòd sis genuinus Filius Dei; quia solius Dei est omnia etiam abscondita cordis nosse, ut Hilar. lib. 6. de Trin. Cyril. & Theophyl. in hunc locum. Quæ verba discipulorum cùm tacitam gloriationem continere viderentur, quasi perfectâ jam essent fide, reprimit eos aliquantulùm Christus, si tei infirmitatem ostendendo.

30. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi.

31. MODO CREDITIS, tranquillo videlicet rerum statu, absente periculo: sed

31. Respondit eis Jesus. Modo creditis?

32. ECCE VENIT HORA, ET IAM VENIT. Primum illud, *Venit*, est præsentis temporis, secundum verò præteriti: quo vis orationis augetur, q. d. Brevi tempus aderit, imò ecce nunc adest. Judas enim cum cohorte jam se parabat. UT DISPERGAMINI UNUSQUISQUE IN PROPRIA, id est, in suum quisque locum, ubi tutiùs consultiusque esse putet. Quo significatur non sola fuga discipulorum, sed confusa eorum dispersio, juxtà Scripturam, ad quam hîc alludit, & quam posteà citat, *Percutiam pastorem, & dispergentur oves.* ET ME SOLUM RELINQUATIS, inter hostium manus: sicut factum ostenditur Matth. 26. vers. 56. quasi eis diceret; Tunc apparebit, quàm virilis sit vestra fides de Filio Dei, quæ sic formidine dejecta succumbet. Quam fidem statim iterùm confirmat, addendo: ET, pro, *sed*, vel *quamquam*, NON SUM SOLUS, neque nunc, neque tunc, QUIA PATER MECUM EST, qui mihi sit præsidio in omni tribulatione, utpote à me inseparabilis.

32. Ecce venit hora, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.

33. HÆC LOCUTUS SUM VOBIS, de fidei vestræ infirmitate & fuga, UT IN ME PACEM HABEATIS, id est, ut discatis contra omnes adversitates esse stabiles in fide ac dilectione mei, sine scandalo, sine perturbatione, sine fluctuatione. Accipi enim videtur hîc *Pax*, pro illo animi statu, quo in maximis periculis tranquillus & inconcussus permanet. Itaque quamvis discipuli posteà his verbis non obstantibus scandalizati sint, fructum tamen suum Christi verba post ascensionem habuerunt, quando etiam fugiendo stabiles manserunt,

33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

ut Augustin. hîc. Nam IN MUNDO PRESSURAM HABEBITIS, id est, tribulationes, quamdiu in eo vixeritis: SED CONFIDITE, mundum à vobis esse superandum, QUIA EGO, cui fide & amore cohæretis, VICI MUNDUM. Non autem soli mihi vici, sed maximè vobis: q. d. Magnum quidem habebitis adversarium, sed majorem auxiliatorem me, qui vici mundum, quia principem ejus diabolum vici. Quod præteriti temporis verbo dicit, quia certissimò & jamjam futurum erat. Itaque idem hîc ait Christus, quod postea Joannes Apostolus Epistola prima, cap. 4. vers. 4. *Vicistis mundum, quoniam major est, qui in vobis est, quàm qui in mundo.*

CAPUT XVII. CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

1. HÆc locutus est Jesus: & sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum ut filius tuus clarificet te.

1. HÆC LOCUTUS EST JESUS: ET SUBLEVATIS OCULIS IN CŒLUM, externo orantis habitu. Nam ita se voluit hîc exhibere precatorem, ut meminisset nostrum se esse Doctorem, ut Augustin. Docuit autem nos orando, omnem fructum doctrinæ à Deo pro discipulis expectandum, ac petendum esse, omnemque spem adversùs pericula in Deo ponendam. Dixit ergò: PATER VENIT HORA ignominiosæ passionis, ac mortis meæ, CLARIFICA FILIUM TUUM, id est, glorifica me, manifestando toti mundo innocentiam, ac dignitatem meam; perinde, ac si diceret: Jam tempus est, quo Filius tuus tuâ glorificatione maximè opus habet, quando tam abjecta mors est subeunda; ut nisi perspicuis miraculis declaraveris eum innocentem & Filium tuum esse, ab omnibus impostor, ac sceleratus habendus sit. UT FILIUS TUUS CLARIFICET TE, id est, ut gloria mea in te velut fontem & auctorem redundet. Quo significat gloriæ humanitatis suæ desiderium non in se sistere, sed pergere in debitum finem suum, gloriam Patris. Quibus verbis velut parenthesi circumscriptis adjungit ad precedentia:

2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

2. SICUT DEDISTI EI POTESTATEM, &c. Latet hyperbaton in verbis istis, quæ sic collocanda sunt & jungenda præcedentibus: *Clarifica Filium tuum, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, id est, per glorificationem suam omnibus, quos ei morte suâ salvandos tradidisti, vitam æternam largiatur, quandoquidem per incarnationem dedisti ei tamquam homini potestatem & imperium omnis carnis, seu totius humani generis. Significat itaque esse consentaneum rationi, ut, cui potestas in omnes homines data sit, ipse quoque eis credentibus vitam æternam tribuat.

3. Hæc est autem vita æterna. Ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.

3. HÆC EST AUTEM VITA ÆTERNA, id est, in eo sita ratio assequendi vitam æternam; est enim locutio causalis, non formalis, ut COGNOSCANT TE SOLUM DEUM VERUM. Græci communi consensu, Cyrill. Chrysost. Theophyl. & alii ita exponunt, ut illud, *Solum*, non afficiat subjectum propositionis, scilicet *Te*, quasi sensus esset: Cognoscant te solum esse Deum verum; sed potiùs prædicatum, scilicet *Deum*: quemadmodum & dictio, *Verus*, illud efficit, hoc modo,

Cognoscant

Cognoſcant te eſſe illum ſolum verum Deum, ſeu illum, qui ſolus eſt verus Deus. Quod aptiùs Græcè ſignificatur, ubi inter, *te*, & *ſolum*, interjectus eſt articulus σὲ τὸν μόνον. Itaque ſignificatur eſſe tantùm unum verum Deum, ad diſtinctionem falſorum deorum, & Patrem eſſe illum ſolum verum Deum. Quo tamen non ſignificatur, ſolum Patrem eſſe illum ſolum verum Deum, ſ u il'um, qui ſolus eſt verus Deus. Et hoc eſt, quod dici ſolet, illud, *Solum*, non excludere aliam perſonam, ſed aliam naturam. ET, ut cognoſcant, QUEM MISISTI JESUM CHRISTUM. Otdo verborum eſt, Et ut cognoſcant Jeſum, quem miſiſti, eſſe Chriſtum, illum promiſſum mundi redemptorem, qui ſuo merito vitam æternam largiatur. Significat igitur his verbis, vitæ æternæ comparandæ rationem in duobus conſiſtere: in fide unius veri Dei, & in fide Chriſti mediatoris. Loquitur autem more ſuo tamquam homo, qui Patri tamquam divinitatis fonti, quidquid divinum eſt, adſcribere ſolet, idcòque illi nomen Dei tamquam proprium tribuere. Quod & Paulus imitatus eſt pluribus locis, ut 1. ad Timoth. 1. verſ. 5. 1. ad Corinth. & verſ. 6. *Unus vobis Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jeſus*: item ad Epheſ. 5. v. 5. Auguſt. tamen videtur hunc locum in ſenſu formali accipere, quòd vita æterna in eo ſita ſit, ut Pater & Chriſtus cognoſcatur unus ſolus Deus, hîc inchoatè, poſteà perfectè.

4. EGO TE CLARIFICAVI, ſeu glorificavi, SUPER TERRAM, vitâ, doctrinâ, ac prædicatione gloriæ tuæ, tamquam fontis omnium, & oſtenſione ſignorum ex nomine tuo: OPUS CONSUMMAVI, QUOD DEDISTI, ſeu commiſiſti, MIHI UT FACIAM, opus ſcilicet humanæ redemptionis, quod propter rei jamjam futuræ certitudinem, tamquam præteritum exprimit, quamvis mors adhuc ſubeunda ſupereſſet.

4. Ego te clarificavi ſuper terram; opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam.

5. ET NUNC CLARIFICA ME, &c. q. d. Hactenus ergo te commiſſæ redemptionis executione glorificavi, nunc eâ abſolutâ deinceps GLORIFICA ME APUD TEMETIPSUM, in cœlis, CLARITATE, QUAM HABUI APUD TE PRIUSQUAM FIERET MUNDUS, id eſt, gloriâ non alienâ, aut adventitiâ, inquit Cyril. ſed propriâ ac naturali, quam habui apud te ab æterno. Petit hîc igitur, ut ſtatim ab ignominioſa morte Deus glorificet humanam ſuam naturam, gloriosâ, filióque Dei dignâ reſuſcitatione, & exaltatione ad dexteram Patris, ut ſic à toto mundo verus Deus agnoſcatur, quemadmodum ab æterno fuerat. Nam iſtâ gloriâ ad tempus in mundo caruerat, dum formam ſervi acceperat. Orationem iſtam Chriſti impletam fuiſſe ſignificat Paulus ad Philipp. 2. verſ. 2. Et hactenus Chriſtus oravit pro ſe; nunc pro Apoſtolis uſque ad v. 20. ubi deſcendit ad omnes ſecuturos fideles, quemadmodum obſervat, & prolixè tradit Auguſtinus Tractatu 106. in Joannem. Itaque

5. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsũ, claritate, quam habui prius, quam mundus eſſet, apud te.

6. MANIFESTAVI NOMEN TUUM HOMINIBUS, non quo Creator dicitur cœli & terræ, ſed quo Pater Filij ſibi æqualis, quem ex mundi perditi dilectione miſit in mundum. Nam, ut Auguſtinus In hoc, quòd fecit hunc mundum, cœlo terráque conſpicuum, etiam antequam imbuerentur in fide Chriſti, notus omnibus gentibus Deus: in

6. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mũdo: Tui erant, & mihi eos dedi-

sti, & sermonem tuum servaverunt.

hoc autem quòd non est injuriis suis cum falsis diis colendus, notus in Judæa Deus: in hoc verò, quòd Pater est hujus Christi, per quem tollit peccata mundi, hoc nomen ejus priùs oculum omnibus, nunc manifestavit eis, QUOS DEDIT EI DE MUNDO, id est, quos ex promiscua peccatorum multitudine selegit, salvandosque Christo tradidit. De Apostolis sermo est: TUI ERANT, æterna electione, ET MIHI EOS DEDISTI, tanquam homini & redemptori docendos, justificandos, & ad æternam salutem perducendos. Nam tamquam Dei, non minùs erant ab æterno Filii, quàm Patris, ut hîc Augustin. & Cyril. ET SERMONEM TUUM, quem eis prædicavi, SERVAVERUNT, fide & observatione, hoc est, non inanis in eis excolendis opera mea, & gratia tua fuit.

7. Nunc, cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt.

7. NUNC COGNOVERUNT, QUIA OMNIA QUÆ DEDISTI MIHI, id est, quæcumque dico & facio, ABS TE SUNT, in me latenter operante, non à principe dæmoniorum, ut Judæi calumniati sunt. Ita Græci. Augustin. tamen hoc de natura divina intelligit, quasi dixisset, cognoverunt, quia abs te sum. Simul enim Pater dedit omnia, quando genuit eum, qui habet omnia. Sed sequentia magis poscunt priorem sensum; nam quasi exponeret, quæ sint illa, quæ Pater ei dederit, addit:

8. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognoverunt quia à te exivi, & crediderunt, quia tu me misisti.

8. QUIA VERBA QUÆ DEDISTI MIHI, id est, doctrinam, quam mihi promulgandam tradidisti, DEDI EIS, clarè omnia annuntiando: ET IPSI ACCEPERUNT, credendo, opereque complendo. Et ideo videlicet cognoverunt, omnia mea abs te esse, quia ut capite 7. dixit vers. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrùm ex Deo sit.* ET consequenter COGNOVERUNT VERE, QUIA A TE EXIVI, tamquam Filius à Patre secundùm divinam naturam: & præterea, CREDIDERUNT, QUIA TU ME MISISTI, hominem mundi salvatorem, hoc est, crediderunt me verum Deum Filium tuum, & verum hominem. Hâc ergò quasi commendatione Apostolorum præmissâ, ut faciliùs impetraret, nunc orationem pro eis fundit.

9. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt.

9. EGO PRO EIS ROGO, tamquam mediator hominum: NON PRO MUNDO ROGO. Ubi *Mundum* intelligit, inquit Augustin. eos, qui vivunt secundùm concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo, hoc est, intelligit reprobos. SED PRO HIS, QUOS DEDISTI MIHI, ex mundo eripiendos, eruditione, protectione, gratia. Ideo autem pro eis rogo, QUIA TUI SUNT, æterna salutis electione. Quod perinde est ac si diceret: Æquum est, ut peculiarem curam geram, ut orem, ut à te exaudiar pro eis, quos tantopere tibi charos esse ista electione declarasti.

10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis.

10. ET MEA OMNIA TUA SUNT, hoc est, quemadmodum certè omnia, quæ mihi dedisti, sive naturaliter tamquam Deo per generationem, sive donatione temporali tamquam homini, sunt ac manent tua; ET TUA, quæcunque secundùm divinitatem habes, quam solam habes, MEA SUNT, quia mihi vel generatione tamquam Deo, vel donatione tamquam homini data. Per hanc ergò parenthesin interpositam exponit, quo sensu dixerit sæpiùs. *Quos dedisti mihi*, nempe per incarnationis dispensationem, ne quia Pater Apostolos dedit,

putaretur amisisse, quos dedit, putaretur amisisse, quos dedit, inquit Augustinus. Nam & antequam darentur, erant Filii, & postquam dati sunt, permanebant Patris, propter naturæ divinæ, honoris bonorumque omnium unitatem. ET CLARIFICATUS SUM IN EIS, subaudi, *quia*, quod ante parenthesin positum est. Datur enim duplex ratio, cur oret pro eis: prima, quia tui sunt; altera, quia clarificatus seu glorificatus sum in eis, quatenus scilicet mundo licet repugnante credidérant Christo, & mandatis ejus obediverant.

11. ET JAM NON SUM IN MUNDO, id est, jam verò brevi non ampliùs ero per visibilem præsentiam in mundo, quia jamjam morituras, ET HI IN MUNDO SUNT, id est; adhuc permanent multis periculis expositi, præsentiáque mea, qua custodiebantur orbati, ET, seu quia, EGO AD TE VENIO, per mortem & resurrectionem. Sic enim exponit, inquit Augustinus, cur dixerit, *Et jam non sum in mundo*. Itaque hoc versu dat rationem, cur jam oret pro Apostolis magis quàm antè. Igitur PATER SANCTE, & proinde fons omnis sanctitatis, quam eis peto, SERVA EOS, in gratia, quam consecuti sunt, IN NOMINE TUO, id est, propter honorem nominis tui, QUOS DEDISTI MIHI, id est, quos mihi homini in hoc mundo agenti servandos dederas. Explicat autem modum, quo servari eos desiderat: UT SINT UNUM, spiritu, voluntate, charitate, ita scilicet, ut credentium permaneat cor unum & anima una, SICUT ET NOS, unum sumus & permanemus inter nos, ut videlicet ista voluntaria eorum unio, quædam naturalis nostræ unitatis imago sit, inquit Cyril. Nam illud, *Sicut*, non est æqualitatis, sed similitudinis significativum.

11. Et jam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos.

12. CUM ESSEM CUM EIS, corporaliter conversando (loquitur enim quasi jam discessisset, qui mox discessurus erat) EGO SERVABAM EOS, in illa animorum unitate, IN NOMINE TUO, tamquam cui id à te injunctum erat. QUOS DEDISTI MIHI, CUSTODIVI, tuendo eos à periculis non solùm animæ, sed & corporis, ut stabiles & salvi in sua vocatione persisterent: quâ custodiâ meâ protectus, NEMO EX EIS PERIIT, morte vel æternâ vel corporali. Nam & de corporali Christum loqui patet ex cap. 18. versu 9. ubi significat hæc verba impleta esse, quando Apostoli liberè abire permissi sunt. Ab illo verò spirituali casu, in quem Christo patiente inciderant, ejusdem gratiâ liberati sunt, ut non esset æternus. NISI FILIUS PERDITIONIS, id est, perditioni à te destinatus, quia perditione per suam culpam dignus. Sic enim *Filius mortis & gehennæ* dicitur, quia morte gehennáque dignus est, & ei propterea destinatur. UT SCRIPTURA IMPLEATUR, hoc est, periit autem non negligentiâ meâ, sed ut Scriptura impleretur, quâ prædictum erat eum propter scelera à te perdendum. Itaque per ista omnia significat se perfunctum esse omnibus partibus officii sui, neminem sua negligentia, sed propria culpa periisse, sicut hoc ipsum prædictum fuerat.

12. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.

13. NUNC AUTEM AD TE VENIO, ideóque non ampliùs eos corporali præsentia, doctrina & protectione servaturus. Supplendum autem: Itaque rogo, ut eos tu serves. Pendet enim sermo à versu præcedenti, & utroque simul datur ratio versus undecimi, cur scilicet pro eis nunc

13. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, ut hæ-

beant gaudium meum impletum in semetipsis.

roget, nimirum quia æquum sit, ut jam deinceps Pater ipse sibi commendatos tueatur; quasi quodammodò excusaret importunas preces suas. ET HÆC LOQUOR IN MUNDO, commendando eos custodiæ tuæ, dum adhuc in mundo sum, UT GAUDIUM MEUM, quo de me tamquam protectore suo gaudent, HABEANT IMPLETUM IN SEIPSIS, intelligendo se tibi esse curæ, nec minùs me præsente per Spiritus sancti custodiam protegi, quàm præsente. Ita ferè Chrysost. Sed durius videtur vocari *gaudium meum*. Itaque rectiùs videatur gaudium Christi vocari materiam gaudii mei, quod scilicet res eò deducta esset, ut posset discipulos hactenus parvulos à visibili pædagogia ablactare, & quasi emancipare, atque invisibili protectioni Spiritus sancti committere. Vel denique, ut Aug. gaudium Christi intelligit illud, quod Christus eis infuderat, nempe gaudium unitatis animorum, quod hîc in eis inchoatum erat, sed in cœlo tandem in illa æterna pace & beatitudine implebitur.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

14. EGO DEDI EIS SERMONEM TUUM, doctrinam, quam in mundo prædicari jusseras, supple, cúmque credendo, & obediendo receperunt. ET MUNDUS EOS ODIO HABUIT, cujus causa est, QUIA NON SUNT DE MUNDO, affectionibus, studiis, actionibus, hoc est, quia mundo, vita, & moribus dissimiles sunt, SICUT ET EGO NON SUM DE MUNDO: quam ob causam & ego ipse mundo invisus sum.

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo.

15. NON ROGO, UT TOLLAS EOS DE MUNDO, id est, ex hac mortali vita (videtur enim mundus hîc accipi aliter, quàm in præcedentibus:) hoc enim nec ipsis expedit, ut pote quibus est utile odiis dilectionem reddere, odiáque charitatis officiis sanare; nec aliis, quorum iniquitas dilectione, & obsequio debet ad meliora converti: SED UT SERVES EOS A MALO, peccato scilicet, quod solum & propriè malum est. Nam à mundo affligi non est malum; sed afflictioni succumbere, ut scilicet vel odiis irritatus vicem reddas, vel officia dilectionis prætermittas, vel sufferentiam amittas, mundúnque repetas.

16. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.

16. DE MUNDO NON SUNT, sicuti dictum est vers. 14. Repetit hoc tamquam rationem impetrandi id, quod mox petit: q. d. Quandoquidem igitur isti non sint de mundo,

17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

17. SANCTIFICA EOS, ad opera religionis, divinique cultus eos segregando, consecrando, atque idoneos faciendo, tamquam ministros novi Testamenti, IN VERITATE, id est, non sanctitate legali Judæorum, quæ erat umbra veritatis, non apparentis, qualis est Paganorum, sed veræ per Spiritum sanctificationis internum. Talis enim sanctitas est accuratissimè conformis veritati, seu verbo Dei, & hoc est, quod adjicit: SERMO TUUS VERITAS EST, quia omnis expers mendacii & falsitatis.

18. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.

18. SICUT TU ME MISISTI IN MUNDUM, ut sanctitatis, veritatisque operatione, & prædicatione essem lux mundi, similiter ET EGO MISI EOS IN MUNDUM, ut & ipsi illa sanctificatione veritatis præparati, sint utroque modo lux mundi.

19. Et pro eis ego sanctifico meip-

19. ET PRO EIS EGO SANCTIFICO MEIPSUM, id est, consecro & offero me tibi tamquam hostiam vivam, & sanctam per actualem mei im-

molationem, quam jamjam in cruce paro; ſic enim exponit hoc verbum *ſanctificandi*, Chryſoſt. & Græci: idque PRO EIS, ſanctificandis ſcilicet, UT SINT ET IPSI SANCTIFICATI, id eſt, interiori Spiritus ſancti unctione conſecrati, & præparati Deo, non figurali & umbratica ſanctitate, nec etiam apparenti, & in ſpeciem per hypocriſin, ſed in juſtitia & ſanctitate veritatis.

ſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.

20. NON PRO EIS AUTEM ROGO TANTUM, id eſt, pro Apoſtolis iſtis præſentibus, SED ET PRO EIS, QUI CREDITURI SUNT PER VERBUM EORUM, id eſt, per prædicationem eorum per univerſum mundum. Poſtulat autem eis id ipſum, quod ante pro Apoſtolis poſtulaverat, videlicet.

20. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri, ſunt per verbum eorum in me.

21. UT OMNES, poſtquam crediderint, UNUM SINT, inter ſe velut membra unius corporis, unione animorum, & charitatis glutine conſtricta, SICUT TU PATER IN ME, ET EGO IN TE, ſupple, unum ſumus, quemadmodum ſupplet Auguſt. Nam idem hîc rogat pro omnibus, quod v. 11. pro Apoſtolis, ut ſint unum, ſicut & nos, ſcilicet unum ſumus unitate naturæ, & voluntatis, & amoris mutui. Quod ut magis explicaret, adjicit, UT ET IPSI IN NOBIS UNUM SINT, qu. d. Ut unum, inquam, ſint, non qualibet animorum conſenſione ad iniquitatum & ſcelerum ſocietatem, ſed *in nobis*, id eſt, in Deo, ſed unitate nobis conſentanea, divinæ ſcilicet charitatis & pietatis. Itaque etiam hîc, ut ex Cyril. diximus, illud, *Sicut*, imitationem quamdam divinæ unitatis, non æqualitatem ſignificat; nam ad tantam unitatem non poteſt creatura pertingere. UT CREDAT MUNDUS, id eſt, ut cæteri homines, adhuc infideles, hac unionis & concordiæ ſuavitate tacti, etiam ipſi credant, QUIA TU ME MISISTI, quod erat ſumma & legationis, & prædicationis Apoſtolorum. Itaque petit, ut ille ſit fructus unitatis Chriſtianorum, propagatio fidei Chriſtianæ. Proinde cùm Chriſtus oraſſet primò pro Apoſtolis, deinde pro cæteris, qui per ipſos crediderant, ut eſſent unum; his tandem verbis etiam pro illis orat, qui increduli erant, ut & ipſi crederent.

21. Ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint: ut credat mundus, quia tu me miſiſti.

22. ET EGO CLARITATEM, QUAM DEDISTI MIHI, DEDI EIS. Hanc claritatem Auguſtin. intelligit immortalitatem, quam prædeſtinando jam dederit: Chryſoſto. verò celebritatem nominis per opera mirabilia. Convenientius Cyrill. lib. 11. in Joan. cap. 26. & 27. *claritatem* intelligit divinitatem, qua potiſſimùm Chriſtus clarus & glorioſus eſt, QUAM DEDISTI MIHI, homini, eam humanitati in unitatem perſonæ copulando, DEDI EIS, Apoſtolis, omnibúſque per eos credituris. Tunc autem dedit eis, quando corpus & ſanguinem ſuum divinitati unitum, eis in cibum & potum dedit, ut ſic conſequenter ſupremæ iſtius naturæ divinæ participes fierent. UT SINT UNUM, ſupple nobiſcum: nam unitatem eorum inter ſe per amorem mutuum jam antè eis apprecatus fuerat. Hîc ergò loquitur de unitate longè ſublimiori, qua ſcilicet ſint unum etiam cum Deo, SICUT ET NOS UNUM SUMUS, id eſt, ut participent & illam unitatem ex nobis, quia nos unum ſumus. Quo verò pacto hoc fiat, ſtatim explicat, ut ſcilicet EGO IN EIS, ſim per carnem meam & ſanguinem, corporaliter & realiter ab eis ſumptum, ET TU IN ME, per divinitatem tuam,

22. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.

eidem carni & ſanguini realiter unitam : ut iſto modo SINT CONSUMMATI IN UNUM, id eſt, ſint conſummati unum, Græcè τετελειωμένοι εἰς ἕν, *perfecti in unum* : ſicut alibi dicitur, *Erunt duo in carne una*, ſeu *in carnem unam*, id eſt, erunt duo una caro. Significatur ergò, quòd illa unitas cum Deo, quam Chriſtus habet, quatenùs natura ejus humana eſt unita divinitati, communicetur & nobis ; per hoc ſcilicet, quòd nos realiter eidem humanitati, cui divinitas copulata eſt, comedendo bibendóque commiſcemur.

23. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unũ & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.

23. UT COGNOSCAT MUNDUS, ex illa ſtabili unione eorum cum Deo & inter ſe, QUIA TU ME MISISTI, quem illi tantæ ſuæ unitatis auctorem colunt : & cognoſcat etiam, QUIA DILEXISTI EOS, ut pote quos tantis donis cæleſtibus cumulaveris, SICUT ET ME DILEXISTI, quatenus me omnibus theſauris donorum, ipsáque divinitate mihi unità plenum exhibuiſti mundo. Itaque ſignificatur hîc maxima quædam ſimilitudo Chriſtianorum, licet inæqualis cum Chriſto, idque tam in intima illa unitate cum Deo, quàm in cauſa unitatis, videlicet dilectione Dei, ut pote quæ talis eſt erga ipſos, qualis erga Chriſtum, & erga ipſos propter Chriſtum dilectum. Quæ ſimilitudo cùm pertineret ad præſentem vitam, pergit eis petere & aliam, pro futura.

24. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

24. PATER, QUOS DEDISTI MIHI, VOLO UT UBI SUM EGO, id eſt, deſidero ac peto, ut in regno tuo, ubi ego brevi poſt aſcenſionem meam ero, ET ILLI SINT MECUM ejuſdem gloriæ ſtatim à morte mecum participes, ut Cyrill. UT VIDEANT CLARITATEM MEAM, tam divinitatis meæ, quàm humanitatis. Utrumque promiſit Iſaïas, quando dixit cap. 33. v. 17. *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus.* Nam in illius fruitiva viſione conſiſtit beatitudo primariò ; in hujus, ſecundariò : & ita adimplebimur in omnem plenitudinem Dei : QUAM DEDISTI MIHI, divinam naturam humanæ copulando, humanámque omnium bonorum plenitudine glorificando : QUIA DILEXISTI ME, purâ gratiâ tuâ, ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM, id eſt, ab æterno : qua phraſi æternitas in Scripturis ſignificari ſolet. Significatur hîc ergò gratuitam dilectionem Dei eſſe fontem ineffabilis iſtius beneficii, quo divinitas humanitati Chriſti in unitatem perſonæ conjuncta eſt : nam, ut Auguſt. lib. De prædeſtinat. Sanctorum c. 15. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus. Et ita conſequenter ſignificat, hanc viſionem claritatis ſuæ in gloriam Patris, tamquam fontis omnium redundaturam.

25. Pater juſte mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti.

25. PATER IUSTE, quo epitheto indicat ignorantiam, ſeu incredulitatem, qua MUNDUS, hoc eſt dilectores mundi, maximéque Judæi, NON COGNOVIT PATREM, juſto Dei judicio eis permiſſam vel inflictam : EGO AUTEM TE COGNOVI, tam ut homo, quàm ut Deus, perfectiſſima cognitione : ET me revelante, HI COGNOVERUNT, QUIA TU ME MISISTI, hoc eſt, ut Cyrill. quòd tua voluntate tamquam Filius tuus pro ſalute hominum in mundum venerim. Cauſam ergò iſtius notitiæ indicans, addit,

26. Et notum feci eis nomen tu-

26. ET NOTUM FECI EIS NOMEN TUUM exteriùs prædicando, & interiùs gratiam Spiritus ſancti infundendo, qua cognoſcant me-

men tuum, quòd ſcil. ſis Pater Verbi tui, & Spirator Spiritus tui: ET NOTUM FACIAM, uberiùs poſt paſſionem, maximéque in æterna gloria, UT DILECTIO, QUA DILEXISTI ME, hominem deſtinando ac perducendo ad ſupremum cognitionis tui ac dilectionis & gloriæ gradum, qui effectus eſt ſummæ dilectionis Dei, IN IPSIS quoque SIT, hoc eſt, ad ipſos quoque derivetur, & erga ipſos in æternum perſeveret, ET EGO IN IPSIS, hoc eſt, inquit Auguſt. quia ego in ipſis ſum, tamquam caput in membris, ita videlicet, ut & ego & ipſi tamquam caput & membra unum ſimus. Datur enim hîc ratio ſeu cauſa diligendi cæteros homines, quia ſunt membra mediatoris. Alii per *dilectionem, quâ dilexiſti me*, intelligunt ipſum Spiritum-ſanctum, qui eſt amor Patris, & Filii, ita ut Chriſtus hîc petat à Patre, ut ipſe Spiritus-ſanctus quoque ſit in fidelibus ſuis per claram ejus viſionem, atque ita compleatur in eis beatificæ viſionis objectum, idque propterea, quia ſunt membra Chriſti. Prior ſenſus Auguſtini videtur congruentior.

um, & notum faciam; ut dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

CAPUT XVIII.

1. HÆC CUM DIXISSET, EGRESSUS EST, ita ſcilicet, ut non antè, quàm his dictis egreſſus ſit. Poterant tamen & alia quædam interponi, ut quod Matthæus dicit, hymnum fuiſſe dictum in gratiarum actionem, & ſi quæ cum illis in via ſermocinatus eſt. TRANS TORRENTEM CEDRON, Græcè τῶν Κέδρων, *Cedrorum*, quaſi à Cedris ita diceretur. Sed corrupta eſt lectio; nullæ enim ibi Cedri, quæ potiùs montibus gaudent: ſed eſt nomen proprium torrentis, qui inter montem Olivarum ad Orientem ſitum, & inter Jeroſolymam ad Occidentem, fluit per mediam vallem Joſaphat, quæ & vallis Hennon, ſeu Géhennon dicitur. Et ita Chriſtus hîc adimplevit figuram Davidis, qui fugiens Abſalonem mœſtus tranſivit Torrentem Cedron, 2. Reg. 15. UBI ERAT HORTUS, pertinens ad villam, ſeu prædium Géthſemani de qua Matthæus.

1. HÆc cum dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipſe & diſcipuli ejus.

2. SCIEBAT AUTEM ET JUDAS LOCUM. Quod addit, ne putetur Chriſtus latebras quæſiviſſe, cùm ſe receperit in locum familiarem, ubi eum ſciebat Judas quærendum: QUIA FREQUENTER CONVENERAT ILLUC. Quod Lucas dixit, *Ibat ſecundùm conſuetudinem in montem Olivarum*; in cujus radice hortus ille ſitus erat.

2. Sciebat autem & Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jeſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis.

3. JUDAS ERGO CUM ACCEPISSET COHORTEM, non Judæorum, ſed militum, idque à Præſide, tamquam ad capiendum reum, ſervato ordine legitimæ poteſtatis, ut nullus capientibus, vel tenentibus auderet obſiſtere, ut notat Auguſt. ET, præter milites, cùm accepiſſet etiam, A PONTIFICIBUS, ſeu Principibus Sacerdotum, ut eſt Græcè, ET PHARISÆIS, quos aliqui vocant Scribas & Seniores populi, quia plerique ſectâ Phariſæi erant, MINISTROS, quibus utebantur, partim in privatis, partim in publicis negotiis, quales ſunt ſatellites. Hos adjunxerunt, ut quibus magis fiderent, quàm ethnicis militibus. VENIT ILLUC CUM LATERNIS ET FACIBUS, ut ſi faces

3. Judas ergo cum accepiſſet cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros, venit illuc cum laternis, & facibus, & armis.

eidem carni & ſanguini realiter unitam: UT iſto modo SINT CONSUMMATI IN UNUM, id eſt, ſint conſummati unum, Græcè τετελειωμένοι εἰς ἕν, *perfecti in unum*: ſicut alibi dicitur, *Erunt duo in carne una*, ſeu *in carnem unam*, id eſt, erunt duo una caro. Significatur ergò, quòd illa unitas cum Deo, quam Chriſtus habet, quatenùs natura ejus humana eſt unita divinitati, communicetur & nobis; per hoc ſcilicet, quòd nos realiter eidem humanitati, cui divinitas copulata eſt, comedendo bibendóque commiſcemur.

23. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unũ & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.

23. UT COGNOSCAT MUNDUS, ex illa ſtabili unione eorum cum Deo & inter ſe, QUIA TU ME MISISTI, quem illi tantæ ſuæ unitatis auctorem colunt: & cognoſcat etiam, QUIA DILEXISTI EOS, ut pote quos tantis donis cœleſtibus cumulaveris, SICUT ET ME DILEXISTI, quatenus me omnibus theſauris donorum, ipsáque divinitate mihi unitâ plenum exhibuiſti mundo. Itaque ſignificatur hîc maxima quædam ſimilitudo Chriſtianorum, licet inæqualis cum Chriſto, idque tam in intima illa unitate cum Deo, quàm in cauſa unitatis, videlicet dilectione Dei, ut pote quæ talis eſt erga ipſos, qualis erga Chriſtum, & erga ipſos propter Chriſtum dilectum. Quæ ſimilitudo cùm pertineret ad præſentem vitam, pergit eis petere & aliam, pro futura.

24. Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.

24. PATER, QUOS DEDISTI MIHI, VOLO UT UBI SUM EGO, id eſt, deſidero ac peto, ut in regno tuo, ubi ego brevi poſt aſcenſionem meam ero, ET ILLI SINT MECUM ejuſdem gloriæ ſtatim à morte mecum participes, ut Cyril. UT VIDEANT CLARITATEM MEAM, tam divinitatis meæ, quàm humanitatis. Utrumque promiſit Iſaïas, quando dixit cap. 33. v. 17. *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus.* Nam in illius fruitiva viſione conſiſtit beatitudo primariò; in hujus, ſecundariò: & ita adimplebimur in omnem plenitudinem Dei: QUAM DEDISTI MIHI, divinam naturam humanæ copulando, humanámque omnium bonorum plenitudine glorificando: QUIA DILEXISTI ME, puràtuâ, ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM, id eſt, ab æterno: qua phraſi æternitas in Scripturis ſignificari ſolet. Significatur hîc ergò gratuitam dilectionem Dei eſſe fontem ineffabilis iſtius beneficii, quo divinitas humanitati Chriſti in unitatem perſonæ conjuncta eſt: nam, ut Auguſt. lib. De prædeſtinat. Sanctorum c. 15. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus. Et ita conſequenter ſignificat, hanc viſionem claritatis ſuæ in gloriam Patris, tamquam fontis omnium redundaturam.

25. Pater juſte mundus te non cognovit, ego autem te cognovi, & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti.

25. PATER IUSTE, quo epitheto indicat ignorantiam, ſeu incredulitatem, qua MUNDUS, hoc eſt dilectores mundi, maximéque Judæi, NON COGNOVIT PATREM, juſto Dei judicio eis permiſſam vel inflictam: EGO AUTEM TE COGNOVI, tam ut homo, quàm ut Deus, perfectiſſima cognitione: ET me revelante, HI COGNOVERUNT, QUIA TU ME MISISTI, hoc eſt, ut Cyrill. quòd tua voluntate tamquam Filius tuus pro ſalute hominum in mundum venerim. Cauſam ergò iſtius notitiæ indicans, addit,

26. Et notum feci eis nomen tu-

26. ET NOTUM FECI EIS NOMEN TUUM exteriùs prædicando, & interiùs gratiam Spiritus ſancti infundendo, qua cognoſcant no-

10. SIMON ERGO PETRUS, defenſionis ſui Domini aviditate, & majore quàm fas erat commotione, quia fretus, inquit Chryſoſt. his, quæ facta erant ſcilicet eorum proſtratione, PERCUSSIT PONTIFICIS SERVUM, ferociùs inſtantem, inquit Leo, ET ABSCIDIT AURICULAM EIUS DEXTERAM. Quo notat illos ſignificari Auguſt. lib. de agone Chriſtianorum cap. 29. qui audire non poſſunt quod dexterum eſt, id eſt, res bonas.

10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percuſſit pontificis ſervum, & abſcidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen ſervo Malchus.

11. DIXIT ERGO JESUS PETRO, compeſcens impetum ejus, vitioſum quidem, ſed qui ſervire virtuti poſſet, moderatus. Nam, ut Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. Animæ virtutis capaces, & fertiles præmittunt ſubinde vitia, quibus indicent, cui virtuti potiſſimùm ſint accommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ, quale quid, & in Moyſe contigiſſe docet occidente Ægyptium. Uterque enim oſtendebat ſibi non deeſſe animum defendendi innocentes. Compeſcit autem Petrum inter cætera etiam hac ratione: CALICEM, QUEM DEDIT MIHI PATER, &c. id eſt, hanc patiendi ſortem quam mihi Pater veluti calicem bibendum miſcuit, non ſuſcipiam? q. d. Patiarne cujuſquam humanitate aut ſtudio ab hoc tam acceptabili Dei beneficio me prohiberi? Quo animi ardore dicitur in Pſal. 115. ex perſona Martyrum: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam.*

11. Dixit ergo Jeſus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

12. COHORS ERGO ET TRIBUNUS, Græcè χιλίαρχος, id eſt, *Præfectus mille virorum.* Ex cujus præſentia colligunt quidam non malè totam cohortem, vel magna ex parte adfuiſſe, quam conſtitiſſe volunt mille, & paulò pluribus capitibus: timebant enim virtutem ejus, fautorum multitudinem, tumultumque aliquem plebis. COMPREHENDERUNT JESUM, ET LIGAVERUNT, ſecuritatis ſuæ, & ipſius ignominiæ causâ, tamquam ſceleratum.

12. Cohors ergo, & tribunus, & miniſtri Judæorum comprehenderunt Jeſum, & ligaverunt eum.

13. ET ADDUXERUNT EUM AD ANNAM, non ex profeſſo; eùm ad Caipham eundum eſſet; ſed ex occaſione domus Annæ, quæ occurrebat, ut Auguſt. in itinere: nempe quaſi triumphum ducentes, inquit Chryſoſt. & præ voluptate de tali captivo geſtientes, ut oculos Annæ tali ſpectaculo paſcerent. ERAT ENIM SOCER CAIPHÆ; qui proinde Annam tamquam patrem honorabat, propter affinitatem ac dignitatem viri. Itaque ſimul Caiphæ hac in re gratum facere voluerunt. QUI ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS, qua de re; ſicut & de verſu 14. alibi dictum eſt. In quo verſu 14. latet tacita tranſitio. Significat enim Jeſum ab Anna ad Caipham, tamquam verum tunc Pontificem traductum eſſe. Nam & vox, *Pontifex*, ſæpiùs in ſequentibus abſolutè poſita eum ſignificat, qui abſolutè Pontifex erat, hoc eſt, Caipham. Nam Annas non niſi ſocer Caiphæ Pontificis vocatur verſ. 13. & Matth. ſatis clarè ſignificat examen ſequens in domo Caiphæ eſſe factum, nempe c. 26. v. 57. & ſeqq.

13. Et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim ſocer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

14. Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15. SEQUEBATUR AUTEM JESUM SIMON, ET ALIUS DISCIPULUS, QUI ERAT NOTUS PONTIFICI: & hac notitia fretus nihil ſibi evenire poſſe, auſus eſt introire CUM JESU IN ATRIUM PONTIFICIS, hoc eſt, in aulam, ut Græcè; εἰς τὴν αὐλὴν, non enim hîc intelligitur locus ſub dio. Quis diſcipulus ille fuerit, contenditur: Chryſoſt. Joannem Evan-

15. Sequebatur autem Jeſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus

ex aëris intemperie extinguerentur, iterum ex laternis accendi posſent, ET ARMIS, gladiis & fuſtibus, ut Matth.

4. Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, porceſſit, & dixit eis: Quem quæritis:

4. JESUS ITAQUE SCIENS OMNIA QUÆ VENTURA ERANT SUPER EUM, ne quis eum imprudentem putet in manus inimicorum incidiſſe, PROCESSIT, Græcè ἐξῆλθεν, *egreſſus eſt*, ſcilicet horto, vel ad egrediendum ſe parans proceſſit obviam eis, ET DIXIT EIS: QUEM QUÆRITIS? Cui reſpondent. JESUM NAZARENUM, quo nomine vulgò vocabatur. Itaque quia non dicunt, Quærimus te, ſignificatur iſto reſponſo, eos quamvis præſentem & loquentem necdum agnoviſſe, ac proinde ſignum Judæ tunc nondum fuiſſe exhibitum, ut quidam putant. Unde etiam.

5. Reſponderunt ei: Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus: Ego ſum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipſis.

5. STABAT JUDAS CUM IPSIS, exſpectans opportunitatem ejus tradendi, finito colloquio, ac diſſimulans ſe de illorum eſſe ſocietate, ut quaſi caſu in eos incidiſſe videretur.

6. Ut ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum: & ceciderunt in terram.

6. UT ERGO DIXIT EIS: EGO SUM, ABIERUNT RETRORSUM, ET CECIDERUNT, id eſt retrorſum repulſi in tergum ceciderunt, unius videlicet vocis non increpatione, non comminatione, ſed majeſtate, veluti turbine proſtrati. Nam illa verba, *Ego ſum*, divinitatis confeſſionem continent, quâ eis voluit manifeſtiùs quodammodo divinitatis ſuæ virtutem exhibere, ut meritò S. Leo dicat Serm. 1. de Paſſione: Quid jam poterit majeſtas ejus judicatur cujus hoc potuit humilitas judicanda? Hoc igitur ſuæ virtutis ſpecimine exhibito, ſciens quid magis ſuſcepto myſterio conveniret, in hac poteſtate, inquit Leo, non perſtitit, ſed perſecutores in facultatem diſpoſiti ſceleris redire permiſit.

7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jeſum Nazarenum,

7. ITERUM ERGO INTERROGAVIT: QUEM QUÆRITIS? ILLI AUTEM DIXERUNT, perſonæ ipſius, ut videtur, adhuc ignari, vel ignominiâ caſus ſui eam nolentes confiteri, rursùm non dicunt, *Te quærimus*, ſed JESUM NAZARENUM. Unde patet manifeſtiſſima miracula in illos ipſos peccatores edita converſioni non ſufficere, niſi interna Dei gratia cor emolliat.

8. Reſpondit Jeſus: Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.

8. RESPONDIT JESUS: DIXI VOBIS, QUIA EGO SUM, id eſt, me eſſe. Quæ verba continent tacitam exprobrationem ſtuporis eorum, quòd præſentem, claréque ſe profitentem non agnoſcerent; & imbecillitatis eorum, quòd non comprehenderent. Nam ad oſtendendam illam imbecillitatem eorum, ſuamque majeſtatem, & voluntariam comprehenſionem, uno verbo eos proſtraverat. SI ERGO ME QUÆRITIS, SINITE HOS ABIRE, liberos & illæſos. Quæ verba continent efficax præceptum, ſeu potiùs efficacem operationem, quâ diſcipulos ab eorum manibus vindicavit. Nam illò factum eſt, ut nec Petrum ferociter pugnantem, nec poſtea, in medio ſui deprehenſum, nec Joannem ſub cruce, nec quemquam aliorum apprehenderint. Quo iterùm oſtendit, ſe liberum abire poſſe, ſi vellet. Cauſa hujus dimiſſionis Apoſtolorum erat, quòd ipſum ſolum nunc pari, Apoſtolos teſtes paſſionis ejus eſſe conveniret: effectus verò, ut ſic

9. Ut impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

9. IMPLERETUR, id eſt, ne falſus videretur, SERMO, QUEM DIXIT cap. præced. v. 11. ubi expoſitus eſt.

ED. SIMON

10. SIMON ERGO PETRUS, defensionis sui Domini aviditate, & majore quàm fas erat commotione, quia fretus, inquit Chrysost. his, quæ facta erant scilicet eorum prostratione, PERCUSSIT PONTIFICIS SERVUM, ferociùs instantem, inquit Leo, ET ABSCIDIT AURICULAM EIUS DEXTERAM. Quo notat illos significari Augustinus lib. de agone Christianorum cap. 29. qui audire non possunt quod dexterum est, id est, res bonas.

10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

11. DIXIT ERGO JESUS PETRO, compescens impetum ejus, vitiosum quidem, sed qui servire virtuti posset, moderatus. Nam, ut Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 70. Animæ virtutis capaces, & fertiles præmittunt subinde vitia, quibus indicent, cui virtuti potissimùm sint accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ, quale quid, & in Moyse contigisse docet occidente Ægyptium. Uterque enim ostendebat sibi non deesse animum defendendi innocentes. Compescit autem Petrum inter cætera etiam hac ratione: CALICEM, QUEM DEDIT MIHI PATER, &c. id est, hanc patiendi sortem quam mihi Pater veluti calicem bibendum miscuit, non suscipiam? q. d. Patiarne cujusquam humanitate aut studio ab hoc tam acceptabili Dei beneficio me prohiberi? Quo animi ardore dicitur in Psal. 115. ex persona Martyrum: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.*

11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

12. COHORS ERGO ET TRIBUNUS, Græcè χιλίαρχος, id est, *Præfectus mille virorum.* Ex cujus præsentia colligunt quidam non malè totam cohortem, vel magna ex parte adfuisse, quam constitisse volunt mille, & paulò pluribus capitibus: timebant enim virtutem ejus, fautorum multitudinem, tumultumque aliquem plebis. COMPREHENDERUNT JESUM, ET LIGAVERUNT, securitatis suæ, & ipsius ignominiæ causâ, tamquam sceleratum.

12. Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum:

13. ET ADDUXERUNT EUM AD ANNAM, non ex professo; eùm ad Caipham eundum esset; sed ex occasione domus Annæ, quæ occurrebat, ut Augustinus in itinere: nempe quasi triumphum dutentes, inquit Chrysost. & præ voluptate de tali captivo gestientes, ut oculos Annæ tali spectaculo pascerent. ERAT ENIM SOCER CAIPHÆ, qui proinde Annam tamquam patrem honorabat, propter affinitatem ac dignitatem viri. Itaque simul Caiphæ hac in re gratum facere voluerunt. QUI ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS, qua de re, sicut & de versu 14. alibi dictum est. In quo versu 14. latet tacita transitio. Significat enim Jesum ab Anna ad Caipham, tamquam verum tunc Pontificem traductum esse. Nam & vox, *Pontifex*, sæpiùs in sequentibus absolutè posita eum significat, qui absolutè Pontifex erat, hoc est, Caipham. Nam Annas non nisi socer Caiphæ Pontificis vocatur vers. 13. & Matth. satis clarè significat examen sequens in domo Caiphæ esse factum, nempe c. 26. v. 57. & seqq.

13. Et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15. SEQUEBATUR AUTEM JESUM SIMON, ET ALIUS DISCIPULUS, QUI ERAT NOTUS PONTIFICI: & hac notitia fretus nihil sibi evenire posse, ausus est introire CUM JESU IN ATRIUM PONTIFICIS, hoc est, in aulam, ut Græcè; εἰς τὴν αὐλὴν, non enim hîc intelligitur locus sub dio. Quis discipulus ille fuerit, contenditur: Chrysost. Joannem Evan-

15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus

pōtifici,& introivit cum Jesu in atrium pontificis.

16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum.

geliſtam fuiſſe putat; alii alium ex discipulis non Apoſtolis, quod circumſtantiæ illius temporis reddunt valdè veriſimile. Auguſtinus rem incertam eſſe dicit, eo quòd nomen tacetur: maxim èque facit pro iis, qui putant non eſſe Joannem, quia Joannes ſe ſignificans, addere ſolet, *quem diligebat Jeſus*, vel ſimile quid. Quæ hîc de Petri negationibus ſequuntur, expoſita ſunt Matth. 26.

17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum

18. Stabant autem servi & ministri ad prunas, quia frīgus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se.

19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, & de doctrina ejus:

19. PONTIFEX ERGO. Continuat hîc ſermonem cum verſ. 13. & 14. ubi de Pontifice Caipha loqui cœperat, eumque occaſione Petri interruperat. INTERROGAVIT JESUM DE DISCIPULIS SUIS, quos in collegium novæ ſectæ ſibi cooptaſſe videbatur. Nova autem ſodalitia Principibus ſuſpecta eſſe ſolent, maximè apud Judæos, ubi jam tumultuatum fuerat contrà Cæſarem à quibuſdam. Sed quia defenſio illa facilis erat, ut qui non niſi duodecim pauperes, & inermes ſecum duceret; rogavit eum in primis DE DOCTRINA EIUS, ut qui novam, vel clancularíam, ſuſpectamque doctrinam ac dogmata inferret.

20. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Judæi convenīūt: & in occulto locutus sim nihil.

20. RESPONDIT JESUS: EGO PALAM LOCUTUS SUM MUNDO, id eſt, publicè, quibuſlibet, idque Jeroſolymis in totius mundi theatro: EGO SEMPER DOCUI IN SYNAGOGA, in illis locis, ubi templum non erat, Jeroſolymis verò etiam IN TEMPLO, QUO OMNES JUDÆI CONVENIUNT. Nam, & ſynagogæ, & templum, non erant loca occultæ ſuſpectæque doctrinæ inſuſurrandæ: ET IN OCCULTO LOCUTUS SUM NIHIL, quod ſcilicet occultatum vellem, cùm contra de ſeorſim enarratis dixerim, quod in aure auditis, publicate ſuper tecta, ut Epiphan. Hæreſi 45. Unde Aug. Ergò hoc ipſum, quod ab ipſo docebatur in occulto, quia non ita dicebatur, ut ab eis, quibus dictum fuerat, taceretur, ſed ita potiùs, ut uſquequaque prædicaretur.

21. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quę dixerim ego.

21. QUID ME INTERROGAS? cum juxta jura tribunalium, reus pro ſua cauſa loquens non faciat fidem. Nam, ut Ambroſ. Epiſt. 20. Teſtis verus eſt, qui non ſibi; ſed aliis fert teſtimonium. INTERROGA EOS, QUI AUDIERUNT, QUID LOCUTUS SIM IPSIS. Acriter reſpondet ad repellendam calumniam quæſitam de doctrinâ clancularíâ; non tamen arroganter, quia fretus publicâ veritate. Nam, ut Chryſoſt. id veritatis maximum eſt argumentum, cùm quis inimicos in eorum, quæ dicit, teſtimonium adducit. Nec tales longè tibi quærendi ſunt, quia ECCE HI SCIUNT, QUÆ DIXERIM EGO. Digito oſtendebat quoſdam præſentes, ut Cyril. qui eum audierant. Nam olim quidam ex miniſtris eum audientes retulerant, *Numquam ſic locutus eſt homo.* Cùm ergò inter medios inimicos conſtitutus ac deſertus ab omnibus dediſſet hoc reſponſum, non minùs æquum quàm forte, intrepidum ac liberum,

22. Hæc autem cum dixisset, unus

22. UNUS ASSISTENS MINISTRORUM, apparitorum, qui captum tenebat, DEDIT ALAPAM JESU. Quòd fieri ſolet manu apertâ, idque

in faciem; virisque fit magis, contumeliæ causâ quam doloris. Colaphi fiunt etiam pugno, & in alias capitis, colli, & corporis partes. DICENS: SIC RESPONDES PONTIFICI? id est, tam superbè, tam contumaciter, tantæ dignitatis Præsuli, tu reus & tam abjectus?

23. RESPONDIT JESUS, quasi qui se factis vindicare non posset, verbis constanter pergens asserere innocentiam suam, maximè ubi arguebatur improbitatis admissæ in Pontificem: SI MALE LOCUTUS SUM, TESTIMONIUM PERHIBE DE MALO, id est, ostende quid malè à me prolatum sit in Pontificis dignitatem. Quo nos docet, ut Cypr. ait Epist. 65. Sacerdotes veros legitimè & plenè honorari debere, dum circa falsos Sacerdotes ipse talis existit, ut videlicet nequidem eis malè locutus videri velit. SI AUTEM BENE, QUID ME CÆDIS? innocentem, coram judicibus constitutum, tu minister, citra sententiam? quibus modis peccabat iste minister. Hoc ergò facto explicuit Christus doctrinam suam de præbenda altera maxilla percutienti. Demonstrantur enim, inquit August. maxima illa præcepta patientiæ, non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda: fieri enim potest, ut alteram maxillam visibiliter præbeat, & iratus. Quantò ergò melius & respondet vera placatus, & ad perferenda graviora tranquillo animo sit paratus? Tunc igitur reipsa etiam implenda sunt, cùm spes est, quòd fatiganda, & ad pœnitentiam commovenda sit improbitas patientiâ sufferentis, ut Tertull. de patientia c. 8.

24. ET MISIT EUM ANNAS LIGATUM AD CAIPHAM. Conjunctio, *Et* pro, *autem*, quod Hebræis propter inopiam particularum valdè familiare est, & Græcus Aoristus ἀπέστειλεν, *misit* pro *miserat*, quemadmodum & v. 26. *abscidit* pro *abscideret*. Nam propter interruptam historiam negationum Petri, ad quam redire volebat, quædam necessariò erant repetenda, ea scilicet quæ habentur v. 25. Qua ratione & illam Christi missionem ad Caipham repetit, vel potiùs clariùs explicat id quod antè tantùm insinuaverat. Quam sententiam apertè docet S. Cyril. & omninò tenenda videtur. Nimis enim perspicuum videtur ex aliis Evangelistis, maximèque Matthæo, omnes negationes Petri in domo Caiphæ contigisse, præsertim quia & hîc aliquoties indicatur: præcedentia accidisse apud Pontificem, qui tunc absolutè non erat, nisi Caiphas.

28. ERAT AUTEM MANE, primi diei Azymorum, qui incidebat in Lunam decimam quintam: ET IDEÒ IPSI NON INTROIERUNT IN PRÆTORIUM, id est, domum Pilati, Præsidis Romanorum, quæ adhærebat arci Antoniæ, UT NON CONTAMINARENTUR, id est, ne legaliter immundi fierent ingressu domus, utpote in qua non vitarentur ea, quæ faciebant immundum. Nusquam ingredi Gentiles domum lege vetitum fuisse legitur: ut & hoc videatur fuisse traditionis Pharisaicæ. Unde præposteram earum religionem taxans August. ô impia, inquit, & stulta cæcitas! habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio. SED UT MANDUCARENT PASCHA, cujus manducationem impediebat legalis immunditia. Per *Pascha* verò intelligitur non agnus Paschalis, qui jam immolatus fuerat vesperâ

assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici?

23. Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?

24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem?

25. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, & dixit: non sum.

26. Dicit ei unus ex servis pontificis cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo?

27. Iterum ergo negavit Petrus: & statim gallus cantavit.

28. Adducunt ergo Jesum à Caipha in prætorium, erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, ut non

contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.

præcedente, sed victimæ cæteræ, quæ per septem dies solemnitatis Paschalis magno numero immolabantur, juxtà Legem Num. 18. v. 19. & 24. cujusmodi victimæ etiam *Pascha* seu *Phase* vocantur Deuter. 16. v. 2. *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus & bobus*, itemque 2. Paralip. 35. v. 8. 9. Talium igitur victimarum, imò nullarum omninò poterant immundi esse participes, juxtà Legem Levit. 22. v. 3. Ut ergò tantæ religioni ipsorum subveniret Præses, egressus foras dixit eis, prout ordo justitiæ postulabat:

29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?

29. QUAM ACCUSATIONEM ADFERTIS ADVERSUS HOMINEM HUNC? absurdum videlicet ratus judicium eos præsumere, & supplicium sibi permitti.

30. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

30. RESPONDERUNT, declinando accusationem, in qua sciebant se defecturos: SI NON ESSET HIC MALEFACTOR, quem scilicet nobis constaret esse morte dignum, NON TIBI TRADIDISSEMUS EUM, morte plectendum; non videlicet Senatus totius populi Israël, eruditione, religione, vitæ integritate clari: quasi dicerent, meritò tibi auctoritas nostra sufficere deberet. Nam tacitè conqueruntur de ipsius erga se diffidentia, ut eorum auctoritatem secutus Præses desineret quærere, quid ei objiceretur, inquit August. sed ob hoc tantùm nocentem crederet, quòd sibi ab eis tradi meruisset.

31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: nobis non licet interficere quemquam:

31 DIXIT ERGO PILATUS: ACCIPITE EUM VOS, quia, ut aiebat Festus, Præses item Romanorum, Act. 25. v. 16. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priùs quàm is qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina: ET SECUNDUM LEGEM VESTRAM IUDICATE. Permittit igitur eis occisionem, sed secundùm legem, insinuans eis, quòd si ex odio, vel invidia, vel contrà Legis præscriptum occiderent, pœnæ obnoxios fore.

DIXERUNT ERGO JUDÆI: NOBIS NON LICET INTERFICERE QUEMQUAM, gladij potestate nobis adempta per Romanos, utpote quæ supremi juris est, ut S. Thomas, & alij, vel certè *Nobis non licet*, &c. in hisce diebus Azymorum, ut aliqui volunt; propter quam causam dicunt Herodem servasse Petrum Act. 12. ut post Pascha produceret eum populo.

32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

32. UT SERMO JESU IMPLERETUR, QUEM DIXIT, SIGNIFICANS QUA MORTE ESSET MORITURUS, id est, ideò recusaverunt eum interficere, ut sic prophetia Christi impleretur de morte à Gentilibus inferenda; imò & de morte crucis. Nam quamvis & Judæis crux in usu esset, ut patet Num. 25. v. 4. tamen Pilatus non permittebat occisionem, nisi secundùm Legem, id est, propter aliquod crimen, cui lex ipsorum decerneret mortem; & juxtà genus mortis, quod decerneret. Blasphemia autem, quam ei imputabant, juxtà Legem lapidatione plectebatur; nam crimen rebellionis contra Cæsarem, non pertinebat ad Judæos punire.

33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit

33. INTROIVIT ERGO ITERUM IN PRÆTORIUM PILATUS, ET VOCAVIT JESUM, seorsim, ut absque tumultu examinaret objecta ei crimina; ET DIXIT EI: TU ES REX JUDÆORUM? Relinquit cætera ei objecta, quæ à Luca cap. 23. exprimuntur, & id unum arripit, quod

læſam Cæſaris majeſtatem ſpectare videbatur. De ſenſu verborum illorum dictum eſt Matth. 27. v. 11.

ei: Tu es rex Judæorum.

34. RESPONDIT JESUS, non ſtatim fatendo de ſe rem ſibi honoricam, ſed aliquid interjiciens, quo appoſitè ad reſponſionem veniret. A TEMETIPSO HOC DICIS, ſeu interrogas tamquam illam de me opinionem habens, AN ALII DIXERUNT TIBI DE ME? id eſt, an aliorum ſuggeſtione? q. d. Ex tuáne, an ex aliorum ſententia id rogas? Videtur enim Jeſus non adſtitiſſe, quandò primam accuſationem inſtituerunt.

34. Reſpondit Jeſus: A temetipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35. RESPONDIT PILATUS: NUMQUID EGO JUDÆUS SUM, ut mihi curæ ſit iſtius nationis Meſſiam, vel ſtemmata noſſe? Dixerant enim Sacerdotes eum eſſe determinatè Chriſtum Regem, ut eſt Lucæ 23. & ideò de tali Rege Judæorum ſermo erat. Inſinuat igitur Pilatus, hoc ab aliis ſibi id fuiſſe ſuggeſtum. GENS TUA, quæ ſimul copioſa affluxerat, ET PONTIFICES TRADIDERUNT TE MIHI, interficiendum. Silens autem quam accuſationem adversùs eum inſtituiſſent, conatur cauſam concitati tumutus ex ipſomet cognoſcere, interrogando eum: QUID FECISTI?

35. Reſpondit Pilatus: Numquid ego Judæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid feciſti?

36. RESPONDIT JESUS, obliquè, & tamen ſatis apertè ad primam quæſtionem, quæ caput erat totius cauſæ, ita tamen ut ſtatim Pilatum liberet ſollicitudine de læſo Cæſare: REGNUM MEUM NON EST DE HOC MUNDO, id eſt, non eſt de numero regnorum hujus mundi, neque illius conditionis, cujus eſt regnum Cæſaris, ut proinde nihil de ipſo læſo timeas. Probat autem à communiter accidente, quia alioqui MINISTRI MEI, ſatellites, milites, exercitus, UTIQUE DECERTARENT, pro me, UT NON TRADERER JUDÆIS, hoſtibus videlicet meis: NUNC AUTEM, q. d. quandoquidem videas hoc non fieri juxtà conſuetudinem hujus mundi, conſequenter liquet, quòd REGNUM MEUM NON EST HINC, id eſt, non habet originem ſuam, neque conditiones ſuas ex hoc mundo.

36. Reſpondit Jeſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.

37. DIXIT ITAQUE EI PILATUS: ERGO REX ES TU? Neceſſe eſt enim eſſe Regem eum, qui habet regnum. RESPONDET JESUS: TU DICIS, QUIA REX, ſeu quòd Rex, SUM EGO. Cæteri Evangeliſtæ ſimpliciter dicunt reſpondiſſe, *Tu dicis*, quæ eſt uſitata Judæis, ſed modeſta confeſſio rei præſertim honorificæ: quod explicuit Marcus, cap. 14. loco ejus quod Matthæus dixerat, *Tu dicis*, refert, *ego ſum Rex*, videlicet ab æterno, ut Ambroſ. lib. 2. De fide c. ult. Nam ideò poſt enuntiatam ſuam regiam dignitatem, ſtatim deſcendit ad nativitatem temporalem. EGO IN HOC NATUS SUM, ſeu ad hoc, ſicut ſtatim ſequitur; nam Græcè utrobique eſt eadem vox εἰς τοῦτο: ET AD HOC VENI IN MUNDUM, per nativitatem temporalem, ſeu incarnationem, (quo tacitè indicat ſe fuiſſe etiam antequam naſceretur in mundo) UT TESTIMONIUM PERHIBEAM VERITATI, Dei, ſeu ipſi Deo, verum ejus cultum homines docendo, eorumque vitia, ſeu deflexus à veritate corrigendo. OMNIS, QUI EST EX VERITATE, illa prima id eſt, omnis qui eſt ex Deo eum eligente, ſenſumque cognoſcendæ veritatis inſpirante (nam, ut Auguſtin. gratiam hîc commendavit, quæ ſecundùm propoſitum vocat) AUDIT VOCEM MEAM, ſeu prædi-

37. Dixit itaque ei Pilatus: ergo rex es tu: Reſpondit Jeſus; Tu dicis quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati: omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam.

dicationem, id est, ei credit, atque obtemperat, tamquam quæ conformis sit interno sensui, quem à veritate sibi inspiratum, atque insitum accepit. Itaque qui non audiunt eam, illi non sunt ex veritate, nec acceperunt illud divini beneplaciti beneficium.

38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam.

38. DICIT EI PILATUS : QUID EST VERITAS ? fastidientis, non discere cupientis verba sunt. Putasse enim videtur quòd tamquam Philosophus de veritate regnòque disputaret. Itaque nolens ifti rei diutiùs insistere, tamquam quæ non esset suæ professionis, aut fori, simulatque hoc dixisset, ITERUM EXIVIT AD JUDÆOS, ET DICIT : EGO NULLAM INVENIO IN EO CAUSAM, id est crimen, de quo eum accusatis. Satis enim intellexerat regnum, de quo ipse loquebatur, sine apparatu, ac milite, non esse contrarium Cæsari. Postquam ergò multa intercessissent, Barabbæ postulatio, flagellatio, coronatio, illusio, de quibus latè in Matthæum diximus, Præses uti volens illa miserabili flagellati & coronati effigie ad atroces illos animos emolliendos.

39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæorũ ?

40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

CAPUT XIX. CAPUT DECIMUM-NONUM.

1. TUnc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.

2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus : & veste purpurea circumdederunt eum.

3. Et veniebant ad eum, & dicebant : Ave Rex Judæorum : & dabant ei alapas.

4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis : Ecce aduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam.

4. EXIVIT ITERUM FORAS, in locum scilicet illum, qui vers. 13. vocatur *Lithostrotos* : erat enim opportunus, ut totum populum inde alloqui posset, ut ibi dicemus. Itaque dixit eis : ECCE ADDUCO VOBIS EUM FORAS, UT COGNOSCATIS, publica hac mea, & iterata denuntiatione, QUIA NULLAM INVENIO IN EO CAUSAM, mortis, inquiunt nonnulli : sed veriùs videtur generaliùs intelligendum esse nullam omninò causam, seu noxam, ne quidem flagellationis, & coronationis istius : ut, cùm videatis eum innocentem à me tam malè tractatum, tantummodò ut vobis satisfacerem, inde colligatis, me non parciturum ei fuisse, si quam causam cruce dignam inveniissem. Itaque Cyrillus notat Pilatum hìc ingenuè fateri peccatum suum, quòd injustè flagellasset, & eduxisset foras, ut & Judæi agnoscerent ita esse.

5. (Exivit ergo ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum) Et dicit eis: Ecce homo.

5. EXIIT ERGO JESUS, plagis lividus, flagris conscissus, vulnerum cruore à capite per faciem ad pedes usque defluente, sanguinolentus, sputis horridus, & ad ignominiam PORTANS SPINEAM CORONAM, ET PURPUREUM VESTIMENTUM, quod ex Græco ἱματίῳ redditur *Pallium*, ut Matth. 5. vers. 40. dictum, ut proinde totius corporis livores & vulnera apparuerint. Eductus est ergò, ut Augustin. non clarus imperio, sed plenus opprobrio, idque ut hanc ejus miseriam

& ludibria libenter biberent, & ulteriùs sanguinem non sitirent. ET DICIT EIS : ECCE HOMO, id est, Ecce ille, cui vobiscum humana saltem natura communis est : q. d. Ecce in quem statum redactus est ille, quem persequimini, cujus saltem ut hominis, tam miserabili spectaculo commoti miseremini. Quæ verba mysteriosa expendens Augustin. Si Regi, inquit, invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis, flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosâ veste amictus, amaris convitiis illusus, alapis cæsus est : fervet ignominia, frigescat invidia.

6. CUM ERGO VIDISSENT EUM PONTIFICES, metuentes, ne populus beneficiorum memor ad misericordiam flecteretur, primi eruperunt in clamores, ut populo essent duces, ET MINISTRI, qui pro dominorum voluntatibus, à quibus stipendium accipiunt, & promotionem sperant, zelare solent, clamabant : CRUCIFIGE, CRUCIFIGE : quâ repetitione animi ardorem & aversionis magnitudinem significant. DICIT EIS PILATUS, offensus videlicet, tum quòd tam immani supplicio nondum placati essent, tum verò quòd se vi cogere vellent, ut tam injustæ necis auctor esset. Itaque dicit eis : ACCIPITE EUM VOS, ipsi, si tam injusti estis, ET CRUCIFIGITE, si videtur. Est enim non concedentis, sed horrentis crimen : quia, ut Chrysost. notat, itémque Cyril. sunt verba indignantis, monentisque, ut ipsemet rem tam illicitam perpetrent, insontem occidendo. EGO ENIM NON INVENIO IN EO CAUSAM, & proinde non faciam id, quod petitis.

6. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eũ. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, & crucifigite : ego enim non invenio in eo causam.

7. RESPONDERUNT EI JUDÆI : NOS LEGEM HABEMUS, q. d. Si tu non invenis eo causam, juxtà leges Romanas, nos invenimus maximam, quam hactenùs suppressimus, ut intelligas nos non odio, sed veritate niti. Nam SECUNDUM LEGEM NOSTRAM DEBET MORI, id est, mortis reus est, QUIA FILIUM DEI SE FECIT, ac proinde blasphemavit : quemadmodum concordi sententiâ culpam Christo imputatam ad blasphemiam apud cæteros & Evangelistas retulerant. Blasphemis autem decernitur pœna capitis, Levit. 24. v. 16. & Deut. 13. vers. 5. 9. 10. Postulant ergò mortem juxtà Legem, quia Judæi permissi erant à Cæsare suis legibus vivere.

7. Responderunt ei Judæi : nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

8. CUM ERGO AUDISSET PILATUS HUNC SERMONEM, quòd se Filium Dei asseruisset, MAGIS TIMUIT. Hactenus enim territus fuerat innocentia ejus, nunc religione ; ne non solùm injustus in hominem, sed & impius in Deum esset. Ethnicis enim assuetus fabulis, facilè Jesum esse, vel Deum aliquem credidit, quemadmodum Act. 14. vers. 10. Lycaones Paulum & Barnabam, vel certè deorum filium. Quò maximè juvabant notissima ejus miracula, sapientia, & in tantis tormentis & ignominiis perferendis tam inusitata æquanimitas & constantia. Quamquam aliunde etiam dici possit, eum magis timuisse, quòd scilicet, vel eum flagellasset, sicut timuit Act. 16. vers. 39. Magistratus Philippensis, audito, quòd Paulus & Barnabas flagellati, cives essent Romani. Itaque rem non carentem fundamento accuratiùs exploraturus, seorsim

8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.

9. INGRESSUS EST PRÆTORIUM ITERUM, ET DIXIT AD JESUM :

9. Et ingressus

est prætorium iterum : & dixit ad Jesum : Unde es tu ? Jesus autem responsum non dedit ei.

UNDE ES TU ? id est, quæ origo tua, seu de quibus parentibus, cœlestibus, an terrenis ? Videtur enim magis de patre, quàm de patria quærere. JESUS AUTEM RESPONSUM NON DEDIT EI : tum quia Pilatus satis noverat innocentiam ejus, quòd ad absolvendum sufficiebat : tum quia didicerat etiam, quantùm satis erat, id ipsum, quod quærebat, cùm audiverat, *Regnum meum non est de hoc mundo :* nam profundioris explicationis, quòd esset Filius Dei ab æterno, incapax erat. Pilatus se contemni ratus

10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris ? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te ?

10. DICIT EI, cum stomacho : MIHI NON LOQUERIS ? Judici videlicet tuo ? Nam quod illud, *Mihi*, involvat, statim explicat : NESCIS QUIA POTESTATEM HABEO CRUCIFIGERE TE, &c. potestatem, non æquitatem, inquit August. in Psalm. 118. Spirant enim hæc verba tyrannidem, quia significant eum habere potestatem pro libitu utrumlibet faciendi, vel crucifigendi, vel dimittendi ; quam potestatem judices non habent. Itaque Pilatus, quamquam de cætero prudens, hîc apparet impius, dum latroni se parem facit ; & insipiens, dum nemini putat judices etiam supremos reddere debere sententiæ suæ rationem.

11. Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.

11. RESPONDIT JESUS, comprimere volens Pilati jactantiam, qua præ se ferebat, penes se esse vitæ & necis ejus arbitrium : NON HABERES POTESTATEM ADVERSUM ME ULLAM, neque crucifigendi, neque flagellandi, neque juris, neque facti in me tamquam Filium Dei, NISI TIBI DATUM ESSET DESUPER, id est supernè de cœlo, peculiari scilicet Dei consilio permittentis. Agitur enim de illa potestate, de qua dictum fuit Judæis, *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum :* Quæ potestas per illam Dei permissionem non abstergit peccatum in eo, cui datur. PROPTEREA QUI ME TRADIDIT TIBI, populus videlicet Judaicus, ut est cap. 18. vers. 35. MAIUS PECCATUM HABET, scilicet quàm tu quia illi invidendo, tu timendo ; illi intentione occidendi, tu consulendi, liberandi injuriam contulisti : quorum illud isto longè gravius est. Ita plerique. Quamquam videatur notari peccati excessus ex parte potestatis : nam Judæi qui Jesum tradiderant Pilato occidendum, longè certiùs noverant, quàm ipse Pilatus, neque se, neque Pilatum habere ullam adversùs eum potestatem. Non excusat igitur hîc Jesus Pilatum, sed indirectè accusat peccati, licet minoris, quod tamen directè ab eo intelligi volebat.

12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris ; omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.

12. ET EXINDE, Græcè ἐκ τούτου, *ex hoc*, quod exponi potest ex illo tempore, vel etiam propter hoc, ut Syrus, seu ex hac causa, ut August. quòd scilicet Pilatus animadverteret eum non negasse quòd esset Filius Dei, sed potiùs asseruisse : & insuper repressisse intrepidè arrogantiam suam ; nec illa Dei permissione, vel consulendi intentione excusatum esse peccatum suum : QUÆREBAT PILATUS DIMITTERE EUM, seriò scilicet multòque magis quàm antè. Quod propositum suum statim prætorio egressus palàm declaravit. Nam hac de causa animadvertentes Judæi Pilatum omnibus hactenus allatis argumentis invictum esse, ex parte Cæsaris eum aggrediuntur, ubi minùs munitus erat. Sicut enim hostis clausos obsidens muros, explorat ac tentat omnem aditum ; ita diabolus omnium discutit consuetudines,

fuetudines, ventilat curas, ſcrutatur affectus, & ibi cauſas quærit nocendi, ubi quemque viderit ſtudioſiùs occupari, ut S. Leo Serm. 7. de Nativitate. Itaque CLAMABANT JUDÆI: SI HUNC DIMITTIS, NON ES AMICUS CÆSARIS, id eſt, declaras te inimicum Cæſari, cujus locum tenes, & cujus jura tueri debes: plus enim ſignificant, quàm dicunt, tacitéque accuſationem perfidiæ apud Cæſarem minantur. Quo ſanè nihil apud Pilatum terribilius dici poterat, cujus & ſtatus, & vita inde pendebat. OMNIS ENIM, QUI SE REGEM FACIT, non concedente Cæſare, in provinciis Romani imperii, CONTRADICIT CÆSARI, id eſt hoſtis eſt Cæſaris, & perduellionis reus, utpote lædens majeſtatem & auctoritatem ejus. Neminem enim patiebantur Cæſares uſurpare Regiam poteſtatem in Judæa, in ò nec nomen, niſi ſuo conceſſu. Quam ob cauſam Archelaus, filius Herodis Magni, graviter accuſatus fuit, quòd vel paſſus eſſet ſe Regem haberi à militibus ante Cæſaris permiſſum; & ad nomen illud obtinendum Herodes Tetrarcha Romam profectus eſt.

13. PILATUS AUTEM CUM AUDISSET HOS SERMONES, de læſo Cæſare, cui eum ſuſpectum facere minabantur, ADDUXIT FORAS JESUM, prorſus ſuccumbens timori, qui omnibus clamoribus Judæorum infractus fuerat; ſimilis videlicet illis, qui tamdiù pro juſtitia fortiter certant, quamdiù nullum imminet fortunarum, aut honoris, aut ſtatus, aut vitæ periculum: ET SEDIT PRO TRIBUNALI, id eſt, habitu judicis conſcenſo tribunali ſedet ad ferendam ſententiam, IN LOCO, QUI DICITUR Λιθόστρωτος Græcè, *lapidibus ſtratus*, quòd pavimentum eſſet ſtratum lapidibus, HEBRAICE AUTEM, hoc eſt Syriacè, qua lingua tunc Hebræi utebantur tamquam vernaculâ quæ non eſt purè Hebraica, ſed mixta Caldaicæ, diſcrepans multùm dialectis ab utraque, GABBATHA. Quod ſi deducatur à Syriaco, גב, *Gab*, ſignificabit, ut Græcum, viam lapidibus ſtratam: ſin autem ab Hebraico, גבוח *Gavách* & *Gavoagh*, ſignificabit altum, ſeu eminentem locum. Erat enim porticus in modum pontis lapidei frequentibus arcubus ſupra plateam publicam exſtructa, ac ſubdialibus inambulationibus ornata; per quam à Pilati palatio in Antoniam arcem, & inde in templum tranſitus erat, ut Andrichomius in ſuo Theatro Terræ ſanctæ, ubi dicit peregrinis adhuc oſtendi arcum lapideum, cum hac inſcriptione: *Tolle, Tolle, Crucifige*. Ex hoc loco populum Præſides Romani alloqui ſolebant, ut commodiſſimè ab omnibus videri & audiri poſſent. In hoc ergò etiam tribunal portatile poſitum fuit, quod Pilatum aliquando in ſtadio collocaſſe, pro re nata, notat Joſephus lib. 18. Antiquit c. 4. & Florum ante Regiam lib. 2. De bello Judaico cap. 14.

13. Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Jeſum: & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraice autem Gabbatha.

14. ERAT AUTEM PARASCEVE, quæ eſt dies præcedens ſabbatum, ſeu feria noſtra ſexta, *Paraſceve* dicta quaſi præparatio, quòd eâ die præpararentur pro ſabbato ſequente ea, quæ ipſo ſabbato præparari non poterant. PASCHÆ, id eſt, incidens in Paſcha, ſeu Paſchales dies, HORA QUASI SEXTA, id eſt, circiter ſexta: quod quo pacto congruat Marco, qui dicit, *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum*, ibi latiùs diximus. ET DICIT JUDÆIS: ECCE REX VESTER. Quæ

14. Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta, & dicit Judæis: Ecce Rex veſter.

verba videntur esse irridentis, partim Judæos, si esset iste Rex ipsorum Christus; partim Jesum, si non esset: simúlque misericordiam commoventis talis ipsius spectaculo, qui tam malè tractatus erat, videlicet, ut ita, sive esset Rex ipsorum, sive non esset, liberaretur.

15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Respondérunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

15. ILLI AUTEM CLAMABANT: TOLLE, TOLLE CRUCIFIGE EUM. Spirant verba odium acerbissimum omnisque moræ impatientes animos: quasi dicerent id, quod est Sapientiæ 2. *Gravis est nobis etiam advidendum, aufer eum ex oculis nostris.* DICIT EIS PILATUS: REGEM VESTRUM CRUCIFIGAM! tantæ præsertim innocentiæ, & tam benè de vobis meritum? Quæ verba ponderans Cyril. Tantæ, inquit, apud vos opinionis eum crucifigam? Quid enim ei exæquari potest? imò verò quid in eo minus Filio Dei atque Rege? Et expositionem complens August. Adhuc, inquit, timorem, quem de Cæsare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere, quos de ignominia Christi mitigare non potuit: sed timore mox vincitur. RESPONDERUNT PONTIFICES, qui ad omnia ista insana responsa populo duces fuerunt: NON HABEMUS REGEM, NISI CÆSAREM. Itaque ex odij magnitudine renuntiant hîc publicè Messiæ sibi divinitùs promisso, & innumerabilibus beneficiis commendato, in quo tota ipsorum religio fundata erat, & consequenter renuntiant Moysi & Prophetis, dum nativæ suæ libertati ethnici hominis servitutem præferunt. Ut meritò prædixerit Daniel cap. 7. v. 26. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est:* & Oseæ c. 1. vers. 9. *Non populus meus vos, nec ego Deus vester.* Quamobrem jure, quod Cyril. notat, in Cæsaris, quem elegerant, potestatem traditi sunt, & in innumerabiles belli calamitates præcipitati.

16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Suscepérunt autem Jesum: & eduxérunt.

16. TUNC ERGO TRADIDIT EIS ILLUM, &c. Non ausus ultrà resistere, quia, ut August. apertissimè contrà Cæsarem venire videretur, si Regem se non habere, nisi Cæsarem, profitentibus, alium Regem vellet ingerere, dimittendo impunitum eum, quem propter hos ausus ei occidendum tradiderant. Porrò tradidisse eis dicitur, cum tamen Romanis militibus traditus sit, quia videlicet tradidit eum voluntati eorum, seu adjudicans fieri petitionem eorum, ut Lucas. De crucifixione, titulique verbis, vide Matthæum. Cùm ergò crucifixissent eum, imposuit titulum.

17. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha:

18. Ubi crucifixérunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Jesum.

19. Scripsit autem & titulum Pilatus: & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.

20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce & Latine.

20. HEBRAICE, GRÆCE, ET LATINE. Lucas Græcam linguam primo loco posuit, neglecto scilicet vero ordine, quem talem fuisse, ut hîc adscribitur, fatentur qui eum viderunt Romæ. Itaque Latina, tamquam quæ digniori Romano Præsidi videretur, capiti proxima fuit, in medio Græca, prostremò Hebraica à capite remotissima: ad præfigurandum, quòd Latini, seu Ecclesia Latina futura esset Christo proxima, tamquam Ecclesia principalis, ut loquitur Cyprian. & caput ejus: Græci medij, Hebræi remotissimi, ac tandem ultimis temporibus Ecclesiæ accensendi. Interim ex illius tituli dignitate tres istæ linguæ divinis officiis consecratæ sunt.

21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum Noli ſcribere, Rex Judæorum : ſed quia ipſe dixit : Rex ſum Judæorum.

21. Dicebant ergo Pilato, &c. Noli scribere, Rex Judæorum. Duplex petitæ mutationis cauſa fuit : una, ignominia ſua ; ſentiebant enim ſibi apertè exprobari, quòd Regem ſuum Meſſiam crucifixiſſent, quemadmodum reverâ hoc eis Pilatus exprobratum videtur voluiſſe : altera, gloria Chriſti, cui & morienti invidebant ; titulus enim iſte ſpeciem potiùs trophæi, quàm damnationis præ ſe ferebat. Itaque ſcribi volunt : quia ipse dixit, Rex sum Judæorum, hoc eſt, quòd ſibi illam dignitatem uſurpaverit. Talem enim crucifixiſſe fuiſſet vice versâ Judæis glorioſum, Jeſu ignominioſum.

22. Reſpondit Pilatus : Quod ſcripſi, ſcripſi.

22. Respondit Pilatus, Quod scripsi, scripsi, hoc eſt, nolo immutare, maneat ſcriptum, quod ſcripſi. Perſtitit ergò Pilatus, tum ex naturali judicio, quia non licebat hoc ei ; nam ut Apuleius in Floridis, Proconſulis tabella, ſententia eſt quæ ſemel lecta, neque augeri littera una, neque minui poteſt : tum divino inſtinctu, quia Spiritus ſanctus voluit indelebilem illam veritatem toti mundo innoteſcere. Ut enim Cyril. Stabile & ſuper calumniam eſt Chriſti regnum : &, ut Hieron. Invitis etiam Judæis, Jeſus eſt Rex Judæorum, hoc eſt imperator credentium & confitentium.

23. Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.

23. Milites ergo accepérunt vestimentum eius, et fecerunt quatuor partes, non tot integra veſtimenta dividendo, ſed ea ſcindendo : unicuique militi partem. Unde apparet, inquit Auguſt. quatuor fuiſſe milites, qui in eo crucifigendo Præſidi paruerunt. Et tunicam, interiorem, ſupple, acceperunt : nam vox χιτὼν propriè veſtem corpori adhærentem ſignificat. Erat autem tunica inconsutilis, unde nec diſſui poterat, desuper contexta per totum, id eſt, à ſummo ad imum uſque uno continuo ductu texta. Opus fuiſſe B. Virginis Euthym. tradit, & apud pleroſque receptum eſt. Cujuſmodi tunicis pauperes Galilæos indui ſolitos, ut pote ex vulgari materia, docet Iſidorus Peluſiota libro primo, Epiſtol. 74.

24. Dixerunt ergo ad invicem : Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit : Ut ſcriptura impleretur : dicēs : Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi : & in veſtem meā miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

24. Dixerunt ergo : Non scindamus eam, ne prorſus fiat inutilis ; veſtis enim texta ſciſſione in fila diſſolvitur : sed sortiamur de illa cuius sit, ut vel unus ſaltem commodum inde ſentiat. Hoc autem eos reipſâ feciſſe declarat allato vaticinio : Ut Scriptura impleretur, id eſt, ita ut impleretur. Non enim ſignificatur cauſa, quam ſpectaverint milites, ſed eventus : nam ipſi ex avaritia, Deo tamen occultè dirigente, ſcindi eam noluerunt. Partiti sunt vestimenta mea, cætera, et super vestem meam, id eſt, ſuper unam veſtium mearum, tunicam ſcilicet, miserunt sortem. Ex quo non ſequitur, ſortem non eſſe miſſam ſuper cætera veſtimenta (nam ex Marco conſtat hoc eſſe factum) ſed ſuper iſtam ita ſortem eſſe miſſam, ut diviſa non fuerit. Prædicta ſunt iſta minuta, ne quis ſcandalum ex tanta Chriſti nuditate & ignominia pateretur. Agebantur autem occultiori inſtinctu Dei ad myſteria præſignanda. Nam *Tunica* ſignificabat, auctore Auguſt. in Pſalm. 21. & Epiſtol. 171. charitatem, quæ verè deſuper eſt contexta per totum, quia ex charitate Dei charitas proximi gignitur, nec ipſa dividi poteſt, ut charitas Dei ſit ſine charitate proximi ; nec ſchiſmata aut diviſiones in Eccleſia

facit, aut fieri ſinit. Unde Cyprian. per illam eamdem tunicam intelligit ſignificari Eccleſiam, quæ velut veſtis adhærens Chriſto, ſic una eſt, ut dividi nequeat: ſed qui eam deſerit, non tam eam ſcindit in partes, quàm ab ea ſeipſum abrumpit, ea integram relinquens. Nec magno myſterio caret, quod dicitur, *Sortiamur de illa, cujus ſit*; charitas enim, & eſſe de Eccleſia, ſorte obtingunt: quia ſicut ſortis eventus non eſt in noſtra poteſtate, ſed eum caſus adfert; ſic gratia Domini charitatem adferens, & Eccleſiæ inſerens, non quaſi ex mercedis merito, ſed ex Dei voluntate defertur, ut Ambr. Exhortatione ad Virgines.

25. Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.

25. STABAT AUTEM IUXTA CRUCEM JESU MATER EIUS. Ex quibus verbis colligitur primò amoris ardor, quo incitata per medias inſolentium hominum turbas uſque ad ipſam crucem ſecuta ſit filium, neque ſexum morata, nec opprobria inſultantium tamquam matri crucifixi, neque periculum: quæ parata erat, inquit Ambroſ. lib. 10. in Lucam, & ſuâ morte publico muneri redemptionis mundi aliquid, ſi Deo placuiſſet, addere. Secundò, animi conſtantia, ut quæ non deliquio ceciderit, quemadmodum pictores nonnulli fingunt, ſed viriliter ſteterit. Stabat enim, inquit idem Ambroſ. fugientibus viris, intrepida. Stabat non degener mater ſpectaculo, piis ſpectans oculis vulnera filii, quia expectabat non pignoris mortem, ſed mundi ſalutem. Tertiò, doloris magnitudo ex compaſſione tormentorum filii nata, propter quam plerique Patres, Cyril. & alii, hîc impletum volunt Simeonis vaticinium, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, id eſt, doloris magnitudo. ET SOROR MATRIS EIUS, ita propter affinitatem dicta, quia ſoror Joſeph, mariti B. Virginis; quæ ſoror vocabatur MARIA CLEOPHÆ. Ubi ſubaudiri poteſt, vel *filia* vel *mater*, vel, quod veriſimilius eſt, *uxor*. Hæc vocatur à Matth. & Marco *Maria Jacobi & Joſeph*, ſcilicet mater. ET MARIA MAGDALENE; quæ quidem mulieres dicuntur apud Matthæum à longè ſtetiſſe, hîc autem juxta crucem: ſed utrumque ſucceſſivè fieri potuit, ut primò propè ſteterint, deinde receſſerint.

26. Cum vidiſſet ergo Jeſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus.

26. CUM VIDISSET ERGO JESUS MATREM, ET DISCIPULUM STANTEM, QUEM DILIGEBAT, propter virginitatem & ſapientiæ profundum, ut Hieron. contra Jovinianum, & in capit. ult. Zachariæ. Adde, ut alii, propter morum ſuavitatem, verecundiam, ætatis teneritudinem. Nam dilectio iſta major videtur ſignificare majora familiaritatis & benevolentiæ indicia, quæ exhiberi illis ſubinde ſolent, qui minori dilectionis æſtimatione diliguntur. DICIT MATRI SUÆ, hoc ipſo ſe genuinum filium ejus declarans, quòd ipſius curam non deſerat, ut Paulinus Nolanus notat Epiſt. 38. MULIER, non matrem vocat, tum ne altiùs viſcera dilectionis & doloris concuteret, tum quia alium ei jam filium adoptabat, ECCE FILIUS TUUS, erit iſte tibi deinceps meo loco, qui ſcilicet tuis obſequiis obſtrictus erit eo jure, quo filius maternus. Videtur autem nutu oculorum vel capitis Joannem deſignaſſe, ſicut ſtatim ſimili nutu matrem, quando

27. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.

27. DEINDE DICIT DISCIPULO: ECCE MATER TUA, cujus ſcilicet deinceps curam geres tamquam matris tuæ, eadem videlicet dilectio-

ne, ſollicitudine, ac reverentiâ. Joanni ergò præ cæteris matrem commendat, tamquam puram puro, virginem virgini, ſapientiſſimam ſapienti. Cum quo enim virgo habitare debebat, niſi cum eo, quem filii heredem, integritatis ſciret eſſe cuſtodem? inquit Ambroſ. lib. De inſtituit. Virginum. Qui notat Epiſtol. 82. Chriſtum hîc condidiſſe domeſticum teſtamentum, exemplo ſuo nos inſtruendo, ut à filiis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magiſtri docentis. ET EX ILLA HORÀ ACCEPIT EAM DISCIPULUS IN SUA, Græcè εἰς τὰ ἴδια, *in propria* (eſt quarti caſus pluralis numeri) hoc eſt in domum ſuam, in qua habitabat, & conſequenter in curam ſuam, tamquam matris ſuæ. Unde aliqui exponunt, *in ſua*, id eſt, in rerum ſuarum numerum, tamquam adoptans eam ſibi in matrem ſuam. Unde non miror, inquit Ambr. eodem loco, Joannem præ cæteris locutum divina myſteria, cui præſto erat aula cœleſtium Sacramentorum.

ce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

28. POSTEA JESUS SCIENS, QUIA OMNIA CONSUMMATA SUNT, *omnia*, quia maxima pars. Unde Auguſtin. Omnia, quæ fieri oportebat, antequam Dominus acciperet acetum ac traderet ſpiritum, UT CONSUMMARETUR SCRIPTURA, illa ſcilicet quâ Pſaltes in perſona Chriſti verbis præteriti temporis prædixerat futurum, *Et in ſiti meâ potaverunt me aceto*; DIXIT, cui verbo jungendum eſt illud adverbium, *poſteà*, quod præceſſit. SITIO, verâ ſcilicet ac naturali ſiti, quæ ſanguinem exhauſtum, doloréſque & cruciatus ſequi ſolet, ut Cyrill. quia humor conſumitur. Indicatam eam voluit, non ut ſolamen potûs obtineret, quod ſibi negatum iri præſciebat, ſed partim ut humanæ naturæ, ſuppliciique veritatem patefaceret, cujus naturales effectus patiebatur, partim, ut etiam iſtud, quod Pater ex prævisa Judæorum malitia ei patiendum decreverat, pateretur, cujus occaſionem eis juſta de cauſa offerre voluit.

28. Poſtea ſciens Jeſus quia omnia conſummata ſunt, ut conſummaretur Scriptura, dixit: Sitio.

29. VAS ERGO ERAT POSITUM ACETO PLENUM. Pro *Vas* Hilarius legit *Concham*, quod certum eſt genus vaſis. Loquitur autem Evangeliſta tamquam de re uſitata: poni enim ſolebat *Acetum*, non ad potandum, ſed partim ad addendas vires, ſi quis in illis tormentis animo deficeret (quem uſum etiamnum habet:) partim ad ſiſtendum ſanguinem, ex vulneribus defluentem, quâ vi pollere acetum tradit Dioſcorides, & alii paſſim. Eumdem uſum habet *Spongia*, quæ aderat, non ſolùm ut vehiculum eſſet aceti, ſed in primis, quia & ipſæ ſanguinem ſiſtunt, de quo Plinius lib. 31. cap. 11. Recentes ſpongiæ diſcutiunt, molliunt, mitigant; veteres conglutinant vulnera. Item, ſanguinis profluvium ſiſtunt, ex aceto, aut frigidâ. Illi autem Romani milites abutentes illis inſtrumentis ad illudendum morienti, SPONGIAM PLENAM ACETO, HYSSOPO CIRCUMPONENTES. Locus eſt perdifficilis, cui enodando ſex aut ſeptem expoſitiones adhibentur. De ſpongia plena aceto, juxta prædicta non eſt difficultas; ſed quomodo hyſſopo circumpoſuerunt? Guilielmus Eſtius ſuſpicatus eſt pro ὑσσώπῳ Græcè legendum eſſe ὑσσῷ, pro quo Latini ex Græco *Geſſum* dicunt, & ſignificat pilum ſeu jaculum; & ſic idem eſſet ὑσσῷ *circumponentes*, quod Marcus dixit, *circumponentes calamo*, & Matthæus, *im-*

29. Vas ergo erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.

ex aëris intemperie extinguerentur, iterum ex laternis accendi posſent, ET ARMIS, gladiis & fuſtibus, ut Matth.

4. Jeſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis:

4. JESUS ITAQUE SCIENS OMNIA QUÆ VENTURA ERANT SUPER EUM, ne quis eum imprudentem putet in manus inimicorum incidiſſe, PROCESSIT, Græcè ἐξῆλθεν, *egreſſus eſt*, ſcilicet horto, vel ad egrediendum ſe parans proceſſit obviam eis, ET DIXIT EIS: QUEM QUÆRITIS? Cui reſpondent. JESUM NAZARENUM, quo nomine vulgò vocabatur. Itaque quia non dicunt, Quærimus te, ſignificatur iſto reſponſo, eos quamvis præſentem & loquentem necdum agnoviſſe, ac proinde ſignum Judæ tunc nondum fuiſſe exhibitum, ut quidam putant. Unde etiam.

5. Reſponderunt ei: Jeſum Nazarenum. Dicit eis Jeſus: Ego ſum. Stabat autem & Judas, qui tradebat eum, cum ipſis.

5. STABAT JUDAS CUM IPSIS, exſpectans opportunitatem ejus tradendi, finito colloquio, ac diſſimulans ſe de illorum eſſe ſocietate, ut quaſi caſu in eos incidiſſe videretur.

6. Ut ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorsùm: & ceciderunt in terram.

6. UT ERGO DIXIT EIS: EGO SUM, ABIERUNT RETRORSUM, ET CECIDERUNT, id eſt retrorſum repulſi in tergum ceciderunt, unius videlicet vocis non increpatione, non comminatione, ſed majeſtate, veluti turbine proſtrati. Nam illa verba, *Ego ſum*, divinitatis confeſſionem continent, quàs eis voluit manifeſtiùs quodammodo divinitatis ſuæ virtutem exhibere, ut meritò S. Leo dicat Serm. 1. de Paſſione: Quid jam poterit majeſtas ejus judicatur cujus hoc potuit humilitas judicanda? Hoc igitur ſuæ virtutis ſpecimine exhibito, ſciens quid magis ſuſcepto myſterio conveniret, in hac poteſtate, inquit Leo, non perſtitit, ſed perſecutores in facultatem diſpoſiti ſceleris redire permiſit.

7. Iterum ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jeſum Nazarenum,

7. ITERUM ERGO INTERROGAVIT: QUEM QUÆRITIS? ILLI AUTEM DIXERUNT, perſonæ ipſius, ut videtur, adhuc ignari, vel ignominiâ caſus ſui eam nolentes confiteri, rursùm non dicunt, *Te quærimus*, ſed JESUM NAZARENUM. Unde patet manifeſtiſſima miracula in illos ipſos peccatores edita converſioni non ſufficere, niſi interna Dei gratia cor emolliat.

8. Reſpondit Jeſus: Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.

8. RESPONDIT JESUS: DIXI VOBIS, QUIA EGO SUM, id eſt, me eſſe. Quæ verba continent tacitam exprobrationem ſtuporis eorum, quòd præſentem, claréque ſe profitentem non agnoſcerent; & imbecillitatis eorum, quòd non comprehenderent. Nam ad oſtendendam illam imbecillitatem eorum, ſuamque majeſtatem, & voluntariam comprehenſionem, uno verbo eos proſtraverat. SI ERGO ME QUÆRITIS, SINITE HOS ABIRE, liberos & illæſos. Quæ verba continent efficax præceptum, ſeu potiùs efficacem operationem, quâ diſcipulos ab eorum manibus vindicavit. Nam illo factum eſt, ut nec Petrum ferociter pugnantem, nec poſtea, in medio ſui deprehenſum, nec Joannem ſub cruce, nec quemquam aliorum apprehenderint. Quo iterùm oſtendit, ſe liberum abire poſſe, ſi vellet. Cauſa hujus dimiſſionis Apoſtolorum erat, quòd ipſum ſolum nunc pati, Apoſtolos teſtes paſſionis ejus eſſe conveniret: effectus verò, ut ſic

9. Ut impleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non

9. IMPLERETUR, id eſt, ne falſus videretur, SERMO, QUEM DIXIT cap. præced. v. 11. ubi expoſitus eſt.

perdidi ex eis quemquam.

ED. SIMON

10. SIMON ERGO PETRUS, defensionis sui Domini aviditate, & majore quàm fas erat commotione, quia fretus, inquit Chrysost. his, quæ facta erant scilicet eorum prostratione, PERCUSSIT PONTIFICIS SERVUM, ferociùs instantem, inquit Leo, ET ABSCIDIT AURICULAM EIUS DEXTERAM. Quo notat illos significari August. lib. de agone Christianorum cap. 29. qui audire non possunt quod dexterum est, id est, res bonas.

10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.

11. DIXIT ERGO JESUS PETRO, compescens impetum ejus, vitiosum quidem, sed qui servire virtuti posset, moderatus. Nam, ut August. lib. 22. contra Faustum cap. 70. Animæ virtutis capaces, & fertiles præmittunt subinde vitia, quibus indicent, cui virtuti potissimùm sint accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ, quale quid, & in Moyse contigisse docet occidente Ægyptium. Uterque enim ostendebat sibi non deesse animum defendendi innocentes. Compescit autem Petrum inter cætera etiam hac ratione: CALICEM, QUEM DEDIT MIHI PATER, &c. id est, hanc patiendi sortem quam mihi Pater veluti calicem bibendum miscuit, non suscipiam? q. d. Patiarne cujusquam humanitate aut studio ab hoc tam acceptabili Dei beneficio me prohiberi? Quo animi ardore dicitur in Psal. 115. ex persona Martyrum: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.*

11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?

12. COHORS ERGO ET TRIBUNUS, Græcè χιλίαρχος, id est, *Præfectus mille virorum.* Ex cujus præsentia colligunt quidam non malè totam cohortem, vel magna ex parte adfuisse, quam constitisse volunt mille, & paulò pluribus capitibus: timebant enim virtutem ejus, fautorum multitudinem, tumultumque aliquem plebis. COMPREHENDERUNT JESUM, ET LIGAVERUNT, securitatis suæ, & ipsius ignominiæ causâ, tamquam sceleratum.

12. Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum:

13. ET ADDUXERUNT EUM AD ANNAM, non ex professo; eùm ad Caipham eundum esset; sed ex occasione domus Annæ, quæ occurrebat, ut August. in itinere: nempe quasi triumphum dutentes, inquit Chrysost. & præ voluptate de tali captivo gestientes, ut oculos Annæ tali spectaculo pascerent. ERAT ENIM SOCER CAIPHÆ; qui proinde Annam tamquam patrem honorabat, propter affinitatem ac dignitatem viri. Itaque simul Caiphæ hac in re gratum facere voluerunt. QUI ERAT PONTIFEX ANNI ILLIUS, qua de re, sicut & de versu 14. alibi dictum est. In quo versu 14. latet tacita transitio. Significat enim Jesum ab Anna ad Caipham, tamquam verum tunc Pontificem traductum esse. Nam & vox, *Pontifex*, sæpiùs in sequentibus absolutè posita eum significat, qui absolutè Pontifex erat, hoc est, Caipham. Nam Annas non nisi socer Caiphæ Pontificis vocatur vers. 13. & Matth. satis clarè significat examen sequens in domo Caiphæ esse factum, nempe c. 26. v. 57. & seqq.

13. Et adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius.

14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15. SEQUEBATUR AUTEM JESUM SIMON, ET ALIUS DISCIPULUS, QUI ERAT NOTUS PONTIFICI: & hæc notitia fretus nihil sibi evenire posse, ausus est introire CUM JESU IN ATRIUM PONTIFICIS, hoc est, in aulam, ut Græcè; εἰς τὴν αὐλὴν, non enim hîc intelligitur locus sub dio. Quis discipulus ille fuerit, contenditur: Chrysost. Joannem Evan-

15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus

pe cardio aquam contineri, falsum esse docent Medici peritissimi, qui asserunt humorem esse colore flavum, sapore amarum, adeóque biliosum.

35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit; ut & vos credatis.

35 ET QUI VIDIT, id scilicet quod proximè narratum est, TESTIMONIUM PERHIBUIT, tamquam testis oculati, & sancti Spiritus impulsu istud litteris commendantis, qua periphrasi in tertia persona, modestiæ causâ seipsum describit. ET ILLE SCIT, QUIA VERA DICIT, id est, benè sibi conscius, est se vera dicere, ideoque hoc testatur, UT ET VOS CREDATIS, id quod narravit. Quâ tantâ inculcatione indicat, se in rem reverâ valdè solitam, & miraculosam narrasse, quæque magnum mysterium contineret. Quod explicans Hieron. in cap. 48. Isaiæ, putat *Aqua* & *Sanguine* Baptismum & Martyrium significari: Tertull. Carm. contra Marcionem lib. 2. cap. 4. *Aqua* Baptismum, *Sanguine* Ecclesiam: sed rectiùs Cyril. Chrysost. & in primis Augustin. notant *Aquâ* exprimi Baptismum, *Sanguine* Eucharistiam. Per aquam, inquit Chrysost. regeneramur, sanguine & carne nutrimur. Et quia illud Sacramentum est maximè necessarium, hoc verò præcellentissimum, hinc sub duobus illis omnia reliqua intelliguntur. Ut rectè Augustin. dixerit, ex Christi latere Sacramenta Ecclesiæ promanasse: itemque Ecclesiam Christi conjugem, ex ejus mortui latere originem traxisse, sicut Evam ex latere Adæ dormientis.

36. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.

36. FACTA SUNT ENIM HÆC, non temerè non casu, non militum consilio, sed profundiore Dei directione, UT SCRIPTURA IMPLERETUR, quæ de agno Paschali figuraliter prædixit: OS NON COMMINUETIS, Græcè συντριβήσεται, *comminuetur*, EX EO, agno, quem manducabitis. Quo significabatur, ita Christum à Judæis malè tractandum, ut tamen nullum ossium ejus conflingeretur, ut causa mystico sensu subtraheretur iis, qui Ecclesiam cupiunt in partes discindere, ut ait Athanas. Tract. de corporali adventu Verbi.

37. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

37. ET ITERUM ALIA SCRIPTURA DICIT quæ etiam ex parte aliqua per istam lateris apertionem implenda erat: VIDEBUNT IN QUEM TRANSFIXERUNT. Ubi prædicitur & transfigendus, & videndus: primum hîc, alterum in die judicii implendum erit, prout satis indicatur Apocalypsis 1. v. 7. Unde & Augustin. hinc docet promitti, Christum in ea, quâ crucifixus est, carne venturum. Quamquam satis aptè quoque intelligi possit prædictum, quòd Judæi videbunt oculis fidei Christum transfixum in die Pentecostes, & posteà quandò super eos effusus est spiritus precum & pœnitentiæ, quo planxerunt eum planctu, quasi super unigenitum, prout habetur Zachariæ 12. unde locus iste sumptus est.

38 Post hæc autem rogavit Pilâtum Joseph ab Arimathæa, (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Jesu:

38. POST HÆC ROGAVIT PILATUM JOSEPH, &c DISCIPULUS OCCULTUS, hactenus videlicet, quem tamen Lucas testatur fuisse virum bonum, & justum: ut intelligamus eum sic occultasse discipulatum, ut non peccaverit. Hic ergò tot mirabilibus in morte factis, & ipsâ passionis jam peractæ virtute roboratus, è latebris prorupit, nec detrectavit odiis exponere animam suam, in obsequium Domini. Reliqua de ipso vide apud Matthæum.

39. VENIT

59. VENIT AUTEM ET NICODEMUS, corpore jam depoſito, prout indicatur v. præcedenti, quo dicitur Joſeph tuliſſe corpus Jeſu. QUI VENERAT AD JESUM NOCTE PRIMUM: quo inſinuatur, & poſteà ſæpiùs veniſſe, ut diſcipulus fieret, quod notat Auguſt. Hic ergò ſumptâ ſimili audaciâ venit, FERENS MIXTURAM MYRRHÆ ET ALOES, id eſt, myrrham & aloën mixta, ea ſcilicet aromata, quæ maximè corpora ſervare ſolent, inquit Chryſoſt. Nam *myrrha* lacryma, quæ *Stacte* vocari ſolet, & *Aloë* ſummâ ſuâ amaritudine maximè reſiſtunt putredini. Videtur hoc tamen juxtà Judæorum conſuetudinem magis pompæ cauſâ factitatum, quàm ut diu corpus ſervaretur. Nam ad hoc extenſatio, aliáque magna cura neceſſaria eſt, QUASI LIBRAS CENTUM, VT quaſi unguentis corpus involutum fuiſſe videatur. Quâ copia demonſtravit ipſe ſui affectus magnitudinem, ſed Chriſtus ſervavit ſine aromatum ſubſidio corpus incorruptum, glorioſæ reſurrectionis acceleratione. Sepelierunt autem Chriſtum in horto propinquo, PROPTER PARASCEVEN JUDÆORUM, jamjam ſcilicet deſinentem in ſabbatum, quo operari non licebat, corpus remotiùs transferendo. Cætera alibi dicta ſunt.

39. Venit autem & Nicomedus, qui venerat ad Jeſum nocte primum, ferens mixturam myrhæ & & aloës, quaſi libras centum.

40. Acceperunt ergo corpus Jeſu: & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire

41. Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum novũ, in quo nondum quiſquam poſitus erat.

42. Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.

CAPUT VIGESIMUM.

CAPUT XX.

1. UNA AUTEM SABBATI, id eſt, prima die ſeptimanæ, quæ eſt Dominica, MARIA MAGDALENE, ~~imò~~ cum cæteris mulieribus. Illa tamen hîc ſola exprimitur, quia ut Cyril. ipſa ferventior, cæteriſque dux fuit, & princeps ad opus pietatis. Nam alias ſimul adfuiſſe inſinuat ipſa v. 2. dum dicit, *Neſcimus*, &c. VENIT MANE, CUM ADHUC TENEBRÆ ESSENT, non illæ denſiores, ſed quales in crepuſculo matutino, cælo jam albeſcente, quod Marcus dixit, *valde mane*, Lucas *valde diluculo*, ET VIDIT LAPIDEM SUBLATUM A MONUMENTO. Modus expoſitus eſt apud Matthæum.

1. UNa autem ſabbati, Maria Magdalene veni mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumẽtum: & vidit lapidem ſublatum à monumento.

2. CUCURRIT ERGO, quia ſcilicet vidit lapidem ſublatum, monumentum vacuum, & Angelos dicentes eum vivere, ſicut narrant illi, qui in Emaüs proficiſcebantur. Ex quo liquet, Magdalenam & mulieres narraviſſe quidem Apoſtolis reſurrectionem; non tamen ex propria ſententia, ſed tamquam ex ore Angelorum. Et cùm verba iſta viſa eſſent Apoſtolis ſicut deliramentum, ut ait Lucas ibid. c. 24. verſ. 11. mulieres eis conſentientes, ſuam ſententiam apertè protulerunt, dicendo: TULERUNT DOMINUM DE MONUMENTO. Hoc autem Magdalena præcipuè ad Simonem detulit, quia de illo dictum eis fuerat ab Angelis apud Matth. *Dicite diſcipulis ejus & Petro*: ad Joannem verò, quia cum ipſo juxta crucem ſteterat; putabat enim hæc illis duobus magis curæ futura ad corpus amiſſum requirendum. Cum ergò præ ardore rei cognoſcendæ currerent ſimul,

2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrũ, & ad alium diſcipulum, quem amabat Jeſus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus ubi poſuerunt eum.

3. Exiit ergo Petrus & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum.

4. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum.

4. ILLE ALIUS DISCIPULUS PRÆCURRIT CITIUS, Petro tamquam ætate junior, corpore agilior, ac robustior.

5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit.

5. ET CUM SE INCLINASSET. Apud Lucam vertitur idem verbum *procumbens*; ostiolum enim erat perquam humile, ita ut sepulchrum ab homine erecto inspici non posset. Quod facilè intelligitur, consideratâ monumenti formâ, quam descripsimus Matth. 28. VIDIT POSITA LINTEAMINA, quibus corpus totum involutum fuerat, luce per ostiolum istud se nonnihil diffundente. NON TAMEN INTROIVIT, sive præ timore, ut Euthymius, sive præ reverentia.

6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita.

6. VENIT ERGO PETRUS, & audacior atque curiosior, ut rem tantam penitùs exploraret, INTROIVIT IN MONUMENTUM, speluncam scilicet, ET VIDIT LINTEAMINA POSITA, Græcè κείμενα, *jacentia*, tamquam exuvias, certissimáque testimonia corporis absentis.

7. Et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.

7. ET SUDARIUM, &c. SEPARATIM INVOLUTUM, seu complicatum, IN UNUM LOCUM, quasi ex professo aliquis omnia sic ordinasset; in argumentum videlicet, ut Chrysost. notat, quod non perturbatè & festinanter à furibus ablatum esset, relictis sindonibus pretiosis, sed quòd cum auctoritate, omnique securitate Dominus revertà surrexisset, nullisque terrenis ampliùs exuviis indigeret.

8. Tunc ergo introivit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit:

8. TUNC ERGO INTROIVIT ET ILLE DISCIPULUS QUI VENERAT PRIMUS AD MONUMENTUM: ET VIDIT, ET CREDIDIT, oculis scilicet suis. Sed quid vidit, quid credidit? Respondet Aug. cui Theophyl. consentit. Vidit inane monumentum, & credidit id, quod dixerat Magdalena, eum de monumento sublatum esse argumentis veræ resurrectionis adversùs eam detortis. Hoc autem eos credidisse, rectè probat Aug. ex eo, quod sequitur,

9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.

9. NONDUM ENIM SCIEBANT SCRIPTURAM, QUIA, seu quòd, OPORTEBAT EUM A MORTUIS RESURGERE. Nam ista ignorantia non causat fidem resurrectionis, sed potiùs infidelitatem. Et ideò quandò resurrectionem ab ipso Domino audiebant, quamvis apertissimè loqueretur, ex ignorantia tamen Scripturarum, & consuetudine audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, & aliquid aliud significare eum credebant.

10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

10. ABIERUNT ERGO ITERUM DISCIPULI AD SEMETIPSOS, ad domicilium ubi habitabant, & unde ad monumentum cucurrerant, ut Augustin. inter se scilicet mirantes, quod factum fuerat, ut est apud Lucam. Cùm ergò redjissent Apostoli domum, & cæteræ mulieres essent à sepulchro remotiores,

11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, & prospexit in monumentum:

11. MARIA STABAT AD MONUMENTUM: infirmiorem enim sexum fortior figebat affectus. Stabat autem FORIS, extra monumentum, in modum quærentis, & identidem cogitantis quò tandem ablatum esse posset corpus Domini sui, PLORANS, non quòd interfectus esset; sed quòd corpus inveniri posse desperaret, ut cujus non solum vita jam subtracta esset, sed nec memoria remaneret, ut Augustin. Itaque satagens, INCLINAVIT SE, ET PROSPEXIT IN MONUMENTUM, iterùm scrutans locum, in spem contra spem, nec Apostolis, nec oculis suis credendum putans, sicut evenire solet iis, qui anxiè rem amatam perditamque quærunt.

12. ET VIDIT DUOS ANGELOS, in præmium illius conſtantis deſiderii, quos Apoſtoli non viderant, ut Chryſoſt. notat, IN ALBIS, veſtibus, plenos ſcilicet ſplendoris ac lætitiæ, SEDENTES, VNUM AD CAPUT, &c. in ipſo nempe ſepulchrali lapide, quaſi menſa, in qua corpus Domini jacuerat, tamquam excubitores, ut ſub tanta cuſtodiæ dignitate non crederet Magdalena Dominum ab hominibus potuiſſe furto tolli, ut Hier. Epiſt. ad Hedibiam, quæſt. 5.

12. Et vidit duos Angelos in albis, ſedentes unum ad caput, & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Jeſu.

13. DICUNT EI ILLI: MULIER, QUID PLORAS? quaſi dicerent, Noli plorare, quæ gaudere potiùs debeas, ut Aug. & Cyril. Sunt verba mixta objurgationi & conſolationi. DICIT EIS, quaſi neſcientes interrogaſſent: TULERUNT DOMINUM MEUM; id eſt, corpus Domini mei parte pro toto poſitâ ut vulgò fieri ſolet: & quod majoris cauſa doloris eſt, NESCIO UBI POSUERUNT EUM, ubi mira appareret affectus vehementia, quòd nihil territa talibus viris, tali loco, tali veſte, intrepidè eos alloquatur.

13. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meũ, & neſcio ubi poſuerunt eum:

14. HÆC CUM DIXISSET, huc atque illuc faciem convertens, nihil aliud niſi Dominum ſuum quærens CONVERSA EST RETRORSUM, velut à tergo etiam circumſpectaret: non quòd veſtigium quærendi extaret, vel ſtrepitum Domini accedentis audiens, vel certè, ut Chryſoſt. eo quòd Angeli vultu, motu, geſtu, ſurrectu ſe Dominum videre ſignificarent. ET VIDIT JESUM STANTEM, à tergo, ſed NON SCIEBAT QUIA JESUS EST, non quòd alia eſſet ejus quàm vera forma & vultus, ſed quòd oculi Mariæ tenerentur, ne eum agnoſcerent, quatenus vera forma Jeſu imperfectè in oculos ejus ferebatur; eo ferè modo, quo fieri ſolet, quando à longè, vel per tenebras moratas hominem etiam notum ſpectamus. Idem judicium de voce. In qua apparitione accommodavit ſe Chriſtus ſtatui eius, ita ut quidem appareret primùm Mariæ Magdalenæ, ut eſt Marci 16. v. 9. quia vehementiſſimè amabat; ſub ſpecie tamen incognita, quia eum vivere non credebat. Cùm ergo Jeſus ſuaviter ei ſe inſinuare vellet, rogavit:

14. Hæc cum dixiſſet, converſa eſt retrorſum, & vidit Jeſum ſtantem: & non ſciebat quia Jeſus eſt.

15. QUEM QUÆRIS? q. d. Nonne me vides præſentem? ILLA EXISTIMANS, QUIA HORTULANUS ESSET. Non quòd ſarculum, aut ligonem haberet, ut vulgò pingitur, ſed ex vulgari veſtitu, & ex loco, in quo erat, arbitrata eſt hortulanum eſſe, qui, ut Tertullian. curam ibi gereret, ne lactucæ ſuæ frequentiâ commeantium læderetur. DICIT EI: DOMINE, pro more gentis honorans hominem, inquit Aug. à quo beneficium poſtulabat, SI TU SUSTULISTI EUM, de quo jam dixi, *Tulerunt Dominum meum*: vel enim putabat eum audiviſſe ſermonem præcedentem, ut qui à tergo ſtetiſſet; vel amoris vehementiâ exiſtimabat omnem hominem hoc cogitare, quod ipſa cogitabat: DICITO MIHI, UBI POSUISTI EUM, ut cui fortè non placuit mortuum in horto tuo ſepultum fuiſſe. Dicito itaque mihi, ET EGO EUM TOLLAM, ſine tuo ſumptu, labore, vel horti noxâ, alio loco eum conditura.

15. Dixit ei Jeſus: Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa exiſtimans quia hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi ubi poſuiſti eum; & ego eum tollam.

16. DICIT EI JESUS, vocem conſuetâ, ut familiaris familiarem compellans proprio nomine: MARIA, q. d. Non agnoſcis me, à quo agnoſceris? Itaque ſolitâ voce aures, & gratiâ cor feriente, quaſi de

16. Dicit ei Jeſus: Maria. Converſa illa, dicit ei:

Rabboni (quod dicitur Magister.)

somno excitata, & ad ipsum CONVERSA, à quo iterùm corpore aversa fuisse videtur, aliò postquam non statim optatum responsum retulisset; respondit ei solitâ quoque nuncupatione: RABBONI, id est, magister mi. Est vox erumpens ex vehementia irruentis subitò lætitiæ: quasi diceret. Itanè præsens ades, ad quem tantopere anhelo? Nam talem vim subitò rapiendi animam habent verba Christi, quæ intùs etiam in cordibus loquitur.

17. Dicit ei Jesus: Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.

17. DICIT EI JESUS, cùm amplecti vellet vestigia, seu pedes ejus, quem agnoscebat, ut ex his verbis rectè colligit D. Gregor. Homil. 25. NOLI ME TANGERE, NONDUM ENIM ASCENDI, &c. Ratio illa difficilis est prohibiti contactus; præsertim cùm paulò pòst mulieres eum tenuerint, & Apostolis palpandum latus ipse obtulerit. Augustinus significari putat vetari contactum ejus, eo quòd nondum in corde Magdalenæ ascendisset, ut eum Patri æqualem esse crederet; sed hoc mysticum videtur. Recentiores aliqui sensum rationis illius esse volunt, Nondum enim discedo à vobis, sed per totos dies quadraginta, antequam ascendam amplexibus meis satiari poteris. Ratio facilis, sed vetustis ignota, & plausibilior, vereor, quàm verior. Rectiùs, ut arbitror Chrysost. cum suis discipulis, qui hunc sensum exsculpunt: Noli me tangere solita illa tua corporalis amplexûs familiaritate: jam enim excellentioris sum conditionis, quàm olim; nondum enim ascendi quidem ad Patrem meum in cœlos, sed jam-jam immortalis & glorioſus ascensurus sum, quod te fratribus meis renuntiare volo. Pendet enim ratio à sequentibus. Tacitè itaque & sine jactantiæ specie docet, quòd non ampliùs tactu corporis, vel mortali terrenóque more excipiendus & colendus sit, sed more spirituali, ac cœlesti, animo videlicet in cælestem ejus dignitatem translato. Quamvis verò non absimile sit, quod quidem addunt, & quod rem magis explicat, Mariam fidentiùs in ipsos non pedum, sed corporis amplexus irruisse, agentem tamquam mortalem cum mortali, qualis frater ejus Lazarus resurrexerat. Hoc itaque compescuisse Dominum, eo modo, quo diximus, ideòque doctiorem paulò pòst cum cæteris mulieribus pedes ejus tenuisse. VADE AUTEM AD FRATRES MEOS, discipulos; quos non confunditur Fratres vocare, ut ita solaretur pusillanimitatem eorum, qui eum deseruerant: ET DIC EIS: ASCENDO AD PATREM MEUM, id est, renuntia eis me non solùm resurrexisse, sed simul me brevi ascensurum in gloriam Patris mei. Nempe ut sic mens Apostolorum non minùs, quam Magdalenæ paulò antè, ad immortalem cælisque dignam resurrectionem, atque excellentiam cogitandam transferretur AD PATREM MEUM, ET PATREM VESTRUM. Non dicit, *ad Patrem nostrum*, eo quòd alia ratione esset Pater Christi, aliâ ipsorum: Christi quidem naturâ, ipsorum adoptione, ut August. & plerique veterum notant, ideóque ex præsentia Filij naturalis apud Patrem, vivacissimam spem conciperent. DEUM MEUM, ipsius divinitatis ejus conjunctione, ET DEUM VESTRUM, solius gratiæ impertitione. Nam cum Deus aliquorum esse dicitur, respectus habetur ad singularem ejus erga ipsos providentiam.

18. Venit Maria

18. VENIT MARIA MAGDALENE, secundo scilicet. Nam primo

itinere nuntiaverat corpus Domini ſublatum, nunc verò eum ſibi viſum, locutumque: quæ duo itinera cæteri Evangeliſtæ in unum contrahunt.

ria Magdalene annuntians diſcipulis: quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

19. CUM ERGO SERO ESSET, Græcè ὄψιας οὔσης, *veſpera*, ne putes mediâ, vel profundâ nocte iſta contigiſſe; nam contigerunt ſtatim ab adventu redeuntium ex Emaüs. Eadem eſt enim hæc apparitio cum ea, quæ narratur Lucæ 24. verſ. 36. & ſeqq, itémque Marci 16. verſ. 14. unde conſtat recumbentibus Apoſtolis hæc accidiſſe. Vide multa dictis locis. DIE ILLO, quo Magdalena præcedentia nuntiaverat, videlicet UNA SABBATORUM, id eſt, illa eadem die prima hebdomadæ, ſeu ipſa die reſurrectionis, ET FORES ESSENT CLAUSÆ, &c. Ordo verborum eſt: *Et fores, ubi erant diſcipuli congregati, eſſent clauſæ*, PROPTER METUM JUDÆORUM, omni videlicet aditu accuratiſſimè ad ſecuritatem obſtructo. Nam hoc notatur ad deſignandum miraculum, quo Jeſus intravit, non conniventibus, ſed clauſis ex metu magno oſtiis. Indicatur enim Chriſtus ea non patefeciſſe (Græcè eſt enim θυρῶν κεκλεισμένων *januis clauſis*, ſicut & infrà v. 26.) ſed penetraſſe, quemadmodum agnoſcunt hîc contrà Novatores noſtros, Hilar. lib. 3. de Trinit. Epiphan. Hæreſi 64. Cyrill. Ambroſ. lib. 10. in Luc. & in primis Auguſt. Moli, inquit, corporis, ubi divinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt. Ille quippe eis non apertis intrare potuit, quo naſcente virginitas matris inviolata permanſit. Quia, ut ait Epiſt. 148. valet Deus de iſta viſibili, atque tractabili natura corporum, quibuſdam manentibus, auferre quas voluerit qualitates. Exemplo itaque tacitè docuit Apoſtolos ſimili modo, clauſo ſepulchro ſe ſurrexiſſe. Cætera vide locis citatis: verſum verò ſequentem Lucæ 24. v. 40. & 41.

19. Cùm ergo ſerò eſſet die illo, una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcepuli congregati propter metum Judæorum: venit Jeſus, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.

20. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino;

21. DIXIT EIS ITERUM: PAX VOBIS, quæ ſalutatio explicata eſt Matth. 10. v. 12. Repetit eam ſecundò, ut turbatos ad primum aſpectum animos confirmaret. SICUT ME MISIT PATER, ET EGO MITTO VOS, id eſt, quemadmodum Pater meus divinâ ſuâ auctoritate me hominem, ampliſſimâ facultate inſtructum, miſit in mundum, ad ſalutem hominum procurandam; ita & ego eadem auctoritate mitto vos, ad eumdem finem. Significatur ergò ſimilitudo in miſſione, & in poteſtate miſſorum, non æqualitas: ita ut hiſce verbis eos ordinet, quemadmodum Cyrill. ait, orbis doctores & divinorum myſteriorum miniſtros, hoc eſt non ſolùm eos mittit ad evangelizandam pacem, quòd jam antè fecerat, ſed etiam ad eam miniſterio ſuo applicandam, ſeu ad peccata remittenda. Nam Pater miſit Chriſtum non ſolùm evangelizare pauperibus, ſed etiam dimittere confractos in remiſſionem, ut eſt Lucæ 4. v. 18. & 19. Confracti autem ſunt homines ex ruina peccati. Datur igitur hîc Apoſtolis poteſtas juriſdictionis in orbem univerſum, tamquam prærequiſita remiſſioni peccatorum, ſequentibus verò dat ipſam poteſtatem remittendi peccata.

21. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.

22. Hoc CUM DIXISSET, INSUFFLAVIT, id eſt, ſufflavit in eos. Externum enim ſymbolum adhibuit ad ſignificandum id quod reipſa operabatur, quando mox adjecit: ACCIPITE, mediante flatu iſto,

22. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum:

SPIRITUM-SANCTUM. Cùm autem Spiritus-ſanctus ſit quaſi flatus quidam Patris ac Filij, ſignificatum hîc voluit, inſufflando Spiritum-ſanctum non ſolius Patris eſſe ſpiritum ſed & ſuum, ut his verbis ait Auguſtin. & notavit etiam Cyrill. ac Hilar. lib. 4. de Trinitate. Atque ita eundem Spiritum à ſe quoque dari: quorum utrumque Iſaias indicaverat, cap. 57. verſ. 16. Ut verò oſtenderet Spiritum hîc eis dari, non illuminatè ſecundùm quælibet ejus dona, ſed ad certos tantum effectus, addit:

23. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

23. QUORUM REMISERITIS PECCATA. Non dicit quorum remiſſa declaraveritis, vel per fidem remittenda annuntiaveritis, prout Hæretici volunt, ſed quorum remiſeritis. Nam remiſſio non eſt nudum miniſterium annuntiandi Evangelii, vel declarandi, ſed inſtar actus judicialis, quo à miniſtro tamquam à judice ſententia pronuntiatur, ut ait Trident. Seſſ. 14. cap. 6. REMITTUNTUR EIS, ſcilicet judicio Dei in cœlis: quod aliter dicitur apud Matth. *Erunt ſoluta & in cœlo.* Itaque his verbis inſinuat, ad illam remiſſionem etiam Deum concurrere, cui eſt proprium ſupremâ poteſtate remittere, Apoſtolorum verò vicariatim, ſeu vicaria poteſtate tantùm. Unde rectè Ambroſ. lib. 1. de pœnitent. cap. 2. Aiunt ſe Domino deferre reverentiam, cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervent. Imo, inquit, nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui volunt ejus mandata reſcindere, &c. Nam cum ipſe dixerit, *quorum remiſeritis*, &c. quis eſt qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit, &c? ET QUORUM RETINUERITIS, id eſt, quibus remiſſionem negaveritis, ſeu quibus non remittenda cenſueritis. Plus enim ſignificatur, quam nuda negatio: quod apud Matth. verbo *ligandi* exprimitur. *Quorum* ergò *retinueritis*, vel ad tempus, propter pœnitentiæ immaturitatem, ut paulatim perficiatur, ſive omninò propter impœnitentiam: RETENTA SUNT, judicio Dei in cœlis. Utroque membro ſignificat, non inanem eſſe poteſtatem, ſed effectum habere conjunctum. Cùm ergò & remiſſio & retentio Apoſtolorum cenſuræ & judicio committantur, palàm eſt eos judices conſtitui, atque ita rectè præcipi omnibus fidelibus, remiſſionem conſequi ſatagentibus, ut peccata Sacerdotibus confiteantur: quatenùs audita peccatorum varietate & qualitate ſciant, cui remittenda, cui retinenda, quis aut quomodo ligandus, aut ſolvendus. Hoc autem eſt judicium diſcretionis, quo diſcernitur, quis ad beneficium abſolutionis admittendus, quis repellendus. Sed hoc ſternit viam ad aliud judicium juſtitiæ, quo peccata quadam expiatoria caſtigatione & vindicta plectuntur: quod quia præcipuum eſt in hoc tribunali, hinc fit, ut pœnitentes peccata ſua non per modum narrationis ad ſacerdotis informationem tantùm exponere debeant, ſed magis ad ſui accuſationem, ad confuſionem, ad compunctionem, denique ad pœnæ taxationem.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quàndo venit Jeſus.

24. THOMAS AUTEM UNUS EX DUODECIM, electis olim ad Apoſtolatum, QUI DICITUR DIDYMUS, nomine græco idem ſignificante, quod Hebraicum *Thomas*, ſcilicet gemellum, NON ERAT CUM EIS, QUANDO VENIT JESUS, aliqua occaſione inde digreſſus, antequam appareret Chriſtus, ut vult Auguſt. 3. de conſenſu, c. 23. Spiritum-

ſanctum tamen videtur cum cæteris ad remittenda peccata accepiſſe, ſicut olim Eldad & Meldad eum abſentes acceperunt, quia erant inter deſignatos à Moyſe, Num. 11. v. 26. & ſeqq. Cùm ergò Thomas non crederet Dominum reſurrexiſſe, dixit aliis:

25. Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, Græcè τὸν τύπον τῶν ἥλων, *typum clavorum*, id eſt, formam, ſeu figuram, quam clavi manum perforando fecerunt: et mittam digitum meum (digitus enim foramini, quod clavus fecerit, ferè æqualis) in locum clavorum, id eſt, ubi fuerant clavi, Græcè eſt eadem vox quam *fixuram* verterat. Et mittam manum meam in latus eius; manus enim expanſa refert figuram cuſpidis latioris haſtæ: nam hinc colligitur tantæ latitudinis fuiſſe vulnus, quod in latere accepit, & Apoſtolus oſtendit. Thomas quippe ex eis intellexiſſe videtur, quòd eis oſtendiſſet manus & latus; ut eſt verſ. 20. ſcilicet vulnerum cicatricibus, ſeu foraminibus inſignia. Non enim erant propriè dictæ cicatrices, quæ cum reliqua carne coaluerant; ſed veræ aperturæ vulnerum, ſine tamen læſione, dolore, deformitate, ideóque præcipuam vulnerum rationem amiſerant. Voluit autem iſtas vulnerum cicatrices certæ diſpenſationis gratiâ in redivivo corpore ſervare, ut eis, quemadmodum Auguſt. ait Epiſt. 43. quos ædificabat in fide non ficta, non aliud pro alio, ſed hoc, quod crucifixum viderant, reſurrexiſſe monſtraret. Fáque de cauſa Thomas rem accuratiùs explorandam cenſuit, utrùm eſſent vera foramina, quæ in ſolido veróque corpore fieri ſolent, ne qua fortè ſubeſſet illuſio oculorum. Voluit & cœlo eadem Chriſtus inferre, ut ſummus ſacerdos noſter Deo Patri ſuo pretia noſtræ libertatis oſtenderet, ut notat Ambr. lib. 10. in Luc. Non credam, Græcè repetitur negatio οὐ μὴ: q. d. Nequáquam credam tam leviter, ut vos, niſi viſu tactúque rem exploravero. Et adhuc tunc non promittit ſe crediturum, ſed non antè: quod præfracti ſatis & cervicoſi animi videtur, fidei argumenta pro ſuo arbitratu exigentis, non obſtantibus tot oculatis teſtibus.

25. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius fixuram clavorum, & mittam digitũ meum in locum clavorum, & mittam manum meã in latus ejus, non credam.

26. Et post dies octo, id eſt, octavo pòſt die; iterum ergò primâ ſabbati, ſeu die Dominicâ, quam Apoſtoli jam tum videntur honori Dominicæ reſurrectionis & congregationibus ſuis deputaſſe: & hanc ob cauſam jure, octavo die congregationis in Eccleſiis fieri notat Cyrillus. Iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis, quia quamvis non crederet, non tamen ſe à credentibus tamquam illuſis ſeparabat. Venit Jesus ianuis clausis, quod fruſtrà diceretur, ſi vel alius aliunde introitus patuiſſet, vel januæ venienti Domino fuiſſent reſeratæ. Itaque conditioni ferociter ſibi poſitæ Dominus humaniter & clementer ſe accommodans, poſt omnium ſalutationem,

26. Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis. Venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit: Pax vobis.

27. Dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et affer manum tuam, &c. Quibus verbis ſuadetur id, quod de forma & latitudine vulnerum iſtorum in manibus & latere diximus, & apertiſſimè convincit non cicatrices, ſed vera foramina Dominum à reſurrectione ſervaſſe, non carne repleta, ut feruntur ſtigmata S. Franciſci fuiſſe, ſed aperta. Quia verò Thomæ incredulitas non ex defectu argumentorum, quæ credibilitatem faciunt, ſed voluntatis naſcebatur, hinc

27. Deinde dicit Thomæ: infer digitũ tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli

esse incredulus, sed fidelis.

eum paternè hortatur, NOLI ESSE INCREDULUS, pertinaciter rei tam conteſtatæ reluctando, SED FIDELIS, Græcè eſt pulchra alluſio, μὴ γινου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστὸς, qualis Latinè, ſi diceretur, Noli eſſe infidelis, ſed fidelis.

28. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.

28. RESPONDIT THOMAS, fractus rei evidentiâ, & pudefactus Domini humanitate; videtur enim Domino eum vrgente non ſolùm vidiſſe manus & latus, ſed etiam tetigiſſe & pertractaſſe, prout ſentit Auguſtin. & Cyrill. DOMINUS MEUS, ET DEUS MEUS, ſupple *tu es*. Eſt enim trunca oratio præ affectûs vehementia, quâ agnoſcit & veneratur eum tamquam qui ſit verè Dominus ſuus. Græcè ὁ κύριός μου, *ille Dominus*, idem videlicet ipſe, quem in corpore mortali verſantem ſecutus fuerat, & patientem viderat. ET DEUS MEUS, id eſt, qui me creavit. Itaque ſimul humanitatem ejus veram, ac divinitatem profitetur in unam coëuntes perſonam: utrumque pleno reverentiæ & pietatis affectu, ut Ambroſ. quod inſinuatur vocula, *meus*: nam, ut Auguſt. in Pſalm. 49. Deus ſuus ei dicitur propriè, quem familiariùs habet Deus, tamquam in mancipio ſuo, tamquam in peculio ſuo.

29. Dicit ei Jesus: quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

29. DICIT ET JESUS: QUIA VIDISTI ME, THOMA, CREDIDISTI, id eſt, quia ſenſibus viſûs, auditûs, ac tactûs curioſiſſimè me exploraſti; viſus enim quodammodò ſenſus generalis eſt, ut Auguſt. CREDIDISTI, ſcilicet me reſurrexiſſe à mortuis, de quo potiſſimùm agebatur, & conſequenter me eſſe Dominum tuum, & Deum tuum, ſeu verum hominem, ac Deum: quæ duo hîc Thomas credidit. Sed quomodo credidit primum eorum, ſi viderit, cùm fides ſit argumentum non apparentium? Reſpondetur, etiam indubitatè viſa credi poſſe, ſi concurrat divina auctoritas. Deinde non vidit reſurrectionem fieri, ſed factam eſſe certis indiciis collegit. Denique etiam visâ reſurrectione, & contrectato Chriſti reſuſcitati corpore, exiſtimare poterat, ſe phantaſma, vel viſum videre. Nam Petrus Angelum coràm ſe cernens, & ab eo contrectatus, neſciebat quia verum eſt, quod fiebat per Angelum: & Domino ſuper mare ambulante, dicebant diſcipuli, qui aphantaſma eſt. Rerum enim ſimilitudines ſubinde tam ſimiles ſunt ipſis rebus ut difficulter poſſint à rebus ipſis diſcerni, maximè ſi animus adſit pervicax: quam pervicaciam credulitas compeſcit ac domat divinâ auctoritate nitens. Veram ergò fidem Thomæ probavit quidem Chriſtus, ſed modum improbavit, quo eam concepit. Quamvis enim & Apoſtoli cæteri viſum habuiſſent concipiendæ fidei ducem, non tamen conjunctam illam palpationem curioſiſſimam redivivæ carnis, quam Thomas, non Apoſtoli, tamquam conditionem neceſſariam poſtulaverat. BEATI, QUI NON VIDERUNT, non nudè, ſed cum adjuncto, ET CREDIDERUNT, id eſt, qui tametſi nullo ſenſu me exploraverint, tamen credederunt reſurrectionem, ac divinitatem meam. Quibus verbis commendat non Apoſtolos cæteros, quod quidam putant; nam & illorum incredulitas & cordis duritia increpata fuit, Marci 16. verſ. 14. quòd iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non credidiſſent: ſed eorum, qui ad prædicationem Apoſtolorum credituri erant, ut Gregor. Homil. 26. Nempe quia Deus illum ſibi honorem habere cupit, ut ſimplici ſuæ aſſertioni (hoc

eſt

est veritati revelanti) acquiescamus: in quo natura & meritum fidei situm est. Hoc longè perfectiùs facit, eximiéque, ut Cyrill. ait, eum in quem credit honorat, qui prævium sensuum suorum usum, vel demonstrationes naturales, vel signa sensibilia non exigit. Tales itaque beati dicuntur, quia beatiores aliis: fides enim illorum magis spontanea, magis non apparentium, & magis fides.

30. MULTA QUIDEM ET ALIA SIGNA, præter ea, quæ toto hoc volumine conscripta sunt, FECIT JESUS IN CONSPECTU DISCIPULORUM, tum ante, tum post passionem, QUÆ NON SUNT SCRIPTA IN LIBRO HOC: qu. d. Ne quis putet se hîc accuratam omnium eorum historiam habere, quæ Jesus gessit, sciat ille multa à me esse prætermissa.

30. Multa quidem & alia signa fecit Jesus in cōspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.

31. HÆC AUTEM SCRIPTA SUNT, UT CREDATIS: sed ista pauca scripto tradidi, tamquam quæ sufficiant, UT CREDATIS, quòd iste homo, qui vocatur JESUS, EST CHRISTUS FILIUS DEI, id est, sit verus ille Messias, qui expectatur Redemptor mundi, ac verus Filius Dei. In quo articulo basis ac summa fidei Christianæ continetur; quique validissimè signis, non solùm à resurrectione patratis, sed toto libro narratis, adstruitur, ET UT CREDENTES, fide scilicet illâ charitatem generante sanctificati VITAM HABEATIS, id est, vitam æternam assequamini, reportantes videlicet finem fidei vestræ, salutem animarum, IN NOMINE EIUS, id est, per eum & propter eum, sive sanguine, merito, & gratiâ ejus, juxta quod ipse dixit sup. cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego vitam æternam do eis.* Hoc ergò epilogo quasi claudens Evangelium suum, significat se publicæ utilitatis, non ambitionis causa scripsisse, ut pote qui pluta præclara prætermiserit, ut Chrysost. observat.

31. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

CAPUT VIGESIMUM-PRIMUM.

CAPUT XXI.

CUM ergo Joannes ita conclusisset Evangelium suum, quantùm ad primarium scopum suum, asserendi videlicet Jesum esse Christum Filium Dei: hic quasi alio assumpto exordio, adjungit aliqua quæ spectant visibilem ejus in terris vicarium. Nam ut Jesus est fidei & Ecclesiæ fundamentum principale, cui nituntur; ita vicarius ejus ministeriale & secundarium. Maximè autem fidelium intererat de utroque rectè instructos esse. Itaque

1. POSTEA, id est, post manifestationes duas superiori cap. descriptas; nam ideo versu 14. huc respiciens, addit *hoc jam tertiò manifestatus est*: MANIFESTAVIT SE ITERUM, id est, manifestè se redivivum præbuit videndum, AD MARE TIBERIADIS, quia jam Apostoli in Galilæam concesserant, prout moniti fuerant ab Angelo.

1. POstea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic:

2. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui erat à Cana Galilææ, & filii Zebedæi, & alii ex discipulis ejus duo.

3. DICIT EIS PETRUS: VADO PISCARI, non lucri, sed vel otii vitandi causa, vel potiùs victûs comparandi. Nec eis vitio vertendum,

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado

piſcari. Dicunt ei : Venimus & nos tecum. Et exierunt, & aſcenderunt in navim : & illa nocte nihil prendiderunt.

quòd ad piſcatum redeant, quia ut Tertullian. lib. de idololatria ; repetunt illud, quod ſine peccato exercetur. Non enim prohibebantur, inquit hîc Auguſt. arte ſua, licita ſcilicet atque conceſſa, victum neceſſarium quærere, Apoſtolatus ſui integritate ſervata, quando unde viverent, aliud non haberent. ET ASCENDERUNT IN NAVEM : quæ fuit non Apoſtolorum præſentium, ut pote qui omnia dereliquerant, ſed vel aliorum diſcipulorum, qui aderant, vel à notis commodatò accepta, ET ILLA NOCTE, qua piſcatio feliciùs ſuccedere ſolet, quàm die, eo quòd propter majores noctis tenebras ac tranquillitatem, piſces minùs videant ac turbentur & aufugiant. NIHIL PRENDIDERUNT, ut magnitudini miraculi daretur locus.

4. Mane autem facto ſtetit Jeſus in littore : non tamen cognoverũt diſcipuli quia Jeſus eſt.

4. MANE AUTEM FACTO STETIT JESUS IN LITTORE, tum ne ſtando in aquis ſpectrum eſſe putaretur, tum ad ſignificandum ſe hujus vitæ tempeſtates evaſiſſe. NON TAMEN COGNOVERUNT DISCIPULI, propter dubiam adhuc lucem vel diſtantiam, itémque quia non ex forma ſua, ſed ex miraculo ſuaviùs innoteſcere voluit.

5. Dixit ergo eis Jeſus : Pueri numquid pulmentarium habetis? Reſponderunt ei : Non.

5. DIXIT ERGO EIS JESUS, ut ſermocinandi familiaritate eorum intentionem ad ſe converteret, & congruè ad miraculum delaberetur : PUERI, quod aliqui nomen ætatis eſſe volunt, ut idem ſit quod *juvenes*, alii innocentiæ : fortaſſis eſt nomen conditionis, ut idem ſit quod *famuli* : videtur enim homines ſerviliter laborantes tamquam vir majoris notæ alloqui : NUMQUID PULMENTARIUM HABETIS? venale ſcilicet. Nam, quod Chryſoſt. notat, loquitur ut proxeneta, qui empturus eſſet aliquid ab eis, quod meridie in foro diſtraheret. Porrò pro *pulmentario*, Græcè eſt ὀψάριον, id eſt, obſonium, ſeu ut verbum ſonat, id quod comedi ſolet cum pane : quo nihil aliud intelligit, niſi piſces. Quid enim obſonii à piſcatoribus noctu piſcando occupatis quæras, niſi piſces? Quod etiam patet ex reſponſo Jeſu. Cùm enim reſpondiſſent ipſi, NON, ſubjicit :

6. Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miſerunt ergo, & jam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium.

6. MITTITE IN DEXTERAM NAVIGII RETE, ET INVENIETIS, ſcilicet pulmentarium, quo caretis. Eſt autem *Dextera navigii* dexterum navis latus homini in puppe ſtanti : quod latus exprimit, tum ne fortuitò locutus videretur, tum ut iſta piſcatio figuram gereret piſcationis illius, quæ erit in fine ſæculi, reſpectu bonorum tantùm. MISERUNT ERGO, ET IAM NON VALEBANT ILLUD TRAHERE, id eſt, in navim ſurſum attollere, PRÆ MULTITUDINE PISCIUM.

7. Dixit ergo diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus, Petro : Dominus eſt. Simon Petrus cum audiſſet quia Dominus eſt, tunicâ ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare.

7. DIXIT ERGO DISCIPULUS, &c. id eſt, Joannes conſpecta tanta piſcium multitudine, & perpenſa veritate iſtius prædictionis, idque ex ſolo jactu ad dexteram : DOMINUS EST, cujus apparitiones nuperrimæ, itémque ſimilium miraculorum memoria ei inhærebat : forte & hinc motus ſpeciem ejus attentiùs conſideravit, & agnovit. Quo audito Petrus, TUNICA SUCCINXIT SE, Græcè pro tunica eſt ἐπενδύτης, genus veſtis, quod ſupernè, ſeu ſuper alias veſtes injiciunt & induunt, ut pallium, tunica exterior, vel ſimile quid. Hoc ergò injecit ſibi Petrus honeſtatis cauſa, QUIA NUDUS ERAT, non toto corpore, quod à verecundia Apoſtolica prorsùs alienum, ſed reliquo corpore, præter ventrem, quemadmodum ab operariis fieri ſolet :

vel nudus comparatione veſtium, quas in communi converſatione ferebat. Hanc enim tunicam volunt fuiſſe veſtem lineam, ut Syrus & Nonnus, ſeu cannabinam, ad genua pertingentem, qua ſuperne homines illius conditionis induebantur ſuper ſubuculam, ſeu induſium. ET MISIT SE IN MARE, impatiens deſiderii, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reverentiæ, inquit Ambr. in Luc. periculoſo compendio, religioſum maturavit obſequium, ſerum æſtimans, ſi cum cæteris navigio perveniret. Itaque Chryſoſt. hîc notat Petrum & Joannem proprios referre mores: Ille, inquit, ferventior, hic altior erat, ille vehementior, hic perſpicacior: Ideo Joannes prior agnovit Jeſum, Petrus prior ad eum pervenit.

8. ALII DISCIPULI NON PROIECERUNT SE IN MARE, ſed NAVIGIO VENERUNT, verſus terram. Cujus quaſi excuſationis duplex ratio hîc datur. Prima, NON ENIM LONGE ERANT A TERRA SED QUASI CUBITIS DUCENTIS, hoc eſt, trecentis pedibus: q. d. Quia tam propè erant, ut mora illa perexigua videretur. Altera, TRAHENTES, verſus terram, RETE PISCIUM, navigio funibus alligatum, quia ſcilicet ponderoſius erat, quàm ut in ipſam navim attolli poſſet. Itaque ſignificat, non eis negligendum fuiſſe rete, piſcibus, plenum, ne miraculi gloria obliteraretur.

8. Alii autem diſcipuli navigio venerunt, (non enim longè erant in terra, ſed quaſi cubitis ducentis) trahentes rete piſcium.

9. UT ERGO DESCENDERUNT, VIDERUNT PRUNAS POSITAS, operâ videlicet Angelorum, qui & in deſertum acceſſerunt & miniſtrabant Chriſto, Matth. 4. ET PISCEM, ET PANEM, id eſt, piſces & panes (ſingulari poſito pro plurali) quot ſcilicet opus eſſe videretur, ad reficiendos prandio defatigatos, quod eis Dominus pro ſua humanitate præparabat.

9. Ut ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum & panem.

10. DICIT EIS JESUS, AFFERTE DE PISCIBUS. Quod eis dixit, ne totum phantaſma, aut illuſio videretur, dum ipſimet piſces captos vident, contrectant, aſſant, comedunt.

10. Dicit eis Jeſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.

11. ASCENDIT PETRUS, ET TRAXIT RETE, hoc eſt, cùm nonnihil intraſſet in mare, aſcendendo verſus terram traxit rete PLENUM MAGNIS PISCIBUS, ideóque traxiſſe dicitur, quia præfectus totius piſcationis, cæteris adjuvantibus. ET CUM TANTI ESSENT, id eſt, tot & tam magni (Græcum enim πολλῶν ὄντων, & ad multitudinem, & ad magnitudinem referri poteſt) NON EST SCISSUM RETE, Deo ſcilicet rete tam fragile contra impetum piſcium, ac trahentium roborante. Alludit autem ad aliam piſcationem, qua ante reſurrectionem rete ſciſſum fuerat, ut narratur Lucæ 5. Nam duabus iſtis piſcationibus tamquam valdè myſterioſis, Auguſtin. ſignificari tradit duos Eccleſiæ ſtatus; unum in hoc ſæculo, alterum in fine ſæculi. Nam ideo illa contigit ante reſurrectionem Chriſti, quaſi tempore vocationis humani generis; hæc poſt eam: ibi retia non mittuntur ad dexteram, ſed indifferenter in quodcumque latus, quia colliguntur nunc in Eccleſiam boni & mali; hîc ad dexteram, quia ſoli boni: ibi ſciſſio retium, ſchiſmata Eccleſiarum ſignificans; hîc integritas eorum ſummæ illius futuræ concordiæ imperturbabilem unitatem: ibi piſces trahuntur in naviculas duas, id eſt, in Eccleſiam Gentium & Judæorum, ita ut

11. Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti eſſent non eſt ſciſſum rete.

multitudine pene mergantur, quia multitudo est causa dissolutionis disciplinæ, qua Ecclesiæ deprimuntur; hîc trahuntur in littus, id est, in stationem stabilem æternitatis, ibi capiuntur parvi & magni; hîc soli magni, quia soli electi, qui quamvis impares futuri sint meritis, omnes tamen propter beatitudinis complementum magni erunt. Plura vide præclare apud Augustin. Tract. 122. in Joann. Ubi & multa de illo numero piscium, *centum quinquaginta trium*, quo significari putat universitatem beatorum, qui legem per gratiam impleverunt. Alii putant tot pisces captos, quia, ut Oppianus tradit, tot sunt genera piscium diversorum; quemadmodum & alii tradunt, tot esse genera animalium terrestrium, exceptis reptilibus: ut significetur quòd Dominus per novissimam piscationem redimet electos ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione. Nec illud caret mysterio, quòd post hanc piscationem sequatur prandium, quia refectio, æternitatis collectis piscibus, consequetur. Vide cætera apud Augustin. etiam in Psalm. 49. & lib. 83. Quæstionum, qu. 57. Cùm ergò Jesus eos ad prandium invitasset,

12. Dicit eis Jesus: Venite prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum. Tu quis es? scientes, quia Dominus est.

12. NEMO AUDEBAT DISCUMBENTIUM INTERROGARE EUM: TU QUIS ES? Non quòd timerent importunitate eum offendere, sed SCIENTES, QUIA DOMINUS EST, hoc est, propter nimiam evidendiam veritatis, inquit Augustin. quæ nec dubitare quemquam sinebet: interrogatio enim supponit ignorantiam, vel dubitationem. Dubitando ergò verebantur ei injuriam facere: tam erat evidens ex forma, voce, præcedenti miraculo, & ex modo agendi esse Jesum.

13. Et venit Jesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.

13. ET VENIT JESUS, postquam cæteri accubuissent, adjunxit se postremum, & tamquam hospes convivas suos exceptutus: ET ACCIPIT PANEM ET PISCEM, singulis distribuens quantùm satis. Simul Jesum comedisse circumstantiæ videntur postulare, maximè spectatis locis Actuum Apostolicorum, cap. 1. versu 4. & cap. 10. v. 41.

14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis.

14. HOC IAM TERTIO MANIFESTATUS EST, id est, hac jam tertiâ vice apparuit, DISCIPULIS SUIS, scilicet in unum congregatis. Primum quidem c. 20. v. 19. unâ sabbatorum, quâ resurrexerat, idque absente Thomâ: Secundò verò post dies octo ibidem v. 36. Denique hîc. Seorsim verò singulis multis apparuerat, Mariæ Magdalenæ, mulieribus, Petro, duobus discipulis euntibus in Emaüs, &c.

15. Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus, Simon Joannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei Pasce agnos meos.

16. Dicit ei: iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: etiam

15. CUM ERGO PRANDISSENT, DICIT SIMONI PETRO JESUS, nempe illi tamquam particulari personæ, quam propterea Evangelista, & nomine gentilitio & alio per Christum impositio, conjunctim vocat *Simonem Petrum*. Christus verò adhuc distinctiùs addit nomen Patris, dicendo, SIMON JOANNIS, supple *fili*, quod prorsùs idem est cum eo, quod Matth. c. 16. dixit, *Simon Bariona*, pro *Johanna*, id est, *fili Joannis*. Unde & hoc loco Syriacè est *Bariona*. Tot cautionibus Christus nos munire voluit, ne, ut Hæretici fingunt, omnibus discipulis commune esse putaremus id quod hîc Petro tribuit. Dicit ei itaque adhuc eum à reliquis separando: DILIGIS ME PLUS HIS, assidentibus? Voluit enim eum amoris vicarium constituere, inquit Amb. in Luc. nempe in pascendo docendóque grege suo: à quo

tot offendicula paſtoribus ingeruntur, dum alii infirmi, alii tardi, alii ſegnes, alii lenes, alii protervi, alii duri, ac procaces adverſus paſtorem ſunt, ut nemo conſtanter iſta ſit ſuperaturus, niſi in quo amor Chriſti multum ſuperaverit, DICIT EI: ETIAM DOMINE. Putaretur interrogationi Dominicæ omni ex parte annuiſſe, niſi adderet, TU SCIS QUIA, ſeu quòd AMO TE. Quod Ambroſ. putat eſſe juſjurandum: ſed verius eſt Petrum ita loqui, quòd ſibi diffideret, totùmque judicium Chriſto committeret. Supprimit autem, PLUS HIS, quia hoc reſpondit, quod de ſeipſo ſciebat, qui cor alterius noſſe non poterat, inquit Auguſt. Tractat. 124. Noluit ergò iterum eſſe mendax de ſe præſumendo, ut ante paſſionem. Suffecit ei, teſtimonium perhibere cordi ſuo; non debuit eſſe judex cordis alieni, ut idem ait Sermon. 24. De Sanctis. PASCE igitur; infert enim hoc Chriſtus ex reſponſione Petri: q. d. Si diligis me, paſce, ut notat Auguſt. Quid eſt autem aliud *Si diligis me, paſce oves meas*, inquitidem, quàm ſi diceretur. Si me diligis, non te paſcere, cogita, ſed oves meas; ſicut meas paſce, non ſicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam: dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua: ne ſis in eorum ſocietate, qui pertinent ad tempora periculoſa, ſeipſos amantes. Porrò nomine actus deſignat poteſtatem, *Paſce* id eſt, paſtorem age ſicuti dicimus, *Rege provinciam iſtam*, id eſt, ſis rector aut gubernator ejus. *Paſcere* autem non eſt ſolùm cibum præbere ſeu docere, ſed præeſſe, præire, tueri, compeſcere, caſtigare, hoc eſt, regere, quod Græcâ voce ποιμαινειν apertè ſignificatur, & ita vertitur Matth. 2. *Qui regat populum meum Iſraël*, & Pſalm. 2. & Apocal. 19. *Ipſe reget eos in virga ferrea*. Unde Auguſtin. Chriſtus oves paſcendas, hoc eſt, docendas, regendaſque, committit. AGNOS MEOS, ſic & ſecundo loco textus Latinus repetit *Agnos meos*, pro quo Græci videntur legiſſe *Ouiculas*, ut colligitur ex Ambroſ. in Luc. quamvis nuncle gatur *Oves*, amiſſo uno jota προβατα pro προβάτια. Itaque per *Agnos*, bis repetitos, ſignificantur duo populi, Judaicus & Gentilis: per *Oves* verò Epiſcopi & Paſtores, tamquam matres agnorum. Vel commodiùs *Agni* primo loco ſignificant ſimplices fideles; *Oviculæ* ſecundo loco Presbyteros, velut minores paſtores; *Oves* verò Epiſcopos. Quod autem non dicit, *Paſce has aut illas oves*, ſed abſolutè & indiſcretè *meas*, univerſas intelligit: omnes videlicet quæ quoquo modo dicuntur *meæ*, ut notat Bernard. 2. de conſiderat. c. 8. Cui non planum, inquit, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Itaque illud, *Paſce agnos, & oves meas*, idem eſt ac ſi diceret, Sis paſtor univerſi gregis, ſeu ovilis mei, hoc eſt, totius Eccleſiæ meæ, tam filiorum, quàm patrum; tam fidelium, quàm omnium paſtorum, ſeu Epiſcoporum. Quod officium cum ſit ordinarium, ac tamdiu neceſſarium, quàm erit ovile; profectò iiſdem iſtis verbis eandem poteſtatem omnibus Petri legitimis ſucceſſoribus tribuit. Trinum verò illud examen amoris alludit quidem ad trinam ejus negationem, ut notat Auguſt. & Cyril. ſed tamen ſignificavit incenſo, ſtabili, ac perfecto Chriſti amore ad paſcendum opus eſſe; terna enim inculcatio perfectionis indicium eſt. Un-

Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.

de etiam ter committit ei gregem ſuum, ut indicet commiſſæ rei magnitudinem, ac definitum committentis conſilium.

17. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me; & dixit ei: Domine tu omnia noſti: tu ſcis quia amo te. Dixit ei: Paſce oves meas.

17. CONTRISTATUS EST PETRUS, QUIA DIXIT EI TERTIO, &c. verens videlicet, ne fortè etiam hîc falleretur, ſicut ante paſſionem, quandò multa de ſe promiſerat. Quam rationem triſtitiæ videtur notare Auguſt. Serm. 49. de verbis Domini: Contriſtatus eſt, inquit, quaſi ille, qui videbat conſcientiam negationis, videret fidem confitentis, timendo ſcilicet, quòd illa deeſſet conſcientiæ ſuæ. Nam de omni ſcientia Chriſti nullo modo dubitabat, dicendo, DOMINE TU NOSTI OMNIA, tamquam Deus meus, etiam ſecreta cordium: proinde TU SCIS QUIA AMO TE, prout mea mihi dictat conſcientia. Cùm ergò Petrus valdè ſibi diffideret, conſolatur eum Chriſtus declarando ſe non diffidentem interrogaſſe, ſed veram eſſe reſponſionem ejus, ut notat Cyril.

18. Amen, amen dico tibi: cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas, expeditus videlicet ac liber: CUM AUTEM SENUERIS, quo Græci obſervant ſignificari eum tunc fuiſſe mediæ ætatis, prout etiam ex annis, quibus ſupervixit, colligitur, EXTENDES MANUS TUAS, in crucem, hoc eſt, crucifigêris, inquit Auguſt. ALIUS TE CINGET, id eſt cingulis cruci adſtringet. Tunc enim Petrus ab alio cingitur, cùm cruci adſtringitur, inquit Tertull. in fine Scorpiaci. Quo indicare videtur magis funibus in cruce ſuſpenſum, quam clavis affixum fuiſſe. ET DUCET QUO TU NON VIS, ad mortem ſcilicet, propter naturalem mortis abhorreſcentiam, quam tamen conſtantia voluntatis vicit. Unde Auguſt. Ad mortis moleſtiam nolens ductus eſt, ſed ab ea volens eductus eſt: nolens ad eam venit: ſed volens eam vicit, & reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, uſque adeò naturalem, ut eum B. Petro, nec ſenectus auferre potuerit. Propter nos autem conſolandos etiam hunc in ſe affectum Chriſtus oſtendit, quandò dixit, *Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte:* ſed affectus ille virtutis magnitudine ſuperari debet. Unde idem: Sed moleſtia quantacumque ſit mortis, debet eam vincere vis amoris. Nam ſi nulla eſſet mortis moleſtia, non tam magna eſſet martyrum gloria. Qua de re præclarè Tertull. in fine Apologet. Planè, inquit volumus pati, (martyrium) verùm eo more, quo bellum miles. Nemo quippe libens patitur, cùm & trepidare & periclitari ſit neceſſe: tamen & præliatur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, qui de prælio querebatur, quia & gloriam conſequitur, & prædam.

18. Amen, amen dico tibi; cum eſſes junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.

19. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deū. Et cum hoc dixiſſet, dicit ei: Sequere me.

19. HOC AUTEM DIXIT, SIGNIFICANS QUA MORTE, hoc eſt, quo mortis, ſeu interfectionis genere, CLARIFICATURUS ESSET Deum, hoc eſt, glorificaturus, extenſione ſcilicet manuum & cinctione, hoc eſt, cruce. Nam ille eſt hominis crucifixi habitus: quod quia fiebat propter ſolam fidem & pietatem in Chriſtum Deum, hinc mors iſta in magnam Dei claritatem, ſeu gloriam ceſſit. ET CUM HOC DIXISSET, finiendo in iſtis verbis, *ducet quo non vis*, ne Petrus per ſuum non velle detrectaret paſſionem, ſurrexit Chriſtus, & progreſſus, quaſi ad abitum ſe parans, DICIT EI: SEQUERE ME, tamquam diſcipulus doctorem, nunc quidem greſſu corporali, ſed tamquam ſymbolo,

quo intelligas tibi ſequendum eſſe exemplum meum. Nam ut Cyril. ænigmaticè oſtendit veſtigia Chriſti, id eſt, paſſionem crucis Petro ſequendam eſſe, ut quamvis duceretur quò non vellet, appetitu carnis; ſimul tamen voluntariè procederet ad ſupplicium, ſicut Chriſtus ſuis perſecutoribus obviàm proceſſit. Unde & Petrus ex Romano elapſus carcere, cùm ex Chriſto ſibi obvio audiviſſet, *Venio Romam iterum crucifigi*, quo crucem ſibi ſubeundam eſſe Petrus monebatur, ſponte ſua ad carcerem reverſus eſt, ut Ambroſ. Orat. contra Auxentium.

20. CONVERSUS PETRUS, id eſt, retrò reſpiciens, an & cæteri ſequerentur VIDIT ILLUM DISCIPULUM SEQUENTEM, QUEM DILIGEBAT JESUS, præ cæteris teneriùs & familiariùs, ut Auguſt. Tract. 119. Itaque curioſus ſciendi, quid etiam Joanni tam dilecto eſſet obventurum, & arbitratus Joannem hoc velle quidem, ſed non audere ſciſcitari, ut Chryſoſt. notat,

20 Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, qui & recubuit in cœna ſuper pectus ejus, & dixit: Domine quis eſt qui tradet te?

21. DIXIT JESU: DOMINE, HIC AUTEM QUID? ſupple, *facturus* aut *paſſurus eſt?* Satis enim intellexerat, quid Chriſtus ſibi innuiſſet: q. d. Num & iſtum ſimiliter ducet alius, quò non vult, an verò ut filius delicatus teneréque dilectus ſuaviori viâ ad te migrabit?

21. Hunc ergo cum vidiſſet Petrus, dixit Jeſu: Domine hic autem quid?

22. DIXIT EI JESUS? SIC EUM VOLO MANERE, Textus Syriacus & Græcus & plerique Commentatores Græci, itemque quinque aut ſex exemplaria Latina legunt, *Si eum volo manere*, & tunc ſenſus clarus eſt. Noſtra Vulgata editio eumdem ſenſum habet, ut ſit ſermo conditionalis non affirmativus, hoc modo: Eſto, vel ita ſit, vel ſtatuamus, quòd eum ſic velim manere ſine morte, DONEC VENIAM, ad judicandum, QUID AD TE, pertinet hoc curioſiùs inquirere: Retundi enim curioſitatem ejus notat Chryſoſt. Ita ſolemus tractare eos, qui impertinenter rogant, ut vel taceamus, vel eos ambiguos relinquamus. Quo pacto nonnulli exponunt & iſtud Matth. 20. *Volo & huic noviſſimo dare, ſicut & tibi*, ut non ſignificet ſe diſpares merito æquare velle præmio, quod Deus non ſolet facere, etſi poſſit, ſed tantùm adductione alicujus caſus oſtendere libertatem ſuam: q. d. Quid ſi velim huic noviſſimo dare, ſicut & tibi, quod habes quod conqueraris? An non licebit mihi quod volo facere? TU ME SEQUERE, hoc eſt, tuum eſt mortem, exemplumque meum cogitare & ſequi, non aliena ſcrutari.

22. Dicit ei Jeſus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.

23. EXIIT ERGO SERMO iſte, ſeu rumor iſte percrebuit, INTER FRATRES, QUIA DISCIPULUS ILLE NON MORITUR, id eſt, numquam moreretur. Cùm enim Petri mortem à Domino Prædictam eſſe ſentiret, Joannis verò ſuſpenſam; videbatur Chriſtus inſinuaſſe, eum immortaliter victurum, utpote uſque ad ſecundum adventum Domini ſuperſtitem, & conſequenter ſemper. Quod multò pronius erat judicare, ſi Chriſtus verbis affirmativis uſus fuerit; *Sic eum volo manere*. &c. Hanc autem opinionem refellit Evangeliſta: ET NON DIXIT EI JESUS: NON MORITUR; SED SIC EUM VOLO, &c. QUID AD TE? hoc eſt, verbis iſtis reliquit rem ſuſpenſam, utpote non abſolvens orationem in iſtis verbis, *donec veniam*; ſed coërcens Petri curioſitatem per hoc, quod inſuper adjecit, *quid ad te?*

23. Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur: ſed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus.

24. HIC, de quo iſte ſermo percrebuerat, EST DISCIPULUS, QUI TESTIMONIUM PERHIBET DE HIS, ET SCRIPSIT HÆC, id eſt, eſt ille diſcipulus, qui teſtatur paulò antè, imò toto libro narrata eſſe vera ſuumque teſtimonium ſcripto conſignavit, tacitè indicans ſine expreſſione proprii nominis illum, de quo exierat ille ſermo, eſſe ſcriptorem hujus Evangelii. Vult enim coronidem imponere, fidemque conciliare toti libro. ET SCIMUS, non ego tantùm, ſed & alii, qui cum Domino verſati ſunt, QUIA VERUM EST TESTIMONIUM EIUS, quod ſcripſit: ſic enim ſcriptor eſt, ut ſimul teſtis ſit, non famâ auditæ, ſed oculis perſpectæ veritatis.

25. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus: quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.

25. SUNT AUTEM ET ALIA, præter narrata, MULTA, QUÆ FECIT JESUS, ſupple, ſicut ſupplevit ſuperiùs c. 20. v. 30. quæ non ſunt ſcripta in libro hoc, ſed ab aliis Evangeliſtis memoriæ tradita, vel omninò prætermiſſa: SI SCRIBANTUR PER SINGULA, ſeu ſigillatim, NEC IPSUM ARBITROR MUNDUM CAPERE POSSE EOS, QUI SCRIBENDI SUNT LIBROS. Locutio eſt hyperbolica, ut Euthym. & Cyril. & ante illos tradit Aug. quo ſignificatur ingentem futurum librorum numerum, & conſequenter factorum Jeſu. Nihil enim totâ vitâ mortali dixit, aut fecit, quod non eſſet divinum, & ſcriptione digniſſimum. In talibus autem hyperbolis non eſt mendacium, quia tametſi locutio fidem rerum excedat, non tamen hoc volumus ſignificatum, quod verba ſonant: ſed tantummodò rem, quam ita augemus, aut *minuimus*, eſſe vehementer magnam aut parvam. Sic ſuprà c. 10. v. 19. Phariſæi dicunt, *Ecce mundus totus poſt eum abiit.* Unde Aug. hoc loco rem explicans, ait: Salvâ rerum fide plerumque verba excedere videntur fidem: quod fit quandò aliquid augetur vel extenuatur, nec tamen à tramite veritatis aberratur: quoniam ſi verba rem, quæ indicatur, excedunt, ut voluntas loquentis, nec fallentis appareat: qui novit quouſque credatur, à quo ultrà quàm credendum eſt, vel minuitur loquendo vel augetur.

FINIS.

SERIES

SERIES VITÆ JESU CHRISTI JUXTA ORDINEM TEMPORUM.

HACTENUS explicuimus ſingulorum Evangeliſtarum contextum, nullâ habitâ ratione temporis, vel ordinis, quo ſingulæ res geſtæ ſint: nunc operæ-pretium me facere exiſtimavi, & utile gratumque Lectoribus ſtudioſis, ſi quàm breviſſimè fieri poteſt, ſeriem rerum geſtarum juxtà ordinem ætatis Chriſti ob oculos ponam, ut una hiſtoriæ facies appareat, quæ alioquin non mediocriter confuſa & intricata eſt. Ætatem autem diſtinguemus in puerilem quæ ſe extendat uſque ad baptiſmum: & in virilem, & hanc rurſum in præludium prædicationis uſque ad primum Paſcha; & in quatuor annos prædicationis & converſationis uſque ad aſcenſionem in cælum.

Ætas Puerilis.

1. ITaque Deus, cùm Verbum, quod erat in principio, & ab æterno, Deus apud Deum, etiam carnem fieri decreviſſet, ut narratur c. 1. Joan. v. 1. & ſeqq. regnante Herode miſit Angelum Gabrielem, qui nuntiaret Zachariæ parituram Eliſabeth filium Joannem, præcurſorem Chriſti: & ſexto menſe poſt ad Mariam Virginem: quæ gravida viſitat Eliſabetham. Paritur Joannes & circumciditur: uſus linguæ redditur Zachariæ, qui benedicit Deum, prout hæc narrantur Lucæ 1. à v. 5. uſque ad 79.

2. Hinc Joſeph docetur ab Angelo uxorem eſſe gravidam de Spiritu ſancto Matt. 1. verſ. 19. & ſeqq. Naſcitur paulò poſt Chriſtus in Bethleem, Lucæ 2. verſ. 1. Et genealogia ejus pertexitur per Salomonem, Matth. 1. v. 1. & alia per Nathan, Lucæ 3. v. 23.

3. Natus annuntiatur paſtoribus, & circumciditur octavo die, Lucæ 2. v. 1. uſque ad 22. Sex diebus interjectis, adoratur à Magis, Matth. 2. v. 1. & poſt impletos adhuc viginti ſex dies purgationis Mariæ, ſiſtitur in Jeruſalem in templo, Lucæ 2. v. 22. uſque ad 39.

4. Hinc Joſeph ab Angelo admonitus fugit cum eo in Ægyptum, & poſt infantes occiſos, & aliquot annorum moram, redit in Nazareth Galilææ, Matth. 2. v. 13. uſque ad finem.

5. Quotannis cum parentibus aſcendit Jeroſolymam, & annos natus duodecim manſit inter Doctores in templo. Reverſus obedit pa-

rentibus, creſcens ut ætate, ita & ſapientia uſque ad annum ætatis ferè trigeſimum, Lucæ 2. v. 41. uſque ad finem capitis.

Ætas Virilis ante primum Paſcha poſt Baptiſmum.

1. INſtante tempore prædicationis Chriſti, anno XV. Tiberii Cæſaris, Joannes præcurſor prædicatione, & baptiſmo pœnitentiæ excitat omnium animos ad exſpectandum Chriſti adventum, ipſumque Chriſtum baptizat, voce Patris eum Filium ſuum declarante. Matth. 3. verſ. 1. uſque ad finem, Lucæ 3. verſ. 1. & ſeqq. Joan. 1. v. 6. 7. 8. Baptizatus itaque ducitur à Spiritu ſancto in deſertum, ubi jejunat quadraginta dies, luctaturque cum diabolo, Matth. 4. verſ. 1. & ſeqq. Marci 1. v. 12. & Lucæ 4. verſ. 1. Interea Joannes Phariſæis ad ſe miſſis profitetur ſe non eſſe Chriſtum, Lucæ 3. verſ. 15. & fuſiùs Joan. 1. v. 19. & ſeqq.

2. Poſtridiè Jeſus ex deſerto reverſus digito oſtenditur à Joanne, eſſe Agnus Dei. Repetit hoc teſtimonium poſtridiè. Jeſum ſequitur Andreas, qui adducit Simonem. Sequenti die occurrit Philippo, qui Nathanaëlem attrahit, Joan. 1. verſ. 29. uſque ad finem capitis.

3. Hinc tendit in Canam Galilææ, ubi aquâ in vinum mutatâ deſcendit Capharnaüm cum ſuis. Inde Jeroſolymam inſtante Paſchate, ubi ementes vendentesque templo pellit, Joan. 2. v. 1. uſque ad 23.

Annus primus Prædicationis à primo Paſchate ſequente Baptiſmum, uſque ad ſecundum.

1. HOc ipſo primo Paſchate prædicanti Jeroſolymis multi credunt, propter ſigna, quæ faciebat. Quo tempore Nicodemus noctu inſtituitur. Joan. 2. verſ. 23. & cap. 3. uſque ad verſ. 22. Hinc in Judæam diſcedit, baptizans per diſcipulos ſuos: cumque hominum affluxum moleſtè ferrent diſcipuli Joannis, docet eos Joannes Chriſtum creſcere debere, ſe autem minui, Joan. 3. v. 22. uſque ad finem capitis.

2. Non multò poſt, Herodes reprehenſus à Joanne, conjicit eum in carcerem: quod tres Evangeliſtæ incidenter narrant, Matthæus c. 14. v. 3. Marcus c. 6. v. 17. & Lucas c. 3. v. 19. ſed nullus ſuo loco. Quo audito Jeſus ſeceſſit à Judæa in Galilæam, Matth. 4. verſ. 12. Marci 1. verſ. 14. & Joannis 4. verſ. 1. Tranſiens autem per Samariam, mulierem Samaritanam & populum per biduum docet. Inde digreſſus poſt biduum à Galilæis honorificè excipitur, & in Cana filium Reguli febricitantem ſanat, ibid. Joan. 4. à v. 4. uſque ad finem capitis.

3. Ex Cana declinans patriam ſuam Nazareth, habitaturus venit Capharnaum. Hinc peregrat Galilæam prædicando, vocans ad mare piſcantes Petrum & Andream, itemque Jacobum & Joannem, edito captorum piſcium miraculo, Matth. 4. verſ. 13. uſque in finem, Marci 1. verſ. 15. & Lucæ 5. v. 1. & ſeqq. Cum iſtis ingreditur Synagogam Capharnaum, ac dæmonium ejicit, Petri quoque ſocrum febri-

cientem liberat, creſcentéque famâ veſperi ad januam plurimos ſinat, Marci 1. verſ. 21. Lucæ. 4. v. 31. & aliquid Matth. 8. verſ. 14. Manè deſcendit Capharnao in deſertum : hinc in Galilæam, prædicando atque ſanando, Marci 1. verſ. 35. & Lucæ 4. v. 42.

4. Preſſus turbis jubet fretum trajici, rejicitque quemdam à diſcipulatu ſuo, Matth. 8 verſ. 18. Inter trajiciendum obdormit, ortamque tempeſtatem verbo ſedat, ibidem v. 24. & Marci 4. verſ. 36. & Lucæ 8. v. 23. Freto trajecto duos dæmoniacos apud Geraſenos à dæmonibus liberat, quibus porcos invadere, & in ſtagnum præcipitare permittit, ut Matth. & Lucas ibidem conſequenter, Marcus verò c. 5. verſ. 1. & ſeqq.

5. Redit manè ad Capharnaum, ubi paralyticum per tectum demiſſum ſanat, unde digreſſus vocat Matthæum à telonio, & in convivio diſcipulos Joannis & Phariſæos docet, Matth. 9. verſ. 1. & ſeqq. Marci 2. verſ. 1. Lucæ 5. verſ. 18. Deinde à Iairo ad filiam curandam vocatus, in via ſanat tactu fimbriæ Hæmorrhoiſſam, & domi filiam à morte ſuſcitat, Matth. 9. verſ. 18. Marci 5. verſ. 22. & Lucæ 8. verſ. 41. Et inde divertens, duos ſanat cœcos, ex alio mutum ejecit dæmonium, quod Matth. cap. 9. verſ. 27. conſequenter narrat.

Annus ſecundus Prædicationis à ſecundo Paſchate uſque ad tertium poſt Baptiſmum.

1. POſt hoc aſcendit Jeſus Jeroſolymam, ad diem feſtum Paſchatis, ubi ad Probaticam piſcinam ſanat eum, qui triginta octo annos infirmus fuerat, factumque in Sabbato latè tuetur, Joan. 5. verſ. 1. uſque ad finem capitis.

2. Hinc cum diſcipulis per ſata tranſit, cumque ſabbato ſpicas illi vellerent, & ipſe paulò poſt manum aridam ſanaſſet, utrumque reprehendentes Phariſæos refellit, Matth. 12. v. 2. Marci 2. verſ. 25. uſque ad finem, & initio cap. 3. itemque Lucæ 6. v. 1.

3. Cùm propterea eum vellent perdere, ſecedit ad mare, turbam è mari docens, morboſque curans, Matth. 12. verſ. 15. Marci 3. verſ. 7.

4. Paulò poſt turbis relictis aſcendit in montem, in oratione pernoctat, eligit ex diſcipulis duodecim Apoſtolos, ad quos ad turbam longum unum ſermonem habet, Chriſtianæ perfectionis compendium, qui dicitur *Sermo Domini in monte* Matth. toto cap. 5. 6. & 7. Marci 3. v. 13. Lucæ 6. v. 12. uſque in finem capitis.

5. Deſcendens è monte in agrum Capharnaum, mundat leproſum Matth. 8. v. 1. Marci 1. v. 40. Lucæ 5. v. 12. Urbem ingreſſus paralyſi liberat ſervum Centurionis, Matth. 8. v. 5. Lucæ 7. v. 1. Unde digreſſus ad oppidum Naim, ſuſcitat filium unicum mulieris viduæ, Lucæ ibid. verſ. 11.

6. Iterum Joannes è carcere mittit diſcipulos ſuos ad Jeſum, qui Joannem ex multis capitibus laudans, taxat impœnitentiam Judæorum, maximè Corozain, Bathſaidæ, Capharnai. Matth. 11. verſ. 2.

uſque in finem capitis, Lucæ 7. verſ. 18. uſque ad 36. Hinc prandens apud Simonem Phariſæum peccata dimittit Magdalenæ, Lucæ 7. verſ. 36.

7. Capharnai ſanat dæmoniacum cæcum & mutum: quâ occaſione, calumniantes opera Spiritus ſancti Phariſæos, & ſignum de cælo quærentes latè refellit, Matth. 12. v. 22. uſque ad 46. Lucæ 11. v. 14. uſque ad 33. & Marci 3. v. 22. uſque ad 31.

8. Interea cognati advolant, ut eum tamquam furioſum tenerent, Marci 3. v. 21. Cumque nuntiaretur eorum adventus, ut eum convenirent, docet omnes facientes voluntatem Dei eſſe matrem & fratres ſuos, Matth. 13. v. 46. Marci 3. v. 31. Lucæ 8. v. 19.

9. Hinc ad mare egreſſus multis parabolis, ſeminis, zizaniorum, ſinapi, fermenti, theſauri, margaritæ, ſagenæ, docet turbas, Matth. 13. v. 1. uſque ad 53. Marci 4. verſ. 1. uſque ad 35. Lucæ 8. v. 4. &c. 13. verſu 18. Inde in Nazareth proficiſcitur ubi ſcandalizantur in ejus concione, imò ejiciunt eum è civitate, Matth. 13. v. 53. Marci 6. v. 1. uſque ad 7. Lucæ 4. v. 16. uſque ad 31. Pergit deinceps circuire vicos Galilææ, ſuppeditantibus vitæ neceſſaria mulieribus quas ſanaverat, Lucæ 8. v. 1.

10. Apoſtolos præceptis inſtruit, mittitque binos ad prædicandum: qui prædicant, ſanant, ungunt infirmos oleo, Matth. toto c. 10. Marci 6. v. 7. uſque ad 14. Lucæ 9. v. 1. uſque ad 7. Interea & ipſe Jeſus Galilæos docendo peragrat, Matth. 11. v. 1. & Herodes ad famam Jeſu putat Joannem à ſe occiſum, eſſe reſuſcitatum, Matth. 14. v. 1. Marci 6. v. 14. Lucæ 9. v. 7.

11. Reverſis à prædicatione Apoſtolis, ſecedit cum eis Jeſus in deſertum, trans mare Galilææ, ubi paſcit quinque millia virorum, quinque panibus, ac duobus piſcibus. Sub veſperam juſſis Apoſtolis tranſfretare ipſe fugit in montem, unde quarta vigilia veniens ſedat tempeſtatem, Matth. 14. v. 15. Marci 6. v. 30. uſque ad 53. Lucæ 9 v. 10. Joan. 6. v 1. uſque ad 21.

12. Exiens navim in terram Geneſareth, ſanat omnes malè habentes etiam fimbriæ tactu, Matth. 14. v. 34. Marci 6. v. 53. alterâ verò die in ſynagoga Capharnai occaſione patrati miraculi de panibus, longo ſermone docet ſe eſſe panem vitæ, carnem & ſanguinem ſuum eſſe manducandum & bibendum, Joan. 6. verſ. 22. uſque ad finem capitis.

Annus tertius Prædicationis à tertio Paſchate ſequente Baptiſmum, uſque ad quartum.

1. HOc Paſchate, quod Joannis 6. v. 4. indicatur, Chriſtus vel non aſcendit Jeroſolymam, eo quòd eum Judæi quærerent interficere, vel certè continuò reverſus eſt in Galilæam, Joannis 7. v. 11. ubi Scribæ cum eo diſputant de lotione manuum, atque obſervatione traditionum. Unde digreſſus in fines Tyri & Sidonis filiam Cananææ liberat à dæmonio: & ad mare rediens multos infirmos ſa-

nat, atque inter cæteros ſurdum ſimul ac mutum, Matth. 15. à v. 1. uſque ad 32. Marci toto c. 7.

2. Mox ſeptem panibus, pauciſque piſcibus quatuor millia virorum cibat. Poſt quod miraculum venit in partes Magedan & Dalmanuthæ, ubi Phariſæi ſignum de cœlo petunt, quibus repulſis transfretans monet cavendum à fermento Phariſæorum ac Sadducæorum, Matth. 15. à v. 23. uſque ad v. 31. cap. 16. & Marci 8. à v. 1. uſque ad 22. ubi Marcus conſequenter addit, apud Bethſaidam cæco extrà vicum educto lumen eſſe reſtitutum.

3. Hinc apud Cæſaream Philippi Petri fidem exquirit & laudat, ædificandæque Eccleſiæ Petram futurum pollicetur: ſed mox paſſionem, ac mortem Jeroſolymis prædicit ſibi ſubeundam, unicuique verò ſubeundam eſſe crucem ſuam. Octavo pòſt die transfiguratur in monte: unde deſcendens ejicit dæmonium è lunatico, quod diſcipuli non potuerant. Inde digreſſus in Galilæam prædicit iterum paſſionem ſuam, ac reſurrectionem, quæ omnia conſequenter narrantur, Matth. 16. à v. 13. uſque ad v. 23. cap. 17. & Marci 8. à v. 27. uſque ad v. 32. c. 9. & Lucæ 9. à v. 18. uſque ad 46.

4. Ingreſſus Capharnaum pro ſe & Petro didrachmum ſolvit, Matth. 17. v. 23. Unde ortâ contentione de primatu inter diſcipulos, eorum ambitionem comprimit, advocato puero, multáque prædicit de ſcandalo puſillorum cavendo, peccatiſque condonandis, exemplo Regis adducto, ineuntis rationem cum ſervis, Matth. 18. toto cap. Marci 9. v. 32. uſque ad finem, Lucæ 9. v. 46. uſque ad 51. & quædam cap. 17. v. 1. uſque ad 5.

5. Scenopegiâ inſtante noluit cum cognatis in Judæam aſcendere, ſed paulò pòſt occultè aſcendit à Galilæa in Judæam, Matth. 19. v. 1. Marci 10. verſ. 1. & latiùs Joan. 7. v. 2. In itinere cùm Samaritani negaſſent ei hoſpitium, reprimit in diſcipulis vindictæ cupiditatem, imò Samaritanum obvium cum novem aliis à lepra ſanat, eumque laudat, Lucæ 9. v. 51. & c. 17. v. 11.

6. Feſto Scenopegiæ mediante intrat Jeruſalem, tantâ docens efficaciâ, ut miniſtri ad eum capiendum miſſi ipſi caperentur. Unde cùm in montem Oliveti veſpere receſſiſſet, reverſus manè mulierem in adulterio deprehenſam è Judæorum manibus in terra ſcribens liberat: quâ occaſione docet, quis ipſe ſit, & qui Judæi; an eorum pater Abraham, an diabolus: vnde jam jamque lapidaturis, manibus eorum elabitur. Mox verò præteriens cæcum à nativitate, luto oculis illito die ſabbati eum ſanat, multáque de paſtore bono, de mercenario, de ovibus ſuis diſſerit, prout hæc omnia narrantur conſequenter per Joan. toto c. 7. 8. 9. ac 10.

7. Egreſſus Jeroſolymis peragrat Judæam deſignans alios ſeptuaginta duos diſcipulos, quos binos præmittit in omnem locum quò venturus erat, inſtruens eos ferè ſimilibus, quibus aliquantò antè Apoſtolos inſtruxerat: reverſos docet modeſtiam, Patrique ſuo gratias agit, Lucæ 10. v. 1. uſque ad 25. & aliquid, Matth. 11. v. 25. uſque ad finem.

8. Hinc Scribam arrogantiorem docet, quis ejus proximus ſit exem-

plo Samaritani. Paulò pòst in Bethania hoſpitio exceptus, Mariæ otium Marthæ negotiis præfert. Deinde diſcipulos orare docet, *Pater noſter &c.* maximèque perſeverantiam orationi eſſe adhibendam, Lucæ 10. à v. 25. ad v. 14. cap. 11.

9. Invitatus ad prandium à Phariſæo carpit eorum præpoſterum munditiæ ſtudium, hypocriſin, aliáque vitia ſæpiùs *Væ* ingeminans Lucæ 11. verſ. 37. uſque ad finem. Deinde hereditatis diviſionem à ſe rejecit, ab avaritia, & à ſollicitudine rerum temporalium revocans multis argumentis, Lucæ 12. à v. 13. uſque 35. Quæ verò uſque ad finem capitis ibidem ſequuntur, eodem tempore ſubjuncta videntur, quamvis & aliis locis, & occaſionibus pleraque dicta ſint.

10. Deinde cùm ei nuntiatum eſſet de Galilæis à Pilato occiſis, provocat omnes ad pœnitentiam, ne inſtar ficus infructuoſæ excidantur: mulierem octodecim annis inclinantem erigit, murmuranteſque comprimit: cæteros verò auditores inſtruit parabolis grani ſinapis, ac fermenti. Inde per caſtella Judææ tendens in Jeruſalem, cùm rogaretur, an pauci eſſent ſalvandi, docet per anguſtam portam nitendum eſſe, cujus oſtio ſemel clauſo fruſtrà pulſarent. In ipſa die monitus, ut ab Herode ſibi caveret, reſpondit mortem ſibi in Jeruſalem eſſe ſubeundam: quam ſæpè voluerit inſtar gallinæ congregare, Lucæ 13. toto capite.

11. Ad prandium vocatus à principe Phariſæorum, curat hydropicum, quod ſimilitudinibus ſibi licere oſtendit, docens convivas non aucupandum eſſe primum locum, nec invitandos eſſe divites, ſed pauperes, ac debiles. Subjicit parabolam cœnæ magnæ, ad quam vocati excuſant ſe variis prætextibus. Denique exemplo ædificantis turrim explicat, quantum requiratur in eo, qui velit eſſe diſcipulus ſuus, Lucæ 14. toto capite.

12. Murmurantibus deinde Phariſæis, quod reciperet peccatores, tribus parabolis ovis, drachmæ & filii perditi eos refellit: quorum deinde taxatâ avaritiâ provocat eos ad eleemoſynam, adductis exemplis villici diffamati, ac divitis epulonis, Lucæ toto c. 15. ac 16.

13. Deinde hyeme in Encæniis diſputat in porticu Salomonis cum Judæis ſe circumſtantibus: cumque vellent eum lapidare & apprehendere, abiit trans Jordanem, Joan. 10. à v. 22. uſque ad 40.

14. Confluentibus hîc ad eum Judæis, docet ac ſanat turbas: diſputatque cum Phariſæis de conjugij firmitate, divortio, cælibatu, Joan. 10. v. 41. & 42. Matth. 19. à v. 1. uſque ad 13. Marci 10. à v. 1. uſque ad 13. Ibidem vetat à ſe arceri parvulos, quibus manum imponens benedixit. In via verò dives adoleſcens à ſequendo Chriſto deterretur propoſitâ paupertate: quâ occaſione tradit, quanta divitibus ſit difficultas intrandi in regnum Dei, quanta felicitas futura eorum, qui propter Chriſtum omnia dereliquerint, Matth. 19. à verſ. 13. uſque ad finem, Marci 10. à verſ. 13. uſque ad 32. Lucæ 18. à v. 15. uſque 31. Eodem verò tempore adducta parabola operantium in vinea diſcipulos docet, ſæpè primos fieri noviſſimos & contrà, ut Matthæus attexit initio capitis 20.

15. In finibus adhuc Judææ conſtitutus accipit nuntium de infirmitate

Lazari, quem cum ſciret eſſe mortuum, tendit in Bethaniam, ubi eum quatriduanum ſuſcitat. Quo miraculo multis credentibus, mors ejus decernitur à Pontificibus & Judæis. Itaque Jeſus abiit in fines Judææ juxtà deſertum in civitatem Ephrem, Joan. 11. à verſ. 1. uſque ad 55.

16. Inſtante Paſchate tendit Jeroſolymam prænonens diſcipulos de cruce & morte ibidem ſubeunda, & ſecutura reſurrectione. Quo audito regnum inſtare putantes duo filii Zebedæi, per matrem petunt, ut conſeſſum à dextris, ac ſiniſtris ſibi concederet. Stomachantes illam ambitionem, Apoſtolos humilitatem docet: tempus notat Joan. cap. 11. verſ. 55. hiſtoriam verò Lucas cap. 18. verſ. 31. Matthæus capitis vigeſimi, verſu 17. uſque 29. & Marcus cap. 10. verſ. 32. uſque ad 46.

17. Pergens Jeſus ingreditur Jericho: ubi excipitur hoſpitio à Zachæo, & ſalutem domui factam annuntians adjungit parabolam de ſervis negotiantibus, Lucæ 19. verſ. 1. uſque ad 28. & mox egreſſus duobus cæcis reſtituit viſum, Matth. 20. verſ. 29. Marci 10. verſ. 46. Lucæ 18. verſ. 35. Hinc venit Bethaniam ante ſex dies Paſchæ, Joan. 12. verſ. 1. Poſtridie fit eis cœna in domo Simonis leproſi, Lazaro ſimul accumbente, Martha miniſtrante, Maria unguentum effundente, quam ob cauſam diſcipulorum murmur compeſcitur, Matth. 26. verſ. 6. Marci 14. v. 3. Joan. 12. verſ. 2.

18. In craſtinum, hoc eſt, die Dominica è Bethania profectus aſello per montem Oliveti, turbis acclamantibus, *Hoſanna in excelſis*, tendit Jeroſolymam, Matth. 21. verſ. 1. Marci 11. verſ. 1. Lucæ 19. verſ. 29. Joan. 12. verſ. 12. Civitati proximus deflet, ac præcidit excidium ejus, Lucæ 19. verſ. 41.

19. Ingreſſus urbem, templo vendentes ejicit, cæcos claudoſque ſanat, & indignantibus Phariſæis os obturat, Matth. 21. v. 12. Marci 11. v. 15. Lucæ. 19. verſ. 45. Interim Judæis frendentibus gentiles deſiderant videre Jeſum: qua occaſione glorificatur à patre, voce cælitus delapſa, & ipſe nonnulla ad Judæos differit, Joan. 12. verſ. 20. uſque ad finem cap.

20. Veſpere vrbe egreditur in Bethaniam, manè verò die ſequente, id eſt, feria ſecunda rediens maledicit ficui. Die in docendo tranſacta redit iterùm veſperi in Bethaniam, Matth. 21. verſ. 17. Marci 11. verſ. 11.

21. Poſtridiè, hoc eſt, feria tertia cùm rediret Jeroſolymam, diſcipuli mirantur ficum aruiſſe. Itaque docet eos vim fidei & orationis, Matth. 21. verſ. 20. & ſeqq. Marci 11. v. 20. In templum veniens, ac de poteſtate, qua iſta faceret interrogatus, perſtringit Judæos: quòd enim ſcientes nollent agnoſcere, propoſitiſque parabolis tranſlationem regni Dei à Judæis ad Gentes prædicit, Matth. 21. v. 23. uſque ad finem, & initio capitis 22. uſque ad verſ. 15. Marci 11. verſ. 27. uſque ad finem, & initio cap. 12. Lucæ 20. v. 1. uſque ad 20.

22. Hinc irati cùm manibus eum capere non auderent, conantur capere in ſermone, obtundendo eum vafris quæſtionibus, de cenſu Cæſari ſolvendo, de conjugio poſt reſurrectionem, de mandato ma-

ximo in lege : quibus ſolutis proponit eis, & ipſe quæſtionem de Chriſto, an eſſet Filius David, Matth. 22. verſ. 15. uſque ad finem, Marci 12. à verſ. 13. uſque ad 38. Lucæ 20. à verſ. 21. uſque ad 45.

23. Tunc, cum juſſiſſet Phariſæos tamquam ſuper cathedram Moyſis ſedentes audiri, graviſſimè invehitur in eorum vitia, vindictam comminatus divinam, & octies *Væ* ingeminans, latè toto cap. 23. Matth. breviter vero Marci 12. verſ. 38. & Lucæ 20. v. 45. Poſt quem ſermonem ſedens contra gazophylacium præfert eleemoſynam viduæ pauperis, duo ſcilicet minuta, muneribus divitum, Marci 12. v. 41. Lucæ 21. v. 1.

24. Templo egreſſus ſub veſperam diſcipulis ſtructuram ejus mirantibus, prædicit excidium ejus; unde in montem uſque progreſſus Oliveti, cum ſediſſet ex adverſo, dat ſigna conſummationis tam Jeruſalem, quàm totius ſæculi: addens tamen eſſe incertum diem adventus ſui, adeòque omnibus vigilandum eſſe, quod declarat parabolis decem virginum, ſervorúmque negotiantium, Matth. 24. toto cap. & 25. uſque ad v. 31. Marci toto cap. 13. Lucæ cap. 21. à verſ. 25. uſque ad finem : quibus deinde formam judicii generalis ſubjungit, Matth. 25. verſu 31. uſque ad finem.

25. Feria quarta mane prædicit poſt biduum Paſcha futurum, & ſe agendum in crucem, Matth. 26. v. 1. Marci 14. v. 1. & 2. Lucæ 22. v. 1. & 2. Eadem verò die paciſcitur Judas cum principibus Sacerdotum, & cum Judæis magiſtri ſui proditionem, Matth. 26. v. 3. itémque 14. Marci 14: v. 10. Lucæ 22. v. 2.

26. Feria denique quinta diſcipulos duos mittit ad parandum ſibi Paſcha, dans eis indicium inveniendæ domus hominem amphoram aquæ bajulantem, Matth. 26. verſ. 17. Marci 14. v. 12. Lucæ 22. v. 7. uſque ad 14. Atque hîc ſequitur quartum Paſcha prædicationis, in quo & mortuus eſt : ita ut elapſi fuerint à baptiſmo ejus uſque ad mortem, tres anni completi, & fere tres menſes.

QUARTUM PASCHA.

SERIES PASSIONIS CHRISTI,

Mors, Reſurrectio uſque ad Aſcenſionem ejus.

1. FEria quinta ſub veſperam, quâ incipiebat dies primus Azymorum ſeu feſtum Paſchatis, comedit cum diſcipulis in Cœna agnum Paſchalem, Matth. 26. v. 20. Marci 14. verſ. 16. Lucæ 22. verſ. 14. qua cœna abſoluta lavit eorum pedes, Joan. 13. verſ. 1. uſque ad 21. Et mox inſtituit, ac tradit eis Sacramentum Corporis & Sanguinis ſui, Matth. 26. verſ. 26. Marci 14. verſ. 22. Lucæ 22. verſ. 17.

2. Deinde prædicit ab uno eorum hac ipſa nocte ſe prodendum eſſe,

esse, quod Matth. cap. 26. vers. 21. Marcus cap. 14. vers. 18. anticipando velut ante cœnam narrant: Lucas verò cap. 22. vers. 21 & Joan. cap. 13. versu 21. ordine recto post cœnam. Itaque Judas buccellâ intinctâ designatus præceps egreditur, Joan. cit. cap. 13. vers. 26. Hac prædictionis occasione discipuli contendunt inter se, quis eorum videretur esse major, & consequenter à proditione alienior: quorum studium præposterum commmendata eis humilitate reprimit, Luc. 22. v. 24. usque ad 31. additóque mandato novo mutuæ dilectionis, Joan. 13. v. 34.

3. Hinc pro Petri fide se orasse dicens jactanti constantiam suam prænuntiat trinam negationem, Lucæ 22. v. 31. usque ad 38. Joan. 13. vers. 36. usque ad finem. Post hujusmodi triste vaticinium humanissimè consolatur & erigit eorum animos prolixo sermone, Joan. toto cap. 14. 15. & 16. quem complevit oratione ad Patrem fusa pro Apostolis, & pro omnibus credituris, ibid. toto c. 17.

4. Dehinc egressus domo versus montem Olivarum, omnes scandalum eadem nocte passuros prædicit, Petróque arrogantiùs iterùm glorianti, eum cæteris graviùs peccaturum. Matth. 26. versu 31. usque ad 36. Marci 14. v. 27. transitóque torrente Cedron, venit in hortum villæ Gethsemani, Matth. 26. versu 36. Marci 14. versu 32. Lucæ 22. versu 39. Joan. 18. versu 1.

5. Hic assumptis tribus Apostolis summam animi tristitiam patefacit, ter orat, sanguinem sudat, de cœlo confortatur, dormientes excitat, prædicit adesse proditorem, obviam ei procedit, Matth. 26. v. 36. usque ad 50. Marci 14. v. 22. usque ad 45. Lucæ 22. versu 39. usque ad 47. Cùm totam turbam proditioni adjunctam uno verbo prostravisset, Joan. 18. v. 5. excipit osculum Judæ, vetat Apostolos capi: capitur ipse, Petrúsque Malchi auriculam amputans, atque ipsi Judæi reprehenduntur, Matth. 26. vers. 49. usque ad 56. Marci 14. vers. 45. Lucæ 22. v. 47. usque ad 54. Joan. 18. v. 10. Quibus visis fugiunt discipuli, atque adolescens aliquis tumultu excitatus, abjectâ sindone, profugit nudus, Matth. 26. versu 56. Marci 14. versu 50.

6. Captus Jesus Annæ primum sistitur, hinc ad Caïpham ducitur, quo & Petrus eum secutus per alium discipulum intromittitur. Hic primùm examinatus Jesus de doctrina & discipulis, liberéque respondens alapam accipit à ministro, Joan. 18. v. 13. usque ad 25. Deinde falsis testibus impetitus, & Pontificis admiratione confessus, se esse Christum, reus mortis decernitur, Matth. 26. vers. 29. usque ad 66. Marci 14. v. 55. usque ad 65.

7. Dum hæc fiunt, Petrus ad ignem agnitus ab ancillis ministrisque ter splendidè negat se nosse Christum, donec gallo cantante ad se reversus flevit amarè, Matth. 26. v. 69. usque ad finem, Marci 14. v. 66. usque ad finem, Lucæ 22. v. 55. usque ad 63. Joan. 18. v. 17. Jesus verò jam condemnatus variis ludibriis exagitatur, Matth. 26. vers. 67. & 68. Marci 14. v. 65. Lucæ 22. v. 63.

8. Manè iterùm sistitur concilio, & persistens in confessione quòd esset Christus, iteratò condemnatur, Lucæ 22. vers. 66. usque ad finem, atque ita interficiendus & vinctus à toto concilio ducitur ad Pilatum, Matth. 27. v. 1. Marci 15. v. 1. Lucæ 23. v. 1. Joan. 18. v. 28.

9. Videns ergò eum damnatum esse Judas, & pœnitentiâ ductus,

laqueo ſe ſuſpendit, abjectis priùs in templum argenteis, quibus ager figuli emitur in ſepulturam peregrinorum, Matth. 27. v. 3.

10. Cùm verò Judæi Jeſum accuſare detrectarent, ut qui judicis ejus fuiſſent, Pilatus autem nollet eum occidere, niſi causâ cognitâ, Joan. 18. v. 29. uſque ad 33. tandem accuſant eum de variis, & potiſſimùm quòd ſe Chriſtum Regem eſſe diceret, Lucæ 23. v. 2. De quo latius & ſeorſim à Pilato interrogatus fatetur ſe Regem eſſe, non tamen quales ſunt Reges hujus mundi, Matth. 27. v. 11. Marci 15. verſ. 2. Lucæ 23. v. 3. & maximè Joan. 18. verſ. 33. uſque ad 38.

11. Egreſſus Pilatus renuntiat ſe nullam invenire in eo mortis cauſam, Lucæ 22. v. 4. & Joan. 18. v. 38. Cum verò adhuc obtunderent aures Præſidis accuſando, ſemel faſſus Jeſus nihil amplius reſpondit, non ſine magna Præſidis admiratione, Matth. 27. v. 12. uſque ad 15. Marci 14. v. 3. Tandem nova calumnia clamant eſſe turbatorem populi à Galilæa uſque Judæam. Quo audito, quòd eſſet Galilæus, ut Pilatus à cauſa moleſta ſe expediret, mittit eum ad Herodem Tetrarcham Galilææ, qui ſpretum albiſque indutum remiſit ad Pilatum. Lucæ 23. à v. 5. uſque ad 13.

12. Rurſus igitur Pilatus eum innocentem eſſe etiam Herodis judicio denuntians, profitetur ſe eum dimiſſurum, adhibita nonnulla caſtigatione, Lucæ 23. v. 13. ante quam tamen alium liberandi modum tentat, componendo eum cum Barabba homine facinoroſo, vix dubitans innocentem præ latrone ex eorum votis eſſe liberandum: ſed multum licet renitente Præſide ac diſputante, Barabbas præeligitur, Jeſus ad crucem poſtulatur, Matth. 27. v. 15. Marci 15. v. 6. Lucæ 23. v. 17. Joan. 18. v. 39.

13. Spe itaque fruſtratus Pilatus Jeſum jubet flagellari: quo facto à tota militum cohorte exuitur, ſpinis coronatur, illuditur, populo à Pilato oſtenditur, ut miſero illo ſpectaculo flecterentur, Matth. 27. verſ. 26. Marci 15. v. 15. Joan. 19. verſ. 1. Sed indomitâ ferociâ pergunt eum, ſuccenſente Pilato, ad crucem poſcere. Ut verò clamores ſuos etiam ratione fulcirent, dicunt eum eſſe mortis reum, eo quòd ſe Filium Dei feciſſet. Quo examinato cùm Pilatus eum ex timore vellet dimittere, invidiam læſæ majeſtatis Cæſaris ei concitant: quâ fractus Pilatus tandem injuſtitiæ dedit manus, ſedens pro tribunali, ut eum damnaret, Joan. 19. v. 7. uſque ad 14.

14. Sedens igitur jam in procinctu ad ferendam ſententiam monetur ab uxore, ut à negotio juſti iſtius abſtineret, Matth. 26. v. 19. Itaque Pilatus iterùm diſceptans pro ejus liberatione, ut eſt Joan. 19. v. 14. & 15. tandem nihil proficiens lavat manus coràm omni populo: quo ſanguinis ejus reatum ſibi filiiſque ſuis imprecante, adjudicat fieri petitionem eorum, tradens eum crucifigendum, Matth. 27. v. 24. & 25. Lucæ 23. v. 24.

15. Damnatus ducitur à militibus cruce onuſtus extra civitatem: quo cùm veniſſent, crucem, ut expeditiùs incederet, Simoni Cyrenæo imponunt, Matth. 27. verſ. 31. Marci 5. verſ. 20. & 21. Lucæ 23. verſ. 26. Cùm verò turba populi ac mulierum lamentantium ſequeretur, ad eas converſus prædicit ultionem ipſis, ac earum filiis imminentem, Lucæ 23. v. 27. uſque ad 33.

16. Ad montem Calvariæ ubi venit, propinatur ei vinum myrrhatum felle mixtum; guſtatum verò quale eſſet noluit bibere, Matth. 27. verſ. 33. & 34. Marci 15. v. 22. & 23. Hinc crucifigitur, oratque pro crucifixoribus, Lucæ 23. v. 33. & 34. Cruci additur titulus cauſæ, Matth. 27. verſ. 37. Marci 15. verſ. 26. Lucæ 23. verſ. 38. Joan. 19. verſ. 19. quem ſcriptum Pilatus non vult mutare, Joan. 19. verſ. 20. & ſeqq. Ut verò major eſſet ignominia, crucifiguntur cum eo hinc & inde duo latrones, Matth. 27. verſ. 38. Marci 15. v. 27. Lucæ 23. verſ. 33. Joan. 19. verſ. 18.

17. Milites partiuntur inde coràm ipſo veſtimenta ejus, Matth. 27. v. 35. Marci 15. v. 24. Lucæ 23. v. 34. Joan. 19. v. 23. & 24. Populus verò ſpectans, & Pontifices, & milites ei inſultabant morienti, variáque exprobrabant, Matth. 27. v. 39. uſque ad 44. Marci 15. v. 29. uſque ad 33. Lucæ 23. v. 35. Cùm verò & alter latronum hoc faceret, alter eum reprehendit, Jeſum agnoſcit Dominum ſuum, & ab eo paradiſi promiſſionem impetrat, Lucæ 23. verſ. 39. uſque ad 44. Hinc matrem adſtantem cruci commendat diſcipulo præſenti, quem diligebat, Joan. 19. verſ. 25. & ſeqq.

18. Interim dum hæc fierent, ab hora ſexta, quâ crucifigebatur, factæ ſunt tenebræ uſque ad horam nonam, Matth. 27. v. 45. Marci 15. verſ. 33. Lucæ 23. verſ. 44. circa quam horam exclamavit, *Eli, Eli*, Matth. 27. verſ. 46. Marci 15. verſ. 34. Cùmque eodem tempore dixiſſet, *Sitio*, Joan. 19. verſ. 28. milites hoc in riſum vertentes, acetúmque offerentes, interpretantur eum *Eliam* invocare, Matth. 27. v. 47. Marci 15. v. 35. Lucæ 23. v. 36. Accepto aceto dixit, *Conſummatum eſt*, Joan. 19. v. 30. Iterùm verò clamans voce magnâ, *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, inclinanſque caput expiravit, Matth. 27. v. 50. Marci 15. v. 37. Lucæ 23. v. 47. Joan. 19. v. 30.

19. Interim velum templi ſciſſum eſt, terra mota, petræ diruptæ, ſepulchra aperta ſunt: ex quibus Centurio agnoſcit Filium Dei: cæteri tundentes pectora revertuntur, Matth. 27. v. 51. uſque ad 55. Marci 15. v. 38. & 39. Lucæ 23. v. 45. & iterùm 47. & 48. Judæi verò propter inſtans ſabbatum impetrant, ut crucifixorum crura frangerentur: quod fit latronibus, non Jeſu, quia jam mortuo: ſed lancea aperitur latus ejus, Joan. 19. v. 31. uſque ad 38.

20. Itaque jam veſpere Joſeph ab Arimathæa obtentâ veniâ deponendi corporis, illud condit aromatibus, ſindone involvit, adjutus à Nicodemo ſepelit in horto, in monumento ſuo novo, obſervantibus locum mulieribus, Matth. 27. v. 55. Marci 15. v. 42. uſque ad finem, Lucæ 23. v. 50. uſque ad finem, Joan. 19. v. 38. uſque ad finem. Poſtridiè, hoc eſt ipſo die ſabbati, cum conſenſu Pilati, Phariſæi ſigillo muniunt os ſepulchri, & cuſtodes apponunt, ne furto ſublatus reſurrexiſſe diceretur, Matth. 27. v. 56. uſque ad finem.

Reſurrectio.

21. VEſperi finito ſabbato mulieres parant aromata, & poſtridiè prima ſabbati, hoc eſt die Dominica ſummo manè, albeſcente jam cœlo veniunt ad monumentum, ut corpus ungerent, Matth.

28. v. 1. Marci 16. v. 1. Lucæ 24. v. 1. Joan. 20. v. 1. Appropinquantibus Angelus descendens cum terræ motu tollit lapidem à sepulchro, & sedit super eum: quo custodes exterriti fiunt velut mortui, Matth. 28. v. 2. Marci 16. v. 3.

22. Mulieres jubet animo securo esse, nuntiansque Jesum surrexisse, hortatur ingredi (quod & fecerunt) ut videant locum corpore vacuum, & hoc discipulis annuntient, Matth. 28. v. 5. Marci 15. v. 5. Lucæ 24. v. 3. Illæ consternatæ egrediuntur monumento, & mox inveniunt duos Angelos, qui eis idem dicunt, easque increpant paulò duriùs, Lucæ, 24. v. 4. usque ad 9. Nuntiant illæ Apostolis, corpus esse sublatum, & Angelorum visionem sibi apparuisse, qui dicunt Jesum vivere. Quare Petrus & Joannes currunt, ut rem explorent, & non invento corpore verè illud sublatum esse credunt, Lucæ 24. vers. 9. usque ad 13. Joan. 20. v. 2. usque ad 10.

23. Maria cum Apostolis reversa perstat plorans in quærendo corpore, videt duos Angelos, & mox ipsum Dominum, putans esse hortulanum, Marci 16. v. 9. Joan. 20. v. 11. usque ad 18. Quod cùm Apostolis narratura in urbem cum cæteris mulieribus festinaret, obvium habuerunt omnes Jesum, Matth. 28. v. 9.

24. Intereà custodes in urbem veniunt acceptáque pecunia spargunt corpus à discipulis furto sublatum, Matthæus 28. v. 11. usque ad 16. Cùm verò necdum crederent Apostoli mulieribus, apparet Dominus Petro, Lucæ 24. v. 34. necnon duobus discipulis euntibus in Emaüs, Marci 16. v. 12. & fusiùs Lucæ 24. v. 13. usque ad 36. qui cùm reversi in Jerusalem Apostolis congregatis apparitionem illam narrarent eâdem illâ die, primâ sabati, seu dominicâ vesperi, stetit Jesus in medio eorum absente Thoma, ostenditque eis manus, latus, denique comedit cum eis, ac bibit, Marci 16. v. 14. usque ad 19. Lucæ 24. v. 39. usque ad 50. Joan. 20. v. 19. usque ad 24.

25. Cùm autem Thomas Apostolis non crederet, octavo pòst die eisdem apparet, ac Thomæ manus, ac latus palpandum offert, Joan. 20. v. 24. usque ad 30. Deinde discipuli in Galilæam ex mandato Domini profecti vident eum piscantes ad mare Tiberiadis: prandent cum eo; & Petrus totius ovilis, hoc est Ecclesiæ, curam accipit, Joan. 21. v. 1. usque ad 24. Denique vident eum in monte sibi per eum constituto in Galilæa, Matth. 28. v. 16. ubi docet eos omnes potestatem sibi esse traditam. Baptismi formam tradit, signaque credentes secutura, ibid. v. 16. & Marci 16. v. 15. usque ad 19.

Ad extremum conversatus cum eis per dies quadraginta locutusque de regno Dei, die tandem quadragesimo educit eos in Bethaniam, montémque Oliveti, & repressa eorum curiositate de tempore quo restitueretur regnum Israëli, elevatis manibus benedicens eis ascendit in cœlum, Marci 16. v. 19. Lucæ 24. v. 50. Actor. 1. v. 6. & seqq. Ubi jam sedet ad dexteram Patris cooperans prædicatoribus Evangelii sui, sermonémque confirmans sequentibus signis, Marci 16. v. 19. & ultimo.

FINIS.

INDEX.

A.

A præpoſitio pro, *Pra*, Luc. 18. v. 14.

Abilina ab Abila civitate dicta, Luc. 3. v. 1.

Ab Abraham cur inchoëtur genealogia Chriſti. Matth. 1. v. 2.

Abraham pater credentium, Luc. 16. v. 22.

Abraham quomodo diem Chriſti vidit, Joan. 8. v. 56.

Abundantia bonorum affectuum profert fructum convenientem, Matth. 12. v. 35.

Abnegare ſeipſum diverſimodè ſumitur, Matth. 16. v. 24.

Abominationem deſolationis quidam putant Antichriſtum, Matth. 24. v. 15. Aliæ opiniones, ibid.

Abſolutio ſacramentalis non eſt pura declaratio peccati remiſſi, Joan. 20. v. 23. Eſt actus judicialis præſupponens confeſſionem accuſatoriam, ibid.

Accuſationem accuſatione graviori pellit Chriſtus, Matth. 15. v. 2.

Acerùm cur paraverant, & cur quæritur audito *Eli Eli*, &c. Matth. 27. v. 48.

Adam quomodo Dei Filius, Luc. 3. v. 38.

Ador menſis, cui menſi noſtro reſpondeat? Joan. 10. v. 22.

Adoleſcens quis ſecutus Chriſtum, Marc. 14. v. 51.

Adomim latrociniis celebre, Luc. 10. v. 29.

Adoptivus filius non odit naturalem, Joan. 8. v. 42.

Adorare pro ſacrificare, Joan. 4. v. 20. & 23.

Adventus Chriſti toti mundo erit conſpicuus, Matth. 24. v. 27.

Adventus Chriſti duplex. Matth. 17. v. 11.

Adventus Chriſti duplex à Judæis confuſus, Joan. 1. v. 21.

Adventus Chriſti ad judicium particulare in morte uniuſcujuſque Joan. 14. v. 3.

Adultera ad Chriſtum adducitur, Joan. 8. v. 2. & ſeqq.

Adulterium non eſt cauſa ſufficiens ad uxorem dimittendam, & aliam ducendam, Matth. 19 v. 9.

Ægypto quid profuerit confugium Chriſti, Matth. 2. v. 13. Quamdiu ibi manſerit incertum, Matth. 2. v. 15.

Æs vocatur omnis pecunia, Marc. 12. v. 41.

Affectare ſigna præcellentiæ non decet, Matth. 23. v. 6.

Affectum dantis potiùs reſpicit Deus, quàm rei datæ magnitudinem, Matth. 10 v. 42.

Affectus terreni excæcant Matth. 13. v. 15.

Affectus vitæ melioris per ſolicitudinem ſæculi extinguitur, Matth. 13. v. 22.

Affectibus propriis valedicendum, Matt. 16. v. 24.

Affectus humanos cur Chriſtus aſſumpſerit, Matth. 26. v. 36.

Affirmandi modus modeſtus, Matth. 26. v. 25.

Afflictiones parato animo non ſuſcipiens non eſt dignus nomine Chriſtiani, Matth. 10. v. 38.

Agnus veſpere ſolitus comedi, Matth. 26. v. 20. Immolari verò circiter horâ tertiâ pomeridianâ ibid.

Agnus paſchalis præfigurabat Chriſtum, Joan. 1. v. 29.

Per *Agnos* bis repetitos deſignantur duo populi, Judaïcus & Gentilis: per *Oves* Epiſcopi & Paſtores, Joan. 21. v. 15.

In Agro cur paſſus eſt Chriſtus, Matth. 27. v. 31.

Alabaſtrum non à menſura, ſed à materia dictum, Luc. 7. v. 37.

Alapa & *Colaphus* quid differant, Joan. 18. v. 22.

Albedo veſtium Chriſti in transfiguratione erat fulgor tranſparentis luminis, Matth 17. v. 2.

Alienam infirmitatem tolerare & curare Chriſtus docet, Matth. 26. v. 43.

Aliis faciendum quod nobis fieri volumus, Matth. 7. v. 12.

Allegorica explicatio ſanatorum cæcorum, Matth 20. v. 31. Ficus Matth. 21. v. 19. Culicis & cameli, Matth. 23. v. 42.

Aloë ſua amaritudine reſiſtit putrefactioni, Joan. 19. v. 39.

Altare Thymiamatis in ſanctuario, non in Sancto ſanctorum fuit, Luc 1. v. 9.

Amare animam ſuam in hoc mundo, quid? Joan. 12. v. 25.

Ambitionis cupiditas taxatur & amputatur, Luc. 14. v. 7. ſeqq.

Ambitioſa contentio diſcipulorum, Matth. 18. v. 1. Quæ ejus cauſa? ibid. Ejus repreſſio v. 3. Matth. 20. v. 24.

Amen, *Amen*, pro certo certius, Joan. 1. v. 51. & Joan. 8. v. 34.

Amicitia ſincera non quærit proprium commodum, ſed amici, Joan. 14. v. 28.

Amicus vocatur amico animo invitatus, Matth. 22. v. 12.

Amor Chriſti erga ſuos electos, Joan. 13. v. 1.

Amor ſui impedit amorem Chriſti, Matth. 10. v. 39.

Amor divitiarum quam periculoſus? Matth. 19. v. 28.

Anabaptiſtæ refelluntur, Marci 16. v. 16.

Andreas frater Petri, Matth. 10. v. 2.

Andreæ Apoſtoli auctoritas apud Jeſum, Joan. 12. v. 22.

Angariare quid? Matth. 5. v. 41.

Angelum cuſtodē habent homines, Matth. 18. v. 10.

INDEX.

Angeli cuſtodis officium, Matth. 18. v. 11.
Angeli Chriſto miniſtrant, Matth. 4. v. 11. Item Joan. 21. v. 9.
Angelorum miniſterium circa animas juſtorum, Luc. 16. v. 22.
Angeli miniſterio lapis revolutus à ſepulchro, Matth. 28 v. 2.
Angeli cur meſſores? Matth. 28. v. 20.
Angelis in quo erunt homines ſimiles in cælo, Matth. 22. v. 30.
Angelus cur in templo, juxta altare, & à dextris apparuit Zachariæ? Lucæ 1. v. 11.
Inter bonorum & malorum Angelorum apparitiones diſcrimen, Lucæ 1. v. 13.
Anima hominis non eſt proprii, ſed alieni juris, nempe Dei, Lucæ 12. v. 20.
Anima ſumitur pro vita temporali, Matth. 6. v. 25 Aliæ ejus acceptiones, Matth. 10. v. 39.
Anima diligens juſtitiam & dominans paſſionibus eſt ſpiritualis regina, Lucæ 17. v. 21.
Anima deſolata comparatur viduæ, Luc. 18. v. 3.
Animæ humanæ immortalitas, Lucæ 13. v. 46. Ex hac colligitur reſurrectio, Matth 22. v. 32
Animi dantur Apoſtolis, Matth. 28. v. 20.
Animus hominis Deo ſemper inhærere debet, Joan. 8. v. 29.
Annas Pontifex quinque filios habuit Pontifices, Lucæ 3. v 2.
Annas ſocer Caiphæ Pontificis, Joan. 18. v. 13.
An ſimul cum Caipha pontificatum geſſerit, Lucæ 3. v. 2.
Annæ prophetiſſæ caſtitas virginalis, conjugalis, & vidualis, Lucæ 2. v. 36. & 37.
Annorum Chriſti computus vulgaris æquo brevior, Lucæ 3. v. 23.
Annus Julianæ correctionis quo natus eſt Chriſtus, ibid.
Annulus ornatus hominis liberi & locupletis, Lucæ 15. v. 22.
Ante mundi conſtitutionem, pro ab æterno, Joan. 17. v. 24.
Antequam quid importet, Matth. 1. v. 18.
Antichriſti adventus prædicitur, Joan. 5. v. 43.
Apex de lege non cadit quin impleatur, Lucæ 16. v. 17.
Apoſtolus quid ſignificet, Matth. 10. v. 1.
Apoſtoli cur duodecim, Matth. 10. v. 2. Eorum nomina, ibid. & verſ. ſeqq. Suſtinent perſonam Chriſti, Matth. 10. v. 40. Conſtantia probatur, Matth. 14. v. 24.
Qua ratione Chriſtus iis omnia nota fecerit, Joan. 15. v. 15.
An elegerint Chriſtum? Joan. 15. v. 16.
Non erant de mundo, & qua ratione? Joan. 17. v. 14. & 16.
Sunt lux mundi duobus modis, Joan. 17. v. 18.
Turbantur ex verbis Chriſti, Matth. 15. v. 14.
Ordinantur orbis doctores, & myſteriorum Dei miniſtri, Joan. 20. v. 21.
Ordinantur ſacerdotes, Luc. 22. v. 19.
Comparantur ovibus, ſerpentibus, columbis, Matth. 10. v. 16.
Datur illis poteſtas juriſdictionis quoad forum poli, Joan. 20. v. 21.
Prohibentur arma ferre, Matth. 10. v. 10.
Eorum munus & officium, Luc. 24. v. 48.
Apoſtolorum præcipui, cæteriſque capaciores, Matth. 17. v. 1. Fides eorum imperfectior quàm eſſe debuiſſet, Matth. 17. v. 18. Magis Chriſto familiares, Matth. 26. v. 37.
Apoſtolorum piſcatio, Joan. 21. v. 11.
Apoſtoli interrogant arcana ratione familiaritatis, Matth. 24. v. 3.
Apoſtolus quiſque ſuum thronum habebit, Matth. 19. v. 28.
Apparitionum ordo, Matth. 28. v. 5.
Apud, præpoſitio diſtinctionem ſaltem perſonalem importat, Joan. 1. v. 1.
Aquæ in unum per Chriſtum converſæ allegoria, Joan. 2. v. 11.
Aqua è latere Chriſti profluens, vera fuit, Joan. 19. v. 34.
Aquæ & ſanguinis fluxus è cadavere miraculoſus eſt, ibid.
Aquæ & ſanguinis è latere Chriſti fluentis allegoria, Joan. 19. v. 35.
Arbor bona & mala quæ dicatur? Matth. 7. v. 17.
Arcana ad regnum cælorum ſpectantia clarè cur Apoſtolis expoſita? Matth. 13. v. 11.
Archelaus quando regnavit in Judæa? Matth. 2. v. 22.
Archiſynagogus pro ſynagogæ præfecto, Lucæ 13. v. 14.
Architriclinus convivii præfectus, quod ejus officium? Joan. 2. v. 8.
Ardor deſiderii in cæcis clamantibus, Matth. 20. v. 31.
Argumenta ſeptem inducentia ad permanendum in Chriſto, Joan. 15. v. 11.
Argumentatur Chriſtus à majori, Matth. 12. v. 4. à minori, Matth. 12. v. 12. item v. 36. & cap. 18. v. 14. à conceſſis, Matth. 12. v. 27. à ſimili, Matth. 12. v. 29, ex illo principio, *propter quod unum quodque eſt tale*, Matth. 23. v. 17.
Argumentum Chriſti ineluctabile ex naturis rerum petitum, Matth. 12. v. 33.
Argumentum Chriſti pro reſurrectione ex Scriptura deſumptum examinatur, Matt. 22. v. 32.
Arrogantia non ita cavenda ut veritas relinquatur, Joan. 8. v. 55.
Arti magicæ imputant Phariſæi expulſionem dæmoniorum, Matth. 9. v. 34.
Articulus voci, *Deus*, additus indicat eam ſumi pro perſona, Joan. 1. v. 1.
As quid? Matth. 10. v. 29.
Aſinam cur quæri curaverit Chriſtus? Matth. 21. v. 3. Simul etiam habuit aſinum, ibid. v. 5.
Aſcenſio Chriſti cum aliquot circumſtantiis deſcribitur, Luc. 24. v. 51.
Aſſumptio pro aſcenſione, Luc. 9. v. 51.

Assumptus ad cœlum cur dicatur Christus? marc. 16. v. 19. quo fine? ibid.
Astutia est vitiosa prudentia, Luc. 16. v. 8.
Atrium gentium in templo Hierosolymitano, Joan. 12. v. 20.
Avaritiæ cunctatio amputatur, Luc. 6. v. 38. & Luc 12. v. 15.
Avarus quis dicendus? Luc. 12. v. 15.
Auctoritatem & fidem conciliaturum se Apostolis Christus promisit, marc. 16. v. 17.
Auctoritatem publicam judicis Christus non contemnit, Matth. 26. v. 63. & c. 27. v. 14.
Audire pro obedire, Joan. 5. v. 24. & c 10. v. 27.
Audire & discere, quomodo differant? Joan 6. v. 45.
Ave qualis salutatio, & quid significet, Luc. 1. v. 28.
Aures audiendi sunt ipsum donum obediendi, Luc. 14. v. 35.
Austeritas Joannis adscribitur dæmoni, Matth. 11. v. 18.
Auxilium Dei adest crescente periculo, Matth. 14. v. 27.
Azymorum dies septem, Luc. 2. v. 43.
Azymis Christus usus est instituendo SS. Sacramentum, Matth. 26. v. 17.

B.

Baptismus pro martyrio usurpatur, Joan. 12. v. 27.
Baptismus Joannis, Matth. 3. v. 11. is in magna opinione apud Judæos, Joan. 1. v. 25. ejus inefficacia ad spiritualia dona conferenda, Joan. 1. v. 26. & 33.
De baptismo Joannis quæstio, Matth. 21. v. 25.
De baptismo Joannis & Christi contentio, Joan. 3. v. 11.
Baptismi materia & forma, Matth. 28. v. 19.
Baptismi aqua in regeneratione subit vicem matris, Spiritus sanctus, patris, Joan. 3. v. 5.
Baptismus parvulorum, marci 16. v. 16.
Baptismus pro passione usurpatur, Luc. 12. v. 50.
Bartolomæi etymologia, Matth. 10. v. 3.
Batus mensura decimam partem Cori continens, Lucæ 16 v. 5. 6. 7.
Beatitudo consistit primariò in fruitiva visione Dei, Joan. 17. v. 24. Cur vita dicatur, Matth. 25. v. 46.
Beatitudines Evangelicæ, Matth. 5. v. 3.
Beatitudo æterna cur cœna appelletur, Lucæ 14. v. 17.
Beelzebub unde dicatur, Matth. 10. v. 25.
Bellum duplex prædicitur, Matth. 14. v. 6. Quæ bella præcesserint excidium Jerosolymitanum, Matth. 24. v. 7.
Belli seu dissensionum non causa, sed occasio fuit Christus, Matth 10. v. 34.
Belli filiæ pestis & fames, Matth. 24. v. 7.
Benedicitur Christus, Matth. 21. v. 9.
Benedictio panis est ipsa consecratio, Matth. 26. v. 26.
Benefactores etiam invitos laudare debemus, Marci 7. v. 36.
Beneplacitum Dei est lex omnis æquitatis, Matth. 11. v. 26.
Benignissima via primò tentanda, Matth. 18. v. 15.
Benignitas summa Dei sibi factum reputantis, quod Ecclesiæ membris factum est, Matth. 25. v. 35. & pro fratribus pauperes agnoscentis, etiam dum sedet in throno Judicis, ibid. v. 40.
Bethania duplex, quarum una dicitur Bethabara Joan. 1. v. 28.
Bethania castellum Mariæ & Marthæ quantum distet Jerosolymâ, Joan. 11. v. 18.
Bethleem domus panis interpretatur, Lucæ 2. v. 4.
Bethphage villula Sacerdotum, Matth 21. v. 1.
Bethsaida ubi sita, Joan. 1. v. 44. item Matth. 11. v. 21.
Bezæ errores notantur, Matth. 3. v. 12. item cap. 10. v. 2.
Binarius numerus superfluitatem denotat, Lucæ 3. v. 11.
Binarii numeri allegoria, Luc. 10. v. 1.
Bini cur Apostoli enumerentur, Matth. 10. v. 2.
Blasphemia Spiritûs quæ non remittitur, Matth. 12. v. 31.
Blasphemis decreta fuit pœna mortis, Joan. 19. v. 7.
Boni & mali pastoris discrimen, Joan. 10. v. 11.
Bonus naturâ suâ unus est Deus, Matth. 19. v. 16.
Brachium Domini, pro Christo usurpatur, & cur, Joan. 12. v. 38.
Buccella Judæ porrecta non fuit Eucharistia, Joan. 13 v. 26.
Byssus molliciem denotat, Luc. 16. v. 19.

C.

Cæci divulgant miraculum Christi contrà ejus præceptum, Matth. 9. v. 31.
Cæcitas cordis peccatum est, pœna & causa peccati, Matth. 13. v. 15. Differt ab obdurationecordis, ibid.
Cæcus fanatur, Matth. 20. v. 29.
Cœlum pro Dei memoria, seu libro vitæ sumitur, Lucæ 10. v. 20.
Cœna Paschalis stando usualis recumbendo peragebatur, Joan. 13. v. 2.
Cœnaculum, in quo Christus celebravit Pascha, postmodum conversum in Ecclesiam Apostolorum, Marci 14 v. 15.
Cæremoniæ Ecclesiæ in Extrema unctione, Marci 6. v. 13.
Cæsari an solvendum tributum, Matth. 22. v. 21.
Cadaveri cur se Christus cõparet, Matth. 24. v. 28.
Cain occidendo fratrem, diabolum imitatus est, Joan. 8 v. 44.
Cainan an in Christi genealogia interserendus, Lucæ 3. v. 36.
Caiphas Pontifex Annæ Pontificis gener, Luc. 3. v. 2. Ejus prophetia expenditur, Joan. 11. v. 51.

Caïphas eſt cognomen Principis Sacerdotum, à quo Pontificatum acceperat, Matth. 26. v. 3. adjurat Chriſtum, v. 63. proponit duo gravia accuſationis Capita, ibid.
Calceamus quid allegoricè ſignificent, Lucæ 15. v. 22.
Calceos, non ſandalia prohibet Chriſtus, Matth. 10. v. 10.
Calix in Scriptura quid? Matth. 2. v. 22.
Calvinus exploditur, Matth. 13. & 14. v. 26. 28. 29. 36. item 21. v. 19. item. 22. v. 11. item 26. v. 26. 39. item 27. v. 46. Marci 5. v. 33. & 34.
Calvini juſtitia imputativa exploditur, Lucæ 1. v. 6.
Temerè Apoſtolos carpit, Lucæ 9. v. 55.
Temerè etiam reprehendit Eccleſiam, Lucæ 11. v. 8.
Ejus dogma de deſperatione Chriſti impium, Lucæ 23. v. 46.
Ejus error circa baptiſmi materiam refellitur, Joan. 3. v. 5.
Item ejus error de præſentia Chriſti in Euchariſtia, Joan. 6 v. 53.
Calumniæ Judæorum, Matth. 27. v. 42.
Cana duplex, una minor, alia major, propè Sidonem, Joan. 2. v. 1.
Canes miſericordiores hominibus impiis, Lucæ 16. v. 21.
Capharnaum, Matth. 4. verſ. 13. quare vocetur Chriſti civitas, Matth. 9. verſ. 1. ubi ſita, Matth. 11. v. 21.
Capillorum cuſtodiam Deus habet, Matth. 10. v. 30.
Capitalis ſuplicii poteſtas Judæis ablata, Matth. 27. v. 2.
Caput Joannis dimidio regni Herodiadi potius, Marci 6. verſ. 23. in convivium allatum, v. 27.
Caro quo ſenſu dicatur nihil prodeſſe, Joan. 6. v. 64.
Caro Chriſti quomodo verè cibus, & ſanguis verè potus, Joan. 6. v. 56. & ſeqq.
Caro pro homine integro uſurpatur, Joan. 1. v. 14.
Caſeu menſis cui menſi noſtro reſpondeat, Joan. 10. v. 22.
Caſtitas nuptiis præfertur, Matth. 19. v. 12.
Caſtratio ſui quæ bona, quæ mala, Matth. 19. v. 12.
Cathedra Moyſi quid, Matth. 23. v. 2. non permittebat Phariſæos docere aliena à ratione, v. 3.
Cedron torrens ubi fluat. Joan. 18. v. 1.
Centurio fuit gentilis, Matth. 8. v. 10. Confitetur Chriſtum Filium Dei, Lucæ 23. v. 47.
Charitas facilis eſt, & omnia facilitat, Matth. 11. v. 30.
Charitatis refrigerium quæ cauſabunt, Matth. 24. v. 12. Ejus venenum ſpes temporalium, Matth. 19. v. 21.
Chriſtus numquam benedixit cibis, niſi cùm ſingulare miraculum operari vellet, Matth. 26. v. 26.
Chriſtum ſe eſſe multi mentiti ſunt, & adhuc mentientur, Matth. 24. v. 25.
Chriſtus non tribus guttis ſanguinis circa cor Virginis, ſed in utero virginali conceptus, Lucæ 1. v. 31.
In Chriſti conceptione Deus ſupplebat vices viri, Lucæ 1. v. 35.
Illa cur Spiritui ſancto appropriata, Lucæ 1. v. 35.
Chriſtus cur fructus ventris virginalis dicatur, Lucæ 1. v. 42.
Cur *Oriens* appelletur, Lucæ 1. v. 78. & 79.
Quot diebus in utero hæſerit, Lucæ 2. v. 6.
Chriſtus minor ætate? S. Joanne, major in regno cælorum. Matth. 11. v. 11.
Cur dictus Emmanuel, Matth. 1. v. 23.
Qualiter plenus veritate, Joan. 1. v. 14. item cap. 3. v. 34.
Acquiſivit ſucceſſu temporis notitiam experimentalem, Joan. 4. v. 1.
A Patre, ſicut eſſentiam, ita ſapientiam & doctrinam accepit, Joan. 6. v. 16.
Chriſtus Filius Dei naturalis, unigenitus, Matth. 3. v. 17.
Ductus à ſpiritu in deſertum, Matth. 4. v. 1.
Cur jejunavit quadraginta diebus, ibid.
Cur eſuriit, v. 2. verè tranſlatus à diabolo, v. 3.
Sanat omnem morbum, Matth. 4. v. 23. & 24.
Perfecit legem veterem, Matth. 5. v. 32.
Docuit ſicut poteſtatem habens, Matth. 7. v. 29.
Cur tetigit leproſum, quem mundavit, Matth. 8. v. 3.
Sedat tempeſtatem, Matth. 8. v. 26.
Sanat dæmoniacos, v. 28. paralyticum. Matth. 9. v. 2.
Comparatur medico, Matth. 9. v. 12.
Sponſo v. 15.
Reſuſcitat filiam Archiſynagogi, v. 25.
Sanat duos cæcos, v. 30.
Item unum cæcum, Marci 8. v. 24.
Cæcum & mutum, Matth. 12. v. 22.
Mutum & ſurdum, Marci 7. v. 32.
Lunaticum, Marci 9. v. 17.
Manum aridam, Matth. 12. v. 10.
Cæcum à nativitate, Joan. 9. v. 6. & ſeqq.
Sanat ab epileſia ſeu morbo comitiali, Marci 9. v. 17.
Chriſtus cur à Joanne baptizatus, Matth. 3. v. 13. 15.
Chriſtus excellenter præ aliis unctus, Lucæ 2. v. 11. & 26.
Maternum nomen in comparatione cæleſtis propinquitatis abjecit, Matth. 12. v. 50.
Pro Chriſto qui ſe venditarint, Matth. 24. v. 5.
Quos diſcipulos baptizavit, Joan. 3. v. 5. & 6.
Lavit pedes diſcipulorum à Petro incipiendo, Joan. 13. v. 5. & 6.
Digito ſcripſit in terra, quid & cur ita ſcripſerit,

rit, Joan. 12. v. 35. & ſeqq.
Eſt oſtiũ ovilis, & qua ratione, Joan. 10. v. 7. & 9.
Paſtor bonus, ibid. v. 11. & 14.
Via veritas & vita, Joan. 14. v. 6.
Comparatur gallinæ, Matth. 23. v. 37.
Fulguri, Matth. 24. v. 27.
Cadaveri, v. 28.
Eſt caput Martyrum, Matth. 26. v. 66.
Chriſtus aliter in ruinam, aliter in reſurrectionem multorum poſitus, Lucæ 2. v. 34.
Eſt lux Gentium, & gloria Iſraëlitarum, ibid. verſ. 32.
Ejus divinitas ex arcanorum notitia oſtenditur, Joan. 2. v. 24.
Non profecit ſapientia aut gratia habituali, Lucæ 2. v. 40. & 52.
Liberè & ſponteneè paſſus, Joan. 10. v. 18. & cap. 14. v. 31.
Pro Judæis perſequẽtibus oravit, Lucę 23. v. 34.
Illius orationis efficacitas, ibid.
Clavis non funibus fuit crucifixus, Mat. 27. v. 35.
Et cum corona, ibid.
Item facie verſus occidentem, dorſo in Judæã, ibid. 27. v. 35.
Et nudus, ibid.
Cum eo crucifixi duo latrones, ibid. 38.
Corroborat Apoſtolos, Matth. 28. v. 20.
Factus eſt mons magnus implens totam terram, Daniel 2. relatus Joan. 3. v. 30.
Hominibus aperuit portas cæli, Joan. 14. v. 2.
Paſſus eſt feriâ ſextâ, primo die azymorum, Joan. 19. v. 14. & 31.
Eſt Eccleſiæ ſponſus, Joan. 3. v. 29.
Caput Eccleſiæ ex Judæis & Gentilibus collectæ, Lucæ 24. v. 48.
Eſt redemptor, mediator, & caput fidelium, Joan. 16. v. 23.
In Galilæam bis profectus, & quando, Joan. 4. v. 3. & 54.
Appellatur ſalus, quia ſalutis auctor, ibidem verſ. 22.
Eſt ſalvator non Iſraëlis tantùm, ſed totius mundi, ibid. verſ. 42.
Eſt Filius Dei non adoptivus, ſed naturalis, Joan. 5. v. 18.
In Ematis conſecravit poſt reſurrectionem, Lucæ 24. v. 30.
Cibus non ex natura ſua coinquinat hominem, ſed per accidens, Matth. 15. v. 11.
Circumciſio tranſiit in legis Sacramentum, Joan. 7. v. 22.
Poterat fieri domi & extra templum, Lucæ 1. verſ. 59.
Cives civibus invidere naturale, Matth. 13. v. 57. Lucæ 2. v. 4.
Civitas David duplex, Lucæ 2. 4.
Clamor immundi ſpiritus ex duabus cauſis, Marci 1. v. 23.
Per *Claves* intelligitur ſuprema poteſtas, Matth. 16. verſ. 19.
Cœli quomodo aperti, Matth. 3. v. 16.
Cogitationes terrenæ aſcendere, cæleſtes deſcendere dicuntur, Lucæ 24. v. 38.
Cognatorum Chriſti infirmitas, Marci 4. v. 21.
Cohors facilè fuit quingentorum militum. Matth. 27. v. 27.
Communio ſub utraque ſpecie non omnibus præcepta, Joan. 6. v. 54. & 58.
Complacere quid, Matth. 3. v. 17.
Concilium Judæorum, Matth. 40. v. 17.
Concilium univerſum conſtabat 27. judicibus, Matth. 27. v. 1. ejus nequitia, Matth. 28. v. 11. infelix aſtutia, v. 13.
Conciliorum auctoritas, Matth. 18. v. 20.
Conciliantur Evangeliſtæ, Matth. 20. v. 29. item 21. v. 41. item 28. v. 17. Marc. 9. v. 39. item 15. v. 25.
Concordia commendatur, Matth. 18. v. 19.
Confitentium Deum præmium, Matth. 10. verſ. 32.
Confiteri & *profiteri fidem* diverſa, ibid.
Confiteri pro laudare, Matth 11. v. 25.
Confeſſionis fidei ante Reges & Præſides exemplum, Matth. 26. v. 63.
Conjugium à Deo inſtitutum, Matth. 19. v. 4. & quidem ita, ut unus unam uxorem habeat, ibid.
Conjunctio conjugalis arctiſſima, Matth. 19. verſ. 5.
Conjuges una caro, ibid. v. 5. & 6.
Conjuges, quorum ætates junctæ centenarium numerum excedunt, nequeunt filios procreare, juxta Auguſt. Lucæ 1. v. 7.
Conſanguinei vocantur fratres, Joan 7. verſ. 3. & 5.
Conſcientia quoque bona trepidabit in extremo judicio, Matth. 25. v. 4.
Conſcientiæ munditiæ primò ſtudendum, Matth. 23. v. 26.
Conſolatio pauperum, Marci 12. v. 44.
Conſolatio electorum, Matth. 24. v. 33.
Conſolatio pro ſervis Chriſti, Matth. 27. verſ. 63.
Continentiæ donum dat Deus, & quomodo, Matth. 19. v. 11.
Contumelia graviſſima ſpuere in faciem alicujus, Matth. 26. v. 67.
Convivia celebrant antiqui in cœna, Matth. 23. v. 6.
Corbona quid? Matth. 27. v. 6.
Correctio fraterna, Matth. 16. v. 15.
Quomodo inſtituenda, ibid.
Correctionis 4. gradus, Matth. 18. v. 16.
Cor totum opponitur cordi diviſo & languido, Matth. 22. v. 37.
Quomodo diſtinguatur ab anima & mente, ibid.
Per creaturam juratus hoc ipſo Deum teſtem citat, Matth. 13. v. 22.
Cornu potentiam & robur deſignat, Luc. 1. v. 69.

Coronatio Christi non est facta jussu Pilati, Matth. 27. v. ibid.
Cor mundum, Matth. 5. v. 8.
Corpus & caro quomodo differant, Joan. 6. v. 51.
Corpus pars vilior, Matth. 10. v. 28.
Corvi trans maria sentiunt cadaver, Matth. 24. v. 28.
Corus mensura continens decem cados, seu ephi, Lucæ 16. v. 5. & 6.
Creaturæ in Deo sunt vita ab æterno, Joan. 1. v. 3.
Credendi verbum dupliciter usurpatur, Joan. 2. vers. 24.
Credendorum de Christo summa, Joan. 8. vers. 13.
Crimina tria à Judæis Christo objecta coram Pilato, Lucæ 23. v. 2.
Crux Christi est omnium benedictionum fons, Lucæ 24. v. 50.
Crucem sibi bajulavit Christus, Matth. 27. v. 32. idque ad ludibrium & mysterium, ibid.
Crucis supplicium quibus decerni solitum, Matth. 27. v. 23. Quare hoc petierint Pontifices, ibid.
Cruri fragium non fuit ordinaria pœna crucifixorum, Joan. 19. v. 14. & 31.
Crucis signum cur apparebit in extremo Judicio, Matth. 24. v. 30 eam videntes qui lamentabuntur, ibid.
Crudelitas conservi debitum exigentis, Matth. 28. v. 28.
Culpabilis ignorantia taxatur, Matth. 24. vers. 39.
A Curiositate futurorum revocantur Apostoli, ibid. v. 3. & 30.

D.

DÆmon quomodo mutus dicatur, Matth. 9. v. 32.
Dæmon cur cœli volucribus comparetur, Matth. 13. v. 19,
Fit occultissimus per hæreses, v. 25.
Dæmonibus tormentum est, eos relinquere, quos eligunt, Matth 8. v 29.
Cur petierint mitti in gregem porcorum, v. 30.
Dæmonis confessio & testimonium verum, sed adulatorium, Marci 1. v. 24. ei etiam vera dicenti non est credendum, vers. 25. ejus rabies, vers. 26.
Dæmonis maleficio cæcus & mutus sanatur, Matth. 12. v. 22.
Dæmones nequissimi non ejiciuntur nisi per orationem & jejunium, Marci 9. v. 28.
Dæmones septem ejecti ex Maria Magdalene, Marci 16. v. 9.
Dæmones per ordines distributi, Luc. 13. v. 11.
Dæmonum ministerium circa animas reproborum, Lucæ 16. v. 22.
Damnati an diligant vivos carnaliter propinquos, ibid. v. 28.
Dare gloriam Deo, quid? Joan. 9. v. 24.
Datum & Commendatum quomodo differant, Lucæ 12. v. 48.
David excusatur, Matth. 12. v. 4.
Davidis filius Christus cur specialiter dictus, Matth. 1. v. 1.
Emphaticè bis consequenter Rex dicitur, ibid. v. 5.
De pro *Ex*, ibid. v. 20.
Non defendit se Christus, & quare, Matth. 16. v. 54.
Delectus ciborum malè reprehenditur ab hæreticis, ibid. v. 11.
Deliciis terrenis immersus animus cæcos reddit homines ad res divinas, Matth. 13. v. 15.
Demonstrare, pro generare: & videre, pro nasci Joan. 5. v. 20.
Denariorum duplex genus, Lucæ 7. vers. 41. Item Joan. 6. v. 7.
Deprecatio parum impetrat, nisi operum accessione farciatur, Joan. 15. v. 7.
Descendenti fidem non habuissent, qui resurgenti credere noluerunt; Matth. 27. v. 42.
Descendere de cruce cur noluit Christus, Matth. 27. v 42.
Descriptio adventûs Dei ad judicium, Matth. 28. v. 5
Desperatio non fuit in Christo, Matth. 27. v. 46.
Dei proprium nomen est, *Esse*, Joan. 13 v. 19.
Deus est in mundo per essentiam, potentiam, & præsentiam, Joan 1. v. 10.
Deus non deserit, nisi deseratur, Joan. 15. v. 4.
Dei unitas exponitur, Joan. 17. v. 8.
Deus non amittit dominium rerum, quas alius dat, ibid. v. 10.
Deus inæqualiter inhabitat justos, Joan. 14. v. 23.
Deus quo sensu peccatores non audiat, Joan. 9. v. 31.
Deus vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, Joan. 11. v. 43.
Deus continuò operatur conservando & gubernando mundum, non tamen violat sabbatum, Joan. 5. v. 17.
Deus multis titulis dicitur verus, Joann. 7. vers. 28.
Deus solus novit abscondita cordis humani, Joan. 16. v. 30.
Dei permissio non abstergit peccatum permissarii, Joan. 19. v. 11.
Deus magis timendus, quàm homines, Matth. 10. v. 18.
Deus si falli, aut mentiri posset, omnipotens non esset, Lucæ 1. v. 37.
Deus Israël opponitur Diis gentium, ibid. v. 62.
Deus cur dicatur Dominus virtutum, exercituum, Sabaoth. ibid.
Deus fœneratori & creditori comparatur, Lucæ 7. v. 41.

Deus appellatur homo, quia hominum amator, Lucæ 14. v. 17.
Deus pœnitentibus blanditur, Lucæ, 15. v. 20
Deus vult ſua dona in ſe refundi, Lucæ 17. v. 18.
Dextrum navigii quid, Joan. 21. v. 6.
Diabolus primum hominem ſeducendo, totum genus humanum occidit, Joan. 8. v. 44.
In veritate fuit, ſed in ea non ſtetit, ibid.
Eſt pater mendacii, & qua ratione, ibid.
Tentat Chriſtum, Matth. 4. v. 3.
Cur petiit lapides in panes converti, ibid.
Spiritualiter facit homines mutos & cæcos, Matth. 12. v. 22.
Majori fervet odio contra eos, ex quibus pulſus eſt, ibid. v. 44.
Cur princeps hujus mundi appelletur, Joan. 12. v. 31. & cap. 14. v. 30.
Examinat ſtatum vitæ cujuſvis hominis circa mortem Joan. 14. v. 30.
Ei cur dicatur ignis præparatus, Matth. 25. v. 41.
Dicere & loqui, quomodo differant, Joan. 12. v. 49.
Dies, pro tempore vitæ præſentis : nox, pro morte ſumitur, Joan. 9. v. 4.
Dies Chriſti, pro tempore, quo vixit hic mortalis, Joan. 8. v. 56.
Dies cœtus ſive collectæ celeberrimus, Joan. 7. v. 37.
Dies feſti incipiebant à veſpera in veſperam, Matth. 26. v. 17.
Dies feſtus Judæorum ſumitur antonomaſticè pro Paſchate, Joan. 5. v. 1.
Diem qualiter Romani dividebant, Matth. 20. verſ. 2.
Diffidentiæ ſollicitudo amputatur, Lucæ 6. v. 38.
Dilectio amicorum & dilectio inimicorum comparantur, Joan. 15. v. 13.
Dilectio eximia paſtoribus Eccleſiæ neceſſaria, Joan. 21. v. 15.
Dilectio qua Chriſtus dilexit Patremeſt heroica, Joan. 14. v. 31.
Dilectio qua Chriſtus dilexit oves ſuas, quàm eximia, Joan. 10. v. 15.
Dilectio Dei nullum à ſe rivulum extra ſe duci patitur, Matth. 22. v. 37.
Dilectio fraterna eſt ſymbolum diſcipulatus Chriſti, Joan. 13. v. 35.
Dilectio perit, niſi in opus erumpat, Joã. 14. v. 15.
Dilectionis mutuæ præceptum cur dicatur novum, Joan. 13. v. 34.
Dilectionis modus & finis, Joan. 15. v. 12.
Dilectio divina eſt fons omnium beneficiorum, Joan. 17. v. 24.
Dilectionis proximi mandatum præfertur omnibus ſacrificiis, Marci 12. v. 33.
Dilectio alia prior, alia poſterior collatione beneficii, Luc. 7. v. 42.
Dilectio ſui non propte Deum, non eſt vera ſui dilectio. Matth. 22. v 39.
Diligendi amici & inimici, Matth. 5. v. 43. & 44.
Diligendus ſuper omnia cur Deus? Matth. 22. v. 37.
Dionyſiana Epocha non planè exacta, Lucæ 3. v. 23.
Diſcipulatus Chriſti quid poſtulat, Lucæ 14. v. 33.
Diſcipuli Chriſti baptizant baptiſmo non Joannis, ſed Chriſti, Joan. 4. v. 2.
Vocantur Galilæi, Joan. 7. v. 52.
Sal terræ, Matth. 5. v. 13.
Lux mundi, v. 14.
Civitas ſupra montem poſita, ibid.
Lucerna, v. 15.
Oves inter lupos. Matth. 10. v. 16.
Cur ita eſurirent. Matth. 12. v. 1.
Cur non jejunarent ut diſcipuli Joannis, Matth. 9. v. 15.
Comparantur panno rudi, & utribus antiquis, v. 16.
Fiunt Apoſtoli, Matth. 10. v. 18.
Contenti eſſe debent, ſi ſint ſicut magiſtri, ibid. v. 24.
Eorum ruditas, Matth 15. v. 32.
Cor obcæcatum, Marci 6. v. 52.
Diſcipuli Chriſti nomen non meretur, qui patrem doctrinæ Chriſti præfert, Matth. 10. v 37.
Diſcipuli Joannis narrant miracula Chriſti cum quadam æmulatione, Matth. 11. v. 3.
Eorum infirmitati conſulit S. Joannes, ibid.
Eorum incredulitas prudenter diſſimulatur à Chriſto v. 4.
Diſcipuli proficiſcentes in Ematis cur Chriſtum non noverint, Lucæ 16. v. 24.
Fide in Chriſtum & ſpe exciderant, Lucæ 24. v. 21.
Diſcipulus verus eſt qui finem diſcipulatûs aſſequitur, Joan. 15. v. 8.
Diſpenſationis divinæ fuit Chriſti apprehenſio, non neceſſitatis, aut infirmitatis, Matth. 25. v. 46.
Ditioribus magis datur, pauperibus ſemper aufertur, Matth. 13. v. 12.
Divinitas Chriſti variis prodigiis ſignificata in morte ejus Matth. 27. v. 53.
Agnita multis, v. 54.
Divitiæ quare fallaces, Matth. 13. v. 22.
Non poſſidentur à nobis pleno jure, Lucæ 16. v. 12.
Divites invitare an prohibitum, Lucæ 14. v. 12. & ſeqq.
Divitibus quare difficilè intrare in regnum cœlorum, Matth. 19. v. 23 & 24.
Divitis epulonis & Lazari hiſtoria, Lucæ 16. v. 19. & ſeqq.
Docendi regendive officio præcellens non exiſtimet ſe cæteris præſtantiorem, Matth. 23. verſ. 11.
Doctrina Evangelica comparatur grano ſina-

pis, Matth. 13. v. 31.
Fermento, propter virtutem, v. 33.
Thesauro abscondito, propter inæstimabile pretium ejus, v. 44.
Ea non est jactanter ostendenda, Mat. 13. v. 44.
Comparanda est cum rerum etiam cariſſimarum jactura, ibid.
Doctrinam Christi obstupescunt turbæ, Matth. 7. v. 29.
Dominari in malam partem sumitur, Matth. 20. vers. 25.
Dominicus dies ab Apostolis sanctificatur, Joan. 20. v. 26.
Dominis duobus servire nemo potest, Matth. 6. v. 24.
Dominus messis est Christus, Matth. 9. v. 38.
Dominus cur absolutè vocari voluit Christus, Matth. 21. v. 3.
Donum Dei, quo auditur, non omnes habent, Matth. 11. v. 15. & cap. 13. v. 9.
In quo consistat istud donum, ibid.
Dona Dei quâ lege dentur, Matth. 25. v. 20. & seqq.
Dona hujus vitæ quamvis sint maxima, parva tamen sunt respectu futuræ, Matth. 25. v. 20.
Donis auctis augentur rationes donorum, Luc. 12. v. 48.
Dormitare & dormire quomodo differant, Matth. 25. v 5
Dotes corporis glorioſi in se expressit Christus, Matth. 17. v. 2.
Drachma quid? Matth. 17. v. 20.
Didrachmus quid? ibid.
Dubium Apostolorum explicatur, Matth. 28. v. 17.
Duodenarius numerus universitatem significat, Matth. 19. v. 28.
Duplicia vestimenta & calceamenta prohibentur portare Apostoli, Matth. 10. v. 10.
Duritiam Judæorum increpat Christus, Matth. 11. v. 16.

E.

Ecce rem novam ferè indicat, Matth. 1. v. 20. & miram, Matth. 3. v. 16.
Ecclesia super Petrum ædificanda promittitur, Joan. 1 v. 42.
Comparatur vineæ, Matth. 20. v. 2.
Sponsæ, Matth. 22. v. 1.
Impletur Gentibus, v. 10.
Semper diabolo invicta erit, Matth. 16. v. 18.
Numquam à fide deficiet, Luc. 18. v. 8.
Ejus visibilitas, Matth. 28. v. 20.
Aliquando ex undis hujus sæculi ad littus educetur, Matth 13. v. 48.
Orationes ad Deum sussas concludit cum particula, *Per Christum Dominum nostrum*, aut æquivalentem, Joan. 16. v. 24.
Ecclesiæ Latinæ præ cæteris principalitas figuratur Joan. 19. v. 20.
Ecclesiastica potestas, Matth. 18. v. 17. 18.
Eclypsis quæ contigit patiente Christo ex quatuor capitibus miraculosa, Matth. 27. v. 47.
Duravit tribus horis continuis, ibid.
Effigies Christi qualiter manserit eadem, Marci, 16. v. 12.
Electi ad regnum cœlorum pauci, Matth. 20. v. 16.
Suis viribus relicti fallerentur in fine orbis, Matth. 24. v. 24.
Vocantur *Oves*, Matth. 25. v. 32.
Electio discipulorum Christi ab ipso facta, Joan. 15. v. 16.
Elleemosynæ quâ consideratione fieri debeant, Matth. 5. v. 40.
In absconditо, Matth. 6. v. 2. & seqq.
Ut à Deo pendantur, Marc. 12. v. 43.
Earum obligatio ex duobus capitibus nascitur, Luc. 3. v. 11.
Sunt optimū remedium avaritiæ, Luc. 11. v. 41.
Quomodo omnia faciant munda, ibid.
Eliam pro *Eli* intellexerunt milites, Matth. 27. v. 47.
Elizabeth cognata Virginis Mariæ, & quoto gradu, Luc. 1. v. 36.
Emanuel non est proprium nomen Christi, Luc. 1. v. 31.
Emaüs castellum posteà Nicopolis dictum, Luc. 24. v. 13.
Encæniorum festivitas, Joan. 10. v. 22.
Ephrem civitas, quæ, & ubi sita, Joan. 11. v. 45.
Episcopi & doctores Christiani figurantur per Scribas, & Pharisæos, Matth. 23. v. 2.
Episcopis & Superioribus præcipuè vigilandum, Matth. 24. v. 45.
Episcopi aut Presbyteri officio nihil in hac vita laboriosius, periculosius, Matth. 24. v. 46.
Eremitarum princeps Joannes Baptista, Matth. 3. v. 1.
Errores Judæorum circa Messiam ut filium David, Matth. 22. v. 42.
Errores vulgi circa personam Christi, Matth. 16 v. 14.
Est quid significet, Matth. 26. v. 26.
Est, est; non, non, quid significent, Matth. 5. v. 37.
Esurit naturaliter Christus, Matth. 21. v. 18.
Esurire justitiam, quid? Matth. 5. v. 6.
Et pro quia, Lucæ 3. v. 6.
Et conjunctio causaliter sumpta, Joan. 1. v. 14
Evangelistæ qui dicantur, in Præfat pag. 2.
Frequenter disjuncta tempora conjungunt, Lucæ 2. v. 39.
Non erraverunt, Matth. 2. v. 6.
Eorum diversitas ad quid conducat, Matth. 3. v. 11.
Evangelica doctrina est falx, quâ Deus purgat palmites vitis, Joan. 15. v. 3.
Evangelium quid significet, in Præfat. pag. 1.
Cur à pluribus scriptum, pag. 9.

Habet initium à denuntiatione pœnitentiæ, Marc. 1. v. 1.
Ejus prædicatio comparatur sagenæ in mare missæ, Matth. 13. v. 47.
Ejus progressus à parvis initiis in prodigiosam magnitudinem, Matth. 13. v. 32.
Evangelium Joannis quâ occasione conscriptum, & ubi, Præfat.
Prima verba ejus à Platonico aureis litteris scripta, ibid.
Quo idiomate primitùs evulgatum, ibid.
Frequenter continet repetitionem vocis *Amen*. Joan. 16. v. 20.
Eucharistia quid significet? Matth. 26. v. 26.
Unde dicta, ibid. v. 27.
Instituitur à Christo, Lucæ 22. vers. 19. & seqq.
Cur in fine cœnæ instituta Matth. 26. v. 26.
Cur sub bina specie, panis azymi & vini, ibid.
Cur Christus primus sumpserit, ibid.
Ejus excellentia supra manna. Joan. 6. v. 50. & 51.
Est vivorum spiritualiter, non mortuorum cibus. Joan. 6. 54.
Præceptum eam sumendi, ibid.
Ejus sumpto causat immortalitatem, ibid. v. 55.
Sub unica specie sumpta vivificat, ibid. v. 58. & 59.
Ejus effectus, ut est sacrificium, & ut Sacramentum. Matth. 26. v. 28.
Eunuchorum tria genera. Matth. 19. v. 12.
Excidentes à justitia comparatur Nazaræis contaminatis. Joan. 15. v. 3.
Excidium Jerusalem typus fuit excidii orbis Matth. 24. v. 3.
Excommunicatio. Matth. 18. v. 17. 18.
Excusatio omnis cessabit in extremo judicio Matth. 22. v. 12.
Excusatio pigritiæ. Matth. 25. v. 24.
Exemplo suo hortatur Christus Apostolos ad patientiam. Matth. 10. v. 25.
Ad mansuetudinem Matth. 11. v. 29.
Exercitus Herodis propter occisum Joannem Baptistam deletus. Marci 6. v. 14.
Exspectatio perpetua ferventiores ad pietatem facit. Matth. 24. v. 36.
Expostulatio Christi de injurioso secum agendi modo. Matth. 26. v. 55.
Exprobratio gravissima Dei in die judicii. Matth. 25. v. 41.
Expulsio dæmonum, quæ in Apostolis probatur, in Christo reprehendi non potest, Matth 12. v. 27.
Extra synagogam fieri, Judæis idem, quod Christianis excommunicari, Joan. 9. v. 21.
Extremæ Unctionis materia, & minister, Marc. 6. v. 13.
Sacramentum insinuatur, ibid.

F.

FAbrilem exercuit Christus, Matth. 14. v. 55.
Fabulari, pro colloqui, Lucæ 24. v. 15.
Faciem firmare, pro firmiter proponere, Lucæ 9. v. 15.
Faciem videre, quid? Matth. 18 v. 10.
Facienti quod in se est per vires naturæ non debetur gratia, Lucæ 19. v. 6.
Factus ante, pro præpositus, &c. Joan. 1. v. 45.
Fœminæ, præsertim hæredes familiarum, censibus subjectæ, Lucæ 2. v. 5.
Fœminæ quatuor cur intextæ genealogiæ Christi, Matth. 1. v. 4.
Fama Christi ad gentes vicinas permanavit, Matth. 15. v. 22.
Fama resuscitatæ filiæ Archisynagogi cur narretur diffusa per totam regionem, Matth. 9. v. 26.
Familiaritas contemptum parit, Matth. 13. v. 57.
Familiaritas Christi cum Apostolis, Matth. 16. v. 29.
Fastus gloriandi in titulis reprimitur, Matth. 23. v. 8.
Festuca & Trabis nomine quid intelligatur, Matth. 7. v. 3.
Festum Paschale durabat septem diebus, Matth. 26. v. 5.
Fictio Christi simulantis se longiùs ire, non fuit mendacium, Lucæ 24. v. 28.
Ficus infructuosa populum Jerosolymitanum designat, Lucæ 13. v. 6.
Mansit sterilis per triennium prædicationis Christi, ibid. v. 9.
Anno quadragesimo à passione Christi per Romanos excisa, ibid.
Cur in ficu fructus quæsierit Christus extra tempus, Matth. 21. v. 19.
Et quare ei maledixerit, ibid.
Fides est credere quod non vides; veritas videre quod credis, Joan. 8. v. 32.
Fides inchoata & perfecta, otiosa & operatoria, Joan. 1. v. 12.
Fides sincera & vera, facit quod faciendum credit, Joan. 3. v. 16. 18. & 36.
Fides indubitata est via ad filiationem Dei, Joan. 12. v. 36,
Fides in Christum est necessaria ad salutem, Joan. 13. v. 18. 19. & 36.
Otiosa non sufficit, Matth. 19. v. 16. Marci 16. v. 16. Joan. 15. v. 2.
Fides discipulorum an Christo moriente defecerit, Joan. 14. v. 29.
Fidem divinitatis amiserunt Apostoli, Matth. 26. v. 31.
Fides à Deo perficienda, Marci 19. v. 22.
Fides impetrat miraculum, Marci 5. v. 34.
Per fiduciam illud operatur, Marci 9. v. 22.

Fides patratrix miraculorum quid includat, Matth. 17. verſ. 18.
Fides per lampades ſignificatur, Matth. 25. v. 1.
Cur grano ſinapis comparetur, Matth. 17. v. 19.
Quæ conjuncta habere debeat, v. 20. Item cap. 21. v. 21. & 22.
Ante finem nemo bonus, Matth. 22. v. 10.
Eſt magis neceſſaria quàm baptiſmus, Marci 16. v. 16.
Fides centurionis, Matth 8 v. 9.
Fides magna mulieris, Matth. 15. v. 28.
Fidei cur potiùs tribuatur ſanitas, quàm aliis virtutibus, Matth. 8. v. 19.
Fidem nullius niſi Gentilium admiratus eſt Chriſtus, Matth. 15. v. 28.
Fidei meritum unde potiſſimum oriatur, Joan. 20. v. 29
Fides & viſio ejuſdem objecti non repugnant, ibid.
Fideles ante baptiſmum, & poſt eum, mores docendi ſunt, Matth. 28. v. 20.
Qua ratione faciant opera majora quam Chriſtus, Joan. 14. v. 12.
Sunt membra mediatoris tamquam capitis, Joan. 17. v. 26.
Fidelis & prudens cur debeat eſſe diſpenſator, Matth. 24. v. 45.
Ejus merces, Matth. 25. v. 20.
Fidelium comparatio eſt infidelium vituperatio, Joan. 16. v. 8. & 9.
Fieri pro naſci, Joan. 8. v. 58.
Filiatio legalis, in genealogiis attenta, Lucæ 3. verſ. 23.
Filius dicitur creatione, generatione, adoptione, aut imitatione, Joan. 8. v. 44.
Filius ſub ratione filii cognoſci nequit non cognito Patre; Joan. 12. v. 45.
Filius Dei qua ratione Verbum dicatur, non Sermo, nec Ratio, Joan. 1. v. 1.
Ejus à Patre diſtinctio perſonalis, ibid. & v. 3. Item cap. 5. v. 18.
Ejus cum Patre conſubſtantialitas, ibid. & cap. 5. v. 19 & ſeqq.
Non eſt verbum verbi, ſplendor ſplendoris, imago imaginis, Joan. 1. v. 2.
Filius Dei naturalis Chriſtus, Matth. 14. v. 33.
Filius τοῦ ἀνθρώπου, id eſt hominis, cur dicatur Chriſtus, Matth. 8. v. 19.
Filij Dei, pro prædeſtinatis etiam nondum juſtificatis, Joan. 11. v. 52.
Filius Dei veniet ad judicium inſtar furis, Matth. 24. v 42. & 44.
Filius Dei quomodo neſciat diem judicii, Matth. 24. v. 36.
Filii Abrahæ qui verè cenſendi, Joan. 8. v. 39. & 40.
Quomodo fiant, Matth. 3. v. 9.
Filius prodigus reverſus peccatorem converſum deſignat, Lucæ 15. v. 24.
Ejus parabola exponitur allegoricè, Lucæ 15. v. 32.
Filius hujus ſæculi quis dicatur, item quis *Filius Lucis*, Lucæ 16. v. 8.
Filii ſapientiæ pro ſapientibus, Matth. 11. v. 19.
Filius dicitur & nepos, Matth. 1. v. 1.
Filios Judæorum vocari Apoſtolos, Matth. 12. v. 27.
Filiis curam parentum Chriſtus ſuo facto commendavit, Joan. 19. v. 27.
Fimbria, quid? Matth. 23. v. 5.
Fimbriam veſtimentorum Chriſti tangentes non ſunt ſuperſtitioſi, Matth. 14. verſ. 36. Marci 5. v. 27.
Fixuris clavorum jungunt Judæi tela linguarum, Matth. 27. v. 40.
Flagellatio à Romanis pro criminibus non capitalibus adhibebatur, Lucæ 23. v. 16.
Flagellatio Chriſti immanis fuit, Matth. 27. verſ. 26.
Facta Romanis, ibid. v. 27.
Fontis & putei diſcrimen accidentale, Joan. 4. v. 6.
Foris quare ſtaret B. Virgo, & Chriſti cognati, Matth. 12. v. 46.
Forma Euchariſtiæ explicatur, Matth. 26. v. 26. & 28. Ejus verba apertiſſima, ibid. v. 26.
Forma ſalutandi Hebræorum. Matth. 10. v. 12. item cap. 28. v. 9.
Forſitan non ſemper dubitationem importat, Joan. 4. v. 10.
Forum in parabola quid ſignificet, Matth. 20. verſ. 4.
Fractio panis uſum Euchariſtiæ deſignat, Lucæ 24. v. 30. Matth. 26. v. 26.
S. Franciſci ſtigmata fuerunt carne repleta, Chriſti non, Joan. 20. v. 27.
Frater fratrem tradet in mortem, Matth. 10. verſ. 21.
Fratres ſumus naturâ & doctrinâ, Matth. 23. verſ. 8.
Fratres dicuntur omnes cognati, Matth. 12. verſ. 56.
Fratres Chriſti quatuor, Matth. 13. v. 55.
Fratres ſuos vocat Chriſtus Apoſtolos, Matth. 28. v. 10.
Fratre fine liberis defuncto, alter debebat ſemen ſuſcitare, Matth. 22. v. 23.
Fremitus quid ſit, Joan. 11. v. 33.
Fructus centeſimus, ſexageſimus, trigeſimus quibus attribuendus, Matth. 13. v. 23.
Fructus pœnitentiæ, Matth. 3. v. 8.
Fructus defectu non à labore deſiſtendum eſt, Matth. 4. v. 16.
Fructus juſtitiæ quò uberior; eò majorem præbet fiduciam, Joan. 15. v. 16.
Fruitiva viſio humanitatis Chriſti eſt beatitudo ſecundaria, Joan. 17. v. 24.
Fugâ cur Chriſtus ſibi conſuluerit, Matth. 2. verſ. 13.

Fuga Apoſtolorum, Matth. 26. v. 56.
Non fuit ſine cauſa, Marci 14. v. 52.
Quando eis licita, imò præcepta, Matth. 10. v. 23.
Quanta feſtinatione fugiendum, Matth. 24. v. 17. & 18.
Fulgor faciei Chriſti in transfiguratione venit ab intrinſeco, Matth. 17. v. 2.
Fur & Latro quomodo differant, Joan. 10. v. 1.

G.

GAbbatha quid ſignificet, & unde derivetur, Joan. 19. v. 13.
Gabriel quid ſignificet? Lucæ 1. v. 26.
Mariam alloquitur, Joſephum admonet, paſtores inſtruit, Lucæ 2. v. 9.
Galilæa duplex, ſuperior, & inferior, Lucæ 1. v. 26.
In Galilæa potiùs quàm in Judæa cur Chriſtus poſt reſurrectionem apparuit, Matth. 18. verſ. 7.
Galilæorum dogmata, Lucæ 13. v. 1.
Galilæi ab Herode inter ſacrificandum peremti, ibid. & cap. 23. v. 5.
Galilæus vocatus eſt Chriſtus contemptus causâ, Matth. 26. v. 69.
Gallicinium quid? Matth. 26. v. 34.
Gallina cur pullos tegat, Matth. 23. v. 37.
Cur ei Chriſtus comparetur, ibid.
Gaudium fidelium impletur adeptione beatitudinis Joan. 15. v. 11.
Gaudium cur majus ſupra una ove inventa, Matth. 18. v. 13.
Gazophylacium quid? Marc. 12. v. 41.
Gehenna vallis filiorum Ennom prope Hieruſalem, Luc. 23. v. 43.
Gehennæ nomen unde deductum, Matth. 5. v. 22.
Geminata dictio apud Hebræos æquivalet ſuperlativo Joan. 8. v. 34.
Gemitus Chriſti, Marc. 7. v. 34.
Genealogia Chriſti apud Luc. & Matth. diverſa, Lucæ 3. v. 23.
Genealogia Joſeph quo modo ad Chriſtum pertineat, Matth. 1. v. 16.
Generatio carnalis & ſpiritualis Joan. 1. v. 13.
Generationem Dei æternam nemo novit niſi Pater, Matth. 11. v. 27.
Generatio Judæorum non tranſibit, quin veniet dies judicii, Matth. 24. v. 33.
Geneſareth ſtagnum vocatur mare Galilææ & Tiberiadis; Joan. 6. v. 1.
Gentes & Judæi ſignificantur per duos filios Zebedæi, Matth. 21. v. 32.
Gentium vocatio prædicitur, ibid. v. 43.
Item cap. 22. v. 9. Rurſum cap. 26. v. 13.
Genua perfoſſa mortem adferunt, Joan. 19. verſ. 31.
Geraſeni, qui? Matth. 8. v. 28.
Gethſemani hortus ad latus occidentale montis Oliveti, Joan. 8. v. 1.
Gladij poteſtas Judæis adempta per Romanos, Joan. 18. v. 31.
Gladius pro bello, Matth. 10. v. 34.
Gladius unde Petro Matth. 26. v. 51.
Studioſè ab eo geſtatus ad defenſionem Chriſti, ibid.
Gladius qualis Mariæ animam pertranſiverit, Lucæ 2. v. 35.
Gloria Dei eſt finis miraculorum Chriſti & Sanctorum, Joan. 14. v. 13.
Gloriam Dei noluit celari Chriſtus, Marc. 5. v. 30.
Gloriandum non eſt homini, quòd Deus ei loquatur, Lucæ 12. v. 20.
Græcorum nomine gentiles omnes intelliguntur, Joan. 7. v. 35.
Grani ſinapis conditiones, Matth. 13. v. 31.
Grano frumenti Chriſtus ſe aſſimilat, Joan. 12. v. 24.
Gratia pro gratia rependitur, Joan. 1. verſ. 16.
Gratiâ plena dicitur Maria aliter, quàm alij Sancti, Lucæ 1. v. 28.
Gratia Dei perveniens, Joan. 15. v. 16.
Gratiæ gratis datæ dantur hominibus, ut ex eis profectum faciant, Matth. 25. v. 14.
Gratia ſecundùm propoſitum, commendatur, Joan. 18. verſ. 37.
Gratia Chriſti efficax facit ut faciamus, Joan. 15. v. 5.
Gratiæ Chriſti efficacitas frangit cordis duritiam, Joan. 6. v. 1.
Gratiæ neceſſitas ad bene operandum, Joan. 15. verſ. 5.
Gratiæ interioris cor mollientis neceſſitas, Joan. 18. v. 7.
Gratis aliquem odiſſe, quid? Joan. 15. verſ. 25.
Gratitudo ultra internum affectum poſtulat externa officia, Lucæ 17. v. 18.

H.

HÆdi reprobos cur ſignificent, Matth. 25. verſ. 33.
Hæres qualiter ſit Chriſtus, Matth. 12. v. 38.
Hæreſis prima circa Euchariſtiam tempore Chriſti, Joan. 6. v. 67.
Hæreſes variæ circa incarnationem Verbi refelluntur, Joan. 1. v. 14.
Hæretica machinatio comprehenditur ſub portis inferi, Matth. 16. v. 18.
Quæ adhuc? ibid.
Hæretici ante finem mundi exorituri deſignantur, Matth. 24. v. 11.
Non ſunt audiendi cùm Eccleſiam apud ſe eſſe dicunt, v. 27.
Sunt falſi Phrophetæ, Matth. 7. v. 15.
Refutantur, Matth. 3. v. 1. 4. 5. cap. 4. v. 6. cap. 6. v. 6. cap. 7. v. 16. cap. 11. v. 21. cap. 15. v. 9. & 11. cap. 16. v. 19. cap. 17. v. 12. cap. 26. v. 26. & 27. Marci 9. v. 37.
Hæreticorum mira diſcordia, Matth. 26. v. 26.
Ineptia, v. 27.

Hebræi frequenter utuntur conjunctione &, pro autem, Joan. 18. v. 24.
Ex ſola traditione Phariſaica non introierunt in prætorium, ibid. v. 28.
Hebraica vocabula cur retinuerunt Evangeliſtæ, Matth. 27. v. 46.
Herba miraculoſa ad ſtatuam æneam Chriſti, Marci 5. v. 34.
Herodes cur vulpes appellatus, Lucæ 13. verſ. 32.
Herodis reverentia in Joannem, Marci 6. verſ. 20.
Ejus crudelitas occaſio Joan. Baptiſtæ ſecedendi in deſertum, Lucæ 1. v. 80.
Ejus, & uxoris, & ſaltatricis funeſtus exitus, Marci 6. v. 27.
Herodes plures fuerunt, Matth. 2. v. 1.
Sub quorum primo conceptus eſt Joannes Baptiſta, ab altero decollatus, Luc. 1. v. 5.
Ut unus Rex fuerit, Marci 6. v. 14.
Herodes Magnus novem uxores ſimul habuit, Lucæ 3. v. 1.
Herodes Tetrarcha Galilææ, Antipas dictus, Lucæ 23. v. 7.
Tentavit Deum petendo ſignum à Chriſto, ibid. v. 8.
Illuſit Chriſtum albâ veſte indutum, ibid. verſ. 10.
Factus eſt Pilato amicus, & unde, ibid. v. 12.
Herodias qualis fuerit, Marci 6. v. 17.
Occaſionem captabat occidendi Joannem, v. 19.
Hoc non deſignat panem, Matth. 26. v. 26.
Hodie & *cras*, pro exiguo tempore, Lucæ 13. v. 32. & ſeqq.
Homo ad imaginem Dei factus, Joan. 1. v. 4.
Sumitur pro vitio, Lucæ 12. v. 14.
Homines avidiſſimè deſiderant præſcire futura, Joan. 16. v. 13.
Hominum ſalus, proprii corporis commodis præferenda, Joan. 4. v. 34.
Homines qua ratione dicantur plantatio Dei vel diaboli, Matth. 15. v. 13.
Honor ſequitur fugientem, fugit ſequentem, Matth. 23. v. 12.
Sub Honore omnis externus cultus intelligitur, Matth. 15. v. 8.
Honor parentibus debitus qualiter deferendus, Matth. 15. v. 4.
Horatum diverſa acceptio, Matth. 20. verſ. 2.
Hora accipitur pro tempore, Matth. 26. v. 40.
Hora ſeptima apud Judæos, eſt prima poſt meridiem, Joan. 4. v. 50.
Quâ horâ Chriſtus crucifixus, Marci 15. v. 25.
Horror paſſionis in Chriſto, Matth. 26. v. 39.
Eum ſupprimit, v. 45.
Hoſpes Apoſtolorum, dignus eſſe debet illis morum integritate, Matth. 10. v. 11.
Non mutandus, ibid.
Cur intrando ſalutari debeat, v. 12.
Honor ejus & fructus, v. 40.
Hoſpitalitas ut exercenda in Prophetas & juſtos, Matth. 10. v. 41.
Hoſtia pro peccato in purificatione, immediatè offerebatur pro immunditia matris; mediatè pro originali peccato prolis, juxta Auguſt. Lucæ 2. v. 24.
Hoſtiæ Paſchales cæſæ numero 250600. Matth. 21. v. 12.
Humana judicia parvi facienda, quia ſæpè falſa, Lucæ 16. v. 15.
Humanæ naturæ conditio, Matth. 14. verſ. 30.
Humanæ naturæ ſigna probativa, Lucæ 24. v. 41.
Humilitas & manſuetudo addiſcenda exemplo Chriſti, Matth. 11. v. 29.
Illæ duæ virtutes ſunt magna pars jugi Chriſti, ibid.
Humilitas neceſſaria, Matth. 18. v. 4.
Humilitate proſapiæ Chriſti, offenduntur Judæi, Matth. 13. v. 57.
Humiles hoſpitio excipiendi, & qua mercede, ibid. v. 5.
Humilium contemptus graviter punietur, ibid. v. 10.
Hyperbolica locutio mendacium non continet, Joan. 21. v. 25.
Hypocriſin præcipuè exprobrat Chriſtus Phariſæis, Matth. 23. v. 12.
Cur præſente turba, ibid.
Hypocrita quis dicendus, Lucæ 13. v. 15.
Hyſſopus quid, & quomodo ei circumpoſita ſpongia aceto plena, Joan. 19. v. 29.

I.

Jacobus quis fuerit præſens transfigurationi, Matth. 17. v. 1.
Jacobus Zebedæi filius cur major dicatur, Matth. 10. v. 3.
Jacobus Alphæi filius cur dictus minor, frater Domini, Jeroſolymorum Epiſcopus, Author unius Epiſtolæ ex canonicis, Matth 10. verſ. 3.
Jactantiam fugere docemur à Chriſto, Marci 7. v. 33.
Janitoris officium in Eccleſia, Marci 13. v. 34.
Idiomatum communicatio in Chriſto, Joan. 3. verſ. 34.
Jechonias idem cum Eliacim & Joachim, Matth. 1. v. 11.
Jejunium commendatur, Matth. 6. v. 16.
Jejuniis Deus colitur contra Calvinum, Lucæ 2. v. 37.
Jeruſalem civitas ſancta, Matth. 4. v. 5.
Item cap. 27. v. 53.
Sæpiùs expugnata, Matth. 24. v. 15.
Jeroſolymitana cædes per Romanos illata, à Chriſto prædicitur, Lucæ 19. v. 43.
Et rurſus c. 23. v. 29. & ſeqq.
Jeſu etymologiam tradit Angelus, Matth. 1. verſ. 21.
Jeſus Magiſter fuit & Dominus, Joan. 13. v. 26.

Habuit perfectum dominium suarum passionum, Joan. 11. v. 33.
Reddit se invisibilem persecutoribus, Joan. 6. v. 59.
Quo sensu dicat, se in occulto nihil locutum fuisse, Joan. 18. v. 20.
Coronatur coronâ spineâ, Joan. 19. v. 5.
An ligonem gestaverit apparens Magdalenæ, Joan. 20. v. 15.
Cur non permiserit se ab ea tangi, v. 17.
Penetrando ostium intravit ad discipulos, vers. 19.
Januis clausis intrat ad Apostolos, v. 26.
Post resurrectionem cum Apostolis manducavit, Joan. 21. v. 13.
Ter apparuit Apostolis congregatis, v. 14.
Apparuit Petro elapso è carcere Romano prædicitque se iterùm Romæ crucifigendum in Petri persona, v. 19.
Ignis maximè penetrantis est activitatis & pro quo ponatur, Matth. 25. v. 41.
Usurpatur pro charitate, Lucæ 12. v. 49.
Ignis æternus damnatos affligit & urit, Joan. 15. v. 6.
Igne saliri damnatos, quid sit, Marci 9. v. 48.
Ignorantia affectata valet in commiserationem, non in excusationem, Luc. 23. v. 34.
Ignorantia Judæorum Christum crucifigentium crassa & supina, ibid.
Illuminationis & excæcationis consilium quo modo scrutandum, Matth. 11. v. 26.
Illusio Christi ad summum crudelitatis & contumeliarum omnium fastigium pervenit, Matth. 27. v. 30.
Imitandus Christus non tantùm in ferenda cruce, sed etiam in modo ferendi, Matth. 10. v. 38.
Immortalitas animæ, Matth. 22. v. 32.
Impedimenta charitatis, Matth. 19. v. 21.
Imperativus pro futuro, Matth. 13. v. 14. Item Joan. 2. v. 19.
Imperiosa potestas in Gentilibus, Matth. 20. v. 25.
Imperium Christi absolutissimum, Matth. 22. v. 44.
Impii omnes vocantur hypocritæ Hebraica proprietate, Matth. 24. v. 51.
Impii & iniqui homines sunt cæci corde, Joan. 8. v. 4.
Impositione manus sæpè usus Christus, Marci 7. v. 32. Item cap. 8. v. 23.
Incarnationem Filii Dei nulla opera meruerunt, Joan. 15. v. 9.
Incredulitas hominum fidem Dei non evacuat, Joan. 1. v. 11.
Incredulitas Judæorum, Marci 9. v. 18.
Increpatus à Domino cur Amicus vocetur, Matth. 22. v. 12.
Inebriatio pro exhilaratione in Scripturis usurpatur, Joan. 2. v. 10.
Inexspectatum subitò irruens etiam magnos turbat, Joan. 16. v. 1.
Infernalium pœnarum gravitas, Marci 9. v. 47.
Infernus per tenebras cur designetur, Matth. 8. v. 12.
Infirmitas Apostolorum erigitur, Matth. 16. v. 31.
Ea qualiter vincatur, v. 41.
Ingratitudo Judæorum, Matth. 11. v. 20.
Ingredi & *Egredi* pro conversari in hoc mundo, Joan. 10. v. 9.
Inimici diligendi, Matth. 5. v. 43. Item cap. 26. v. 49.
Injuriæ tolerandæ & remittendæ, Matth. 5. v. 41. Item cap. 18. v. 35.
Earum tolerantiam & oblivionem docet Christus, Matth. 26. v. 25.
Innocentia Christi mirabilis, Matth. 26. v. 61.
Integritas animi mater est honestatis corporalis, Matth. 23. v. 26.
Interpretandum nihil est in deteriorem partem, Marci 9. v. 39.
Interrogat Christus ea, quæ sciebat, & quare? Matth. 22. v. 20.
Interrogatio dubitationem plerumque supponit, Joan. 21. v. 12.
Interrogatio non supponit ignorantiam interrogantis, Joan. 6. v. 6. item, cap. 11. v. 34.
Invenire animam suam, quid? Matth. 10. v. 39.
Invenire gratiam apud Deum, Lucæ 1. v. 30.
Invidia Scribarum, Matth. 21. v. 16.
Invitati ad nuptias, qui? Matth. 22. vers. 3. Et qui invitantes ibid.
Joannes Baptista in utero sanctificatus, Lucæ 1. v. 15. Quo anni tempore conceptus, ibid. v. 24.
Ejus exultatio in utero, v. 41. Sex mensibus Christo senior, Lucæ 1. v. 26. Tam per paternam, quàm maternam lineam fuit de stirpe sacerdotali, ibid. v. 5.
Ejus encomium, Joan. 1. v. 6.
Est lucerna ardens & lucens à Deo accensa, Joan 5. v. 35.
Ejus cum Elia comparatio & similitudo, Luc. 1. v. 26. & Joan. 1. v. 21.
Quo sensu negaverit se Prophetam esse, ibid.
Quomodo Christum nescierit, Joan. 1. v. 31. & 33.
Tria ipsius de Christo testimonia, Joan. 1. v. 35.
Ipsius habitatio, Matth. 3. v. 1. Vestitus, Esca, v. 4. Cur eum non laudet Christus in præsentia discipulorum, Matth. 11. v. 7.
Certatim in deserto invisitur, ibid. Ejus constantia, ibid. Cur plus quàm Propheta, v. 9.
Cur comparetur Angelo, Matth. 11. vers. 10.
Totidem mensibus cœpit ante Christum prædicare, quot ante Christum natus est, ibid.
Nullus eo major, & quoad quæ, v. 11.

Quomodo ſit Elias officio, Matth. 11. v. 14.
Item cap. 17. v. 8.
Ejus laus, Matth. 11. v. 15.
Ejus auſteritas v. 18.
Vitâ irreprehenſibili præ ſe ferebat juſtitiam, Matth. 21. v. 32.
Orandi formulam, diſcipulis præſcripſit, Lucæ 11. v. 1.
Eſt terminus Legis & Prophetarum, Lucæ 16. v. 16.
Joannis Evangeliſtæ parentes, patria, vocatio, virginitas, ætas, &c. Præfat.
Ejus & Petri nativa indoles deſcribitur, Joan. 21. v. 7.
Specialiter à Chriſto dilectus, & cur Joan. 13. v. 23. cap. 19. v. 26. cap. 21. v. 20.
Ei Chriſtus proditorem infinuavit, Joan. 13. v. 26.
Ei matrem Virginem moriens commendat, & cur, Joan. 19. v. 27.
Edoctus à B. Virgine circa nonnulla myſteria, ibid.
Falsò creditus non moriturus, Joan. 21. v. 23.
Jonas columbam ſignificat, & ſumitur pro Joanne, Joan. 1. v. 42.
Joſeph quomodo filius Heli & Jacob, Lucæ 1. v. 23.
Jure conjugii pater Chriſti, Lucæ 2. v. 33. & 48. Non naturâ, Luc. 3. v. 23.
Ejus prompta obedientia, Matth. 1. verſ. 24.
Ante Chriſti paſſionem & prædicationem mortuus, Lucæ 2. v. 34.
Joſeph ab Arimathæa occultando diſcipulatum non peccavit, Joan. 19. v. 38.
Affectus ſui magnitudinem demonſtravit effectu, v. 39.
Ira quantum peccatum, Matth. 5. v. 22.
Iracundia Dei in Judæos, Matth. 24. v. 22.
Iſraëlita verus quis cenſendus, Joan. 1. v. 47.
Iter ſabbati, quid? Matth. 21. v. 1.
Judææ ſitus altior, quàm Galilææ, Lucæ. 2. verſ. 4.
Eam vectigalem quis primus fecerit, Matth. 22. v. 17.
Judæi cur uſurpent nomina Græca, Matth. 10. verſ. 3
Iis cur primò prædicandum, v. 4.
Quare vocentur oves paſcuæ Dei, & quare perditæ, v. 6.
Eorum errores circa Meſſiam, Matth. 22. v. 42.
Cur comparentur calamo quaſſato, & lino fumiganti, Matth. 12. v. 20.
Ligno arido, Lucæ 23. v. 31.
Liberatis à dæmoniacis, Matth. 12. v. 45.
Filiis, & Gentes canibus, Matth. 15. v. 26.
Ab eis auferetur regnum Dei, Matth. 21. v. 43.
Eorum negligentia & ingratitudo, Matth. 22. v. 4. & 6.
Quomodo perditi fuerint, v. 7.
Eorum dejectio ſalus facta eſt Gentibus, v. 8.
Habent velamen ſuper cor, Joan. 5. v. 39.
Eorum concilium adverſus Chriſtum congregatur, Joan. 11. v. 47. & ſeqq.
Eorum grave peccatum incredulitatis, Joan. 15. v. 22. & 24.
Chriſtum occidendo Deicidii peccatum perpetrarunt, ibid.
Permiſſi ſunt ſuis legibus vivere, Joan. 19. v. 7.
Gravius peccaverunt in Chriſtum, quàm Pilatus, ibid. v. 11.
Publicè renuntiaverunt Meſſiæ ſibi promiſſo, ibid. v. 15.
Sub finem mundi convertendi, Matth. 23. verſ. 39.
Judas cur vocetur Iſcariotes, Matth. 10. v. 4.
Murmurat de effuſione unguenti, Joan. 12. verſ. 6.
Fuit œconomus collegij Apoſtolici, ſeu familiæ Chriſti ibid.
Peculium ſibi parabat, ex quo aliquando à Chriſto ſeparatus viveret, Matth. 26. v. 8.
Ejus cor ut intraverit ſatanas, v. 14.
Vult compenſare jacturam, quam credebat ſe feciſſe in effuſione unguenti, v. 15.
Ejus impudentia, v. 24. & 50.
Vocatur à Chriſto diabolus, Joan. 6. v. 71.
Filius perditionis, & cur, Joan. 17. v. 12.
Sumpſit Euchariſtiam cum aliis, Joann. 13. v. 26.
Cur ſe ſuſpenderit, Matth. 27. verſ. 5.
Judas Thaddæus ſcriptor epiſtolæ Catholicæ, Joan. 14. v. 22.
Judicis officium, oppreſſo ſubvenire, judicare pupillos, &c. Lucæ 18. v. 4.
Judicium noviſſimum & univerſale, Joan. 5. v. 28. & ſeqq.
Judicium aliud generale, aliud particulare, Lucæ 12. v. 36.
Generale conjungetur reſurrectioni mortuorum, Matth. 12. v. 41.
Tempus ejus incertum, Matth. 24. verſ. 36. 42. 50. Item cap. 25. v. 5.
Quomodo Filio ignotum, Matth. 24. v. 36.
Ad illud ſemper parati eſſe debemus, ibid. v. 42.
Judicium omne Chriſto à Patre datum, Joan. 5. v. 22.
Judicium auctoritatis habebunt, qui Chriſtum ſequuntur, Matth. 19. v. 28.
Judiciorum Dei altitudo in Tyriis & Sidoniis, Matth. 11. v. 21.
Judiciorum ſeu tribunalium tria genera apud Hebræos, Matth. 5 v. 21.
Judicium malignum & temerarium vetatur, Matth. 7. v. 1.
Jugum Dei ferre quid? Matth. 11. v. 29. Portatu facile, v. 30.

Juramentum turpe non obligat, Marc. 6. v. 26.
Juramento omninò abſtinendum, Matth. 5. v. 34. Ejus uſus quando bonus, v. 37.
Juramentum aliquod per creaturas, juxta Phariſæos obligabat, & quod, Matth. 23. v. 18.
Jurans per templum & altare non tenebatur juxta Phariſæos, Matth 23. v. 18.
Secus qui jurabat per pecuniam oblatum, ibid.
Juſtificati ſubinde relabuntur in peccata, Joan. 15. v. 4.
Juſtificationes & mandata an differant, Lucæ 1. v. 6.
Juſtitia pro omnium virtutum perfectione ſumitur, Lucæ 1. v. 75.

L.

LAbor & onus hominis in quo conſiſtat, Matth. 11. v. 28.
Lacus Galilææ vocatur mare, Matth. 8. v. 24.
Lampades accenſæ quid ſignificent, Matth. 25. v. 1. Quomodo aptabuntur, v. 7.
Lana ſuccida eumdem habet effectum, quem ſpongia, Joan. 19. v. 29.
Lapis qui eſt caput anguli, Chriſtus, Matth. 21. v. 42.
Lapis offenſionis quando ſit Chriſtus, Matth. 21. v. 44
Latrones duo cum Chriſto cùr crucifixi, Mat. 27. v. 38.
Ambo in initio convitiati ſunt, v. 44.
Latronis boni fides & charitas commendatur, Lucæ 23. v. 40. 41. & 42.
Paradiſus à Chriſto ei promiſſus quis? v. 43.
Latus Chriſti perfoſſum, dextrumne fuerit, an ſiniſtrum, Joan. 19. v. 34.
Laus humana non poteſt quæri tamquam merces bonorum operum, Matth. 6. v. 1.
Lazarus Marthæ & Mariæ frater ægrotat, Joan. 11. v. 1.
Moritur in Bethania, v. 14.
Reſuſcitatur à Chriſto, v. 43. & ſeqq.
Quot diebus manſerit exanimis, v. 17.
Ipſius ſepulchrum qualiter conſtructum, & an nunc extet, v. 38.
Quomodo proceſſerit è monumento ligatis pedibus, v. 44.
Cur per alios ſolvi jubeatur, ibid.
Eum cum Chriſto occidere voluerunt Judæi, & cur, Joan. 12. v. 10.
Lectio ſacra prædicationi præmitti ſolita, Lucæ 4. v. 1.
Legatio S. Joannis Baptiſtæ, Matth. 11. verſ. 2
Legationis Apoſtolicæ ſumma, Matth. 10. v. 7.
Legio quid, Matth. 26. v. 53.
Lepra Judaica coloris magis quàm valetudinis vitium, Lucæ 17. v. 14.
Leproſus cur vocaretur Simon, Matth. 26 verſ. 6.
Leproſi extra commune hominum conſortium, Lucæ 17. v. 12.
Cur ad ſacerdotes miſſi à Chriſto, Lucæ 17. verſ. 14.
Novem peccarunt ingratitudine, Lucæ 17. verſ. 14.
Eorum mandatorum hiſtoria allegoricè exponitur, ibid. v. 19.
Levare calcaneum, Joan. 13. v. 18.
Lex pro univerſa Scriptura veteris Teſtamenti, Joan. 10. v. 34. & cap. 12. v. 34.
Lex nova ut facilis, Matth. 11. v. 30.
Lex urgens & premens Judæorum, Matth. 21. v. 33.
Promittebat temporalia, Evangelium ſpiritualia, Lucæ 16. v. 16.
Legem adimplevit Chriſtus quadrupliciter, Matth. 5. v. 17.
Leges poſitivas interpretandi ratio, Matth. 12. v. 8.
Legis doctor, legis peritus, Matth. 22. v. 35.
Tentat Chriſtum de lege, Lucæ 10. v. 25. & ſeqq.
Libelli repudij forma, Matth. 5. v. 31.
Liberalem fecit Herodem temulentia & libido, Marc. 6. v. 23.
Libertas à peccato in quo conſiſtat, Joann. 8. v. 34.
Libertati Judaicæ favebant Phariſæi, Matth. 22. v. 16.
Liberum arbitrium fons omnis coinquinationis, & ſanctitatis, Matth. 15. v. 18.
Libido quàm ſit crudelis, Marc 6. v. 25. & 26.
Librorum ſacrorum diviſio in legales, prophetticos & agiographos, Lucæ 24. v. 44.
Limbus Patrum ab inferno damnatorum diſtat, Lucæ 16. v. 26.
Lingua Latina, Græca, & Hebraica, divinis officiis conſecratæ, Joan. 19 v. 20.
Illarum trium, quibus expreſſus eſt crucis titulus, allegoria, ibid.
Lites fugiendæ, Matth. 5. v. 40.
Lithoſtrotos ſignificat locum lapidibus ſtratum, Joan. 19. v. 13.
Loculorum cuſtodiam Chriſtus Judæ commiſit, Joan. 12. v. 6.
Locus & tempus nativitatis Chriſti accuratè exponitur, Matth 2. v. 1.
Locus noviſſimus pro humillimo, Lucæ 14. v. 8 9 & 10.
De eo pertinaciter contendere, vitioſum eſt, ibid.
Locus judicii, Matth. 25. v. 32.
Locuſtæ quid? Matth. 3 v. 4.
Longanimitas Dei, Matth 21. v. 36. & cap. 25. v 19 Item cap. 26 v. 10.
Loqui ex ſeipſo, quid? Joan. 7. v. 17. & 18.
Loquendo cur Chriſtus ſanaverit manum aridam, Matth. 12. v. 13.
Lotio pedum uſitata hoſpitibus, Joan. 13. v. 5. Ejus allegorica expoſitio, ibid. v. 14.
Lubenter redit diabolus ad eos, quos ſemel

possedit, Marci 9. v. 24.

Lucas Evangelista patriâ Antiochenus, arte medicus & pictor egregius, pinxit Christum, Mariam, & Petrum, Lucæ Præfat. An fuerit ex 72. Christi discipulis, ibid.

Ubi, & quo idiomate scripsit Evangelium, ibid.

Quando, & qua occasione scripsit, ibid.

Cur ejus Evangelium Paulus sibi appropriat, ibid.

Quibus Gentibus Christum annuntiaverit, ibid.

Suam diligentiam in conscribendo Evangelium commendat, & pseudo-evangelistarum negligentiam taxat, Lucæ 1. v. 2.

Luciferi splendor exoriente Sole minuitur, Joan. 3. v. 30.

Luctui tibicines adhibebant antiqui, Matth. 9. v. 23.

Ludibriis mordacissimis impetitur Christus, Matth. 26. v. 67. & 68. Item cap. 27. v. 39.

Lumbi præcingendi, & lucernæ accendendæ, Lucæ 12. v. 35.

Lugentes consolabuntur, Matth. 5. v. 5.

Lunaticus quis dicatur, Marci 9. v. 17.

Lupi in vestimentis ovium sunt hæretici, mat. 7. v. 15.

Lupis comparantur persecutores Apostolorum, Matth. 10. v. 16.

Lux vera quid? Joan. 1. v. 9.

Lysanias non fuit Herodis filius, Lucæ 3. v. 1.

M.

Magnificare pro magnum prædicare, Lucæ 17. v. 15.

Magdalenæ pœnitentia, Lucæ 7. v. 38.

Fides & dilectio, ibid. v. 47. & 50.

Magdalum castellum Galilææ juxta mare Tiberiadis, Lucæ 8. v. 1.

Magi qui unde & quando venerint, Matth. 2. v. 1. invenerunt Christum in stabulo, v. 11.

Magicam artem in Christo convincere tentant falsi testes, Matth. 26. v. 61.

Magistratus Ecclesiasticus & civilis curavit apprehendi Christum, Matth. 26. v. 47

Magister qualiter, quis sit & vocetur, Matth. 23. v. 8.

Magistros probos vix imitamur, improbos etiam improbitate superamus, Matth. 23. v. 15

Majorum facta tribuuntur filiis, Matthæi 23. v. 35.

Majorum peccata quando & quàm justè puniantur in filiis, Matth. 23. v. 35.

Maledictio parentum super filios, miros effectus habet, Matth. 27. v. 25.

Maldonatus refellitur, Matth. 12. v. 1.

Maledictum quid sit? Joan. 9. v. 28.

Per *Malum* antonomasticè intelligitur Diabolus, Matth. 13. v. 19.

Mammona iniquitatis pro divitiis injustis; Lucæ 16. v. 9.

Mammona quid? Matth. 6. vers. 24.

Mandata Dei transgredi gravius est quàm traditiones Pharisaicas, Matth. 15. v. 3.

Mandata hominum qualia improbet Christus, Matth. 15. v. 9.

Mandata 2. tabulæ cur sola adolescenti proponit, Matth. 19. v. 16.

Mandatum maximum dilectio, Matth. 22. v. 37.

De dilectione proximi in quo simili priori, Matth. 22. v. 36.

Cur mandatum non sit homini, ut se diligat, ibid.

Mandata præpositorum observanda, Matth. 28. v. 20.

Mandatum moriendi Christo datum, & ab eo liberè acceptatum, Joan. 10. v. 18.

Manducatio spiritualis Sacramentali præmittenda, Joan. 6. v. 51. & 55.

Manducatio vera absque vera nutritione, Lucæ 24. v. 43.

Manichæorum & Platonicorum error refellitur, Joan. 1. v. 1.

Manere in Christo, quid? Joan. 15. v. 5. & seqq.

Manna in deserto datum Judæis à Deo, Joan. 6. v. 31.

Cur vocetur panis de cœlo, Joan. 6. v. 32.

Mansiones variæ tam in cœlo quàm in inferno, Lucæ 16. v. 23.

Mansuetudo Christi, Matth. 26. v. 49.

Mansuetus Christus, Matth. 21. vers. 5. ejus signum, ibid.

Manus, pro potestate, Joan. 10. v. 28.

Manum mittere ad aratrum, Lucæ 9. v. 62.

Manipulus spicarum offerri solitus secundo die azymorum, hoc est in festo Paschatis, Matth. 12. v. 1.

Manum emortuam Christus sanat, Matth. 12. v. 10.

Manus Domini, pro potestate, Lucæ 1. v. 66.

Manuum elevatione benedicentibus familiaris, Lucæ 24. v. 50.

Marcus Evangelista quis fuerit, in Præfat pag. 407.

Probabilius est fuisse discipulum Petri, pag. 408.

Scripsit Græcè, pag. 409.

Mare Mediterraneum ab occasu Judææ, Lucæ 12. v. 54.

Mare quomodo cesserit vestigiis Christi, Matth. 14. v. 25.

Maria antonomasticè Virgo, Lucæ 1. v. 27.

Maria quid significet, ibid.

Cur dicatur desponsata Josepho, cùm fuerit nupta? ibid. & Lucæ 2. v. 5.

Quo sensu Dominus erat cum ea? Luc. 1. v. 28.

An & quando virginitatem perpetuam voverit? Lucæ 1. v. 34.

An interfuerit partui Elizabethæ? Luc. 1. v. 56.

Mariæ prudentia, modeſtia, & taciturnitas, Lucæ 2. v. 19. & 51.
Mariæ Virginis conſtantia, compaſſio, & amor, Joan. 19. v. 25.
Maria Cleophæ unde ſit dicta, ibid.
Maria Magdalena adſtat cruci, ibid.
Mariæ Virginis majores cur non apertè recenſeantur in genealogia Chriſti, Matth. 1. v. 16.
Maria & Joſeph ex eadem familia, ibid.
Cur deſponſata fuerit, v. 18.
Cur eam Joſeph dimittere voluerit, v. 19.
Magis beata, quia mente quàm quia carne Chriſtum tulit, Matth. 12. v. 49.
Maria Magdalena ſoror Lazari & Marthæ, Matth. 26. v. 7.
Ejus opes & effectus, v. 9.
Humanitas, fides, charitas, v. 10.
Ejus cum Chriſto familiaritas, v. 12.
Pietas in Chriſtum, Matth. 27. v. 56.
Dux cæterarum piarum mulierum, Matth. 27. v. 1.
Martyrem Chriſti facit non pœna, ſed cauſa, Matth. 10. v. 39.
Martyrium, ſicuti bellum, dulce inexpertis, Matth. 20. v. 22.
Matthæus ſcripſit Hebraicè in Præfat. Matth.
Ante omnes alios, ibid.
Poſtponit ſe Thomæ, Matth. 10. v. 3.
Matthæi vocatio, Matth. 9. v. 9.
Martha ſenior Mariâ Magdalenâ & Lazaro, Luc. 10. v. 38.
Maxilla altera quomodo præbenda percutienti unam, Joan. 18. v. 23.
Maxillam dextram percutienti quomodo præbenda & altera, Matth. 5. v. 4.
Medio comparatur Chriſtus, Matth. 9. v. 12.
Medium ſeu intimum terræ cur appelletur cor terræ, inferiora terræ, Matth. 12. v. 40.
Medico credere eſt ejus præcepta ſequi, Matth. 21. v. 32.
Memoria judicii à Chriſto commendata, Matth. 24. v. 42.
Merita Chriſti non obſcurantur noſtris meritis, Joan. 16. v. 27.
Mercenarius quis dicendus, Joan. 10. v. 12.
Sine meritis præparatur, ſed non datur regnum cœlorum, Lucæ 12. v. 33.
Menſibus lunaribus utebantur Hebræi, Matth. 26. v. 17.
Mendacium loquitur, qui voluntate fallendi, contra mentem loquitur, Joan. 8. v 44.
Mendax & Mentiens quomodo differant, Joan. 8. v 44.
Menſura bona, conferta, coagitata, ſupereffluens exponitur, Lucæ 6. v. 38.
Meſſis apud Judæos circa menſem Maium, Joan. 4. v. 35.
Meſſis multa populi Judaici, Matth. 9. verſ. 37.
Metreta menſura æqualis batho in liquidis, vel ephi in aridis, Joan. 2. v. 6.
Æquivalet amphoræ Romanæ, ibid.
Metempſychoſis, Marci 6. v. 14.
Militum circa Chriſtum petulantia, Matth. 27 v. 27. ſævitia, 29.
Milium crucifigentium Chriſtum numerus, Joan. 39. v. 23.
Milites inſtruuntur ſalutariter, Lucæ 3. v. 13. & 14.
Mina, ſeu mna quot drachmas quoque ſiclos continet? Lucæ 19. v. 13.
Miraculoſa piſcium captura, Joan. 21. verſ. 7. & ſeqq.
Ejus allegorica expoſitio, Joan. 21. v. 11.
Miraculorum Chriſti multitudo & excellentia, Joan. 15. v. 24.
Miraculorum examinatores, de ægritudinis veritate inquirunt, Joan. 9. v. 19.
Miraculo falſum approbare non poteſt Deus, Joan. 5. v. 36.
Miracula ſine neceſſitate non operatur Deus, Matth. 15. v. 32.
Miracula figilla veritatis, Marci 16. v. 17.
Cur non ſemper fiant, ibid. Apoſtolorum miracula non terrifica, ſed benefica, v. 18.
Miraculum vana eſt fiducia, ſi fidei non adſit vita proba, Matth. 7. v. 22.
Miraculis confirmat Chriſtus ſuam doctrinam, Matth. 8. v. 1.
Miracula reſuſcitatæ filiæ archiſynagogi, ſanatæ hemorroiſſæ, cæcorum & muti expoſita allegoricè & tropologicè, Matth. 9. verſ. 22.
Sanatorum cæcorum, Matth. 20, v. 31.
Miraculorum virtutem dat Chriſtus Apoſtolis, Matth. 10. v. 1.
Miracula Apoſtolorum ſunt magis benefica quàm terribilia Matth. 10. v. 8.
Miratur Chriſtus, Matth. 8. v. 10.
Miſericordia præfertur omni extremo Dei cultui, Matth. 12. v. 7.
Miſeretur Chriſtus populi Judaici, Matth. 9. verſ. 36.
Miſericordiam volo non ſacrificium, Matth. 9. v. 13.
Miſeratio Dei ſumma erga peccatores, Matth. 18. v. 27.
Miſſio paſtorum Eccleſiæ quænam legitima, Joan. 10. v. 7.
Miſericordiæ operibus cur ſpecialiter ſalus tribuatur, Matth. 25. v. 31.
Miſeriæ humanæ condolet Chriſtus, Marci 7. v. 34.
Miſſio in divinis ſupponit proceſſionem, Joan. 15. v. 26.
Mites qui poſſidebunt terram futuræ vitæ, Matth. 5. v 4.
Modus quos Deus fideles ſuos probat, Matth. 14. v. 27.
Modeſtia Chriſti in voce & moribus, Matthæus 12. v. 19.

Modus recumbendi ad menſam apud Orientales, Joan. 13. v. 23.
Mola aſinaria, quid? Matth. 18. v. 6.
Monumenta cur inhabitabant dæmones, Matth. 8. v. 28.
Montana Judææ & montana Galilææ, Lucæ 1. v. 39.
Mons Oliveti, Matth. 21. v. 1. diſtabat à Jeruſalem mille paſſibus, ibid.
Ad montes cur fugiendum, Matth. 24. v. 16
In montibus orare ſolitus Chriſtus, Matth. 17. v. 1.
In quo monte contigerit tranſfiguratio, Matth. 17. v. 1.
Mors Chriſti extremis tribulationibus vindicata, Matth. 24. v. 21.
Mors cur ſomnus appellatur, Matth. 22. v. 32. & Joan. 11. v. 11. & 13.
Mors Chriſti conſummatio appellatur, Lucæ 13. v. 32.
Mors alia temporalis, alia æterna, Joan. 8. v. 51.
Mortalia delicta non omnia æqualia, Joan. 19. v. 11.
Morientibus pietatis exemplum præbuit Chriſtus, Matth. 27. v. 50.
Mortui tres à Chriſto reſuſcitati, ejus trei allegoria, Lucæ 7. v. 15.
Mortui ſciunt ea, quæ à vivis geruntur, Lucæ 16. v. 25.
Mortua puella cur dormire dicatur, Matth. 9. v. 24.
Morti adjudicati ligabuntur, Matth. 27. v. 2.
Mortuorum corpora condiendi mos, Matth. 26. v. 12.
Moyſes authoritate Dei inſtituit cathedram. Matth. 23. v. 2.
Moyſes & Elias cur præ cæteris apparuerint in transfiguratione, Matth. 17. v. 3. Cur de morte & paſſione Chriſti tunc diſſeruerint, ibid.
Moyſes Dei eſſentiam in hac vita non vidit nec alius purus homo, Joan. 1. v. 18.
Moyſes & Prophetæ fuerunt ſatores: Apoſtoli meſſores, Joan. 4. v. 36. & ſeqq.
Moyſes de Chriſto prophetavit paſſim, Joan. 5. v. 46.
Mulier nomen ſexûs, non corruptionis, Joan. 2. v. 4.
Mulieres morientem Chriſtum non deſeruerunt ſicut Apoſtoli, Matth. 27. v. 55. Earum ſtudium commendatur, ibid. Ingreſſæ ſunt monumentum, Matth. 28. v. 8.
Mulieribus primo nuntiata reſurrectio, Matth. 28. v. 9.
Mulier pro corrupta ſumitur, Matth. 11. v. 11.
Multa pro infinitis, Matth. 10. v. 30.
Multiloquium inane fugiendum in orationibus, Matth. 6. v. 7.
Pro multis cur ſe moriturum dixerit Chriſtus, & non pro omnibus, Matth. 20. v. 28. item 26. verſ. 28
Mundus totus in tenebris ignorantiæ ſub adventum Chriſti, Joan. 12. v. 46.
Mundus ſumitur pro mundi dilectoribus, Joan. 14. v. 17. item 15. v. 19.
Mundus multifariam ſumitur, Joan. 17. v. 14. & 15.
A mundo affligi non eſt malum, Joan. 17. v. 15.
Mundi fraudulenta indoles, Joan. 2. v. 10.
Mundus peccato perditus Salvatore indiguit, Joan. 4. v. 42.
Mundus mari cur compararetur, Matth. 13. v. 47.
Munerum à Magis oblatorum ſignificatio, Matth. 2. v. 11.
Munus filiorum quomodo prodeſſet parentibus, Matth. 15. v. 5.
Mutilatio membri divina lege prohibita, Matth. 19. v. 12.
Mutuum dandum abſque uſura, aut ſpe paris beneficij, Lucæ 6. v. 35.
Myrrha à putredine præſervat, Joan. 19. v. 39.
Myſtica explicatio ſanati ſurdi & muti, Marci 7. v. 33.
Myſtica expoſitio irriſionum & pœnarum Chriſti, Matth. 27. v. 30.
Myſticè explicata miracula Apoſtolorum, Marci 16. v. 18.

N.

NAaman Syri fides & gratitudo, Lucæ 4. verſ. 27.
Naim civitas ubi ſita? Lucæ 7. v. 11.
Nardum ſpicatum & foliatum, Matth. 26. v. 7.
Nativitas Chriſti duplex, una æterna, alia temporalis, Lucæ 1. v. 35.
Natura corrupta renititur divinæ tractioni, Joan. 6. v. 44.
Naturæ unitas cum perſonarum pluralitate in Deo, Joan. 10. v. 30.
Natum pro concepto ponitur, Matth. 1. v. 20.
Navium & retium allegoria, Lucæ 5. v. 11.
Navis, venti, pavor diſcipulorum allegoricè explicata, Matth. 14. v. 33.
Nazaræorum abſtinentia, Lucæ 1. v. 15.
Nazarenus unde dictus Chriſtus, Matth. 2. v. 23.
Neceſſitas non habet legem, Matth. 12. v. 3.
Negationes Petri omnes in domo Caiphæ contigerunt, Joan. 18. v. 24.
Negare Chriſtum quid, & ejus pœna, Matth. 10. v. 33.
Negligentia Apoſtolorum taxatur, Matth. 26. v. 40.
Neomenia quale feſtum, Matth. 12. v. 1.
Neſciri à Deo quid, Matth. 25. v. 12.
Neſtorii hæreſis exploditur, Lucæ 1. v. 43.
Nicodemus ad Chriſtum de nocte acceſſit, & cur? Joan. 3. v. 1. & 2.
Nicodemus furorem Judæorum in Chriſtum mitigat, Joan. 7. v. 50. & ſeqq.
Nihil in animæ facultatem irrepere debet, quod ejus erga Deum dilectionem excludat, Matth. 22. verſ. 37.

INDEX.

Nimis læta vix ereduntur, Lucæ 24. v. 41.
Ninivitæ quomodo condemnabant Judæos, Matth. 12. v. 41.
Niſi, ſæpè non eſt exceptivum, ſed adverſativum, Matth. 12. v. 39.
Noctis poſtrema pars quæ, Matth. 24. v. 25. Dividebatur in quatuor partes, ibid.
Noctibus morari ſolebat Chriſtus in monte Oliveti, Matth. 24. v. 1.
Nocte congregati Scribæ & ſeniores, Matth. 26. v. 57.
Nomen pro auctoritate, juſſu, & vice, Lucæ 24. v. 47.
Nomen Dei quomodo ſanctificetur. Matth. 6. v. 9.
Nomen Dei per Chriſtum hominibus manifeſtatum, quod 1 Joan. 17. v. 6.
Nomina à Deo imponuntur rebus conſentanea, Joan. 1. v. 42.
Nathanael in Scripturis eruditus, Joan. 1. v. 45. Chriſtum confitetur Filium Dei, Joan. 1. v. 49. An idem cum Bartholomæo Apoſtolo, Joan. 1. v. 51.
Nomine proprio compellat diabolus Chriſtum, Marci 1. v. 24.
Noſcendi verbum ſæpè pro dilectione & approbatione uſurpatur, Matth. 7. v. 23.
Novo in ſepulchro cur poſitus Chriſtus, Matth. 27. v. 60. Erat illud inſtar cubiculi quadrati, ibid.
Nubes cur tres perſonas glorioſas texerint in trãsfiguratione, Matth. 17. v. 5.
Nubibus tumquam curru triumphali vehetur Chriſtus in extremo judicio, Matth 24. v. 30.
Numerus certus pro incerto, Lucæ 3. v. 11.
Numero denario univerſitas exprimitur, Matth. 25. v. 1.
Numerus certus pro incerto, Matth. 18. v. 22. Matth. 19. v. 29.
Numerus certus pro incerto, Matth. 12. v. 45. item 13. v. 23.
Nummi ſignabantur imagine Principis, Matth. 22. v. 20.
Numiſmata magna vel parva cudebant Romani pro oratione cenſus, Matth. 22. v. 19. Quantus fuerit denarius qui Romanis perſolvebatur, ibid.
Nuptiale convivium, quo homines ſpiritualiter paſcuntur, Matth. 22. v. 1. Ad nuptias ſpirituales venire eſt credere, Matt. 22. v. 3.

O.

OBedientia abſolutiſſima injungitur reſpectu Phariſæorum, Matth. 23. v. 3.
Obedientiæ promptiſſimæ exemplum in Matthæo, Matth. 9. v. 9. Obedire Chriſti mandatis eſt eum confiteri, Matth. 10. v. 32.
Oblationes templo & altari non ſunt ſanctiores, Matth. 23. v. 17.
Obſcurè loquitur Chriſtus in pœnam incredulitatis, Matth. 13. v. 13.
Obſcuriora per clariora exponi debent, non contra, Lucæ 22. v. 20.
Obſervatio ſabbati incipiebat poſt occaſum, Matth. 27. v. 57.
Obſeſſiones diabolicæ non ſemper contingunt propter actualia peccata obſeſſorum, Marc. 9. v. 20.
Obſtetrix in Chriſti nativitate nulla præter matrem intervenit, Luc. 2. v. 7.
Obſtinatio maxima Judæorum, Matth. 11. v. 25.
Obumbrare, Luc 1 v. 35.
Occaſio ad quærendam cauſam & fructum mortis Chriſti, Matth. 27. v. 46.
Quâ occaſione Jeſus per Judam proditus, Matth. 26. v. 6.
Occidendi Chriſtum cauſæ, Matth. 21. v. 38.
Occiſio puerorum, Matth. 2. v. 16. Fuerunt numero quatuordecim millium, v. 18.
Occulta vitia non mox detegenda, Matth. 26. v. 10.
Octavius cur Cæſar dictus, & cur Auguſtus, Lucæ 2. v. 1.
Oculi Apoſtolorum beati & quare, Matth. 13. v. 16.
Oculis corporis videntes miracula non ſemper vident oculis cordis, Matth. 13. v. 13.
Oculorum ſublevatio inter orandum frequens, & cur, Joan. 17. v. 1.
Oculorum apertio non præſupponit omnimodam cæcitatem, Lucæ 24. v. 30.
Oculus malus Hebræis ſignificat invidiam, Matth. 20. v. 15.
Oculus pro mente ut intellectum & voluntatem continet, Lucæ 11. v. 36.
Oculus ſcandalizans eruendus, Matth. 5. v. 29.
Oculus pro oculo emendus, v. 38. ſi ſit nequam, Matth. 6. v. 23.
Odium mundi ſuſtinendum ad exemplum Chriſti, Joan. 15. v. 18.
Offenſæ hominum in homines incomparabiliter minores, quàm offenſæ in Deum, Matth. 18. v. 28.
Oleo charitas comparatur, Matth 25. v. 2. vel bona opera, ibid.
Oleum lenit, fovet, ſanat vulnera, Lucæ 10. v. 34.
Oliveti mons inter Hieruſalem & Bethaniam medius, Lucæ 24. v 50.
Omniſcientiam ſuam manifeſtat Chriſtus, Matth. 21. v. 3.
Onus incumbens principatui Eccleſiæ, Matth. 20. v. 26.
Opera bona quomodo occultanda, Matt. 9. v. 30.
Opera miraculoſa Chriſti clarè probant ejus divinitatem, Joan. 14. v. 11.
Opera omnia Chriſti redundant in miſerorum utilitatem, Marc. 7. v. 37.

Opera præcepta poſſunt eſſe meritoria, Lucæ 17. v. 10.
Opera ſupererogationis conſuluntur cum ſpe mercedis, Luc. 6. v. 38.
Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, Joan. 14. v. 10.
Operari pauci qui Evangelium prædicent, Matth. 9. v. 37.
Operarios bonos mittere & facere eſt Chriſti, Matth. 9. v. 38.
Ex operibus cognoſcendi pſeudoprophetæ, Matth. 7. v. 16.
Orandum in abſcondito, Matth. 6. v. 5. & 6. Matth. 26. v. 36.
Orandum ut fugæ neceſſitas non veniat hyeme, vel ſabbato & quare, Matth. 24 v. 20.
Orandum ſine intermiſſione, Lucæ 18. v. 1.
Oratio ad Patrem dirigenda per Chriſtum, Joan. 14. v. 14.
Oratio Chriſti pro Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, Joan. 17. v. 20.
Oratio cum religione mutatur, Lucæ 11. v. 1.
Oratio dominica exponitur, Matth. 6. v. 9.
Oratio & jejunium fidei adjungi debent, Matth. 17. v. 20.
Orationes à Chriſto funduntur in cœlis pro fidelibus, Joan. 16. v. 26.
Orationis conditiones, Lucæ 11. v. 9.
Orationis neceſſitas, Matth. 6. v. 8.
Orphanus denotat filium parentibus orbatum, Joan. 14. v. 18.
Oſanna quid ſignificet, Matth. 21. v. 9.
Oſtendere, pro facere, Joan. 10. v. 32.
Oſculi ſignum cur elegerit Judas, Matth. 26. v. 48.
Otio paratur aditus diabolo, Matth. 12. v. 44. Eſt ornamentum ei gratiſſimum, ibid.
Otium punitur, Matth. 25. v. 18.
Otioſum verbum quid, Matth. 12. v. 36.
Oves à paſtoribus paſcendæ ex amore Chriſti, Joan. 21. v. 15.
Oves Chriſti univerſum ſubjiciuntur Petro tanquam paſtori, ibid.
Oves, pro Epiſcopis: *Oviculæ*, pro minoribus Presbyteris, ibid.
Oves paſtorem ſuum cognoſcunt, Joan. 10. v. 14.
Oves pro ſolis electis ſubinde in Scriptura ſumuntur, Joan. 10. v. 6. & 26.
Ovibus nihil ſimplicius, innocentius, Matth. 10. v. 16.

P.

PAcifici cur filii Dei Matth. 5. v. 9.
Pallia cur poſita ſuper aſinum, Matth. 21. v. 7.
Palmitem ferentem fructum Deus purgat, & qualiter, Joan 15. v. 2.
Panis à Chriſto benedictus, Matth. 26. v. 26.
Panum multiplicatio quomodo à Chriſto facta in deſerto? Joan. 6. v. 11.
Panis nomine quid intelligatur, Matth. 6. v. 11.
Panis pro cibo quocumque ſumitur, Luc. 14. v. 1.
Panes propoſitionis, Matth. 12. v. 4.
Parabola de filio prodigo, Lucæ 15. v. 11. & ſeqq.
Parabola de villico iniquitatis exponitur, Lucæ 16. v. 1. & ſeqq.
Parabola de Phariſæo & Publicano orantibus, Lucæ 18. v. 10. & ſeqq.
Parabola de drachma perdita, Lucæ 15. v. 8.
Parabola invitatorum ad cœnam, Lucæ 14. v. 17. & ſeqq.
Parabola de decem virginibus, Matth. 25. v. 1. De talentis, v. 14.
Parabola de ove perdita allegoricè exponitur, Lucæ 15. v. 2. & ſeqq.
Parabola incidentis in latrones in via Hierichontina, Lucæ 10. v. 29.
Applicatur lapſui generis humani, Lucæ 10. v. 35.
Parabola quid? Matth. 13. v. 3.
Cauſæ utendi parabolicis ſermonibus, ibid. & v. 35.
In parabolis loqui, id eſt obſcure, Matth. 13. v. 3.
Parabola de ſemine & verbo Dei, ibid. v. 19.
De bono ſemine & zizania, v. 24.
De grano ſinapis, v. 31.
De fermento, v. 33.
Theſauro abſcondito, v. 44.
De margarita & ſagena miſſa in mare, v. 47.
De homine rege, Matth. 18. v. 23.
De denario diurno, Matth. 20. v. 1.
De duobus filiis, Matth. 21. v. 28.
De patrefamilias, v. 3.
De homine Rege, Matth. 22. v. 1.
De ſervo fideli, Matth. 24. v. 45.
De ſemine, Matth. 4. v. 27.
Paracletus conſolatorem denotat, Joan. 14. v. 16.
Paradiſus locum voluptatis & amœnitatis denotat, Lucæ 23. v. 43.
Bono latroni à Chriſto promiſſus, quis? ibid.
Paraſceve quid ſignificet, Matth. 27. v. 62.
Parvulos benedicendi conſuetudo, Matth. 19. verſ. 13.
In quo imitandi, ibid. v. 14.
Parentes quomodo odio habendi? Lucæ. 14. v. 24.
Parentum erga Chriſtum reverentia & veneratio, Lucæ 2 v. 50.
Parvulis in quo debeamus eſſe ſimiles, Matth. 16. v. 3.
Paſcere quid importet. Joan. 21. v. 15.
Paſcha celebrandi ritus, Matth. 26. v. 17.
Vox Paſcha explicatur, Matth. 26. v. 1.
Paſcha primum poſt Chriſti baptiſmum & jejunium, Joan. 2. v. 13.
Paſcha ſecundum poſt Chriſti baptiſmum, Joan. 5. v. 1.
Paſcha tertium à baptiſmate Chriſti, Joan. 6. verſ. 4.
Paſcha quartum à baptiſmate Chriſti, Joan. 11. v. 55. & Joan. 13. v. 1.

Paſcha transitum, ſive tranſultum ſignificat, Joan. 13. v. 1.
Paſcha pro diebus Paſchalibus, qui erant ſeptem, Joan. 2. v. 23.
Paſchæ feſtum pro primo die azymorum, ibid.
Paſcha uſurpatur pro victimis tempore Paſchali offerendis, Joan. 18. v. 28.
Paſſionum Chriſti & noſtrarum diſcrimen, Matth. 26. v. 38.
Paſſionem ſuam cur prædixit ſæpiùs Chriſtus, Matth. 26. v. 1.
Paſſeres & abjectiſſimæ quæque res divina providentia reguntur, Matth 10. v. 29.
Paſſionem ſuam cur & quando palàm prædixit Chriſtus Apoſtolis, Matth. 16. v. 21.
Paſtoris veris indicia, Joan. 10. v. 3. 4. & 6.
Paſtoris Eccleſiæ ſemper aderit Chriſtus, Matth. 28. v. 20.
Pater & Spiritus ſanctus an cum Chriſto judicaturi, Joan. 5. v. 22.
Pater eſt major Chriſto, ut homine, non ut Deo, 14. v. 28.
Pater æternus docuit Filium, quatenus ſciens ſcientem genuit, Joan. 8. v. 28.
Pater multis modis glorificavit Chriſtum, ibid v. 54.
Pater cur vocetur Deus, Matth 6. v. 9.
Pater æternus principium Filij & Spiritus ſancti, Joan. 1. v. 1.
Pater noſter qualiter nominetur Deus, Matth. 23. v. 9.
Patientia Chriſti admirabilis, Matth. 26. v. 8.
Patientia Chriſti divinitatis argumentum, Matth. 27. v. 40.
Patientia commendatur, Matth. 5. v. 41.
Patrem & matrem pluſquam Chriſtum amans non eſt dignus nomine diſcipuli Chriſti, Matth. 10. v. 37.
Patres tam in lege naturæ quàm Moſaicæ per Chriſtum juſtificati anticipative, & ex limbo per eius deſcenſum liberati, Lucæ 1. verſ. 72.
Patria Chriſti triplex, Matth. 13. v. 54.
In ea pauca fecit miracula, v. 58.
Erat iis indigna, ibid.
Paulus Apoſtolus quâ ratione plus omnibus laboravit, Joan. 4. v. 38.
Pauperibus factum, reputat Deus ſibi factum, Matth. 25. v. 40.
Pauperibus promittit regnum, Matth. 11. v. 5.
Pauperibus opes diſtribuendæ, Matth. 19. v. 21.
Pauperes cur ſemper ad manum habebimus, Matth 26. v. 11.
Paupertas ſpiritus in quo conſiſtit, Matt. 5. v. 3.
Pax à Chriſto commendatur, Marci 9. v. 49.
Pax Chriſti & pax mundi qualiter differant? Joan. 14. v. 27.
Pax finis omnium deſideriorum, Matt 10 v. 12.
Pace dignus ſi quis ſit, illam recipiet; ſin minus, ea ad Apoſtolos redibit, Matth. 10. v. 13.
Pax mundi nequitia impunita, Matth. 10. v 34.
Pax ſumitur pro omni proſperitate mentis & corporis, Marc. 5. v. 34.
Peccantium in Chriſtum pœna in hoc ſæculo & futuro, Matth. 21. v. 44.
Peccatum dimittendum ſemper & quomodo, Matth. 18. v. 22.
Peccata creſcere in immenſum non ſinit Deus, Matth. 23. v. 32.
Ubi peccatum abundavit, ſuperabundavit gratia, Marci 16. v. 9
Pecatum antonomaſticè appellatur malum, Joan. 17. v. 15.
Peccare in cœlum, Lucæ 14. v. 14.
Peccata iterata propter ingratitudinem graviora, Joan. 5. v. 14.
Peccatrix pro meretrice, Lucæ 7. v. 37.
Pecuniam in loculis ferre prohibentur Apoſtoli, Matth. 10. v. 9
Pedes allegoricè ſignificant humanos affectus, Joan. 13. v. 10.
Pelagianorum error circa baptiſmi neceſſitatem, Joan. 3. v 5.
Pœnitentiam in Juda quid excitaverit primo, Matth. 26. v. 50
Pœnitentiam non agit qui indulgentiam non ſperat, Lucæ 24 v. 47.
Pœnitentia eſt plus quam nóva vita, Matth. 11. verſ. 21.
Pœnitentiam prædicat Joannes, Matth. 3. v. 8. ab ea incipit etiam Chriſtus, Matth 4. v. 17.
Pœnitentiæ Judæ quid defuerit, Matth. 27. v. 30.
Peregrini non ſolùm invitandi, ſed & cogendi ad hoſpitium, Lucæ 24. v. 29.
Peræa Hærodi ſubjecta, Lucæ 13. v. 31.
Perfectio Chriſtiana in quo conſiſtat, Matth. 19. v. 21.
Pericula vitanda, ubi charitas non poſtulat vitam profundi, Joan 7. v. 1.
Periurium vetitum, Matth. v. 33.
Perſeverantia ſola coronatur, Matth. 10. v. 22.
Perſeverantia commendatur, Matth. 24. v 13.
Perſonarum divinarum una ſine reliquis cognoſci nequit, Joan. 14. v. 7.
Petenti dandum, Matth 5. v. 42.
Petite & dabitur vobis quomodo intelligatur, Matth. 7. v. 7.
Petrus & Andreas vocantur, Matth. 4. v. 18.
Quare piſcatores hominum, v. 19.
Petrus cur nominatim exprimatur, Mat. 28. v. 7.
Ejus humilitas & timor, Lucæ 5. v. 8.
Cur primus Apoſtolorum dicatur, Mat 10. v. 2.
Collegii Apoſtoloſorum caput, Joan. 6 v. 69.
Ejus ætas, Joan. 21. v. 18.
Junior Andrea fratre ſuo, Joan. 1. v. 41.
Baptizatus à Chriſto, Joan. 3. v. 22.
Fit paſtor Eccleſiæ, Joan. 21. v. 15.
Ferventioris fidei quàm alli, Matth. 16. v. 16.
Item cap. 26. v. 33.

Alia ipſius encomia, ibid.
Ejus confeſſio quàm perfecta, ibid.
Myſterium iſtius nominis, v. 18.
Fundamentum ſecundarium totius Eccleſiæ, ibid.
Ejus primatus, v. 19.
Aſperiùs à Chriſto reprehenditur, Matth. 16. verſ. 23.
Cur voluerit fieri tria tabernacula, Matth. 17. v. 4.
Ejus triplex peccatum, Matth. 26. v. 33.
Fervor, v. 31.
Obedientia, v. 52. Audacia, v. 58.
Negat diſcipulatum Chriſti, & fidem Chriſtianam, v. 70.
Mendacio adjecit perjurium, v. 72.
Galli cantu admonetur pœnitentiæ, v. 75.
Ei è carcere Romano fugienti apparet Chriſtus, Joan. 21. v. 19.
Immeritò à Calvino reprehenditur, Matth. 14. v. 28.
Laudatur à SS. Patribus, ibid.
Ardor dilectionis ejus, ibid.
De quo dubitaverit, v. 31.
Phœnicia duplex, Matth. 15. v. 22.
Phares & Zaram cur ambo memorentur, Matth. 1. v. 3.
Phariſæi hypocritæ ex duplici titulo, Matth. 15. v. 7. Item. cap. 22. v. 10.
De iis benè prophetavit Iſaias, ibid.
Eorum opera contraria voluntati Dei, v. 8.
Tentat Chriſtum, Matth. 19. v. 3.
Phariſæi & Sadducæi ſectæ capitaliter inter ſe contrariæ, Matth. 16. v. 1.
Eorum doctrina cur fermento comparetur, ibid. v. 6.
Cum debuiſſent primi credere Joanni, ne quidem ſecuti ſunt exemplum publicanorum, & meretricis, Matth. 21. v. 32.
Phariſæi & Scribæ plerique fuerunt ſimul ex ordine Levitico, ac Sacerdotali, Matth. 23. v. 2.
Iis ferè incumbebat gubernare populum & magiſtratum gerere, ibid.
Phariſæi ne minimum conatum faciebant ad obſervanda præcepta legis, ibid.
Gloriam humanam ſemper aucupabantur, verſ. 5.
Phylacteriis amplioribus utebantur, quàm cæteri, ibid.
Affectabant prima loca in conviviis, v. 6.
Paratos credere in Chriſtum revocabant, verſ. 12.
Hypocritæ, v. 15. Cæci ſeu ignorantes, v. 16. Avari, v. 18.
Stulti, v. 17. Pleni fraudibus & injuſtitia, v. 25.
Calumniantur, Matt. 9. v. 34. cap. 12. v. 3. & 34.
Diſputando vexant diſcipulos Chriſti, Marci 9. v. 13.
Vanæ gloriæ cupidi, Joan. 5. v. 44.
Phariſæi Chriſtum imitantis multiplex ignorantia, Lucæ 7. v. 39.
Phariſæis pietatis larva detrahitur, Matth. 23. v. 1.
Graviſſimè perſtringuntur, ibid.
Interrogant non ut diſcant, ſed ut carpant, Matth. 12. v. 10.
Eorum adulatio, Matth. 22. v. 16.
Nequitia, v. 18.
Philippus ante alios Apoſtolos ad individuam ſequelam à Chriſto vocatus, Joan. 1. v. 43.
Phylacteria quid? Matth. 23. v. 5.
Piger ſervus quomodo puniendus, Matth. 25. verſ. 26.
Pilatus gubernator Judææ à Tiberio conſtitutus, Matth. 27. v. 2.
Ejus impietas & inſipientia taxatur, Joan. 19. v. 10.
Fuit Judææ Præſes per annos decem, Lucæ 3. v. 1.
Anno tertio præfecturæ ejus Chriſtus prædicare cœpit, ibid.
Suberat Præſidi Syriæ inſtar procuratoris, ibid.
Voluit Chriſtum abſolvere, Joan. 18. v. 38. cap. 19. v. 4. & 5.
Excuſabat Chriſtum de affectata Regis dignitate, Matth. 27. v. 12.
Aggravat ea, quæ objiciebantur, ut reſponſum & defenſionem eliceret, v. 13.
Mirantur vehementer manſuetudinem Chriſti, v. 14.
Conatur Chriſtum liberare, verſ. 17, 18. 19. 20. 26.
Idem conatur ejus uxor, v. 9.
In quo peccaverit, v. 22.
Populum facit teſtem innocentiæ, v. 23.
Non poteſt excuſari, v. 24.
Cur manus laverit, ibid.
Non tulit ſententiam mortis in Chriſtum, verſ. 26.
Piſcathores hominum feriari, & pœnitentiæ vacare ſubinde debent, Lucæ 5. v. 2.
Piſcina Probatica Jeroſolymitana, Joann. 5. v. 2.
Plauſus & fama ex beneficiis non quærenda, Marci 7. v. 36. cap. 8. v. 26.
Plenilunium erat moriente Chriſto, Matth. 27. v. 45.
Eo tempore naturaliter non poteſt fieri eclypſis Solis, ibid.
Plenitudinem ſpiritus habuit Chriſtus, Matth. 12. v. 18.
Plenitudo gratiæ Chriſti, Joan. 1. v. 14.
Porphyrius Chriſtum inconſtantiæ arguit, ſed perperam, Joan. 7. v. 8.
Porticus Salomonis, Joan. 10. v. 23.
Paraſceve quid? Joan. 19. v. 14. & 31.
Præcepta antiquæ Legis quatenus importabilia,

Matth. 23. v. 4.
Præcepta Dei quomodo facilia, Matth. 11. v. 30.
Præceptor plus importat quàm Doctor, Lucæ 17. v. 13.
Præceptorum aſperitas temperatur ſpe promiſſionis., Matth. 10. v. 40.
Præceptum de non conferendis perà, calceamentis,, quò pertineat, Matth. 10. v. 10.
Precibus nullus erit poſt judicium locus, Matth. 25. v. 10.
prædeſtinationis myſterium. Matth. 11. v. 21.
Prædeſtinationis certitudo. Joan. 6. v. 37.
Ea cognita debet eſſe cauſa diligentiæ, Matth. 24. v. 25.
Eſt gratuitum Dei bonum, ibid.
Prædicitur Petri martyrium. Joan. 21. v. 18.
Prædicabitur Evangelium in univerſo orbe, antequam finis mundi veniat, Matth. 24 v. 14.
Prædicatores Evangelii digni ſunt ſuſtentatione ſua, Matth. 10. v. 10.
Prælati Eccleſiæ qualiter præeſſe debeant, Matth. 10. v. 26.
Præſentia realis corporis Chriſti in Euchariſtia, Joan 6. v. 51.
Præſidibus tradentur Apoſtoli, Matth. 10. v. 18.
Præſumptio quid ſit, & unde oriatur, Matth. 4. v. 7.
Præſulum Eccleſiæ præcellens beatitudinis gradus, Matth. 24. v. 47.
Non debent abuti ſuâ poteſtate, v. 49.
Nec patrimonium Chriſti prodigere, ibid.
Eorum auctoritas, Matth. 18. v. 17. & 18.
Præteritum pro futuro propheticè uſurpatum, Luc. 1. v. 68. c. 2. v. 31.
Prætorium non intraverunt Judæi, Matth. 27. v. 11. Quid ſit, v. 27.
Ejus ingreſſus an manducaturis Paſcha prohibitus, Joan. 18. v. 28.
Pretium ſanguinis non poterit convertit in uſum templi, Matth. 27. v. 7.
Prima ſabbati cur vocetur dies Dominicus, Matth. 28. v. 1.
Primogenitus non reſpicit ſecundo-genitum, Lucæ 2. v. 7.
Primus locus pro honoratiori ſumitur, Lucæ 14. v. 8. 9. & 10.
Principes ſacerdotum ſuo facto arguit Judas, Matth 27. v. 4.
Principes ſacerdotum apparatu & pompâ ſuâ putabant Chriſtum terrere, Matth. 21. v. 23.
Eorum mendacium, v. 27. Auctoritas, v. 23.
Principes ſacerdotum qui, Matth. 2. v. 14.
Prodigia in Chriſti paſſione multa ſignificant, Matth. 29. v. 51. & 52.
Proditionem ſui cur prædixerit Chriſtus, Matth. 26. v. 21. Cur Prophetæ, v. 56.
Profectus quem faciunt homines, cur & unde diverſus, Matth. 13. v. 23.
Profectus hominis fit panlatim, Marc. 4. v. 28.
Proles in utero matris 276. diebus, id eſt, menſibus novem, & diebus, ſex, Lucæ 2. v. 6.
Promulgari non vult Chriſtus ab Apoſtolis ſublimem de ſua divinitate fidem, Matth. 16. verſ. 20. Nec transfigurationem, Matth. 17. v. 9.
Propheta cur ſinè honore in patria ſua, Lucæ 4. v. 24.
Prophetæ non tantùm futura, ſed & preſentia arcana vident, Joan. 4. v. 19.
Prophetæ omnes de Chriſto prophetaverunt, Lucæ 1. v. 70.
Prophetam non perire extra Hieruſalem quo ſenſu verum, Lucæ 13. v. 38.
Propheta pro doctore Evangelii, Matth. 10. v. 41.
Prophetia tribus modis impletur, Matth. 2. verſ. 15.
Propoſitio operatoria quid demonſtret, Matth. 26. v. 26.
Proverbium & parabola quomodo differant, Joan. 10. v. 6.
Proſelytus quis? Matth. 23. v. 15.
Providentia divina cur citiùs bello Judaico finem impoſuerit, Matth. 24. v. 22.
Proviſio rerum futurarum quatenus permiſſa, Matth. 6. v. 34.
Proximus quis dicendus, Lucæ 10. v. 36. & 37.
Pſalmos quinque legere ſolebant Judæi poſt comeſtum agnum Paſchalem, Matth. 26. verſ. 30.
Pſeudo-Evangeliſtæ ante Lucam conati ſunt Evangelium ſcribere, ſed non potuerunt complere, Lucæ 1 v. 1.
Pſeudo-Chriſti habebunt ſuos pſeudo-Prophetas, Matth. 24. v. 24.
Pſeudo-propbetarum, nomine comprehanduntur hæretici, ibid.
Edent pſeudo-miracula, ibid.
Pſeudo-paſtores non audiuntur ab ovibus, Joan. 10. v. 8.
Pubicani qui? Matth. 5. v. 46.
Publicani & meretrices præcedent Scribas & Phariſæos in regno cœlorum, Matth. 21. verſ. 31.
Publicanos & peccatores Chriſtus recipit, Lucæ 15. v. 1.
Publico latroni poſtponitur Chriſtus, Matth. 27. v. 21.
Publicos defectus publicè reprehendit Chriſtus, aliàs non, Marci 9. v. 28.
Pugilarium frequens uſus apud veteres, Lucæ 1. v. 63.
Pulmentarium quid? Joan. 21. v. 5.
Pulverem de pedibus cur excuterent Apoſtoli, ſi non recipiebatur Evangelium, Matth. 10. verſ. 14.
Purgationis lege non obligabatur Virgo Deipara, Lucæ 2. v. 22.
Purgatorium adſtruitur, Matth. 12 v. 32.
Purpura cultum externum deſignat, Luc. 16. v. 19.

Pusillus grex fidelium Christo pastori subditus, Lucæ 12. v. 32.
Puteus Jacob in latere montis Garisim, Joan. 4. v. 20.

Q

QUadrans idem quod teruncius, & quanti valeat, Marci 12. v. 42.
Quasi, dubitativè pro circiter, Lucæ 3. v. 23.
Quasi, non semper similitudinem, sed subinde proprietatem denotat, Joan. 1. v. 14.
Quarta viligia noctis quid, Matth. 14. v. 25.
Quatuor generibus beatorum, totidem genera miserorum, opponuntur, Luc. 6. v. 24. & seqq.
Sine quærela incedere, non excludit culpas veniales, Lucæ 1. v. 6.
Querimonia naturæ derelictæ, Matth. 27. v. 46.
Quæstionibus captiosis conantur pharisæi Christum tentare, Matth. 22. v. 15.
Quia, in Scripturis frequenter redundat, Lucæ 4. v. 21.
Quia, phrasi Hebraica quandoque redundat, Matth. 16. v. 7.
Quies Christi post labores, Matth. 24. v. 3.
Quinquaginta annos non habuit Christus, contra Irenæum, Joan. 8. v. 57.

R

Rabbi honoris, ac dignitatis nomen à scientia & virtute desumptum, Joann. 1. vers. 38.
Rabboni quid significet, Joan. 20. v. 16.
Racha quid? Matth. 5. v. 22.
Rachelis nomine intelligitur regio Bethleem, Matth. 2. v. 18.
Rama an nomen proprium, ibid.
Ramos de oleis & palmis cur cædunt Judæi, transeunte Christo, Matth. 21. v. 8.
Ratio reddenda etiam verbi otiosi, Matth. 12. vers. 30.
Rebus & verbis Christus docuit, Matth. 18. v. 2.
Redemptio captivitatem respicit, & soluto pretio peragitur, Lucæ 1. v. 68.
Regem se dicere Christus poterat in Romano imperio, sine læsâ Majestate, Matth. 27. v. 11.
Regem terrenum expectant Judæi, Matth. 22. vers. 42.
Regeneratio triplex, Matth. 19. v. 28.
Reges impii *vulpes* appellantur, Lucæ 13. vers. 33.
Regiâ auctoritate utitur Christus, Matth. 12. v. 12.
Regiam magnificentiam plebeiâ humilitate temperat Christus, Matth. 21. v. 3.
Quomodo fecerit ne ridicula videretur, ibid.
Regina Sabæ quanta, Matth. 12. v. 42.
Gessit typum Ecclesiæ gentium, ibid.
Regio Judæorum in vastitatem redigenda, Matth. 23. v. 38. Subtrahente Christo gratiam & protectionem, v. 39.
Regis titulum apud Judæos nulli licebat assumere absque Romanorum concessione, Joan. 19. v. 12.
Regnum cœlorum quomodo vim pati dicatur, Matth. 11. v. 12.
Regnum Dei quid? Matth. 3. v. 2. cap. 6. v. 10. cap. 13. v. 24. & 31.
Regnum Christi inchoatum, propagatum, completum, Lucæ 1. v. 33. & 34.
Regnum Christi quo sensu non fuerit de hoc mundo, Joan. 21. v. 36.
Regnum Dei statim manifestandum putabant Judæi, Matth 21. v. 9
Regnum Christi stabile, & super calumniam, est, Joan. 19. v. 22.
Regulus venit ad Christum pro sanitate filii, Joan. 4. v. 47. Reprehenditur ejus incredulitas, v. 48.
Reliquiarum cultus stabilitur, Matth. 14. v. 36. Marci 5 v. 33.
Repetitio nominis attentioni excitandæ servit, Lucæ 22. v. 31.
Repetitio constantiam denotat, Joan. 1. v. 20.
Reprehensio odium parit, Joan. 7. v. 7.
Reprobi significantur nomine *mundus*, Joan. 17. v. 9.
Repudii libellus cur permissus, Matth. 5. v. 31.
Ejus causæ, v. 32.
De repudio uxorum controversia, Matth. 19. vers. 3.
Est contra naturam & legem, v. 6.
permissum propter duritiam Judæorum, v. 8.
Reprobrorum condemnatio, Matth. 25. v. 41.
Reprobatio propter negligentiam utendi donis Dei, Matth. 25. v. 29.
Rerum similitudines difficulter à rebus discernuntur, Joan. 20. v. 29.
Reverentia Herodis in Joannem, Marci 6. vers. 20.
populi in Christum, Marci 9. v. 14.
Discipulorum Marci 10. v. 32.
Respondere, pro sermonem ordiri vel prosequi, Matth. 11. v. 25.
In resurrectione corpora integrè resumenda, Joan. 6. v. 39.
post resurrectione missi multi prophetæ ad prædicandum, Matth. 23. v. 34.
Multi doctores, ibid.
Resurrectionem imperare Dei est postulare hominum, Lucæ 7. v. 14.
Resurrectionis signum in Jona præfiguratum, Matth. 12. v. 49.
Resurrectio mortuorum moriente Christo, Matth. 17. v. 52.
Resurrectionis Christi futuræ fama, Matth 27. v. 63.
Eam conati sunt impedire vel obscurare Judæi, v. 64.

Ejus fidem quomodo adstivat Angelus, Matth. 28. v. 6.
Ejusdem illustre ab inimicis testimonium, vers. 11.
Resurrectionis fides erat apud Judæos, Marci 6. v. 14.
Circa resurrectionem error, Matth. 22. v. 29.
Eam cur quidam non crederent, Marci 16. vers. 13.
Retium refectio quid significet, Matth. 4. v. 21
Rete Apostolorum piscantium post Christi resurrectionem non scinditur multitudine piscium. Ejus rei allegoria, Joan. 21. v. 1.
Rex & regnum correlativa sunt, Joan. 18. v. 37.
Rex qualis fuerit Christus, Matth. 12. v. 17.
Cur se Regem vocet, Matth 25. v. 34.
Romani Consules, sub quibus natus est Christus, Lucæ 3. v. 23.
Romani Imperatores vocantur Cæsares, & Augusti: sicut apud Syros solent Principes appellari Antiochi: apud Persas Arsacidæ: apud Philistæos Abimelech: apud Ægyptios Phataones, & Ptolomæi, Lucæ 2. v. 1.
Romanus Pontifex succedit Petro in munere Pastorali, Joan. 21. v. 24.
Ejus in fide indefectibilitas. Lucæ 22. versu 32.

S

Sabbati rigidi observatores non fuerunt Pharisæi, Matth. 27. v. 62.
Sabbatinis diebus Christus potissimum miracula patrabat, Joan. 9. v. 14.
Sabbato licet homini cujusvis rationis beneficium præstare, Matth. 12. v. 12.
Sabbaton secundo primum, quid? ibid. v. 1.
Sabbaton significat quietem. ibid. v. 1.
Aliæ ejus significationes. ibid. Ejus dominus est Christus, v. 8.
Sabbato offerebantur & preparabantur sacrificia, Matth. 12. v 12.
Sabbato quæ opera fieri licitè poterant, Lucæ 13. v. 15. & 16.
Sabbato spicas vellere an licuerit, Lucæ 1. v. 2.
Sabbatum paschale vocatur magnus dies sabbati, Joan. 19. v. 31.
Sabbatum pro septimana, Luc. 18. v. 12.
Sabbatum violabant in templo sacerdotes, mactando animalia, ligna ferendo, Matth. 12. v. 5.
Sabellianorum hæresis refellitur, Joan. 14. v. 9. & Joan. 16. v. 15.
Sacerdotes honorare Christus exemplo suo docuit, Joan. 18. v. 23.
Sacerdoti cur se ostendere debuerit sanatus à lepra, Matth. 8. v. 4.
Sacerdotio an & quomodo fungi potuerint pater & filius, Marci 1. v. 26.
Sacramentarii refutantur, Matth. 26. v. 26.
Sacrificia Judaica merè carnalia, & typica, Joan. 4. v. 23.
Sacrificia in montibus offerri consueta & cur? ibid. v. 20.
Sacrificium novæ Legis in spiritu & veritate offertur, ibid. v. 23. & seqq.
Sacrificium novæ Legis instituitur, Lucæ 22. vers. 20.
Sacrificium novæ Legis stabilitur, Matth. 26. vers. 28.
Sadducæi cum corpore simul extinguebant animas, Matth. 22. v. 32.
Sadducæi tentant Christum, ibid. v. 23.
Oppugnant resurrectionem, ibid.
Salim seu Salem oppidum distinctum à Jerusalem, Joan. 3. v. 23.
Sal infatuatum ad nihil utile, Lucæ 14. v. 35.
Salis qualitates, Marci 9. v. 48. 49.
Sapientiæ symbolum, ibid.
Sal symbolum sapientiæ, Matth. 5. v. 13.
Salutare, pro salvatore, Lucæ 1. v. 47. item pro salute, Lucæ 2. v. 30.
Samaria inter Judæam & Galilæam media, Joan. 4. v. 4.
Samaria urbis & provinciæ nomen, ibid.
Samaritani erant Gentiles, Matth. 10. v. 5.
Samaritani origine Babylonii, Joan. 4. vers. 8. volebant videri Judæi, Joan. 4. v. 9.
Judæis ob duas potissimùm causas invisi, ibid.
Samaritanorum cum Judæis discordia, Lucæ 9. v. 53. & Lucæ 10. v. 33.
Sanctificare, pro immolare, Joan. 17. v. 19.
Sanctum non licet dare canibus, Matth. 7. v. 6.
Sanedrin concilium de novis Prophetis exorientibus judicabat, Joan. 4. v. 1.
Sanedrin quid, Matth. 10. v. 17.
Sanguinis profluvio laborans mulier, Marci 5. v. 25.
Fimbriam vestimenti cur tetigerit, v. 27.
Maxima ejus fides, v. 28.
Eam celari noluit Christus, v. 30. 32.
Sanitatem conferunt Apostoli, Marci 6. v. 13.
Sapientibus hujus mundi quomodo abscondita mysteria regni cœlorum, Matth. 11. v. 25.
Satanas quid? Matth. 4. v. 10.
Satanas juratus hominum adversarius, Matth. 12. v. 26.
Avidissimus conservandi sui regni, ibid.
Satum genus mensuræ, Matth. 13. v. 33.
Scandali vitandi causa pati oportet jactaram temporalium, Matth 17. v. 26.
Scandalizare quid? Matth. 18. v. 6.
Ejus mala, vers. 7.
Scandalizare in Christo quid, Matth. 11. v. 6.
Scandalizati in quo fuerint Apostoli, Matth. 26. v. 34.
Scenopegiæ festivitas durabat per septidium, Joan. 7. v. 2.
Scissio vestimentorum significabat doloris magnitudinem; Matth. 26. v. 65.
Verita summo sacerdoti, ibid.

Scribæ & Phariſæi compatantur pueris in foro, &c. Matth. 11. v. 16.
Eorum moroſitas, v. 17.
Scribæ & Phariſæi per omnia loca diſperſi habitabant, Matth. 15. v. 1.
Cùm non poſſent Chriſtum carpere, carpunt diſcipulos, ibid.
Cur acriùs tuerentur traditiones ſeniorum, quàm leges Dei, ibid.
Inter manducandum crebrò lavabant manus, v. 2.
Cæci erant & duces cæcorum, Matth. 15. verſ. 14.
Scribæ Judæorum qui & quales, Matth. 2. v. 4.
Scripturarum intelligentia eſt Spiritus ſancti donum, Lucæ 24. v. 45.
Sectæ tres apud Judæos, Matth. 3. v. 7.
Securis ad radicem, ibid. v. 10.
Securitas ſupina ſalutis ante judicium, Matth. 24. v. 37.
Etiam in medio maximorum malorum, v. 39
Sedere ad dextram quid, Matth. 22. v. 44.
Sedere Chriſto proximum, quid eſſet neſciebat mater filiorum Zebedæi, Matth. 20. v. 22.
Semipelagianorum error circa gratiæ neceſſitatem, Lucæ 12. v. 57.
Semitæ Domini quomodo rectæ fieri dicantur, Matth. 3. v. 3.
Sententia Dei numquam mutanda, Matth. 25. verſ. 46.
Separatio Chriſti à diſcipulis, Matth. 11. v. 1.
Separatio electorum à reprobis, Matth. 25. verſ. 31.
Sepelire patrem quid, Matth. 8. v. 21.
Septuaginta duo diſcipuli eliguntur, Lucæ 10. v. 1.
Eorum munus Apoſtolico inferius, ibid.
Dæmonia expellunt & morbos ſanant in nomine Chriſti, Lucæ 10. v. 17.
Sepulchra Judæorum è ſaxis exciſa plerumque erant ſuper terram, Matth. 23. v. 26.
Sepulchra Prophetarum & juſtorum cur magnificis ſtructuris ornarent Phariſæi, Matth. 23. v. 29.
Quid per hoc viderentur velle, v. 31.
Sepulchrum cur ad Angelo mulieribus apertum fuerit, Matth. 28. v. 2.
Eo clauſo & ſigillo inviolato inde exivit Chriſtus, ibid.
Sepultura apud Judæos extra urbem ad vitandas immunditias, Lucæ 7. v. 12.
Sequentium Chriſtum merces, Matth. 19. v. 28.
Sequi pro imitari, Matth. 10. v. 38.
Sereptanæ viduæ fides & charitas commendatur, Lucæ 4. v. 27.
Sermo Chriſto operatorius, Joan. 4. v. 50. & Joan. 11. v. 43.
Sermo divinus quàm efficax, Luc. 24. v. 32.
Sermo Domini in monte, Matth. 5. v. 1.
Serpens æneus in deſerto exaltatus figura Chriſti crucifixi, Joan. 3. v. 15.
Serpentina prudentia in Apoſtolis, Matth. 10. verſ. 16.
Serpentinæ prudentiæ eſt ſubtrahere ſe perſequentibus per fugam, Matth. 10. v. 22.
Servus piger privatur ſuo talento, Matth. 25. verſ. 28.
Seſſio tranquillitatem & auctoritatem Judicis ſignificat, Matth. 19. v. 28.
Severitas magna Dei in judicio, Matth. 25. v. 11.
Sexus fæmineus non eſt vitium, Matth. 22. verſ. 30.
Sexuum diverſitas erit in reſurrectione, Matth. 22. v. 30.
Sicera; quid ſit? Lucæ 1. v. 15.
Sichar olim dicta Sichem Metropolis aliquando Samariæ, Joan. 4. v. 5.
Sicut, non importat æqualitatem, ſed ſimilitudinem, Joan. 17. verſ. 11. & 21. & Joan. 20. v. 21.
Sicut, ſignificat ſimilitudinem non æqualitatem, Matth. 5. v. 48.
Non habet vim accuratæ ſimilitudinis, Matth. 6. v. 12.
Sidon primogenitus Chanaan, Matth. 15. v. 22.
Sigilla, quibus confirmanda eſt prædicatio Apoſtolorum, ſunt miracula, Matth. 10 v 8.
Sigillo publico obſignatum ſepulchrum Chriſti, Matth. 27. v. 66.
Sigillum, quo Deus ſignavit Chriſtum, quale? Joan. 6. v. 27.
Signa de cœlo quæ ſint, Matth. 12. v. 38.
Petuntur à Chriſto, ibid.
Signa præceſſura excidium Jeruſalem & totius mundi, Matth. 24. v. 5. 6. &c.
Signi crucis formatio à Chriſto inſtituta, Luc. 24. v. 50.
Signum & *Miraculum* in quo differant? Joan. 2. v. 11.
Signum inſtantis everſionis Jeruſalem, Matth. 24. v. 15.
Silentium diabolo vera dicenti cur imponat Chriſtus, Marc. 1. v. 25.
Siloë fons ad radices montis Sion, Joann. 9. verſ. 7.
Siloë interpretatur miſſus, ibid.
Simeon non fuit Sacerdos, ſed Laicus, Lucæ 2. v. 25.
Simon Cananæus unde ſic dictus, Matth. 10. v. 4. cur zelotes, ibid.
Simon Phariſæus an à leproſo diverſus, Lucæ 7. v. 36.
Simplicitas columbina in Apoſtolis, Matth. 10. v. 16.
Sindon, quid ſit? Matth. 27. v. 59.
Sinus Abrahæ, ſive limbus Patrum, Lucæ 16. v. 22.

Signus Patris quid ? Joan. 1. v. 18.
Sion mons prope Jeroſolymam, Matth. 21. v. 5.
Sitis Chriſti morientis vera fuit & naturalis, Joan. 19. v. 28.
Situs corporis in comedendo apud veteres, Matth. 26. v. 20.
Sodoma exemplum celebratiſſimum ſcelerum & ſuppliciorum, Matth. 11. v. 23.
Solemnitates tres, quibus omne maſculinum apparere debebat coram Domino quotannis, Lucæ 2. v. 41.
Soli ſummi Sacerdotes poterant concilia congregare, Joan. 11. v. 47.
Solitudinem amat oratio, Matth. 14. v. 23.
Solitudo quærenda ad deflenda peccata, Matth. 26. v. 75.
Sollicitudo nimia vetatur circa vitam, victum & veſtitum, Matth. 6. v. 25. 26. &c.
Sol, luna, ſtellæ, myſticè explicatæ, Matth. 24. verſ. 29.
Sol retraxit radios patiente Chriſto, Matth. 27. verſ. 45.
Solus cur voluerit eſſe Chriſtus, Matth. 14. v. 22.
Somnus qualis & à quo immiſſus uxori Pilati, Matth. 27. v. 19.
Soror pro affine uſurpatur, Joan. 29. v. 15.
Sors an ſuper omnia Chriſti veſtimenta à militibus miſſa, Joan. 19. v. 24.
Spelunca Bethleemitica, Lucæ 2. v. 7.
Speculatores qui & unde dicti, Marci 6. v. 27.
Spinea corona juxta Chriſti tempora, Matth. 27. v. 29.
Spiritualia dona vendi non poſſunt, Matth. 10. verſ. 8.
Spiritui ſancto appropriantur amor & favor, Joan. 14. v. 16.
Spiritui ſancto cur attribuatur conceptus Mariæ, Matth. 1. v. 18.
Cur in ſpecie columbæ, Matth. 3. v. 16.
Spiritus blaſphemia quid ſit, Matth. 12. v. 31.
Spiritus ſanctus acceſſus & receſſus hominibus occultus, Joan. 3. v. 8.
Spiritus-ſanctus ante Chriſti glorificationem quomodo non datus, Joan. 7. v. 39.
Spiritus-ſanctus appellatur donum & aqua viva, & cur, Joan. 4. v. 10. & 12.
Spiritus-ſanctus Chriſto ſive menſura, reliquis per menſuram datus, Joan. 3. v. 34.
Spiritus-ſanctus cur Spiritus veritatis dicatur, Joan. 14. v. 17. & Joan. 16. v. 13.
Spiritus-ſanctus eſt flatus, Patris & Filii, Joan. 20. v. 22.
Spiritus ſanctus non eſt factus, Joan. 1. v. 3. à Filio procedit, Joan. 15. v. 26. & Joan. 16. v. 13. 14.
Spiritus-ſanctus quomodo docuit Apoſtolos omnem veritatem, Joan. 16. v. 13.
Ei adſcribuntur ea quæ Apoſtoli ipſo inſpirante ante patrarunt, Joan. 16. v. 14.
Spongia ſiſti ſanguinem, Joan. 19. v. 29.
Sponſo juvenes, Sponſæ virgines honoris cauſa addebantur, Matth. 25. v. 1.
Sportæ capaciores cophinis, Matth. 15. v. 32. unde tot in deſerto, ibid.
Spuere in faciem alicujus contumelia graviſſima, Matth. 26. v. 6.
Stadium continet 125. paſſus, id eſt octavam partem miliaris, Lucæ 24. v. 13.
Stare cum Chriſto, quid ? Matth. 12. v. 24.
Stare idem quod *Siclus*, Matth. 17. v. 26.
Stella magorum, Matth. 2. v. 2.
Non apparuit eis per totum iter, ibid. v. 9.
Non fuit vera ſtella, ibid.
Sterilitas apud Judæos probroſa, Lucæ 1. v. 25.
Stola prima, pro toga priſtina, Lucæ 15. v. 22.
Sudor Chriſti ſanguineus an naturalis, Lucæ 22. v. 44.
Sugillare, pro obloqui aut infamare, Luc. 18. v. 5.
Sumptionis Euchariſtiæ utilitates variæ, Joan. 6. v. 64.
Superbè aliquid ſibi tribuens à Deo deprimetur, Matth. 23. v. 12.
Superbiâ & aſperitate nihil inquietius, Matth. 11. v. 29.
Superbia debet cæcitate & peccatis inde conſequentibus frangi, Matth. 13. v. 13.
Superbia impedit rerum divinarum intelligentiam, Joan. 3. v. 10.
Superbia ſingularitatem appetit, Lucæ 18. v. 9.
Superſtitiosè minima obſervabant Phariſæi & ſine conſcientiæ remorſu graviſſima præteribant, Matth. 23. v. 24.
Supra, pro juſta, Joan. 4. v. 6.
Suſpenſos voluit Chriſtus eſſe omnes de die judicii, Matth. 24. v 33.
Suſtentatio qualiter debeatur Evangelii miniſtri, Matth. 10. v. 10.
Sycomorus ſpecies ſici moro ſimilis, Luc. 19. v. 4.
Symbola minimæ & maximæ rei apud Judæos, Matth. 23. v. 24.
Synagogæ cura Michaeli & Gabrieli demandata, Lucæ 13. v. 7.
Synedrion ex quibus conſtiterit, Matth. 26. v. 3.
Syriaco ſermone locutus Chriſtus, Matth. 18. v. 6.

T.

TAlentum quid, Matth. 18. v. 24.
Tau denotat ſignum crucis, Lucæ 24. v. 50.
Tauri & altilia quid notent, Matth. 22. v. 4.
Telonium quid ? Matth. 9. v. 9.
Tempeſtas à Chriſto ſedata tropologicè & allegoricè expoſita, Matth. 8. v. 27.
Templi atrium triplex, Matth. 21. v. 12.
In templo quæ venderentur, ibid.
Templi & Synagogæ diſtinctio, Matth. 4. v. 24.
Templi eximia pulchritudo ejuſque deſcriptio, Matth. 24 v. 21.
Ejus ſtructura penitus deſtructa, v. 2.
Templi Jeroſolymitani ſanctitas & veneratio etiam apud gentes, Joan. 12. v. 20.
Templi immanis profanatio, Matth. 24. v. 2.

possedit, Marci 9. v. 24.
Lucas Evangelista patriâ Antiochenus, arte medicus & pictor egregius, pinxit Christum, Mariam, & Petrum, Lucæ Præfat. An fuerit ex 72. Christi discipulis, ibid.
Ubi, & quo idiomate scripsit Evangelium, ibid.
Quando, & qua occasione scripsit, ibid.
Cur ejus Evangelium Paulus sibi appropriat, ibid.
Quibus Gentibus Christum annuntiaverit, ibid.
Suam diligentiam in conscribendo Evangelium commendat, & pseudo-evangelistarum negligentiam taxat, Lucæ 1. v. 2.
Luciferi splendor exoriente Sole minuitur, Joan. 3. v. 30.
Luctui tibicines adhibebant antiqui, Matth. 9. v. 23.
Ludibriis mordacissimis impetitur Christus, Matth. 26. v. 67. & 68. Item cap. 27. v. 39.
Lumbi præcingendi, & lucernæ accendendæ, Lucæ 12. v. 35.
Lugentes consolabuntur, Matth. 5. v. 5.
Lunaticus quis dicatur, Marci 9. v. 17.
Lupi in vestimentis ovium sunt hæretici, mat. 7. v. 15.
Lupis comparantur persecutores Apostolorum, Matth. 10. v. 16.
Lux vera quid? Joan. 1. v. 9.
Lysanias non fuit Herodis filius, Lucæ 3. v. 1.

M.

Magnificare pro magnum prædicare, Lucæ 17. v. 15.
Magdalenæ pœnitentia, Lucæ 7. v. 38.
Fides & dilectio, ibid. v. 47. & 50.
Magdalum castellum Galilææ juxta mare Tiberiadis, Lucæ 8. v. 1.
Magi qui unde & quando venerint, Matth. 2. v. 1. invenerunt Christum in stabulo, v. 11.
Magicam artem in Christo convincere tentant falsi testes, Matth. 26. v. 61.
Magistratus Ecclesiasticus & civilis curavit apprehendi Christum, Matth. 26. v. 47
Magister qualiter, quis sit & vocetur, Matth. 23. v. 8.
Magistros probos vix imitamur, improbos etiam improbitate superamus, Matth. 23. v. 15
Majorum facta tribuuntur filiis, Matthæi 23. v. 35.
Majorum peccata quando & quàm justè puniantur in filiis, Matth. 23. v. 35.
Maledictio parentum super filios, miros effectus habet, Matth. 27. v. 25.
Maldonatus refellitur, Matth. 12. v. 1.
Maledictum quid sit? Joan. 9. v. 28.
Per *Malum* antonomasticè intelligitur Diabolus, Matth. 13. v. 19.
Mammona iniquitatis pro divitiis injustis; Lucæ 16. v. 9.
Mammona quid? Matth. 6. vers. 24.
Mandata Dei transgredi gravius est quàm traditiones Pharisaicas, Matth. 15. v. 3.
Mandata hominum qualia improbet Christus; Matth. 15. v. 9.
Mandata 2. tabulæ cur sola adolescenti proponit, Matth. 19. v. 16.
Mandatum maximum dilectio, Matth. 22. v. 37.
De dilectione proximi in quo simili priori, Matth. 22. v. 36.
Cur mandatum non sit homini, ut se diligat, ibid.
Mandata præpositorum observanda, Matth. 28. v. 20.
Mandatum moriendi Christo datum, & ab eo liberè acceptatum, Joan. 10. v. 18.
Manducatio spiritualis Sacramentali præmittenda, Joan. 6. v. 51. & 55.
Manducatio vera absque vera nutritione, Lucæ 24. v. 43.
Manichæorum & Platonicorum error refellitur, Joan. 1. v. 1.
Manere in Christo, quid? Joan. 15. v. 5. & seqq.
Manna in deserto datum Judæis à Deo, Joan 6. v. 31.
Cur vocetur panis de cœlo, Joan. 6. v. 32.
Mansiones variæ tam in cœlo quàm in inferno, Lucæ 16. v. 23.
Mansuetudo Christi, Matth. 26. v. 49.
Mansuetus Christus, Matth. 21. vers. 5. ejus signum, ibid.
Manus, pro potestate, Joan. 10. v. 28.
Manum mittere ad aratrum, Lucæ 9. v. 62.
Manipulus spicarum offerri solitus secundo die azymorum, hoc est in festo Paschatis, Matth. 12. v. 1.
Manum emortuam Christus sanat, Matth. 12. v. 10.
Manus Domini, pro potestate, Lucæ 1. v. 66.
Manuum elevatione benedicentibus familiaris, Lucæ 24. v. 50.
Marcus Evangelista quis fuerit, in Præfat pag. 407.
Probabilius est fuisse discipulum Petri, pag. 408.
Scripsit Græcè, pag. 409.
Mare Mediterraneum ab occasu Judææ, Lucæ 12. v. 54.
Mare quomodo cesserit vestigiis Christi, Matth. 14. v. 25.
Maria antonomasticè Virgo, Lucæ 1. v. 27.
Maria quid significet, ibid.
Cur dicatur desponsata Joseph, cùm fuerit nupta? ibid. & Lucæ 2. v. 5.
Quo sensu Dominus erat cum ea? Luc. 1. v. 28.
An & quando virginitatem perpetuam voverit? Lucæ 1. v. 34.
An interfuerit partui Elizabethæ? Luc. 1. v. 56.

Mariæ prudentia, modeſtia, & taciturnitas, Lucæ 2. v. 19. & 51.
Mariæ Virginis conſtantia, compaſſio, & amor, Joan. 19. v. 25.
Maria Cleophæ unde ſit dicta, ibid.
Maria Magdalena adſtat cruci, ibid.
Mariæ Virginis majores cur non apertè recenſeantur in genealogia Chriſti, Matth. 1. v. 16.
Maria & Joſeph ex eadem familia, ibid.
Cur deſponſata fuerit, v. 18.
Cur eam Joſeph dimittere voluerit, v. 19.
Magis beata, quia mente quàm quia carne Chriſtum tulit, Matth. 12. v. 49.
Maria Magdalena ſoror Lazari & Marthæ, Matth. 26. v. 7.
Ejus opes & effectus, v. 9.
Humanitas, fides, charitas, v. 10.
Ejus cum Chriſto familiaritas, v. 12.
Pietas in Chriſtum, Matth. 27. v. 56.
Dux cæterarum piarum mulierum, Matth. 27. v. 1.
Martyrem Chriſti facit non pœna, ſed cauſa, Matth. 10. v. 39.
Martyrium, ſicuti bellum, dulce inexpertis, Matth. 20. v. 22.
Matthæus ſcripſit Hebraicè in Præfat. Matth.
Ante omnes alios, ibid.
Poſtponit ſe Thomæ, Matth. 10. v. 3.
Matthæi vocatio, Matth. 9. v. 9.
Martha ſenior Mariâ Magdalenâ & Lazaro, Luc. 10. v. 38.
Maxilla altera quomodo præbenda percutienti unam, Joan. 18. v. 23.
Maxillam dextram percutienti quomodo præbenda & altera, Matth. 5. v. 4.
Medio comparatur Chriſtus, Matth. 9. v. 12.
Medium ſeu intimum terræ cur appelletur cor terræ, inferiora terræ, Matth. 12. v. 40.
Medico credere eſt ejus præcepta ſequi, Matth. 21. v. 32.
Memoria judicii à Chriſto commendata, Matth. 24. v. 42.
Merita Chriſti non obſcurantur noſtris meritis, Joan. 16. v. 27.
Mercenarius quis dicendus, Joan. 10. v. 12.
Sine meritis præparatur, ſed non datur regnum cœlorum, Lucæ 12. v. 33.
Menſibus lunaribus utebantur Hebræi, Matth. 26. v. 17.
Mendacium loquitur, qui voluntate fallendi, contra mentem loquitur, Joan. 8. v 44.
Mendax & Mentiens quomodo differant, Joan. 8. v 44.
Menſura bona, conferta, coagitata, ſuperefſluens exponitur, Lucæ 6. v. 38.
Meſſis apud Judæos circa menſem Maium, Joan. 4. v. 35.
Meſſis multa populi Judaici, Matth. 9. verſ. 37.
Metreta menſura æqualis batho in liquidis, vel ephi in aridis, Joan. 2. v. 6.
Æquivalet amphoræ Romanæ, ibid.
Metempſychoſis, Marci 6. v. 14.
Militum circa Chriſtum petulantia, Matth. 27 v. 27. ſævitia, 29.
Milltum crucifigentium Chriſtum numerus, Joan. 39. v. 23.
Milites inſtruuntur ſalutariter, Lucæ 3. v. 13. & 14.
Mina, ſeu mna quot drachmas quoque ſiclos continet? Lucæ 19. v. 13.
Miraculoſa piſcium captura, Joan. 21. verſ. 7. & ſeqq.
Ejus allegorica expoſitio, Joan. 21. v. 11.
Miraculorum Chriſti multitudo & excellentia, Joan. 15. v. 24.
Miraculorum examinatores, de ægritudinis veritate inquirunt, Joan. 9. v. 19.
Miraculo falſum approbare non poteſt Deus, Joan. 5. v. 36.
Miracula ſine neceſſitate non operatur Deus, Matth. 15. v. 32.
Miracula figilla veritatis, Marci 16. v. 17.
Cur non ſemper fiant, ibid. Apoſtolorum miracula non terrifica, ſed benefica, v. 18.
Miraculum vana eſt fiducia, ſi fidei non adſit vita proba, Matth. 7. v. 22.
Miraculis confirmat Chriſtus ſuam doctrinam, Matth. 8. v. 1.
Miracula reſuſcitatæ filiæ archiſynagogi, ſanatæ hemorroiſſæ, cæcorum & muti expoſita allegoricè & tropologicè, Matth. 9. verſ. 22.
Sanatorum cæcorum, Matth. 20, v. 31.
Miraculorum virtutem dat Chriſtus Apoſtolis, Matth. 10. v. 1.
Miracula Apoſtolorum ſunt magis benefica quàm terribilia Matth. 10. v. 8.
Miratur Chriſtus, Matth. 8. v. 10.
Miſericordia præfertur omni extremo Dei cultui, Matth. 12. v. 7.
Miſeretur Chriſtus populi Judaici, Matth. 9. verſ. 36.
Miſericordiam volo non ſacrificium, Matth. 9. v. 13.
Miſeratio Dei ſumma erga peccatores, Matth. 18. v. 27.
Miſſio paſtorum Eccleſiæ quænam legitima, Joan. 10. v. 7.
Miſericordiæ operibus cur ſpecialiter ſalus tribuatur, Matth. 25. v. 31.
Miſeriæ humanæ condolet Chriſtus, Marci 7. v. 34.
Miſſio in divinis ſupponit proceſſionem, Joan. 15. v. 26.
Mites qui poſſidebunt terram futuræ vitæ, Matth. 5. v 4.
Modus quos Deus fideles ſuos probat, Matth. 14. v. 27.
Modeſtia Chriſti in voce & moribus, Matthæus 12. v. 19.

possedit, Marci 9. v. 24.

Lucas Evangelista patriâ Antiochenus, arte medicus & pictor egregius, pinxit Christum, Mariam, & Petrum, Lucæ Præfat. An fuerit ex 72. Christi discipulis, ibid.

Ubi, & quo idiomate scripsit Evangelium, ibid.

Quando, & qua occasione scripsit, ibid.

Cur ejus Evangelium Paulus sibi appropriat, ibid.

Quibus Gentibus Christum annuntiaverit, ibid.

Suam diligentiam in conscribendo Evangelium commendat, & pseudo-evangelistarum negligentiam taxat, Lucæ 1. v. 2.

Luciferi splendor exoriente Sole minuitur, Joan. 3. v. 30.

Luctui tibicines adhibebant antiqui, Matth. 9. v. 23.

Ludibriis mordacissimis impetitur Christus, Matth. 26. v. 67. & 68. Item cap. 27. v. 39.

Lumbi præcingendi, & lucernæ accendendæ, Lucæ 12. v. 35.

Lugentes consolabuntur, Matth. 5. v. 5.

Lunaticus quis dicatur, Marci 9. v. 17.

Lupi in vestimentis ovium sunt hæretici, Mat. 7. v. 15.

Lupis comparantur persecutores Apostolorum, Matth. 10. v. 16.

Lux vera quid? Joan. 1. v. 9.

Lysanias non fuit Herodis filius, Lucæ 3. v. 1.

M.

Magnificare pro magnum prædicare, Lucæ 17. v. 15.

Magdalenæ pœnitentia, Lucæ 7. v. 38.

Fides & dilectio, ibid. v. 47. & 50.

Magdalum castellum Galilææ juxta mare Tiberiadis, Lucæ 8. v. 1.

Magi qui unde & quando venerint, Matth. 2. v. 1. invenerunt Christum in stabulo, v. 11.

Magicam artem in Christo convincere tentant falsi testes, Matth. 26. v. 61.

Magistratus Ecclesiasticus & civilis curavit apprehendi Christum, Matth. 26. v. 47

Magister qualiter, quis sit & vocetur, Matth. 23. v. 8.

Magistros probos vix imitamur, improbos etiam improbitate superamus, Matth. 23. v. 15

Majorum facta tribuuntur filiis, Matthæi 23. v. 35.

Majorum peccata quando & quàm justè puniantur in filiis, Matth. 23. v. 35.

Maledictio parentum super filios, miros effectus habet, Matth. 27. v. 25.

Maldonatus refellitur, Matth. 12. v. 1.

Maledictum quid sit? Joan. 9. v. 28.

Per *Malum* antonomasticè intelligitur Diabolus, Matth. 13. v. 19.

Mammona iniquitatis pro divitiis injustis; Lucæ 16. v. 9.

Mammona quid? Matth. 6. vers. 24.

Mandata Dei transgredi gravius est quàm traditiones Pharisaicas, Matth. 15. v. 3.

Mandata hominum qualia improbet Christus, Matth. 15. v. 9.

Mandata 2. tabulæ cur sola adolescenti proponit, Matth. 19. v. 16.

Mandatum maximum dilectio, Matth. 22. v. 37.

De dilectione proximi in quo simili priori, Matth. 22. v. 36.

Cur mandatum non sit homini, ut se diligat, ibid.

Mandata præpositorum observanda, Matth. 28. v. 20.

Mandatum moriendi Christo datum, & ab eo liberè acceptatum, Joan. 10. v. 18.

Manducatio spiritualis Sacramentali præmittenda, Joan. 6. v. 51. & 55.

Manducatio vera absque vera nutritione, Lucæ 24. v. 43.

Manichæorum & Platonicorum error refellitur, Joan. 1. v. 1.

Manere in Christo, quid? Joan. 15. v. 5. & seqq.

Manna in deserto datum Judæis à Deo, Joan. 6. v. 31.

Cur vocetur panis de cœlo, Joan. 6. v. 32.

Mansiones variæ tam in cœlo quàm in inferno, Lucæ 16. v. 23.

Mansuetudo Christi, Matth. 26. v. 49.

Mansuetus Christus, Matth. 21. vers. 5. ejus signum, ibid.

Manus, pro potestate, Joan. 10. v. 28.

Manum mittere ad aratrum, Lucæ 9. v. 62.

Manipulus spicarum offerri solitus secundo die azymorum, hoc est in festo Paschatis, Matth. 12. v. 1.

Manum emortuam Christus sanat, Matth. 12. v. 10.

Manus Domini, pro potestate, Lucæ 1. v. 66.

Manuum elevatione benedicentibus familiaris, Lucæ 24. v. 50.

Marcus Evangelista quis fuerit, in Præfat pag. 407.

Probabilius est fuisse discipulum Petri, pag. 408.

Scripsit Græcè, pag. 409.

Mare Mediterraneum ab occasu Judææ, Lucæ 12. v. 54.

Mare quomodo cesserit vestigiis Christi, Matth. 14. v. 25.

Maria antonomasticè Virgo, Lucæ 1. v. 27.

Maria quid significet, ibid.

Cur dicatur desponsata Josepho, cùm fuerit nupta? ibid. & Lucæ 2. v. 5.

Quo sensu Dominus erat cum ea? Luc. 1. v. 28.

An & quando virginitatem perpetuam voverit? Lucæ 1. v. 34.

An interfuerit partui Elizabethæ? Luc. 1. v. 56.

Mariæ prudentia, modeſtia, & taciturnitas, Lucæ 2. v. 19. & 51.
Mariæ Virginis conſtantia, compaſſio, & amor, Joan. 19. v. 25.
Maria Cleophæ unde ſit dicta, ibid.
Maria Magdalena adſtat cruci, ibid.
Mariæ Virginis majores cur non apertè recenſeantur in genealogia Chriſti, Matth. 1. v. 16.
Maria & Joſeph ex eadem familia, ibid.
Cur deſponſata fuerit, v. 18.
Cur eam Joſeph dimittere voluerit, v. 19.
Magis beata, quia mente quàm quia carne Chriſtum tulit, Matth. 12. v. 49.
Maria Magdalena ſoror Lazari & Marthæ, Matth. 26. v. 7.
Ejus opes & effectus, v. 9.
Humanitas, fides, charitas, v. 10.
Ejus cum Chriſto familiaritas, v. 12.
Pietas in Chriſtum, Matth. 27. v. 56.
Dux cæterarum piarum mulierum, Matth. 27. v. 1.
Martyrem Chriſti facit non pœna, ſed cauſa, Matth. 10. v. 39.
Martyrium, ſicuti bellum, dulce inexpertis, Matth. 20. v. 22.
Matthæus ſcripſit Hebraicè in Præfat. Matth.
Ante omnes alios, ibid.
Poſtponit ſe Thomæ, Matth. 10. v. 3.
Matthæi vocatio, Matth. 9. v. 9.
Martha ſenior Mariâ Magdalenâ & Lazaro, Luc. 10. v. 38.
Maxilla altera quomodo præbenda percutienti unam, Joan. 18. v. 23.
Maxillam dextram percutienti quomodo præbenda & altera, Matth. 5. v. 4.
Medio comparatur Chriſtus, Matth. 9. v. 12.
Medium ſeu intimum terræ cur appelletur cor terræ, inferiora terræ, Matth. 12. v. 40.
Medico credere eſt ejus præcepta ſequi, Matth. 21. v. 32.
Memoria judicii à Chriſto commendata, Matth. 24. v. 42.
Merita Chriſti non obſcurantur noſtris meritis, Joan. 16. v. 27.
Mercenarius quis dicendus, Joan. 10. v. 12.
Sine meritis præparatur, ſed non datur regnum cœlorum, Lucæ 12. v. 33.
Menſibus lunaribus utebantur Hebræi, Matth. 26. v. 17.
Mendacium loquitur, qui voluntate fallendi, contra mentem loquitur, Joan. 8. v 44.
Mendax & Mentiens quomodo differant, Joan. 8. v 44.
Menſura bona, conferta, coagitata, ſuperefſluens exponitur, Lucæ 6. v. 38.
Meſſis apud Judæos circa menſem Maium, Joan. 4. v. 35.
Meſſis multa populi Judaici, Matth. 9. verſ. 37.
Metreta menſura æqualis batho in liquidis, vel ephi in aridis, Joan. 2. v. 6.
Æquivalet amphoræ Romanæ, ibid.
Metempſychoſis, Marci 6. v. 14.
Militum circa Chriſtum petulantia, Matth. 27 v. 27. ſævitia, 29.
Milltum crucifigentium Chriſtum numerus, Joan. 39. v. 23.
Milites inſtruuntur ſalutariter, Lucæ 3. v. 13. & 14.
Mina, ſeu mna quot drachmas quoque ſiclos continet? Lucæ 19. v. 13.
Miraculoſa piſcium captura, Joan. 21. verſ. 7. & ſeqq.
Ejus allegorica expoſitio, Joan. 21. v. 11.
Miraculorum Chriſti multitudo & excellentia, Joan. 15. v. 24.
Miraculorum examinatores, de ægritudinis veritate inquirunt, Joan. 9. v. 19.
Miraculo falſum approbare non poteſt Deus, Joan. 5. v. 36.
Miracula ſine neceſſitate non operatur Deus, Matth. 15. v. 32.
Miracula figilla veritatis, Marci 16. v. 17.
Cur non ſemper fiant, ibid. Apoſtolorum miracula non terrifica, ſed benefica, v. 18.
Miraculum vana eſt fiducia, ſi fidei non adſit vita proba, Matth. 7. v. 22.
Miraculis confirmat Chriſtus ſuam doctrinam, Matth. 8. v. 1.
Miracula reſuſcitatæ filiæ archiſynagogi, ſanetæ hemorroiſſæ, cæcorum & muti expoſita allegoricè & tropologicè, Matth. 9. verſ. 22.
Sanatorum cæcorum, Matth. 20, v. 31.
Miraculorum virtutem dat Chriſtus Apoſtolis, Matth. 10. v. 1.
Miracula Apoſtolorum ſunt magis benefica quàm terribilia Matth. 10. v. 8.
Miratur Chriſtus, Matth. 8. v. 10.
Miſericordia præfertur omni extremo Dei cultui, Matth. 12. v. 7.
Miſeretur Chriſtus populi Judaici, Matth. 9. verſ. 36.
Miſericordiam volo non ſacrificium, Matth. 9. v. 13.
Miſeratio Dei ſumma erga peccatores, Matth. 18. v. 27.
Miſſio paſtorum Eccleſiæ quænam legitima, Joan. 10. v. 7.
Miſericordiæ operibus cur ſpecialiter ſalus tribuatur, Matth. 25. v. 31.
Miſeriæ humanæ condolet Chriſtus, Marci 7. v. 34.
Miſſio in divinis ſupponit proceſſionem, Joan. 15. v. 26.
Mites qui poſſidebunt terram futuræ vitæ, Matth. 5. v 4.
Modus quos Deus fideles ſuos probat, Matth. 14. v. 27.
Modeſtia Chriſti in voce & moribus, Matthæus 12. v. 19.

poſſedit, Marci 9. v. 24.
Lucas Evangeliſta patriâ Antiochenus, arte medicus & pictor egregius, pinxit Chriſtum, Mariam, & Petrum, Lucæ Præfat. An fuerit ex 72. Chriſti diſcipulis, ibid.
Ubi, & quo idiomate ſcripſit Evangelium, ibid.
Quando, & qua occaſione ſcripſit, ibid.
Cur ejus Evangelium Paulus ſibi appropriat, ibid.
Quibus Gentibus Chriſtum annuntiaverit, ibid.
Suam diligentiam in conſcribendo Evangelium commendat, & pſeudo-evangeliſtarum negligentiam taxat, Lucæ 1. v. 2.
Luciferi ſplendor exoriente Sole minuitur, Joan. 3. v. 30.
Luctui tibicines adhibebant antiqui, Matth. 9. v. 23.
Ludibriis mordaciſſimis impetitur Chriſtus, Matth. 26. v. 67. & 68. Item cap. 27. v. 39.
Lumbi præcingendi, & lucernæ accendendæ, Lucæ 12. v. 35.
Lugentes conſolabuntur, Matth. 5. v. 5.
Lunaticus quis dicatur, Marci 9. v. 17.
Lupi in veſtimentis ovium ſunt hæretici, Mat. 7. v. 15.
Lupis comparantur perſecutores Apoſtolorum, Matth. 10. v. 16.
Lux vera quid? Joan. 1. v. 9.
Lyſanias non fuit Herodis filius, Lucæ 3. v. 1.

M.

Magnificare pro magnum prædicare, Lucæ 17. v. 15.
Magdalenæ pœnitentia, Lucæ 7. v. 38.
Fides & dilectio, ibid. v. 47. & 50.
Magdalum caſtellum Galilææ juxta mare Tiberiadis, Lucæ 8. v. 1.
Magi qui unde & quando venerint, Matth. 2. v. 1. invenerunt Chriſtum in ſtabulo, v. 11.
Magicam artem in Chriſto convincere tentant falſi teſtes, Matth. 26. v. 61.
Magiſtratus Eccleſiaſticus & civilis curavit apprehendi Chriſtum, Matth. 26. v. 47
Magiſter qualiter, quis ſit & vocetur, Matth. 23. v. 8.
Magiſtros probos vix imitamur, improbos etiam improbitate ſuperamus, Matth. 23. v. 15
Majorum facta tribuuntur filiis, Matthæi 23. v. 35.
Majorum peccata quando & quàm juſtè puniantur in filiis, Matth. 23. v. 35.
Maledictio parentum ſuper filios, miros effectus habet, Matth. 27. v. 25.
Maldonatus refellitur, Matth. 12. v. 1.
Maledictum quid ſit? Joan. 9. v. 28.
Per *Malum* antonomaſticè intelligitur Diabolus, Matth. 13. v. 19.
Mammona iniquitatis pro divitiis injuſtis, Lucæ 16. v. 9.
Mammona quid? Matth. 6. verſ. 24.
Mandata Dei tranſgredi gravius eſt quàm traditiones Phariſaicas, Matth. 15. v. 3.
Mandata hominum qualia improbet Chriſtus, Matth. 15. v. 9.
Mandata 2. tabulæ cur ſola adoleſcenti proponit, Matth. 19. v. 16.
Mandatum maximum dilectio, Matth. 22. v. 37.
De dilectione proximi in quo ſimili priori, Matth. 22. v. 36.
Cur mandatum non ſit homini, ut ſe diligat, ibid.
Mandata præpoſitorum obſervanda, Matth. 23. v. 20.
Mandatum moriendi Chriſto datum, & ab eo liberè acceptatum, Joan. 10. v. 18.
Manducatio ſpiritualis Sacramentali præmittenda, Joan. 6. v. 51. & 55.
Manducatio vera abſque vera nutritione, Lucæ 24. v. 43.
Manichæorum & Platonicorum error refellitur, Joan. 1. v. 1.
Manere in Chriſto, quid? Joan. 15. v. 5. & ſeqq.
Manna in deſerto datum Judæis à Deo, Joan. 6. v. 31.
Cur vocetur panis de cœlo, Joan. 6. v. 32.
Manſiones variæ tam in cœlo quàm in inferno, Lucæ 16. v. 23.
Manſuetudo Chriſti, Matth. 26. v. 49.
Manſuetus Chriſtus, Matth. 21. verſ. 5. ejus ſignum, ibid.
Manus, pro poteſtate, Joan. 10. v. 28.
Manum mittere ad aratrum, Lucæ 9. v. 62.
Manipulus ſpicarum offerri ſolitus ſecundo die azymorum, hoc eſt in feſto Paſchatis, Matth. 12. v. 1.
Manum emortuam Chriſtus ſanat, Matth. 12. v. 10.
Manus Domini, pro poteſtate, Lucæ 1. v. 66.
Manuum elevatione benedicentibus familiaris, Lucæ 24. v. 50.
Marcus Evangeliſta quis fuerit, in Præfat pag. 407.
Probabilius eſt fuiſſe diſcipulum Petri, pag. 408.
Scripſit Græcè, pag. 409.
Mare Mediterraneum ab occaſu Judææ, Lucæ 12. v. 54.
Mare quomodo ceſſerit veſtigiis Chriſti, Matth. 14. v. 25.
Maria antonomaſticè Virgo, Lucæ 1. v. 27.
Maria quid ſignificet, ibid.
Cur dicatur deſponſata Joſepho, cùm fuerit nupta? ibid. & Lucæ 2. v. 5.
Quo ſenſu Dominus erat cum ea? Luc. 1. v. 28.
An & quando virginitatem perpetuam voverit? Lucæ 1. v. 34.
An interfuerit partui Elizabethæ? Luc. 1. v. 56.

Mariæ prudentia; modeſtia; & taciturnitas, Lucæ 2. v. 19. & 51.
Mariæ Virginis conſtantia, compaſſio, & amor, Joan. 19. v. 25.
Maria Cleophæ unde ſit dicta, ibid.
Maria Magdalena adſtat cruci, ibid.
Mariæ Virginis majores cur non apertè recenſeantur in genealogia Chriſti, Matth. 1. v. 16.
Maria & Joſeph ex eadem familia, ibid.
Cur deſponſata fuerit, v. 18.
Cur eam Joſeph dimittere voluerit, v. 19.
Magis beata, quia mente quàm quia carne Chriſtum tulit, Matth. 12. v. 49.
Maria Magdalena ſoror Lazari & Marthæ, Matth. 26. v. 7.
Ejus opes & effectus, v. 9.
Humanitas, fides, charitas, v. 10.
Ejus cum Chriſto familiaritas, v. 12.
Pietas in Chriſtum, Matth. 27. v. 56.
Dux cæterarum piarum mulierum, Matth. 27. v. 1.
Martyrem Chriſti facit non pœna, ſed cauſa, Matth. 10. v. 39.
Martyrium, ſicuti bellum, dulce inexpertis, Matth. 20. v. 22.
Matthæus ſcripſit Hebraicè in Præfat. Matth.
Ante omnes alios, ibid.
Poſtponit ſe Thomæ, Matth. 10. v. 3.
Matthæi vocatio, Matth. 9. v. 9.
Martha ſenior Mariâ Magdalenâ & Lazaro, Luc. 10. v. 38.
Maxilla altera quomodo præbenda percutienti unam, Joan. 18. v. 23.
Maxillam dextram percutienti quomodo præbenda & altera, Matth. 5. v. 4.
Medio comparatur Chriſtus, Matth. 9. v. 12.
Medium ſeu intimum terræ cur appelletur cor terræ, inferiora terræ, Matth. 12. v. 40.
Medico credere eſt ejus præcepta ſequi, Matth. 21. v. 32.
Memoria judicii à Chriſto commendata, Matth. 24. v. 42.
Merita Chriſti non obſcurantur noſtris meritis, Joan. 16. v. 27.
Mercenarius quis dicendus, Joan. 10. v. 12.
Sine meritis præparatur, ſed non datur regnum cœlorum, Lucæ 12. v. 33.
Menſibus lunaribus utebantur Hebræi, Matth. 26. v. 17.
Mendacium loquitur, qui voluntate fallendi, contra mentem loquitur, Joan. 8. v 44.
Mendax & Mentiens quomodo differant, Joan. 8. v 44.
Menſura bona, conferta, coagitata, ſuperefluens exponitur, Lucæ 6. v. 38.
Meſſis apud Judæos circa menſem Maium, Joan. 4. v. 35.
Meſſis multa populi Judaici, Matth. 9. verſ. 37.
Metreta menſura æqualis batho in liquidis, vel ephi in aridis, Joan. 2. v. 6.
Æquivalet amphoræ Romanæ, ibid.
Metempſychoſis, Marci 6. v. 14.
Militum circa Chriſtum petulantia, Matth. 27 v. 27. ſævitia, 29.
Milltum crucifigentium Chriſtum numerus, Joan. 39. v. 23.
Milites inſtruuntur ſalutariter, Lucæ 3. v. 13. & 14.
Mina, ſeu mna quot drachmas quoque ſiclos continet? Lucæ 19. v. 13.
Miraculoſa piſcium captura, Joan. 21. verſ. 7. & ſeqq.
Ejus allegorica expoſitio, Joan. 21. v. 11.
Miraculorum Chriſti multitudo & excellentia, Joan. 15. v. 24.
Miraculorum examinatores, de ægritudinis veritate inquirunt, Joan. 9. v. 19.
Miraculo falſum approbare non poteſt Deus, Joan. 5. v. 36.
Miracula ſine neceſſitate non operatur Deus, Matth. 15. v. 32.
Miracula ſigilla veritatis, Marci 16. v. 17.
Cur non ſemper fiant, ibid. Apoſtolorum miracula non terrifica, ſed benefica, v. 18.
Miraculum vana eſt fiducia, ſi fidei non adſit vita proba, Matth. 7. v. 22.
Miraculis confirmat Chriſtus ſuam doctrinam, Matth. 8. v. 1.
Miracula reſuſcitatæ filiæ archiſynagogi, ſanetæ hemorroiſſæ, cæcorum & muti expoſita allegoricè & tropologicè, Matth. 9. verſ. 22.
Sanatorum cæcorum, Matth. 20, v. 31.
Miraculorum virtutem dat Chriſtus Apoſtolis, Matth. 10. v. 1.
Miracula Apoſtolorum ſunt magis benefica quàm terribilia Matth. 10. v. 8.
Miratur Chriſtus, Matth. 8. v. 10.
Miſericordia præfertur omni extremo Dei cultui, Matth. 12. v. 7.
Miſeretur Chriſtus populi Judaici, Matth. 9. verſ. 36.
Miſericordiam volo non ſacrificium, Matth. 9. v. 13.
Miſeratio Dei ſumma erga peccatores, Matth. 18. v. 27.
Miſſio paſtorum Eccleſiæ quænam legitima, Joan. 10. v. 7.
Miſericordiæ operibus cur ſpecialiter ſalus tribuatur, Matth. 25. v. 35.
Miſeriæ humanæ condolet Chriſtus, Marci 7. v. 34.
Miſſio in divinis ſupponit proceſſionem, Joan. 15. v. 26.
Mites qui poſſidebunt terram futuræ vitæ, Matth. 5. v 4.
Modus quos Deus fideles ſuos probat, Matth. 14. v. 27.
Modeſtia Chriſti in voce & moribus, Matthæus 12. v. 19.

Modus recumbendi ad menſam apud Orientales, Joan. 13. v. 23.
Mola aſinaria, quid? Matth. 18. v. 6.
Monumenta cur inhabitabant dæmones, Matth. 8. v. 28.
Montana Judææ & montana Galilææ, Lucæ 1. v. 39.
Mons Oliveti, Matth. 21. v. 1. diſtabat à Jeruſalem mille paſſibus, ibid.
Ad montes cur fugiendum, Matth. 24. v. 16
In montibus orare ſolitus Chriſtus, Matth. 17. v. 1.
In quo monte contigerit tranſiguratio, Matth. 17. v. 1.
Mors Chriſti extremis tribulationibus vindicata, Matth. 24. v. 21.
Mors cur ſomnus appellatur, Matth. 22. v. 32. & Joan. 11. v. 11. & 13.
Mors Chriſti conſummatio appellatur, Lucæ 13. v. 32.
Mors alia temporalis, alia æterna, Joan. 8. v. 51.
Mortalia delicta non omnia æqualia, Joan. 19. v. 11.
Morientibus pietatis exemplum præbuit Chriſtus, Matth. 27. v. 50.
Mortui tres à Chriſto reſuſcitati, ejus trei allegoria, Lucæ 7. v. 15.
Mortui ſciunt ea, quæ à vivis geruntur, Lucæ 16. v. 25.
Mortua puella cur dormire dicatur, Matth. 9. v. 24.
Morti adjudicati ligabuntur, Matth. 27. v. 2.
Mortuorum corpora condiendi mos, Matth. 26. v. 12.
Moyſes authoritate Dei inſtituit cathedram. Matth. 23. v. 2.
Moyſes & Elias cur præ cæteris apparuerint in transfiguratione, Matth. 17. v. 3. Cur de morte & paſſione Chriſti tunc diſſeruerint, ibid.
Moyſes Dei eſſentiam in hac vita non vidit nec alius purus homo, Joan. 1. v. 18.
Moyſes & Prophetæ fuerunt ſatores: Apoſtoli meſſores, Joan. 4. v. 36. & ſeqq.
Moyſes de Chriſto prophetavit paſſim, Joan. 5. v. 46.
Mulier nomen ſexûs, non corruptionis, Joan. 2. v. 4.
Mulieres morientem Chriſtum non deſeruerunt ſicut Apoſtoli, Matth. 27. v. 55. Earum ſtudium commendatur, ibid. Ingreſſæ ſunt monumentum, Matth. 28. v. 8.
Mulieribus primo nuntiata reſurrectio, Matth. 28. v. 9.
Mulier pro corrupta ſumitur, Matth. 11. v. 11.
Multa pro infinitis, Matth. 10. v. 30.
Multiloquium inane fugiendum in orationibus, Matth. 6. v. 7.
Pro multis cur ſe moriturum dixerit Chriſtus, & non pro omnibus, Matth. 20. v. 28. item 26. verſ. 28
Mundus totus in tenebris ignorantiæ ſub adventum Chriſti, Joan. 12. v. 46.
Mundus ſumitur pro mundi dilectoribus, Joan. 14. v. 17. item 15. v. 19.
Mundus multifariam ſumitur, Joan. 17. v. 14. & 15.
A mundo affligi non eſt malum, Joan. 17. v. 15.
Mundi fraudulenta indoles, Joan. 2. v. 10.
Mundus peccato perditus Salvatore indiguit, Joan. 4. v. 42.
Mundus mari cur comparetur, Matth. 13. v. 47.
Munerum à Magis oblatorum ſignificatio, Matth. 2. v. 11.
Munus filiorum quomodo prodeſſet parentibus, Matth. 15. v. 5.
Mutilatio membri divina lege prohibita, Matth. 19. v. 12.
Mutuum dandum abſque uſura, aut ſpe paris beneficij, Lucæ 6. v. 35.
Myrrha à putredine præſervat, Joan. 19. v. 39.
Myſtica explicatio ſanati ſurdi & muti, Marci 7. v. 33.
Myſtica expoſitio irriſionum & pœnarum Chriſti, Matth. 27. v. 30.
Myſticè explicata miracula Apoſtolorum, Marci 16. v. 18.

N.

NAaman Syri fides & gratitudo, Lucæ 4. verſ. 27.
Naim civitas ubi ſita? Lucæ 7. v. 11.
Nardum ſpicatum & foliatum, Matth. 26. v. 7.
Nativitas Chriſti duplex, una æterna, alia temporalis, Lucæ 1. v. 35.
Natura corrupta renititur divinæ tractioni, Joan. 6. v. 44.
Naturæ unitas cum perſonarum pluralitate in Deo, Joan. 10. v. 30.
Natum pro concepto ponitur, Matth. 1. v. 20.
Navium & retium allegoria, Lucæ 5. v. 11.
Navis, venti, pavor diſcipulorum allegoricè explicata, Matth. 14. v. 33.
Nazaræorum abſtinentia, Lucæ 1. v. 15.
Nazarenus unde dictus Chriſtus, Matth. 2. v. 23.
Neceſſitas non habet legem, Matth. 12. v. 3.
Negationes Petri omnes in domo Caiphæ contigerunt, Joan. 18. v. 24.
Negare Chriſtum quid, & ejus pœna, Matth. 10. v. 33.
Negligentia Apoſtolorum taxatur, Matth. 26. v. 40.
Neomenia quale feſtum, Matth. 12. v. 1.
Neſciri à Deo quid, Matth. 25. v. 12.
Neſtorii hæreſis exploditur, Lucæ 1. v. 43.
Nicodemus ad Chriſtum de nocte acceſſit, & cur? Joan. 3. v. 1. & 2.
Nicodemus furorem Judæorum in Chriſtum mitigat, Joan. 7. v. 50. & ſeqq.
Nihil in animæ facultatem irrepere debet, quod ejus erga Deum dilectionem excludat, Matth. 22. verſ. 37.

Opera præcepta poſſunt eſſe meritoria, Lucæ 17. v. 10.
Opera ſupererogationis conſuluntur cum ſpe mercedis, Luc. 6. v. 38.
Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, Joan. 14. v. 10.
Operari pauci qui Evangelium prædicent, Matth. 9. v. 37.
Operarios bonos mittere & facere eſt Chriſti, Matth. 9. v. 38.
Ex operibus cognoſcendi pſeudoprophetæ, Matth. 7. v. 16.
Orandum in abſcondito, Matth. 6. v. 5. & 6. Matth. 26. v. 36.
Orandum ut fugæ neceſſitas non veniat hyeme, vel ſabbato & quare, Matth. 24 v. 20.
Orandum ſine intermiſſione, Lucæ 18. v. 1.
Oratio ad Patrem dirigenda per Chriſtum, Joan. 14. v. 14.
Oratio Chriſti pro Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, Joan. 17. v. 20.
Oratio cum religione mutatur, Lucæ 11. v. 1.
Oratio dominica exponitur, Matth. 6. v. 9.
Oratio & jejunium fidei adjungi debent, Matth. 17. v. 20.
Orationes à Chriſto fundantur in cœlis pro fidelibus, Joan. 16. v. 26.
Orationis conditiones, Lucæ 11. v. 9.
Orationis neceſſitas, Matth. 6. v. 8.
Orphanus denotat filium parentibus orbatum, Joan. 14. v. 18.
Oſanna quid ſignificet, Matth. 21. v. 9.
Offendere, pro facere, Joan. 10. v. 32.
Oſculi ſignum cur elegerit Judas, Matth. 26. v. 48.
Otio paratur aditus diabolo, Matth. 12. v. 44. Eſt ornamentum ei gratiſſimum, ibid.
Otium punitur, Matth. 25. v. 18.
Otioſum verbum quid, Matth. 12. v. 36.
Oves à paſtoribus paſcendæ ex amore Chriſti, Joan. 21. v. 15.
Oves Chriſti univerſum ſubjiciuntur Petro tanquam paſtori, ibid.
Oves, pro Epiſcopis: *Ovicula*, pro minoribus Presbyteris, ibid.
Oves paſtorem ſuum cognoſcunt, Joan. 10. v. 14.
Oves pro ſolis electis ſubinde in Scriptura ſumuntur, Joan. 10. v. 6. & 26.
Ovibus nihil ſimplicius, innocentius, Matth. 10. v. 16.

P.

PAcifici cur filii Dei Matth. 5. v. 9.
Pallia cur poſita ſuper aſinum, Matth. 21. v. 7.
Palmitem ferentem fructum Deus purgat, & qualiter, Joan 15. v. 2.
Panis à Chriſto benedictus, Matth. 26. v. 26.
Panum multiplicatio quomodo à Chriſto facta in deſerto? Joan. 6. v. 11.
Panis nomine quid intelligatur, Matth. 6. v. 11.
Panis pro cibo quocumque ſumitur, Luc. 14. v. 1.
Panes propoſitionis, Matth. 12. v. 4.
Parabola de filio prodigo, Lucæ 15. v. 11. & ſeqq.
Parabola de villico iniquitatis exponitur, Lucæ 16. v. 1. & ſeqq.
Parabola de Phariſæo & Publicano orantibus, Lucæ 18. v. 10. & ſeqq.
Parabola de drachma perdita, Lucæ 15. v. 8.
Parabola invitatorum ad cœnam, Lucæ 14. v. 17. & ſeqq.
Parabola de decem virginibus, Matth. 25. v. 1. De talentis, v. 14.
Parabola de ove perdita allegoricè exponitur, Lucæ 15. v. 2. & ſeqq.
Parabola incidentis in latrones in via Hierichontina, Lucæ 10. v. 29.
Applicatur lapſui generis humani, Lucæ 10. v. 35.
Parabola quid? Matth. 13. v. 3.
Cauſæ utendi parabolicis ſermonibus, ibid. & v. 35.
In parabolis loqui, id eſt obſcure, Matth. 13. v. 3.
Parabola de ſemine & verbo Dei, ibid. v. 19.
De bono ſemine & zizania, v. 24.
De grano ſinapis, v. 31.
De fermento, v. 33.
Theſauro abſcondito, v. 44.
De margarita & ſagena miſſa in mare, v. 47.
De homine rege, Matth. 18. v. 23.
De denario diurno, Matth. 20. v. 1.
De duobus filiis, Matth. 21. v. 28.
De patrefamilias, v. 3.
De homine Rege, Matth. 22. v. 1.
De ſervo fideli, Matth. 24. v. 45.
De ſemine, Matth. 4. v. 27.
Paracletus conſolatorem denotat, Joan. 14. v. 16.
Paradiſus locum voluptatis & amœnitatis denotat, Lucæ 23. v. 43.
Bono latroni à Chriſto promiſſus, quis? ibid.
Paraſceve quid ſignificet, Matth. 27. v. 62.
Parvulos benedicendi conſuetudo, Matth. 19. verſ. 13.
In quo imitandi, ibid. v. 14.
Parentes quomodo odio habendi? Lucæ. 14. v. 24.
Parentum erga Chriſtum reverentia & veneratio, Lucæ 2 v. 50.
Parvulis in quo debeamus eſſe ſimiles, Matth. 16. v. 3.
Paſcere quid impertet. Joan. 21. v. 15.
Paſcha celebrandi ritus, Matth. 26. v. 17.
Vox Paſcha explicatur, Matth. 26. v. 1.
Paſcha primum poſt Chriſti baptiſmum & jejunium, Joan. 2. v. 13.
Paſcha ſecundum poſt Chriſti baptiſmum, Joan 5. v. 1.
Paſcha tertium à baptiſmate Chriſti, Joan. 6. verſ. 4.
Paſcha quartum à baptiſmate Chriſti, Joan. 11. v. 55. & Joan. 13. v. 1.